


REVERENDI DOMINI
ALEXANDRI CALAMATO
CONCIONES
SACRÆ AC MORALES.
IN DVOS TOMOS DISTRIBVTÆ.

TOMVS PRIMVS

Continet SYLVAM Variorum Discursuum, ad totius Anni Dominicas & Festa accommodandam, lectione INDICIS, ad hoc ab ipso Authore confecti, & hîc in fine subiuncti.

Cui accesserunt Rdi. D. FRANCISCI MAIDALCHINI Sermones in omnes Dominicas & Festa Aduentûs.

TOMVS SECVNDVS

Continet eiusdem ALEXANDRI CALAMATO Quadragesimale; siue, Conciones super singula Euangelia per Quadragesimam occurrentia, ordine perpetuo ac consueto.

QVIBVS ADIVNCTÆ SVNT

Laudes & Encomia DEIPARÆ VIRGINIS
Pro diebus Sabbathinis.

Cum Indice vtrobique copiosissimo Rerum ac Verborum.

ANTVERPIÆ.

Apud Henricum Aertssens, & Cornelium VVoons.

ANNO M. DC. LXIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

ADMODVM R.do IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO
D. ÆGIDIO IANSSEN
INSIGNIS ECCLESIÆ
POSTELLANÆ
CANONICORVM PRÆMONSTRATENSIVM
ABBATI
LONGE MERITISSIMO.

ADMODVM R.de DOMINE:



VÆ vir olim nõ minùs ingenio præstãs, quàm eloquentia promptus, atque (vt planè Siculũ noscas) ad ducendos quò vellet hominum animos factus, *Alexãder Calamato*, sũmo coronæ ab eius ore pẽdentis applausu, pro concione elocutus est: ea Latinitate quadã facili, & quæ neminẽ remorari possit, donata, ac typis meis publici iuris facta, Nomini

tuo inſcribenda duxi. Non tam eam ob cauſſam, quæ multos mouere ſolet, vt illi contra maleuolos patronum quærerem; qui mihi ſuâ ſe virtute ac famâ ſatis per te tueri poſſe videbatur: quàm, vt animo ipſe meo obſequerer, qui iam diu ſecum agitabat quomodo veterem erga Te obſeruantiam, nouo aliquo ſed publico teſtimonio, omnibus teſtatam faceret. Huic cõſilio duæ præterea ſe cauſſæ adiunxerunt: prima, vt hac ſimul viâ oſtenderem, non minùs in aduerſis, quàm olim proſperis in rebus, mihi fidem conſtare; neque me tam fortunæ, quàm Domûs Poſtellanæ, fuiſſe cultorem: altera verò, vt vobis meâ manu velut Helenæ crater pararetur, quo ſubinde guſtato, præſentium temporum calamitatem, quæ vos non leuiter afflixit, aliqua ex parte obduceretis. Quamquam enim probè ſciam Vos ab animo ſatis paratos eſſe ad ea fortiter toleranda, quæ vitari non poſſunt: tamen quo neſcio modo alacrior, & ſeipsâ maior euadit quamuis obfirmata Virtus; quoties tanquam pugnaturienti tubæ cantus, fortium virorum acceſſerit adhortatio. Hanc autem, ſi quis vllus, vobis præſtare poterit hic *Alexander*, præce-

ptis ac

ptis ac monitis viro dignis abundans, non ab Aristotelis vmbraticâ scholâ mutuatis, sed ex salutari & solidâ Christi disciplinâ, atque instructissimo Sacrarum Scripturarum armatio depromptis, Tibi verò, non dubito quin grata ac iucunda futura sit eius oratio, qui iam diu in eodem puluere multumque versatus es: cùm plerumque euenire soleat vt nos maximè delectet aliorum perspicere inuenta circa illa studia, in quibus & aliquod nos olim gessisse nomenque decusque, recordari, ac citra arrogantiæ notam memorare etiam possumus. Tale autem est concionandi munus, in quo Te non perfunctoriè olim versatum cognouimus: siue cùm pluribus in locis Pastoris legitimi partes nusquam tibi parcens, nusquam indulgens, sustinuisti; siue cùm domi, Prioris munus, strenuè, nec minori fructu quàm laude, impleuisti. Atq; nunc Quartus domûs illius Abbas constitutus, non minùs exactissimæ vitæ exemplo, quâm verbis cælestem planè doctrinam spirantibus, commissum tibi gregem ad Virtutis omne genus, ac Christianam inprimis tolerantiam adhortari nō desinis. Cui vt diu præesse ac prodesse porrò valeas; vtq;

Postel-

Postellanam Domum, iam quingentos propè annos à fundatione suâ numerantem, florestiæ matri omnibus rebus efflorentem ostentare, ac deinde ad posteros longâ serie (sed serò) transmittere possis, ex animo voueo

R.^da Admodum Dominationi tuæ

Addictissimus cliens

HENRICVS AERTSSENS.

AD LECTOREM.

ALexandri Calamato, Messanâ Siciliæ oriundi, Sacras lucubrationes, cùm multoties auidè exquiri viderem, tam ob inuentiones raras, quàm dicendi methodum non docendis solùm sed & mouendis hominum animis accommodatam: gratam me rem facturum existimaui Diuini Verbi præconibus, si eas, quæ paucorum in manibus erant, Typis meis editas omnibus exponerem: & quæ non vno tempore, adeoque distinctis voluminibus exierant, eas in vnum volumen compingerē. Est autem in his (vt hoc te moneam) non vna Methodus ab Auctore instituta. Nam in ea Parte quam *Quadragesimale* appellauit, consuetâ passim viâ incessit, ita scilicet, vt cuique per Quadragesimæ dies Euangelio suam Concionem adscriberet. In alterâ verò Parte methodum ab alijs quoq; auctoribus interdum excultam seruauit: quæ non cuique diei aut Euangelio suum sermonem tribuit, sed materiam aliquam generalem, siue Locum communem propositum habet, qui deinde instar Prothei in omnes verti facies, & huic illive Euangelio accommodari possit. Atque huiusmodi sermocinandi genus aliorum exemplo ipse quoque *Syluam* appellauit: vnde scilicet pro suo quisque ingenio ligna seligeret, ad fabricandum Sermonem quem intento suo quàm maximè conducere censuerit. Quod ipsum quia quibusdam non ita facilè futurum iudicabat, *Indicem* adiecit *directorium*, velut in exemplum: quo dispersas latè materias ad totius anni Dominicas & illustriora Festa reduxit. Quoniam verò per tempus Dominici Aduentûs multis in regionibus Conciones Sacræ frequentari solent, hâcque in parte *Alexandri Sylua* sterilis vtcumque apparere poterat; adiunximus illi popularem auctorem,

atque adeò inueniendi ac dicendi ratione similem, vt planè vnum eundemque (si nomina demas) asseuerare possis. Is est *Franciscus Maidalchinus*, pariter Siculus: cuius per Adventum Sermones Syluæ Alexandrinæ adiunximus, ne quid tandem voto tuo deesset, atque ita vno volumine conclusum haberes, vnde quolibet totius Anni tempore, quod vsus exposcet, depromere valeas. Fruere vtroque, Lector, ac vale.



SYLLABVS
DISCVRSVVM
MORALIVM, QVI PRIMO TOMO PRÆSENTIS OPERIS CONTINENTVR, ORDINE ALPHABETICO DEDVCTI:

Quique ad totius deinde Anni Dominicas & Festa, ope INDICIS DIRECTORII ad calcem adiuncti, accommodari possunt.



Mor Dei in hominem. *Discursus primus folio* 1.
Amor hominis in Deum. *Disc.* II. 18
Amor Dei omnia facilia reddit. *Disc.* III. 28
Amor Inimicorum. *Disc.* IV. 36
Ambitio. *Disc.* V. 50
Angelus custos. *Disc.* VI. 59
Adulterium. *Disc* VII. 76
Beatitudo æterna. *Disc.* VII I. 82
Blasphemia. *Disc.* IX. 94

Confessio Sacramentalis. Disc. X. 103
Conuersatio malorum. Disc. XI. 112
Correctio fraterna. Disc. XII. 118
Diabolus. Disc. XIII. 126
Diuitiæ. Disc. XIV. 133
Ecclesia. Disc. XV. 141
Eucharistia. Disc. XVI. 154
Reuerentia & puritas conscientiæ ad Sacrosanctam Eucharistiam necessaria. Disc. XVII. 154
Per Eucharistiam singularis fortitudo animæ communicatur. Disc. XVIII. 106
In Eucharistiâ spiritualis dulcedo dignè sumentibus percipitur. Disc. XIX. 166
Eucharistia, cælestia dona & gratias fidelibus dignè sumentibus cõmunicat. Disc. XX. 171
Fides & opera. Disc. XXI. 174
Gratitudo. Disc. XXII. 184
Gula & Ieiunium. Disc. XXIII. 191
Homicidium. Disc. XXIV. 199
Hypocrisis. Disc. XXV. 202
Infernus. Disc. XXVI. 208
Inuidia. Disc. XXVII. 215
S. Ioseph. Disc. XXVIII. 223
Iudicium extremum timendum. Disc. XXIX. 229
In iudicio extremo, horrendo timore perfundentur peccatores. Disc. XXX. 236
In judicio extremo, rigosum instituetur examen nostrorum operum. Disc. XXXI. 241
In iudicio extremo, tremenda æternæ

damna-

damnationis ſententia contra pecca-tores proclamabitur. Diſc. XXXII. 248
Iudicium temerarium. Diſc. XXXIII. 255
Lachrymæ vis & efficacia earum. Diſc. XXXIV. 260
Maria Magdalena. Diſc. XXXV. 269
MARIA VIRGO concepta ſine peccato originali. Diſc. XXXVI. 278
Maria Virgo nauis myſtica. Diſc. XXXVII. 284
Continuatur eadem materia de exemptione à Peccato Originali, ex cauſâ efficiente & finali. Diſc. XXXVIII. 292
Immaculata conceptio oſtenditur ex Scripturâ & SS. Patrum teſtimoniјs. Diſc. XXXIX. 297
Maria *pulcherrima.* Diſc. XL. 305
Maria *humillima.* Diſc. XLI. 311
Maria *Virgo Mater Dei.* Diſc. XLII. 319
Maria *Mater Chriſti.* Diſc. XLIII. 325
Maria *Aduocata peccatorum.* Diſc. XLIV. 334
Maria *doloroſa.* Diſc. XLV. 346
Miſericordia Dei. Diſc. XLVI. 353
Mors, & eius memoria. Diſc. XLVII. 366
Mors iuſtorum & peccatorum. Diſc. XLVIII. 376
Mundus inſatiabilis. Diſc. XLIX. 382
Murmuratio. Diſc. L. 389
S. Nicolaus. Diſc. LI. 395
Obſtinatio. Diſc. LII. 401
Occaſio peccati. Diſc. LIII. 410
Oculus Dei. Diſc. LIV. 416

Oratio eiusque Conditiones. Disc. LV. 421
Passio D. N. Iesu Christi. Disc. LVI. 430
De oratione Christi in horto & sudore sanguineo. ibid.
De eiusdem flagellatione. 436
De coronatione Christi & illusione. 441
De portatione Crucis, crucifixione & morte Christi. 447
Pax. Disc. LVII. 450
Peccati culpa. Disc. LVIII. 456
Peccati pœna. Disc. LIX. 464
Perseuerantia. Disc. LX. 470
Pœnitentia. Disc. LXI. 477
Prædestinatio. Disc. LXII. 487
Prouidentia Dei. Disc. LXIII. 496
Purgatorium. Disc. LXIV. 502
Sacerdos. Disc. LXV. 508
Seruus Dei. Disc. LXVI. 520
Superior. Disc. LXVII. 529
Tribulationes patienter sufferendæ, & pro ijs gratiæ Deo agendæ quia veniunt à Deo. Disc. LXVIII. 538
Tribulationes necessariæ ad vitam æternam. Disc. LXIX. 549
Tribulationes signa sunt amoris Dei. Disc. LXX. 556
Tribulationes pariunt consolationes & gaudia interna in animâ. Disc. LXXI. 564
Veritas. Disc. LXXII. 574
Virginitatis Excellentia. Disc. LXXIII. 579
In inuestitione alicuius Virginis. Disc. LXXIV. 584
In Professione eiusdem. Disc. LXXV. 589

IN-

INDEX

SERMONVM

R. D. FRANCISCI MAIDALCHINI

In omnes Dominicas & Festa Aduentus.

I.	In *Festo S. Andreæ Apostoli.*	*fol.* 595
II.	In Dominicam Primam *Aduentûs.*	602
III.	In *Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis.*	610
IV.	In *Festo S. Luciæ V. & Mart.*	616
V.	In Dominicam Secundam *Aduentûs.*	623
VI.	In Dominicam Tertiam *Aduentûs.*	631
VII.	In Dominicam Quartam *Aduentûs.*	638
VIII.	In *Festo S. Thomæ Apostoli.*	645
IX.	In *Festo* NATIVITATIS *D. N. Jesu Christi.*	652
X.	In *Festo S. Stephani Protomartyris.*	659
XI.	In *Festo S. Ioannis Apost. & Euangelistæ.*	666
XII.	In *Festo SS. Innocentium.*	673

APPRO-

APPROBATIO.

Conciones Sacræ ac morales, ad totius anni Dominicas & Festa à R. Admodum Domino Alexandro Calamato Italicè conscriptæ, & latinitate donatæ à R. P. Henrico à S. Carmelo ex Ordine Carmelitarum strictioris obseruantiæ, sanæ doctrinæ in omnibus consonæ, & Verbi Dei præconibus perutiles sunt ad bonos sanctósque mores in auditoribus suis formandos. Quare dignas eas iudico quæ typis rursum mandentur. Actum 15. Nouemb. 1651.

Guilielm. Bolog. S. T. L. Can. & lib. Censf. Ant.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei Gratiâ Rex Castellæ, Legionis, Arragoniæ, vtriusque Siciliæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Comes Flandriæ, Arthesiæ, &c. Diplomate suo sanxit ne quis citra voluntatem HENRICI AERTSSENS Typographi Antu. Concionum Opera R. D. ALEXANDRI CALAMATO proximo decennio imprimat, alibive impressa in hasce ditiones inuehat, venaliave habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum; & aliâ graui pœnâ multabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, Die 12. Aprilis 1662.

Signat LOYENS.

A. R. D.
ALEXANDRI CALAMATO
SILVÆ MYSTICÆ,
SIVE
DISCVRSVS SELECTI, ET AD OMNES DOMINICAS TOTIVS ANNI PRAEDICABILES.

Amor Dei erga hominem.

DISCVRSVS PRIMVS.

De immenso & magno amore, quo Deus Creator & Redemptor semper prosecutus est hominem.

Num. 1. OMNIPOTENS & clemens Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, postquam ab æterno determinasset creare hominem, prævidissetque ineffabili providentiæ suæ intuitu eundem diabolicâ fraude & machinatione periturum, imò & ipsiusmet infernalis Satanæ futurum mancipium, decrevit simulatque proprium suum in terram amandare filium, qui hominem deperditum è dura liberaret dæmonis potestate, idq; ob immensum amorem, quo hanc suam ab æterno prosecutus est creaturam. *In charitate perpetuâ dilexi te*, ait per Ieremiam Proph. c. 31. v. 3. quasi dicere vellet, secundùm expositionem. S. Bonavent. serm. 1. in fer. 2. Pentecost. Priusquã tu esses, vel existeret vlla creatura, perpetuo dilexi te amore: *Benedixit perpetuâ; dilexit enim te, antequam tu, vel aliquis vel homo, vel Angelus, vel cælum vel terra esset.* vnde S. Cyrillus, 1. Thes. 1. c. 1. dicere solebat, amorẽ Dei in hominem esse æternum & coæternum comitem amoris, quo Deus diligit seipsum. *Mirus profectò amor hominum vnà cum Deo æternus.*

Hujus etiam occasione antiquissimus Tertullianus lib. de Resur. carnis, admirabili suâ eloquentiâ asseruit; quòd amor hic a mundi hujus nascentis exordio mortem ipsam indixerit æterni Patris Filio, quodq; creatio hominis ex limo terræ fuerit quasi pignus seu artha, quam dedit eidem hunc in finem, vt hominem lapsum in peccatum pretiosissimo suo renovaret sanguine, ac pristino gratiæ restitueret statui. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, legitur in sacra Genes. cap. 2. vers. 7. *Ita limus ille*, inquit Tertullianus, *jam tunc imaginem induẽs Christi futuri in carne, non tãtùm Dei opus erat, sed & pignus.* Creauerat Deus ter. opt. max. omnipotenti suâ manu hominem; at hic transgrediendo divinum præceptũ, extremam sibi ipsi para- Num. 2.

uit

uit perniciem & interitum; nec propterea lapso jam homini valedixit, sed pristinum continuãdo amorem, statim *ad auram post meridiem*, Gen. c.3.v.8. in paradiso terresti quæsitum ipsemet iuit, vocans & inuitans illum ad pœnitentiam: *audierunt enim*, inquit, *vocem Domini deambulantis in horto in meridie, sed vt discas*, ait os illud aureum D. Chrysost. in Genes. hom. 17. *Domini misericordiam, quod neque vt solet, differebat: sed mox vt vidit quod factum erat, & vlceris magnitudinem, ad opitulandum festinauit: & pro suâ bonitate neq; ad paruum tempus à curâ suâ illum destitutum reliquit.* Et quid tunc incepit clementissimus Deus Protoparẽtibus nostris? vt missa faciam cætera amoris & beneuolẽtiæ signa eisdem exhibita, solum id referam, quòd cernens illos ob corporis nuditatem pudore suffusos, binis eos extemplò vestiuit pellibus animalium: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori ejus tunicas pelliceas & induit eos.* Genes. 3. v. 21. & veluti alterum extitit pignus, quo Deus ei innuere voluit venturum se in mundum, humanâ se vestiturum carne, ac omnium peccata humeris suis impositurum; idq; non aliâ de causâ, nisi vt nos de nouo pristinâ sanctificantis gratiæ vestiremur chlamyde. Ab incepto hoc amoris cursu nunquam destitit; sed continuò porrexit loquendo, promittendo per ora Prophetarum antiquis Patribus vniuersalem humani generis redemptionem.

Num. 3. Vnde acutissimè aduertit magnus ille Tertullianus lib. de resur. carnis, quod vt verbum æternum aliquâ ex parte sopiret ardens suum, quo flagrabat, desiderium, humanam assumendi naturam & habitandi inter homines, videns se à nostris peccatis adhuc violenter retardari & ligari, humanâ nonnunquam se induerit formâ, compositâ vel ex aëre, uel ex alia simili materia (quemadmodum Angelici spiritus, dum se nobis exhibent conspiciendos, facere solent) & hac amorosâ fraude aliquantisper suo satisfecerit amori. Hinc nonnulli dixerunt, illũ, qui in paradiso terresti fugitiuo dixit Adamo: *Adam, Adam vbi es?* Genes. 3. v. 9. fuisse Dei filium, sed specie humanâ amictum, vt sic eundem excitaret ad spem remissionis consequendæ, suggereretque modum, quo peccato suo mederi posset. S. Ambros. lib. 2. de fide, c. 4. vult, quòd S. Patriarcha Abraham lauando peregrini pedes non exhibuerit se hospitalem Patri æterno, nec Spiritui S. sed Filio, qui sub habitu & formâ peregrini venerat visitatũ illum; quodque deinde idemmet Filius, sub eadem mortali formâ, in recognitionem istius beneficii promiserit ei tantam prolis multitudinem, quot essent stellæ in firmamento cœli, & arenæ in littore maris. Et huius existimo Christum Dominum mentionem facere, dum ait, Ioan. 8. v. 56. *Abraham exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est.* Et ille Angelus, qui sub specie fortissimi cujusdam adolescentis totâ nocte luctatus fuit cum Iacob secundùm mentem D. August. lib. quæst. vet. test. sequentis opinionem S. Dionysij Areopagitę, non fuit alius, quàm ille magni consilii Angelus, scil. æternus Dei filius mortali vestitus corpore. Sic enim ait citatus Doctor: *Colluctans Iacob cum Saluatore, Deum esse intellexit, quem specie corporis videbat.* Hoc idem D. Ambrosius in Epist. ad Coloss. Intelligit de illo, qui Moysi apparuit ardẽte circumdatas rubo. Et D. Chrysostomus hom. de tribus pueris idem sentit de eo, qui in fornace Babylonica medius inter pueros illos Hebręos cõparuit. Sic quãplurimę alię apparitiones de eodẽ intelligi possunt.

In tantũ profectò Deus & Dominus noster amauit homines vt animas illorum, quos per gratiã inhabitabat, suum censuerit esse paradisum, velut idẽ Verbum Num. 4.

bum æternum hoc ipsum innuit. Prou. 8. v. 31. *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Dum verò se ab eisdem posteà sequestratum conspexit ope & consilio Dæmonis, tametsi in cælo ab omnibus Angelorum Hierarchiis promptissimo afficeretur famulatu, obsequio & cultu, licet in seipso beatissimus simul ac felicissimus esset, attamen ac si bonorum maximum deperdidisset, fecissetq; jacturam totius felicitatis & magnificentię veluti totus periisset thesaurus suus, dicebat in seipso cum Propheta Isaia c. 52. v. 5. *Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis?* ac si dixisset juxta mentem Hugonis Cardinalis: *Ex quo genus humanum exulat in mundo, & premitur à Diabolo, quid mihi est hîc, id est, in cælo? quasi dicat: Non reputo me aliquid habere in cælo habendo Angelicos spiritus, qui sunt quasi nonaginta nouem oues in deserto, nisi habeam ouem errabundam in exilio.* Et sanè N. in tantum excreuit amor Dei in hominem, vt absente homine, se solum (si ita dicere liceat) existimaret superstitem.

Num. 5. Perlegite D. Ioannem Euangelistam cap. 12. & reperietis Christum Redemptorem de seipso loquendo dicere: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ioan. 12. v. 24. In quem locum ait D. Augustinus in Ioan. tract. 51. quòd Christus Dominus tanquam granum frumenti solus mansisset, si non venisset in mundum, passus & mortuus fuisset. Sed quâ ratione solus? an non in cælis tam illustri innumerabilium Sanctorum Angelorum catervâ constipatus erat, qui ei, vt potè vero & naturali suo Domino, ac Patrono, obsecundabant, seruiebant? quemadmodum eum vidit vice quadam Daniel Propheta c. 7. v. 10. in spiritu raptus, dum aiebat: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebat ei?* Sapientissimè respondet S. Antonius Patauinus dicens, Deum tanto in hominem exarsisse amore, vt tametsi in cælo Empyreo innumerabilis illi assisteret Angelorum exercitus, ad omnia eius obsequia promptissimus, attamen absente homine arbitraretur se ibidem esse solum, eò quòd conseruatione & societate hominis summè delectetur, & in eâ suas constituat delicias. *Solum manet,* inquit sanctus ille Pater sermone in Domin. 3. post Pentecost, *quamuis societatem haberet Angelorum, quia deliciæ suæ (vt ita dicam) ipsius gloria est, esse cum filiis hominum.*

In confirmationem expositionis hujus adducit Angelicus D. S. Thomas Num. 6. Parabolam illam, cujus mentionem facit S. Lucas cap. 15. de Pastore, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, nouem scilicet cœlestium Angelorum choris (vti explicant SS. Ambrosius, lib. 7. in Luc. Ven. Beda hîc, P. Petrus Chrysologus serm. 168. & communiter SS. Patres) abiit quæsitum vnam deperditam, scilicet naturam humanam, quam inuentam suis imposuit humeris, & reuersus domum conuocauit & inuitauit omnes amicos & vicinos vt sibi congratularentur de oue adinuentâ: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Lucæ 15. v. 6. vt videlicet cunctis hunc patefieret, ait S. Thomas in suis opusculis, Deum omnipotentem summæ sibi duxisse gloriæ & voluptati, quòd adinuenerit hominem, quasi absque illo beatus esse non posset. *Omnes Angelos cõuocat, inquit ille, ad congratulandum non homini, sed sibi, quasi homo Dei Deus esset, & tota laus diuina ab ipsius inuẽtione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non posset.* Sicq; N. non tanti Rex quidam terrenus æstimat regnum suum tametsi diuitiis & gemmis abundantissimum, quanti benedictus Deus facit hominem, differente ita ore illo aureo D.

 Chry-

Chryſoſtomi homil. 36. ad pop. *Apud Deum viſibilium nihil homini par; nam & cælum & terram & mare propter eum fecit, & in eo magis quàm in cælo delectatur*
Num. 7. *inhabitans.*

Hinc pax fieri nequiuerat, niſi filius Dei veniret in mundum, & converſaretur cum hominibus. Perlegite propterea creationis mundi hujus hiſtoriã, diligenti eam animo ruminate, & videbitis, quâ ratione divinus ille Architectus infinitâ ſuâ ſapientiâ ſuperbam ac faſtuoſam hanc mundi machinam formauerit, diſpoſuerit & exornauerit pro ſuo regali palatio; ſed præparantem & conſtruentem ſibi eandem in ſuum habitaculum ſemper invenietis inquietũ. *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* ait ſacra ſcriptura Gen. c. 1. verſ. 2. Invenietis ad imperium ſuum divinum diuidi aquas ab aquis, has collocari ſupra firmamentum cœli, illas in vnum deſtinatum congregari locum; ignem ad ſuam deſtinari ſphæram, aërem inter ignem & aquam veluti elementa ſibi contraria ſituari medium, aquam cum terra pacatam ſe invicem amplexari; ſolum Deum comperietis adhuc ſine pace & quiete. *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Legetis ſtellas cœli firmamẽto affixas ſplendeſcere, aves feſtivas & lætas aëris volatu ſuo peragrare campos, piſces obambulare maris undas, cæteraque animalia occupare terram, omnia in propriâ collocata ſede invenire quietem: ſtellas in firmamento, aves in ſuis nidis, piſces in cavernis maris, feras in montium ſpeluncis; ſolum Deum, qui aliis omnibus creaturis tribuit quietem & ſedem, pro ſe nullam adhuc invenire requiem. *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Et ecce pro coronide operis & fabricæ tam excellentis format & creat hominem, & quaſi jam ſuum inveniſſet centrum, obtinuiſſet intentum, ſacer ſubjungit textus, quod invenerit quietem: *Et requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarit.* Geneſis ſecundo, verſu 2. Huic conceptui applaudens Rupertus Abbas, in hæc prorũpit verba: *Ferebatur ſuper aquas, quia inquietus erat quouſq; vidit hominẽ creatũ, ſuper quem requieſcere poſſet.* Eidem conſiderationi pariter intentus magnus ille Mediolanenſium Epiſcopus, hanc compoſuit gratiarum actionem. 6. Hexam. capite vltimo: *Gratias Domino Deo noſtro, qui huiuſmodi opus fecit, in quo requieſceret. Fecit cœlum, non lego quòd requieverit: fecit terram non lego quòd requieverit: fecit ſolem, lunã, & ſtellas nec ibi lego quòd requieverit, ſed lego quòd fecerit hominem, & tũc requievit.* O immenſum & infinitum amorem! ô charitatem indicibilem! inæſtimabilem
bonitatem Dei erga hominem! Num. 8.

Majus ſanè teſtimonium amoris divini in hominem ex alio clarius cognoſci nequit quàm dum ſeipſum ſponte obtulit æterno ſuo Patri, ut deſcenderet è cælo in terram & ignominioſam ſubiret mortem in ligno crucis pro totius humani generis ſalute. Stabant ante thronum Dei Seraphini illi, Seraphico accenſi ardore, ut illos in ſpiritu videbat, Propheta Iſaias capite ſexto, verſu tertio & dum dulciſonum hunc altiſſimo Regi decantabant hymnum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituũ*, aſſiſtẽtibus ſignificabat Deus ter optim. maxim. quòd cujuſpiam indigeret operâ, qui abiret in mundum & totam humani generis maſſam à dæmoniis eriperet poteſtate & tyrannide: *Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittã: & quis ibit nobis?* Ad vocis hujus divinæ auditum & petitum, an non æquum fuiſſet, N.N. ut Seraphini illi ſeſe promptiſſimos obtuliſſent Deo creatori ſuo? omnino ipſi nihilominus tacent & attendunt fruitioni cœleſtis beatitudinis. Sed ubi jam veſtra, O Seraphini, tam ardens charitas? ubi flammivomæ, quibus in Deum exardetis,

detis, amoris scintillæ? cur non æmulamini, & concertatis, quis primus omnium se offerat pro Imperatoris vestri gloria & nostra salute? Aliud N. non invenio responsum, uti non aliter capio hoc mysterium, quàm quòd amor ille Seraphicus eò vsque non se extenderit, nimirum vt quis ex illis descenderet de cælis, privaretur suâ gloriâ & beatitudine, moreretur in cruce pro miserabili & ingrato homine, veluti intendebat & desiderabat Dominus Deus, dicens citata verba: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Isaiæ sexto, versu octavo. Verùm si nullus spirituum cœlestium se obtulit & respondit postulanti Deo: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* quis igitur respondit pro nobis? quis sese obtulit, & arduū hoc in se suscepit onus?
Num. 8. Audiamus sāctum Athanasium oratione in illud, *Omnia mihi tradita, &c.* qui alludendo ad hunc locum Isaiæ, discurrit in hunc modum: *Deus hominum amator ac nolens perire hominem ad suam imaginem conditum, in hæc verba locutus est: Quem emitam? & quis proficiscetur? omnibus obticentibus locutus est Filius: Ecce ego, emitte me. Quo tēpore illi respondet Pater: Vade ergò, tum, inquam dedit illi hominem, ut ipsum Verbum caro fieret.* Tacentibꝰ ipsis Seraphinis solus respōdit Filius æterno Patri, seseq; obtulit ad opus hoc Redemptionis nostræ in se suscipiendum, ut sic nobis infinitum illum, qui in fornace pectoris sui irremissibiliter ardebat, manifestaret amorem, & ideò humanam nostram assumpsit naturam, ideò pretiosum suum effudit sanguinem, ideò sannis opprobriisque, sputis & tormentis quamplurimis se affici permisit, ut sic ex talium dolorum excussu, morteque tam ignominiosa, quam pro vilissimo homine pateretur persona illa infinita, unusquisque facilè conjecturari posset infinitum Dei amorem in hominem.

Num. 9. Iam dicti cujusdam Salvatoris penetrabimus mysterium: *Sic Deus dilexit mundum, ut Flium suum unigenitum daret.* Ioan. tertio, versu decimo sexto. examinemus hæc verba: Dicit primò: *sic,* quia amor fuit adeò magnus & excessivus, ut non invenerit verba sufficientia, & capacitati nostri intellectus proportionata ad exprimendum illum. *Deus*; considera, ô homo, quisnam sit ille, qui amat; est Deus immensus, infinitus, beatissimus, & in seipso perfectissimus, qui nullius creaturæ indiget operâ, cujus amor non ex alio fonte ducit originem, nisi ex propriâ ejus bonitate & misericodiâ. *dilexit mundum.* Si Deus adeò clemens, bonus & misericors dilexisset Angelos, nō esset cur desuper admiraremur, etenim promptissimè exequuntur divinam illius voluntatem & mandatum; est quòd amet mundum ingratum, beneficiorum immemorem divinorum, rebellem & obstinatum, necnon sancta & divina illius transgredientem præcepta, profectò res est omni digna stupore & admiratione. Cuncta hæc verba jūctim ponderat S. Ioan. Chrysostomus hom. 26. in Ioannem: & ait: *Vox, sic Deus dilexit mundum, immensam amoris significat vehementiam; magna enim inter hæc (nimirum inter Deum & hominē) differentia est, & minime conferēda; qui enim immortalis est, & nullo fine comprehenditur; qui potentissimus est, ex terra & cinere factos & innumeris peccatis obnoxios & malè de se meritos & ingratos dilexit.* Dicit deinde idē Salvator: *ut unigenitum suū daret: non servum* (ait Sāctus Ioānes Chrysostomus,) *non Angelum, non Archangelum*: & tandem ponderosis & quodvis cor durum & lapideum penetrantibus concludit verbis: *Nemo unquam pro filio tantam præ se tulit charitatem, quantam pro servis & ingratis servis Deus.* Nam quis vnquam vidit Patrem aliquem mactasse filium suum vnigenitum tantum ab ipso amatum, idque

pro ſalute ſecundo geniti, & nihilominus ęternus & cęleſtis Pater occidit in ligno crucis dilectum ſuum vnigenitum pro ſalute & vita ingrati, rebellis & obſtinati ſerui & peccatoris, O immenſum & inexplicabilem amorem! qui omnes tranſgreditur terminos, excedit limites, omnemque tranſcendit intellectum.

Rex Moabitarum vnigenitum mactauit filium. verò verius eſt, nec diffiteor; is proprium ſpectans commodum regnandique ductus cupiditate, pluſquam beluinam hanc exercuit tyrannidem: etenim cùm aduerteret ſe obſidione cinctum à populo Hebræo, & cognoſceret euidenter infra paucos dies ſe orbandum coronâ, ſceptro & imperio, filium mactandum exemplò obtulit Idolis, vt hæc per tributum & holocauſtum illud Diabolicum placata, vivum eum ac incolumen in imperio conſeruarent. *Cùm vidiſſet Rex Moab prævaluiſſe hoſtes &c. arripiẽs filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum.* quarti Regum tertio, verſ. 26. & 27. & æternus ille cæli terræque Monarcha tradidit filium ſuum vnigenitum flagellandum, crucifigendum & in cruce mactandum, non prauâ dominandi illectus ambitione & ſe ipſum conſeruandi in regno, ſed vt te hominem miſerum, ingratum & peccatorem ad regnum ſuum glorioſiſſimum conuocaret, & attolleret. Quâ linguæ facundiâ tanta explanari poterit charitas? aut quodnam fœcundiſſimum etiam ingenium talem valebit comprehendere amorem?

Num. 10. Verùm audite majora. Cùm jam adeſſet plenitudo temporis in quo Dei filius carnem humanam aſſumpturus, ac pro homine opprobroſã paſſurus eſſet mortẽ in ligno crucis, tanta eum inuaſit ſolicitudo & cura deſcendendi de cælis, vt expectare nequiuerit, donec apertæ fuiſſent portæ cælorum; vnde cum ipſomet cælo deſcendit in terram. In hoc ſenſu adducit in medium doctiſſimus ille Genebrardus in pſalmo 17. illa Pſalmiſtæ verba: *Inclinauit cælos & deſcendit. Celeritatis ſtudio*, ait ille, *non eos aperuit ad deſcendendum, ſed inclinavit ſecum & in terram traxit.*

Quòd igitur Deus ſit factus homo, Num. 11.
excedit intellectus noſtri capacitatem. Non potuit vllâ ratione ſibi perſuadere Seneca lib. de Benef. tametſi aliàs prudentiſſimus, homines tantâ pollere exiſtimatione apud Deum, quòd hic in gratiam & fauorem eorundem immenſam hanc creaſſet mundi machinam. Vix ſibi imaginari potuit, quod in obſequium hominum circumuoluerentur & mouerentur nobiliſſima illa cęlorum corpora. *Nimis nos ſuſpicimus*, dicit ille, *ſi digni videamur nobis, propter quos hæc tanta corpora cæleſtia moueantur, ſuas leges habeant iſta, quibus diuina exercentur.* Sed quo non ſtupore opprimereris, hæreresque attonitus, ô Philoſophe (inclamat quidam Doctor) ſi hodie certior reddereris, & euidenter cognoſceres, Deum noſtri causâ induiſſe naturam hominis, perpeſſum eſſe opprobria, injurias, tormenta, flagella, ſpinas, alapas, & demum tamquam malefactorem cerneres morientem in ligno crucis?

Subjungite jam dictis alium exceſſum Num. 12.
amoris Dei erga hominem, quod videlicet non accepit naturam Angelicam; ſed humanam, eamq; deſcendentem ex progenie Abraham. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, dicit Paulus Apoſt. ad Hebr. 2. verſ. 16. vt hinc intelligeremus, quod Deus juxta mentem D. Auguſtini lib. 3. de Trinit. c. 18. potuerit eſſe homo, non accipiendo carnem ex filiis Adam; nihilominus quò magis ſuam declararet bonitatem & amorem, voluit naſci homo ex progenie deſcendente ab inimico ſibique rebelle Adamo, quod per magnum beneficiũ dum attentiùs contempla-

templaretur sanctus ille vir, dictus Philippus Solitarius, qui eximiis claruit virtutibus tempore Alexii Imperatoris, libro 3. cap. 5. dixit, quòd licet Angelus sit substantia nobilissima & omnium creaturarum præstantissima, ipsique Deitati conformior & similior, nihilominus, inquit ille, *audio planè scripturam seu per Deum prædicantem & hominum & animarum pauperum amatorem: nunquam audiui ab aliquo amantem Angelorum nominari.* Reperio quidem, ait hic vir sanctus, quòd Angeli interdum per excellentiam & laudem sint nuncupati flammæ igneæ, interdũ spiritus & ministri Dei: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*, ait Propheta Regius Psal. 103. v. 4. ast de hominibus scriptum reperio: *Filios enutriui & exaltaui.* Isaiæ 1. v. 2. homini dictum: *Filius meus primogenitus Israël.* Exodi 4. v. 22. Et S. Leo Papa serm. 6. de Nat. asserit Filium Dei propterea factum filium hominis, vt nos essemus filii Dei. *Ideò filius hominis est factus, vt nos filii Dei esse possimus.* Et S. Cyrillus in c. 6. Ioan. ad idem hoc nostrum subiungit propositũ: *Per vnum generis nostri, id est, Christum, ad nos quoque illud peruenit: Dij estis & filij excelsi omnes.* Psal. 81. v. 6. Et quia hoc ipsum veluti speciale ac singulare extitit beneficium & gratia, propterea S. Euangelista Ioannes in principio sacræ suæ historiæ nos de illo commonnefacit, dicens: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ioan. 1. cap. vers. 12. Quid sublimius, subiungit hîc S. Gregorius homil. 19. in Ezech. hac potestate? quid excellentius hoc fauore & gratiâ? *omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominẽ vocet filium, & homo Deum nominet Patrem.* O mansuetissime leo! ô gloriosissime Pontifex S. Ecclesiæ! jam jam millenis exoptarem votis, ac præcaret, vt suauem & salutarem tuum auribus nostris insonares & intonares rugitum. *Agnosce ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione recidere.* S. Leo serm. 1. de Nat. Dom. Tanta est dignitas illa, ad quam per Dei bonitatem & gratiam euecti sumus, vt summum nobis esset dedecus, summamq; incurreremus ingratitudinis notam, si spretâ illâ veterem repeteremus seruitutis, miseriæ & vilitatis statum.

Ne hîc sistit gradum N. excessus il- Num. 13.
le amoris diuini; sed vlteriùs progreditur; etenim factus jam homo, Illicò innocentem carnem suam exposuit flagellis, spinis, colaphis, clauis, cruci, morti. Maiúsne quid recenseri potest? Immensam hanc Redemptoris charitatem, non exiguo perfusus stupore, penitiùs considerans deuotus ille & sanctus Episcopus Carpatius dictus Philo in Cant. 6. hæc in affectibus plena prorupit verba: *Rex ille cælestis immensæ charitatis ardore victus ineffabili magnitudine suæ bonitatis ad immortalia & dolorifica vulnera accessit. O incomparabilem amorem! O inauditam charitatem! O maximè infinitam Dei misericordiam!* amor hic excessiuus est, immensus & infinitus, captumque transcendit hominum & Angelorum. *Propter nimiam charitatẽ suam, quâ dilexit nos,* ad Ephes. c. 2. v. 4. sic eum nuncupauit resonans illa Spiritus sancti turba Apost. Paulus: non pro Angelis, sed pro nobis piëtissimus Deus posuit vitã suam; plus igitur nos quàm illos dilexit. Conformiter testimonio suo id corroborat Seraphicus ille Bonauentura in 3. dist. 32. q. 16. *Deus posuit animam suam pro hominibus, non posuit eam pro Angelis: ergò magis homines, quàm Angelos dilexit.*

Dilucidè id ostenditur. Peccabat An- Num. 14.
gelus, peccabat & homo: ambiebat Deitatem Angelus, ambiebat & eandẽ homo: nullum planè dubium est, quòd attentâ culpâ seu peccato, vterque pari debuisset subiacere pœnæ & dãnationi, vter-

vterque æternis adjudicandus fuisset infernalibus flammis & tormentis. Vlteriùs, spectatâ naturæ excellentiâ, æquũ fuisset, ut remissâ homini offensâ, remissa fuisset & eadem Angelo; & nihilominus iustissimus judex Deus (audite amabò qualiter in hoc casu se habuerit) condemnavit Angelum æternâ morte. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suũ domicilium in judiciũ magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* ait sanctus Iudas Apostolus in Catholica sua Epistola v. 6. homini verò remisit errorem & culpam, & eundem de novo in suam recepit amicitiam; & quod magis demirandum est, posuit animam & vitam suam pro illo; vnde Apostolus loco suprà citato hunc amorem Dei appellat nimiũ dicẽs: *Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Cui optimè subscribit S. Bernardus, fer. 4. hebd. Pass. *Verè nimiã, quia modum superat, planè supereminens vniversis, Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Tu maiorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis: cùm enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri.*

Num. 15. Verùm ut amoris hujus magnitudinem clariùs intelligere & penetrare valeatis, ad id, amabo, attendite, quod refert Valerius Maximus de Codro postremo Atheniensium Rege. Obsidione arctissimâ cincta erat vice quadam civitas Atheniensis à potentissimo copiosissimoque hostium exercitu, idque cum sommo tum mortis, tum servitutis periculo. Codrus utrumque considerans periculum, consuluit oraculum Apollinis, quidnam agendum, quævè capienda esset resolutio, ut civitas ab imminenti malorum incursu & durissima illa liberaretur obsidione? Responsum fuit ei, non esse sperandam aliquam redemptionem, nisi ipse occumberet in prælio. Audit Codrus ab Oraculo responsum, æstimatque magis expedire, ut unus, cui pauci adhuc supersunt dies vitæ, pereat, quàm infinita ferè hominum multitudo; quapropter generosus ille heros exuit se regalibus vestibus & loco earum ne ab hoste agnosceretur, pauperem eumque vilem assumpsit habitum, sicque intrepidus processit ad certamen, strenuè aggressus est hostem, pugnauit & demum occubuit incognitus, sed morte suâ populum sibi subiectum pristinæ restituit libertati, & hostem in fugam convertit. Per illustri hoc & celebri exemplo generosissimi istius herois pro amore patriæ & subditorum occumbentis, vtitur D. Augustinus ad demonstrandum infinitum amorem Dei erga nos homines; & ait, quòd Christus Dominus Rex ac Redemptor noster ad eundem modum morte suâ volens nos eripere à tyrannide inimici nostri infernalis, nosque libros educere ab illius servitute, mutaverit habitum, venerit in mundum, formâ coopertus humanâ, ut dæmon noster fatalis hostis non agnosceret eundem pro vero Deo, sed judicando ipsum esse purum hominem, cæteris similem sub potestate sua constitutis, eidem procuraret mortem, ac ipse tandem remaneret victus & superatus.

Sed attendite, N. majora his referam. Num. 16.
Non solùm amor divinus tribuit nobis vitam, sed idem hic amor, magis intulit Christo Domino mortem quàm crux, lancea aut reliqua passionis instrumẽta & tormenta. En perspicuam hujus rei similitudinem. Moritur nonnumquam ex morbo quodam extraordinario persona aliquis sũmæ dignitatis & illustrissimæ prosapiæ, & tametsi medici millia ex cogitarint, & applicarint ei remedia, nullum tamen profuit. Quid igitur postmodum facere solent, antequam

corpus illius balsamo aliisque pretiosis condiatur vnguentis, accipiunt acutissimum quendam cultrum, summaque cum dexteritate corpus aperiunt, mortis ipsius causam quam diligentissimè inquirunt, visitant cor, examinant pulmonẽ, omnesque partes internas corporis inspiciunt, voluunt & reuoluunt, & dum partem aliquam læsam vel infectam offendunt, mortem ex illa argumentantur & colligunt.

Si jam vobis dicerem, non tam flagella, spinas, clauos, crucem, quam amorem illum excessiuum, quo dilexit hominem, Redemptori nostro eripuisse vitam, vix mihi fidem haberetis, credetis tamen, cùm id probauero. Insolita abs dubio & extraordinaria extitit mors Christi Domini, adeò ut non solùm communis plebs, verùm etiam ipsemet Præses Pilatus obstupuerit summopere, audiens Saluatorem nostrum mortuum: *Pilatus autem mirabatur, si iam obiysset*, ait Sanctus Euangelista Marcus capite decimo quinto v. 44. Nullus enim crucifixorum præproperã adeò solebat obire morte, veluti obseruauit etiam Magnus Origenes tractatu trigesimo quinto in Matthæum, dicẽs: *Miraculum enim erat quoniam post tres horas receptus est, qui fortè biduũ victurus erat in cruce, secũdùm consuetudinẽ eorum, qui suspenduntur.* Necessariò igitur ex aliquo alio accidente mors hæc accelerata fuit. Vnde quid fecit curiosus ille Longinus? causam mortis adeò repentinæ experiri cupiens, instar Anatomici cuiusdam arripuit acutam lanceam, & ecce, dum hac aperiret pectus Christi Domini, vidit cor illius amoris exæstuans flammis liquefieri & dissolui in sanguinem & aquam: *Vnus militum lanceã latus eius aperuit, & cõtinuò exiuit sãguis & aqua*, Ioannis capite decimo nono versiculo trigesimo quarto. Si igitur Anatomicus ille, qui incidit pectus eius, aliud alibi non reperit signum indicatiuum mortis nisi in corde, & cor est vnica amoris sedes & receptaculum, necessariò hinc colligendum est, amorem præ reliquis omnibus tormentis Redemptori nostro causasse & intulisse mortem. Huic meo conceptui Seraphicus alludens Bonauentura, intuensq; Longinum collimantem diram lanceam in latus Saluatoris nostri, talibus eundem aloquitur verbis, lib. med. cap. 89. *Quid vulneras Longine? vulneras cor tam diu desiderio patiendi vulneratum.*

Effectus huius amoris Christi Domini erga hominem, euidenter quoque patuerunt ex interrogatione eidem factâ ab æterno & amantissimo Patre suo; hic enim illum interrogabat per Prophetam Zachariam, quis eum vulnerasset, Zach. cap. 13. vers. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuũ tuarũ?* vel vt exponit Glossa interlinealis hîc: *Quid commisisti, vt manus tuæ configerentur clauis?* & respondit Redemptor noster: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*. Zach. 13. vers. 6. Quasi dicere vellet: Non mihi, ô Pater æterne, has causarunt plagas & vulnera inimici & hostes mei, qui aliàs odio me prosequebantur; sed charissimi mei amici, idque ex singulari amore & affectu. Ita explicat responsum hoc amantissimi Iesu Nicolaus Liranus hîc, dicens in persona Saluatoris: *Ista non sunt mihi facta ex odio, sed amore.* O viscera & vulnera Christi benedicti amore plenissima! Num. 17.

Desideratione obstupenda magis de amore hoc diuino auscultate prodigia, attentas arrigite aures N. Peto à vobis, qualem opinamini fuisse maiorem dolorem, quem patientissimus Saluator noster pertulit à Natiuitate suâ ad mortem vsque in cruce perpessam? Fortè, dum medias inter tenebras nocturnas natus in spelunca Bethleemitica frigutiebat? minimè. Fortè fuit ille indicibilis dolor, quem post octauum Natiuitatis suæ diem in circumcisione perpessus est? neque hic. Forte fuit ille, quem concepit ex Num. 18.

fugâ in Ægyptum noctis tempore ob timorem Herodis, insidias struentis illius vitæ? & hic multò minus. Fortè quem hausit ex frequentissimis iniuriis, contumeliis & persecutionis Hebræorum? nequaquam. Fortè quem tulit ex datâ ei alapâ à vilissimo illo seruo in præsentia Pontificis, aut quando ligatis manibus ducebatur de vno ad aliud tribunal? neutiquam. Fortè, dum acerbissimis & dirissimis cæsus flagellis, & corona spinea sacratissimo illius capiti imposita fuit, aut dum ponderosissimum crucis lignum humeris suis impositum detulit ad mõtem Caluariæ? neque hic. Fortè, cum se summâ cum ignominiâ conspexit nudatum & ab impiis Iudæis in cruce suspensum? nec ille. Quis igitur omnium dolorum, quos in hoc mundo pertulit, extitit maior? Cupitisne scire (inquit Guerricus Abbas ser. 3. de Annunt. tom. 13. BB. VV. PP.) quisnã ille sit? fuit nimirum, quod spatio nouem mensium purissimo & castissimo vtero Mariæ Virginis inclusus expectare debuerit, nec pati statim potuerit pro homine, quem veluti vnicam oculorum suorum pupillam diligebat: *Omnium humanarũ infirmitatum*, ait hic insignis Pater, *quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tẽpore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quòd in vtero nouem mẽsium tempore, Maiestas illa incircumscripta passa est cõtineri. Tanto tempore nihil loquitur illa sapientia, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili Maiestas, quæ nostri causâ latet, proditur.* O præclara verba! digna sanè, vt omnium Christianorum cordibus, aureis insculperentur literis. Mora igitur illa nouẽ mensium diuturna ipsum torquebat, cruciabatur, & meritò ventri virginali inclusus poterat dicere: Quando, quando veniet tandem optata illa hora quâ in lucem mundi proditurus sum vt dolores, cruciatus, tormenta & ignominiosam tandem mortem, in durissimo crucis ligno, pro homine pati possim!

Inexplicabilem hunc Dei amorem Num. 19. considerans quâdam vice S. Zeno Veronensis Episcopus, exclamauit: *O charitas quàm potens! tu Deum in hominem commutare potuisti, tu virginali carcere nouem mensibus relegasti.* Hactenus S. Zeno serm. in fer. 5. Parasc. Nec minus eleganter loquitur ad nostrum propositum magnus ille Tertullianus lib. de patientia cap. 3. *Nasci se Deus in vtero patitur virginis, & expectat*, vt hinc intelligeremus, maximum Christi tormentum fuisse, quòd pati nequiuerit tempore illo, quo inclusus tenebatur vtero Mariæ matris suæ sanctissimæ, & summâ anxietate expectabat tempus Natiuitatis suæ, idque non alium in finem, nisi vt pati & mori posset. *Nasci se Deus in vtero patitur virginis, & expectat.*

Subnectamus hisce pulcherrimum quendam conceptum S. Augustini Episcopi, serm. 10. de Natiuit. *Sed ad hoc descendit Christus in vterum virginis, vt exinde acciperet membra, quæ tradidit cruci.* Summopere anhelabat Dei Filius homini intimare amorem suum, & quia maius amoris indicium ostendere nequiuerat, quàm vt pro eo moreretur, nec id præstare poterat in sua natura diuina, quæ erat impassibilis, voluit propterea nostram assumere carnem mortalem, vt hoc modo passibilis redderetur, fieretque subiectus pœnis, doloribus & tormentis.

Hinc est, quòd vix natus declarauerit hunc suũ amorem in profusione proprij sanguinis. Quæstionem exsuscitat S. P. Irenæus lib. 3. cap. 7. quâ de causa æterni Patris Filius nasci voluerit, non ex stirpe gentiliũ, sed Hebræorum; cùm tamen peroptimè nouerit, nationem hãc fore ei ingratã & quorumcumq; beneficiorum immemorem, adeò vt loco recognitionis beneficiorum innumerabilium ab eisdem in ligno crucis suspendẽdus esset. Vn non consultius fuisset, si

ex gentilium prosapiâ, vtpote natione grata, humana, & ciuili, quæ beneficia accepta grato recompensasset animo, descēdisset? Respondit S. Irenæus & ait, Saluatorē nostrum ex gentilium stirpe noluisse descendere, eo quòd populus hic carebat præcepto Circumcisionis, veluti habebat populus Hebraicus, & quia amorem suum in genus humanum ostendere satagebat, nasci propterea decreuit & stirpe Iudæorum, vt octauo Natiuitatis die circumcideretur, & exinde indicibilem illum pateretur dolorem. quod non accidisset, si ex gentilibus suam duxisset originem. *Ideo* ait S. Irenæus, *Christus nascitur in Iudæa & non in gentilibus, quia gentilitas carebat circumcisione, & ideò in Iudæa ostentat gloriam suam in primordia natiuitatis suæ in effugione sanguinis.*

Num. 20. Dum sanctus Augustinus contemplaretur vice quadam excessum illum, de quo tractabant & loquebantur Moyses & Elias tempore gloriosæ transfigurationis Christi Domini in monte Thabor, prout recenset S. Euangelista Lucas c. 9. vers. 31. *dicebant excessum eius.* qui alius non erat, quàm excessus contumeliarum, opprobriorum, pœnarum & dolorum, quos summâ cum patientiâ Redemptor noster erat toleraturus, vehementer obstupefactus postulat, lib. de Hæres. capite septimo: *Haccine sunt sublimia illa, obsecro, ac læta colloquia, quæ huic tantæ solēnitati cōueniebant? hæc sermonis materia inter tot gaudia miscenda erat?* quasi dicere vellet hic sanctus Doctor: Verba debēt proportionari & accommodari loco & tempori. Cùm igitur hoc si tempus lætitiæ & exultationis, de rebus lætis & iucundis consequenter loquendum est; vnde ergo prouenit, quòd disserebant de rebus tristibus & mœstitiam causantibus, veluti de cruce, passione & morte? Appositam proposito nostro subiungit cit. Doctor responsionem dicens: *Domino Saluatori quæ materia loquendi gratior, quàm de salute & Redemptinoe mundi tractare?* Maiori haud affici poterat voluptate & gaudio misericors Saluator noster, quàm cùm discurrētes audiret de tormentis, flagellis, pœnis, quas pro humani generis redemptione & salute, passionis suæ tempore perpessurus erat, ac propterea in ipso transfigurationis festo, discipuli magistrum suum recreandi gratiâ, de similibus loquebantur, & tractabant. *Dicebant excessum eius.* Et totum hoc dimanabat ab amore suo in hominem, quo prædominante & operante cunctos dolores & cruciatus. quos pro eodē passurus erat, non apprehendebat tanquam obiectum melancholiæ & tristitiæ, vti verissimè erant; sed gaudij & delectationis. *Domino Saluatori quæ materia loquēdi gratior, quā de salute & redēptione mūdi tractare?*

In confirmationem veritatis huius percurrite NN. sanctum Ioannem Euangelistam capite decimo tertio, vbi recenset, quòd postquam discipulus proditor à cœna recessisset aditurus perfidos Iudæos, vt proditionem iam dudum præmeditatam exequeretur, conuersus Christus Dominus ad discipulos suos, dixerit eisdem, Ioan. 13. vers. 31. *Nunc clarificatus est*, vel vt textus Syriacus habet: *Nunc glorificatus est filius hominis*, quasi dicere voluisset: Iam iam memet felicem, imò terque quaterque beatum proclamare possum, inquirit modò sanctus Bernardus sermone quarto in cœnam Domini; Vnde tanta Christo Redemptori nostri lætitia & exultatio, Passioni & morti in cruce ferendæ proximo? vnde processit, quòd Christus benedictus quasi in immenso tribulationis & afflictionis pelago nauigans, felicem & beatum sese pronuntiet! *Nunc glorificatus est filius hominis.* meo calculo, potiùs ei dicendum erat: Nunc quia discessit Iudas Iudæorum me manibus traditurus, breui temporis spatio captiuus ducar; nunc, nunc ligabor, cædar colaphis, flagella-

bor, coronabor spinis, nunc cruci affigendus ero; sed attentiùs considerans mellifluus Doctor amorem diuinum, quo tunc stimulabatur pro salute humani generis ad subeunda quæcumque passionis tormenta, contemplans, inquam, in corde illius ardentes amoris scintillas, censet Christum Dominum non aliud voluisse verbis illis insinuare nisi gaudium & exultationem; vnde inquit mellifluus Bernardus: *Gaudet, tripudiat, lætatur & exultat, & ait: Nunc clarificatus est filius hominis; Christus enim Deus noster pro nihilo, imò pro gaudio mortem ducebat, per quam nos à morte perpetua liberaret.* Exultat benedictus Christus Dominus, ait sanctus Bernardus, quia mediante acerbissimâ suâ passione & morte nos erimus liberandi ab æterna morte, & ideò omnem dolorem, pœnam & cruciatum dignum censebat omni iubilo & lætitiâ; vnde dixit: *Nunc glorificatus est filius hominis.*

Ad roborandum hanc veritatem reperio in sancto Euangelista Marco capite decimo, quòd Christus, appropinquante tempore Passionis & mortis suæ, comitantibus cæteris discipulis suis, profectus sit versus ciuitatem Ierusalem, tantamq; in corde suo senserit consolationem & lætitiam, eò quòd Passioni iam proximus erat, vt toto itinere festinarit & festinus longè præcesserit suos discipulos. *Erant autem in via ascendentes Ierosolymam; præcedebat illos Iesus*, versiculo trigesimo secundo. Subiungit hîc Glossa interlinealis: *ad mortẽ imperterritus.* Et sanctus Euangelista vlteriùs innuit, quòd Apostoli hæc omnia spectantes, valde obstupuerint: *& stupebant.* Causam addit doctissimus Nicolaus Liranus commentans in hunc locum, dicens: *Ex hoc stupebant, quòd ita promptè & hilariter ibat ad locum Passionis.*

Num. 21. Demonstrauit insuper pientissimus Saluator noster, hunc suum amorem tempore passionis suæ, quando nimirum, quemadmodum enarrat sanctus Euangelista Matthæus, à perfidis Iudæis adductus ad præsidem Pilatum, & in præsentia illius constitutus, nunquã Præsidi respõdere voluit, etiam bis tervè, imò pluries de discipulis, & doctrina sua interrogatus. *Non respondit ei verbum*, Matth. vigesimo septimo, v. decimo quarto, *ita vt miraretur Præses vehementer.* Sed quâ de causâ, ô mi dulcissime Iesu, non respondes Præsidi? *Iesus autem*, dicit sanctus Bonauentura, *nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur à Præside, & crucis vtilitas differretur.* Ita sanctus Bonauentura libro dicto *Pomum crucis*, capite septuagesimo septimo. Noluit respondere Saluator, ne postquam doctissimis & sapientissimis rationibus comprobasset suam innocentiam, liber dimissus fuisset à Præside, adeoque ne vtilitas mediante cruce nobis apportanda, vlteriùs dilata fuisset. Idem sanctus Seraphicus Doctor, alta deinde emittens suspiria, subiungit: *O quantâ circa humanam salutem dilectione feruebat, cùm non respondere voluit, ne dimitteretur!* Et conuersus deinde ad dulcissimum Iesum, vberrimis & affectuosis eundem alloquitur lachrymis, dicens: *O Domine Iesu, quàm nimiùm diligendus es, & ineffabiliter totis desideriis appetendus quia in tantum dilexisti, vt desideranter cuperes pro nobis crucem subire & mortem.*

Ardentissimum, repeto, fuit N. desiderium Christi Redemptoris nostri patiendi pro totius humani generis Redemptione; etenim si scelerati illi Hebræi sitibundi ad effundendum pretiosissimum illius sanguinem currebant, currebat & ipse veluti magis sitiens sãguinis sui profusionem: si perfidi Iudæi anhelabant ad illius mortem, desiderabat & eandẽ Redemptor noster: vnde vice quadã per os Prophetæ Regij prorupit in hæc verba Psal. 61. vers. 5. *Verũtamen pretium meũ cogitauerunt repellere, cucurri in siti*, quasi vellet dicere: Id quo Num. 22.

nihil

nihil mihi pretiosius chariusque, nimirum vitam meam, cogitarunt inimici mei mihi surripere, & ego cucurri ad id sitibundus, summè id desideraui, nec quidquam contradixi, eandem mihi surripientibus *cucurri in siti*. S. Basilius, Theodoretus & Euthymius legunt in hunc modum: *Cucurrerunt in siti*. q. d. Cucurrerunt Iudæi præparaturi virgas, flagella & vngulas ad me cædendum & excarnificandum, & ego *cucurri in siti*, parans humeros & terga ad excipienda illa. *Cucurrerunt in siti* scelestissimi Hebræi collecturi spinas, & ex eisdem formaturi coronam pro capite meo, & ego *cucurri in siti*, exponens & præbens illis caput meum. *Cucurrerunt in siti*, me percutientes & colaphos mihi infligentes, & ego *cucurri in siti*, præbens illis faciem meam. *Cucurrerunt in siti* acuentes clauos, & ego *cucurri in siti* vltrò exhibens illis manus meas & pedes. *Cucurrerunt in siti* impiissimi Iudæi accipientes fel cum aceto, & ego *cucuri in siti*, os meum non amouendo. *Cucurrerunt in siti* lanceâ transfigentes latus & pectus meum, & ego *cucurri in siti* offerens illud. *Cucurrerunt in siti* priuantes me vitâ, & ego *cucurri in siti* eamdem spontè donans illis; vt hinc intelligeretur, quòd quantum obcæcati Iudæi sitiebant mortem inferre Christo, tantum Redemptor noster sitiebat, & desiderabat eandem ab ipsis recipere. Ipsi *cucurrerunt in siti*, & ego *cucurri in siti*.

Num. 22.

Adhæc N. si placebit mecum contemplari Saluatorem nostrum in cruce pendentem, ex diuino illius corde & sacrato pectore, tanquam ex ardentissima quadam fornace viuas amoris flammas conspiciemus erumpentes; etenim vitã petebat dũtaxat, vt atrociores posset sustinere dolores & cruciatus pro salute humani generis. Desiderium hoc acutissimè, & egregiè venerabilis Beda colligit ex verbis ipsiusmet Christi Domini in cruci pendentis; *Deus meus, Deus meus, vt quid d. reliquisti me*? Matt. 27. v. 46. De quo, inquit hic Venerabilis Pater, arbitramini mundi Saluatorem hîc conqueri? & respondet, quod postquam natura diuina ad illam horã vsque sustentasset & confortasset naturã ipsius humanam, inter acerbissimos dolores exantlatos, jam illi subtraheret virtutẽ illã confortatiuã, vt propterea mors iam imminens priuaret illũ vlteriori potentiâ patiendi pro dilecto suo humano genere. vnde meritò conqueritur & ait: O Deus, Deus meus, cur mihi tollis vlteriorem occasionem & vires patiendi & sustinendi maiora tormenta, acerbiores cruciatus pro redẽptione humani generis? Sed audite Venerab. Bedæ verba: *Christus ex vi tormẽtorũ suam mortem accelerari vidẽs, & volens diutius ferre pro nobis tormenta, hãc amore refertam querimoniã proposuit Patri: Pater cur tam citò me mori disposuisti? cur non moras protrahis, ut magis magisq; pro hominum amore adhuc cruciarer?*

Iam quoque N. percipio causam, cur ipsemet Saluator adhuc pendens in cruce per os Prophetæ Regis Dauid lamentatus fuerit de illis, qui eum crucifixerunt; nimirum quòd nimis immaniter secum egerint, dolorem addendo dolori, tormentum tormentis. *Super dolorem vulnerũ meorũ addiderunt.* Ps. 68. v. 26. Sed quisnam fuit ille dolor, quódve tormentum, de quo maximè præ cæteris doluit? Hugo Cardinalis mysterium illud paucis explanauit verbis dicens: *Super dolorẽ vulnerum meorum addiderunt acetũ*, nimirũ post varia tormenta & innumerabiles cruciatus porrexerunt Saluatori nostro gustandum acetum; & plus de hac, quàm de reliquis doluit pœnis. Sed cur hoc, N.? si acetum fuit exhibitum Christo Domino (veluti pari consensũ affirmant Nicolaus Liranus & sanctus Ioannes Chrysostomus) ad mitigandos ipsius dolores accelerandamque mortem, ac proinde Hebræi porrigentes

Num 23.

Chriſto Domino acetum, potiùs oſtenderunt ſignum compaſſionis, fueruntq; ei ſolatio quàm grauamini & pœnæ, quomodo igitur dicit, quòd Iudæi exhibendo acetum, maiorem in eum exercuerint tyrrannidem & crudelitatem? *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt acetum.* O magnum myſterium & inauditum ſacramentum! deſiderium patiendi patientiſſimi Ieſu pro ſalute hominum tam magnum erat, vt deficientibus & remotis doloribus ſummo ille afficeretur dolore; vnde quia acetum mitigabat illius dolores magiſque accelerabat & provocabat mortẽ; ideò plus de hac quàm de alijs lamentabarur pœnis & doloribus. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt acetum.*

Num. 24. Verùm progrediamur vlteriùs N.N. & in corde amantiſſimi Redemptoris noſtri noua & ſtupenda amoris indicia comperiemus. Refert S. Euangeliſta Ioannes Chriſto Domino crucifixo perfidos & ſceleratos Hebræos miſiſſe ſortem ſupra veſtem illius inconſutilem, dum dicebant, Ioan. cap. 19. v. 24. *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illâ cuius ſit*, quod Deo ita diſponente accidit ut acutiſſimè notauit & aduertit S. Bernardus: videmus namque, quòd ſeipſum ſubiecerit & expoſuerit tormentis, flagellis & pœnis, caput ſpinis, faciem ſputis, collum funibus, clauis manus & pedes, os felli, & iniurijs & contumelijs aures, totum denique corpus doloribus; & nihilominus vult, vt ſolum parcatur veſti ſuæ inconſutili, nec dilaceretur, ſed incorrupta & illæſa ſubijciatur ſorti, idque totum ad demonſtrandum nobis exceſſiuum illum amorem eius in hominem: nam veſtis illa animarum noſtrarum expreſſam gerebat figuram, quemadmodum innuit per os Iſaiæ Prophetæ, quãdo introducit Patrem æterno ſic vnigenito Filio ſuo loquentem: *Omnibus his velut ornamento veſtieris.* Iſaiæ 49. v. 18. q. d. En, ô dilecte fili, horum fidelium animis tanquam prædiuite togâ te veſtire debes; qua propter pluſquam æquum & neceſſarium eſt, ſingularem illius habeas curam, vt illæſa & incolumis reſeruetur. Vnde meo iudicio Chriſtum benedictum dixiſſe credo: Dilaceretur & conquatiatur caro & corpus meum; flocci facio tormenta & flagella, ſolummodò fidelium animæ ſummopere mihi ab omnipotente Patre meo commendatæ intactæ maneant & illæſæ conſeruentur in gratia & charitate. Hinc etiam in fine vitæ ſuæ converſus ad Patrem ſuum cœleſtem, filiali affectu eum alloquebatur: *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* Ioan. cap. 17. v. 24. Mellifluum nunc audite Bernardum, qui alludens huic noſtro conceptui, ſic loquitur: *Tunicam hanc, quæ omnino non ſcinditur, noſtram imaginem eſſe reor (ad imaginem quippe Dei facti ſumus) quã Hebræus ſcindere non auſus eſt.*

Manifeſtauit præterea Chriſtus Deus noſter amorem ſuum in hominem, quando vnicâ ſolâ ſanguinis guttâ veluti pretioſiſſimâ & infiniti valoris gemmâ ſoluere poterat taxam, vt ita dicam, redemptionis noſtræ, eâque pleniſſimè ſatisfaciendo nos liberare à miſeria & infeliciſſima captiuitate, cui per peccatum traditi eramus; voluit nihilominus ſacratiſſimum ſuum ſanguinem vberrimè effundere, innocentiſſimam carnem ſuam diris ſubjicere flagellis & tormentis: voluit animam ſuam ſanctiſſimam repleri angore & triſtitiâ, voluit tandem redemptioni noſtræ abundantiſſima adhibere media, vt ſic dicere poſſemus cum Pſalmographo, Pſ. 129. verſ. 7. *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* vbi ſola ſanguinis gutta ſufficiens fuiſſet ad redimendos mille mundos, voluit copioſiſſimè profundere ſãguinem ſuum. Sic S. Bernardus commentans in præfata regii Prophetæ verba loquitur: *Copioſa ſiquidem, nõ gutta, ſed vnda ſanguinis per quaſque partes corporis emana-* Num. 25.

emanauit. serm. 22. in Cant. est tametsi vnica illa sanguinis gutta sufficiens fuisset nostræ redemptioni, amori tamen Saluatoris nostri minimè sufficiens erat. Conformiter asserit S. Ioan. Chrysostomus Serm. 128 *quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amori*; ac propterea tantò magis recognoscendus & æstimandus est à nobis pretiosus Sanguis Christi Domini, quantò magis superabundat nostris necessitatibus. Hinc Sanctus Bonauentura in Opusc. de perfect. vitæ cap. 6. considerando immensum hunc diuinum amorem, ad Saluatorem nostrum conuersus dixit: *Dic, quæso, mi Domine, dic, cùm vnica sanguinis gutta potuisset sufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum Sanguinem de corpore tuo profundi permisisti? Scio Domine, & verè scio, quia non propter aliud fecisti nisi vt ostenderes quanto affectu diligeres me.*

Num. 26. Progredior vlteriùs. Desiderium profundendi sanguinem pro humani generis redemptione fuit in Redemptore nostro amantissimo tantum, & tam magnum, vt non dumtaxat in Circumcisione, in horto Gethsemani, in plateis & vicis ciuitatis Ierusalem, coram tribunali Pilati, in monte Caluariæ vberrimè instar torrentis illum sparserit, verùm etiam iam mortuus, & dato redemptionis nostri complemento. *Ad Iesum autem cùm venissent*, ait S. Evangelista Ioan. cap. 19. v. 33. *vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & cõtinuò exiuit Sanguis & aqua.* Obstupescit summoperè super hunc locũ Rupertus Abbas libro divin. offic. & ait: *Mira res! non sat habuit Christus Dominus à suo sãctissimo corpore in suâ circũcisione & passione largiter pro nostra redemptione sanguinẽ fundere, nõ sat erat sanguinis riuulus Ierusalem, Pilatiq; tribunal ac Caluariæ locũ irrigare: insuper postquã omnia consummata fuerunt, quæ ad generis humani redemptionem spectabant, fudit abundanter.* Tandem concludit Rupertus exclamando: *O copiosa redemptio! ô diuini amoris copiosa largitio! ô Dei nostri viscerum benigna dignatio!*

Denique in tantum dilexit nos Christus redemptor noster, vt ob amorem illum nihili duxerit acerbissimos etiam cruciatus; nulla curarit tormenta, quæ patiebatur. Vnde obseruo ego, quod quoties piissimus Dominus noster disseruit de morte sua, vbi sancti Prophetæ eam nuncupant vastum & immensum mare, ipse è contrario eandem appellat nomine calicis. Ieremias Thren. cap. secundo, versu decimo tertio, *Magna est velut mare contritio tua*, & Dauid psalmo sexagesimo octauo, versu tertio *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Econtra Christus Dominus Matthæi vigesimo cap. versu vigesimo secundo, duobus loquens fratribus, Iacobo & Ioanni, ait: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sũ*: & Matthæi vigesimo sexto, versu trigesimo nono: *Transeat à me calix iste*, & Ioan. decimo octauo, versu 11. dixit Apostolo Petro: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Miratur hîc Theophylactus, dum ex ore veritatis mare tormentorum & dolorum audit appellari calicẽ, & quomodo hoc possibile est? respondet citatus Doctor Theophylactus in cap. vigesimum quartum Matthei: Sic imperat diuinus amor, cui vastissimus Oceanus videtur ipse paruus calix: *Poculum dicit Dominus, suam mortem ostendens, quòd ipse propter amoris magnitudinem sic suauiter accedat ad mortem, vt mare passionum calix quidam ei videatur.* Num. 27.

Ex immenso illo & inextinguibili amoris æstu & calore causata fuit in corde Christi Saluatoris nostri ardentissima illa sitis, quâ & mori voluit; quod in summam rapuit admirationem S. Bernardum, exclamantem serm. de Pass. Dom. *Quid Domine? nunquid crudelius siti, quàm clauis in cruce torqueris? omnia quæ huc vsq; tulisti, æquo animo tacuisti, & nunc* Num. 28.

nunc solummodo de siti conquereris? quasi dicat: Quodnam hoc est mysterium? quid sibi hoc vult, ô mi dulcissime Domine Iesu? quòd durissimo crucis trunco affixus, totusque à capite ad plantam pedis vsq; conspersus sanguine patientissimi Agni instar, semper obmutescis & siles, & solum conquereris de siti? Multa asserunt Sancti Patres comprehendi mysteria in hac siti Christi Domini; sed ne nimis sim prolixus omnia referendo, vnū dumtaxat, quod cæteris sublimius est, & maximè Incarnati Verbi amorem erga nos declarat, adducam. Igitur Saluator noster sitiens mori voluit, vt sic homini ostenderet, quòd tametsi tot & tantos sustinuisset dolores, plagas, & vulnera, vt nec minimam haberet in toto corpore partem dolore & plagis vacuā; attamen ipse vtpotè, qui in corde accensam gestabat amoris flammam, nondum adhuc expleuisset sitim passionis & dolorum, sed sitiens maiora pro humanâ salute sustinere tormenta, moreretur sitibundus. Vnde exclamabat magnus ille Venetorum Patriarcha Laurentius Iustinianus, de triumpho Christi agonizantis capitulo decimo nono: *An vitæ fons sitire valet? potest, quoniam vult; sitit vtique & inebriatus amaritudine, adhuc duriora sustinere desiderat.* Et deinde idem sanctus contemplatur Christum in hunc quasimodum æterno suo Patri loquentem: *Si hæc quæ tolero, pauca videntur, adde flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, lacera, vre, confige, percute, occide: vniuersa hæc & maiora toto desiderio sitio.*

Num. 29. Sponsa item Sacris in Canticis magnum hoc desiderans desiderium, quod habebat dilectus illius sponsus, patiendi nimirum pro salute humani generis, dicebat cantico quinto, versu decimo sexto, *Dilectus meus totus desiderabilis*, vel vt alij legunt, *totus desiderium*; dicere nimirum intendebat: Totum dilecti mei corpus, omniaque ejus membra scatebant desiderio, manus & pedes desiderabant affici acutissimis clauis, caput petebat coronari spinis, facies colaphis cædi, lingua cupiebat sitim suam expleri felle & aceto, acutissimâ cor anhelabat transfigi lanceâ (*totus desiderium*;) & quia cernebat differri mortem suam, summoperè contristabatur. Vnde dicebat: *In laboribus à iuuentute mea*, psalmo octogesimo septimo, versu decimo sexto. quasi diceret: Angustiæ fuerūt mihi vndiq; in iuuentute mea, dum magnâ anxietate expectaui horā passionis. *Cruciabatur diuinus Saluator morâ redemptionis nostræ*, inquit S. Bernard. Sermone de passione. & S. Hilarius exponendo illa verba Euangelij, Matthæi vigesimo sexto, versu trigesimo octauo, *Tristis est anima mea vsque ad mortem* asserit Christum benedictum velle significare. Tūc lætitiâ & gaudio perfundar, quando ferreis & duris clauis affixus ero ligno crucis, ante verò tempus illud afflictus, tristis; & mœstus remanebo.

Demum vt concludam, N. hunc meum discursum, dicam, Deum tanto amore prosecutum fuisse genus humanum, vt etiam de altissimo cœlorum habitaculo descendisset in has inferiores partes terræ ad redimendam vnicam eamque solam animam, si fuisset; Num. 30.
non mea, sed Diui Apostoli Pauli hæc est opinio, dum ait ad Galat. secundo capitulo, versu vigesimo: *Christus dilexit me, & tradidit semetipsū pro me.* Obstupescit hic sanctus Ioannes Chrysostomus & querit: Quomodo, ô sancte Apostole! non capio hunc tuum loquendi modum; an non Christus Dominus mortuus est pro totius mundi salute? nullus de hoc dubitat: quâ igitur ratione affirmare audes, quòd solum pro te mortuus sit? *Quid facis ô Paule? quæ cōmunia propria tibi vendicas, cùm, quæ pro toto terrarū orbe facta sunt, tibi facis peculiaria?* Respondet Os illud aureum commentans in hunc locum, & homil. vigesimâ quartâ in Gen. optimè dixisse Apostolum; ostendit namque

que hisce verbis vnumquemque nostrûm obligari debitas Christo reddere gratias, ac si pro ipso solo descendisset in terram, asperrimas sustinuisset pœnas, & in cruce tandem fuisset mortuus: *nam* (ait ille S. Ecclesiæ Doctor) *declarat hoc par esse, vt quisque nostrûm non minus agat gratias Christo, quàm si ob ipsum solum aduenisset, neque enim recusaturus erat, vel ob vnum tantùm exhibere dispensationem, adeò singulum quemque hominum pari hæreditatis modo dilexit, quo diligit orbem vniversum.* & mellifluus Bernardus Sermone quadragesimo secundo in Cantica eidē subscribit sententiæ, asserens: *tradidit seipsum pro me, quia eadem charitate, quâ mortuus est pro omnibus, mortuus est pro singulis,* quasi vellet dicere, verum est Redemptorem nostrum mortuum esse pro omnibus; at ex tali & tanto amore, ac si solùm pro animæ meæ redemtione mortuus fuisset. Eodem modo interpretatur præfata Apostoli verba Theophylactus inquiens: *at qui pro omnibus dedit se ipsum, omnes dilexit; enimverò Paulus charitate inflammatus quod publicum est, proprium facit; significat ergo Apostolus, quod tantam oporteat vnumquemque etiam gratiam reddere Christo, quantam, si pro solo mortuus esset, exhiberet.* nec minori cum elegantia loquitur Saluianus libro primo ad Ecclesiam Catholicam: *Christus enim sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis & totum se dedit, vniuersis & totum singulis, ac per hoc quidquid passione sua saluator præstitit, sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli,* & augustissimus Augustinus lib. soliloq. cap. 13. conuersus ad Christum dicebat: *Dilexisti me Domine plusquam te, quia mori voluisti pro me.*

Quapropter N. cum pientissimus Num. 3
Deus & Saluator noster tantum nos dilexerit, vt maiorem nobis nequeat ostendere amorem; æquum ac iustum est modò, vt tantum tamque immensum amorem (nisi velimus esse ingrati) compensemus amore, aliud non optat, petit & desiderat à nobis benignissimus Redemptor in recognitionem tanti amoris, nisi vt ipsum redamemus, *nihil est*, inquit S. Ambrosius lib. 6. in Lucam c. 7. *quod dignè Deo referre possimus: quid enim referemus pro susceptæ carnis iniuria? quid pro verberibus? quid pro cruce? Væ mihi, si non dilexero, reddamus ergò amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio.* quomodo demonstrabimus veræ gratitudinis signa? quomodo experiemur in nostris cordibus viuam quandam diuini amoris ardere scintillam, nisi diligamus ipsum? qui non correspondet amori Dei, nimis ingratum, diuinorum beneficiorum immemorem, charitate & amore destitutum, ac proinde mille inferni cruciatibus dignum sese ostendit. an nescitis, quid D. Apost. Paulus clamet 1. Cor. 16. vers. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema sit:* q. d. si quis reperiatur ita ingratus, vt non diligat Dominum Iesum Christum, illum proclamo coram omnibus excommunicatum. Quare ne incurramus in hanc tremendam excommunicationis sententiam, Deum Creatorem ac Redemptorem nostrum, qui tantum nos dilexit, diligamus. Sic enim diligentes, cælestis Paradisi tandem a quando nos coronabit gloriâ.

DISCVRSVS II.

De debito & obligatione hominis, nimirum, quòd homo teneatur correspondere Deo, & ipsum toto redamare corde & anima.

Num. 1. VT Deum clementissimum ac summum bonum perpetua vicissim diligatis charitate, efficaciori nequirem vobis persuadere ratione, quàm affirmando, quòd Deus ter Opt. Max. inter alios honorum titulos & nomina, quæ ei in sacris litteris attribuuntur, de nullo magis glorietur ac triumphet, quàm cùm nominatur *dilectus hominum.*

Non deerant Sponsæ in sacris Canticis alia nomina, quibus, dum per vicos & plateas insequabatur & quærebat Sponsum suum de Deum, & eodem vigiles ciuitatis interrogabat, eundem appellare poterat, non tamen alio quàm dilecti sui titulo illum honorauit. Cant, tertio. v. 4. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Peroptimè sciebat, hos ei conuenientes & delatos honorum titulos: Altissimi videlicet, Summi boni, Creatoris, Dei, Excelsi super omnes gentes, Fortissimi in prælio, Magni, Immensi, Mirabilis, Omnipotentis, Prodigiosi, Redemptoris, Glorificatoris, Summæ & æternæ sapientiæ, & infinitos alios, quos hoc breui discursu difficulter recensere possem; nullo tamen alio Sponsa vsa est titulo compellando diuinum suum Sponsum, quam hoc nomine *Dilecti hominum*; cuius ratio est, quia tantum sibi complacet, desiderat, exoptat amari & diligi ab hominibus pientissimus Deus noster, vt non de alio, nisi de hoc dilecti hominum nomine & titulo glorietur, triumphet & lætetur. *Num quem diligit anima mea vidistis?* supra quem locum excellenter discurrit Sanctus Gregorius Nyssenus hom. secunda in Cant. in hunc modum: *Nomen ergo tuum quo tua cognoscitur bonitas, est meæ animæ erga te beneuolentia, quomodo ergo te non diligam?* si tanti æstimat Deus, inquit Nyssenus, à me amari, vt dilectus meus glorietur vocari, necessariò cogor ipsum amare.

Verùm quis tam est verus modus amandi Deum? Diuersæ hac super re sunt opiniones & sententiæ Sanctorum Patrum. Aliqui dixerunt Deum debere amari timore, & amorem nunquam separãdum esse ab amore, huius opinionis existit S. August. in psal. 96. qui propterea Petrum Apostolum affirmat in trinam collapsum esse negationem, eiusque amorem non diu durasse, eò quòd ab amore eius nimis audaci seiunctus fuerit timor Dei: *Petrus qui audaci dilectione sequebatur, timidâ trepidiatione ter negauit.* Ita quoque sentit Forerius in cap. 6. Isaiæ dum affirmat, quòd amantes Seraphini eodem tempore iuxta thronum Dei volarint & velarint faciem eius, quia amabant; sed cum timore, amor ipsos excitabat ad volandum in obiectum suum amatum; sed timor, velando faciem Dei, eosdem retardabat. *In facie velatâ*, ait Forerius, *reuerentiam tantæ maiestatis cogita, coniunctam tamen summo videndi desiderio, igniti sunt & toto amore ardent, adhuc tamen timent, & reuerenter se erga Dominum gerunt.* Num. 2.

Alij existimant, quòd verus modus amandi Deum sit amare ipsum absolutè propter seipsum & segregatum ab omnibus creaturis, ita opinatur Clemens Alexan-

Alexandrinus libro 2. Strom. qui propterea reprehendit Petrum, quòd in mõte Thabor ostenderit se non magis amare Christum quàm Moysen & Eliam, nam de omnibus tribus equaliter dixerat: *faciamus hîc tria tabernacula : tibi vnum , Moysi vnum , & Eliæ vnum,* Matth. 17. vers. 6. Vnde altâ exclamabat voce citatus Doctor: *Quid ais Petre? ergo Dominum similem seruo facis? Saluator noster omnem humanam naturam superat, pulcher quidem, vt à nobis solus ametur, qui veram desideramus pulchritudinem.* & hunc voluit Clem. Alex. esse verum modum amandi Deum, plures alios modos sanctâ verâ doctrinâ plenissimos assignant SS. PP.

Sed nullus meo iudicio N. tam accuratè collimauit in scopum, quàm mellifluus Doctor S. Bernardus lib. de dilig. Deo, dum dixit, *modus diligendi Deum est diligere sine modo.* etenim vti canit poëta Propert. eleg. 2. *Verus amor nullum nouit habere modum.* Cuius si perspicuam ex optetis habere probationẽ, recordamini illius, quod recẽset Euangelista S. Lucas. prandente Saluatore nostro quadam vice in domo Pharisæi, accessit ecce Maria Magdalena pœnitentiæ instigata stimulo, intrauit domum conuiuantium, & prouoluta ad pedes Christi Domini, & de commissis dolens peccatis, vberrimis, quas effundebat, lachrymis cœpit lauare sacratos Saluatoris pedes, nec hoc contenta, soluit capillos capitis sui, & & eisdem illos tersit, aperuit deinde vas pretiosissimi vnguenti totam domum odore replentis suauissimo, & eosdem illo vnxit pedes, nec hoc illi sufficiebat inclinato profundiùs capite cœpit osculari illos, his omnibus ita actis, enarrat iam Christus Dominus noster cunctis conuiuis insigne hoc opus Magdalenæ dicens, Lucæ 7. vers. 45. & 46. *Lachrymis rigauit pedes meos, capillis suis tersit, vnguento vnxit pedes meos.* Dum verò incipit referre pedum oscula, vtpotè expressa amoris symbola, mutauit loquendi phrasin, & dixit in hunc modum: *ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Discutiamus nunc quæso N. hunc scripturæ locum, quidnam sibi vult differens ille loquendi modus? recenset Redemptor noster quòd lachrymis laverit pedes eius, sed quòd deinde cessarit: *lachrymis rigauit pedes meos.* refert deinde quòd capillis suis terserit pedes illius; sed quòd tersis illis pariter tandem cessarit: *capillis suis tersit.* dicit insuper, quòd eosdem vnxerit odorifero vnguento; at quòd vnctis illis etiam cessauerit: *vnguento vnxit pedes meos,* solùm referendo oscula pedum ait, nunquam ab hoc opere Magdalenam cessasse: *ex quo intravit non cessauit osculari pedes meos.* O magnum mysterium! optimè & meritò S. Bernardus dicere potest: *modus diligendi Deum est diligere sine modo;* Verè etenim non habet modum, nec terminum amor Dei. Ecce N. dum Magdalena lachrymis suis lavat Christo Domino pedes, dedit signum interni doloris suorum peccatorum: Cùm tergit illos capillis suis innuit, quòd iam totam mundi huius vanitatem & pompam sperneret & despiceret, eò quòd capillis suis, de quibus plurimùm se iactant & gloriantur mulieres, ac vanam conantur captare gloriam, vtebatur pro linteo; dum pedes vngit Christi pretioso illo vnguento, signum dedit liberalitatis suæ, ratione cuius cunctis valedixit diuitijs, vt mediantibus illis subueniret pauperibus; at osculando pedes, dedit signum amoris.

Iam attendite N. dolor de peccatis talem attingere potest perfectionem, vt ampliùs augmentari nequeat. Similiter contemptus mundi ad tam altum gradũ peruenire potest, vt maiorem petere non possit. Sic pariter virtus liberalitatis, talem accedere potest perfectionis gradũ, vt maior esset virium; solus amor Dei est talis naturæ, vt quantumuis augmenta-

tus quantumuis magnus, possit vlterius augeri & esse maior, nunquam tantum tamque magnum attinget perfectionis gradum, quin possit esse maior, & crescere vlterius & eam ob causam de dolore, liberalitate ac mundi contemptu, quos habuit Magdalena, dicitur, quòd tandem finiuerint & cessarint: *lachrymis rigauit pedes meos, capillis suis tersit, vnguento vnxit*, at de osculis veluti signis & symbolis amoris dicitur, quòd nunquam finem assecuta fuerint: *ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Conceptum hunc subtilissimũ peperit diuinus ille intellectus diui Ambrosij lib. de Isaac & Aman, cap. 3. qui suprà verba illa Canticorum cap. 1. vers. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, vel vti lectio habet Septuaginta interpretum: *osculetur me osculis oris sui.* Sic acutè loquitur: *Non vnum osculum quærit sed plura, vt desiderium suum possit explere; qui enim diligit, non est vnius osculi parcitate contentus, sed plura exigit, plura vendicat. Denique illa in Evangelio sic probata est, de ipsa enim Iesus ait: non cessauit osculari pedes meos*, quare? *quia dilexit multum.* O quàm dulcidè hinc colligitur, quòd amor Dei nec habeat modum, nec terminum; *modus diligendi Deum est diligere sine modo.* Quęnam est ratio, inquit sanctus Ambrosius, quòd Magdalena non cessarit osculari pedes Christi? *de ipsâ inquit Iesus: non cessauit osculari pedes meos*: quare? *quia dilexit multum.* Sicque altissimum hoc percepimus mysterium, quòd nimirum anima amans nunquam supersedere debeat ab amore Dei, semper vlterius tendere & ascendere, quantumcumque altum attigerit amoris gradum; vero enim verius est, amorem Dei nec modum nec terminum habere, *modus diligendi Deum, est diligere sine modo*, Vnde idem Sanctus Bernardus auream hanc & proposito nostro conformem reliquit sententiam ser. in cœnâ Domini: *In Christi dilectione modus amoris nullus esse debet, sine modo te dilexit, sine modo eum diligere debes, modum dilectionis expressit te diligendo, pro te moriendo. tu quantum eum diligere debes, non potes; dilige ergo eum ex tota mente, & ex omni anima, & ex omnibus viribus tuis, hoc tantum quærit, vltrà non quærit.*

Perlegite caput sextum libri Leuitici; Num 3.
& inuenietis quòd benignus & omnipotens Deus, pro variis & diuersis temporibus, diuersa etiam postulauerit sibi offerri sacrificia: tempore Paschatis petiit oblationem Agni, post partum postulauit turtures, aut ad minus columbas; vnicum autem anxius sollicitabat, quod fieri volebat omni hora & tempore quocumque, vt nimirum ignis arderet in altari, vnde ne hic extingueretur præcepit cunctis sacerdotibus, vt continuò ei apponerent ligna. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem sacerdos nutriet, subijciens manè ligna per singulos dies*, versiculo duodecimo. Idque non sine singulari mysterio, quia per altare, ait sanctus Gregorius, intelligit cor alicuius Christiani, & per ignem significatur amor; enim verò varia varijs temporibus à te fieri postulat Deus, vult vt in quadragesima ieiunes, in Paschate confitearis & sacrâ te reficias synaxi, diebus Dominicis & festis audias sacrum; at postulat, præcipit & mandat, vt semper omni hora, omni momento & tempore ipsum ames: *Altare Dei*, sunt ipsamet verba sancti Gregorij libro vigesimo primo Moralium capite septimo: *cor nostrum est, in quo iubetur ignis semper ardere, quia necesse est illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter ascendere, cui per singulos dies sacerdos ligna subijciat; ne extinguatur.* Vnde conclusit HugoCardinalis in capite primo epistolar. ad Tessalonicenses: *refrigescit charitas, nisi nutriatur iste ignis in altari cordis.* O quot & quanti sua elargirentur bona pauperibus; sed non possunt, quia carent rerum abundãtia. Plurimi sunt qui optarent marcerare carnem suam; sed ob corporis indispositionem non permittitur illis, multi rigorosis ieiunijs, asperis pœ-

nientijs, continuis mortificationibus non domant titillantem carnem, vti deberent, quia aliunde sunt excusati; sed nullus prorsus excusatus est, nec excusari potest Christianus ab amore, quo Deum diligat. In hunc planè modum discurrit idem Hugo Cardinalis explicans verba illa Psalmistæ Psalmo decimo octauo versiculo 7. *Non est qui se abscondat à calore eius; nec est* ait ille, *qui se possit excusare, quin eum diligere possit*, nec minus eleganter & huic proposito conformiter dicit sanctus Augustinus sermone sexagesimo nono de Tempore: *In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere; in habenda verò dilectione nullus se poterit excusare: Potest mihi aliquis dicere: non possum ieiunare, nunquam potest dicere: non possum amare. Potest dicere propter infirmitatem corporis mei non possum à vino & carnibus abstinere; nunquid potest dicere: non possum diligere?* idem insinuauit sapientissimus P. Idiota de diuino amore elegantibus hisce verbis: *Amor facilis res est, omnibus se exhibet, nulli se negat, capit eum iuuenis & senex, vir & mulier, sanus & infirmus, diues & pauper, summus & infimus, liber & seruus, secularis & religiosus, debilis &* Num. 4. *fortis, nec est qui se valeat excusare.*

Insipidi sunt cibi illi, ait Procopius in capite quarto Genesis, qui sale non sunt conditi; ad eundem modum quodcumque Deo offerimus, si primò illud non condiamus sale amoris, nequit esse Deo acceptum; vnde in hunc finem mandabat Deus in libro Leuitici capite secundo versiculo decimo tertio: *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies*, quasi vellet dicere: tam delicatus est mihi gustus, vt si quis mihi ipsammet vitam suam offerret in sacrificium, deficiente hoc sale ipsam refutarem, ac propterea ante omnia, quæ ponenda sunt suprà altare, apponatur sal, nostra bona opera, inquit Procopius sunt cibi præparati pro ore Dei; at tanquam insipida refutabuntur, si non condiatur amore: *quidquid obtuleris sacrificij, sale condies*, legit Procopius, *amore condies*. Intellige quod dicere volo; antra pete deserti etiam horridissima cũ sancto Ioanne Baptista, laua cum Propheta Regio per singulas noctes lectum tuum vberrimo lachrymarum flumine, cinere cõspergere caput tuum cum Niuiuitis, indue te sacco & cilicio, ad effusionem sanguinis vsque castiga & cæde carnem tuam virgis & catenis, amaritudo sit tibi chara & dulcedo amara, nihilominus si ad hæc non amaueris Deum, nihil prorsus hæc tibi proderunt, *quidquid sacrificij obtuleris amore condies*, causam illius perpulchrè assignat Petrus Cluniacensis lib. 5. Epist. 16. dicens. *nam, sicut qui lege nullum sacrificium sine sale suscipit, sic nullum munus sine fœdere charitatis sibi placere ostendit.* Vnde ad hoc idem propositum egregiè loquitur D. Augustinus tractatu quinto super Epistolam Ioannis: *Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli: signunt se omnes signo crucis, respondeant omnes Amen, intrent Ecclesias, impleant parietes Basilicarum, non discernuntur filij Dei à filiis diaboli nisi charitate.*

Obtulerunt Deo dona & sacrificia Num. 5. Cain & Abel, & nihilominus, ait sacer textus Genesis cap. 4. vers. 4. & 5. *respexit Dominus ad Abel & munera eius; ad Cain autem & ad munera eius non respexit.* legit Theodocion quem refert S. Hieronymus 9 in Gen. *& inflammauit Dominus super Abel & super sacrificium eius, super Cain verò & super sacrificium eius non inflammauit.* Causam huius curiosè inquirunt SS. Patres, cur videlicet Deus respexerit & igne absumserit sacrificium oblatum ab Abel, noluerit verò respicere & acceptare holocaustum sibi à Cain oblatum? Scio sanctum Ioannem Chrisostomum hom. 18. in Genes. dixisse, quòd Abel obtulerit primitias gregis; id verò non fecisse Cain, cùm Deus sit præferendus cũctis cæteris rebus, Scio etiam Ambrosium

brosiū in Ps.36. asseruisse, Cain nimium tardasse in offerendo sacrificium suum; Abel nullas traxisse moras, sed Rupertus Abbas libro quarto in Genes. capite quarto viuaciorem huius assignat rationem proposito huic satis appositam: obtulit quidem Cain ait citatus Doctor, donum suum Domino; sed illud bipartitus est, & partem nobiliorem, quæ est cor, sibi reseruauit; quid igitur mirum quòd sacrificium illius nō fuerit Deo acceptum: *Cain cum sua Deo offerret*, verba sunt Ruperti, *seipsum sibi retinuerat, huiusmodi Deus portionem non accipit; sed præbe,* inquit, *fili cor tuum mihi, at ipse cor suum retinuit sibi, & fructus terræ Deo obtulit.*

Veritati id adeò consonat N. vt Deus vice quadam loquendo per Prophetam Amos capite 5. versiculo vigesimo quinto de populo suo annis quadraginta desertum obambulante in hæc proruperit verba: *nunquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israël:* & quomodo ô Domine? num multiplicium tot tantisque annis à populo tibi oblatorum non recordaris sacrificiorum? à te hoc longè absit; qua de causa ergo conquereris modò, quòd tibi non obtulerit sacrificia? respondet sanctus Hieronymus in caput quintū Amos & ait: *Respicit & accipit Deus, quæ voluntate & corde offeruntur*; varia & plurima absque dubio spatio quadraginta annorum Deo obtulerunt Hebræi sacrificia; sed frustra & in vanum, obtulerunt enim ea sine affectu cordis.

Num.6. Causam inuestigat sanctus Athanasius sermone tertio contra Arrianos & sanctus Anselmus lib. *cur Deus homo*; cur Pater æternus redemptionem humani generis voluerit esse tanti pretij, vt ea comparari debuerit vitâ ipsiusmet, filij sui? non poterat Deus mediante aliquo Angelo nos soluere à vinculis peccati liberare à seruitute diabolica, eripere à pœnis inferni, & æternâ paradisi gloriâ beare? omninò; & nihilominus ipsemet in personâ voluit humanâ se vestire carne, pati pro nobis mortem & agere officium Redemptoris, veluti egit Creatorem, idque nō alium in finem, nisi vt nos amori illius cederemus in prædam, ipsumque tanquam vnicum nostrum & summum bonum diligeremus, ac nullam haberemus occasionem amorem nostrum diuidendi in duas partes, vnam tribuendo ipsi veluti Creatori, alteram Angelo tanquam Redemptori, *conueniebat* (ait primò Athanasius) *redemptionem fieri per eum, qui naturæ Dominus erat, ne alium Dominū agnosceremus.* Deinde eandem adducit rationem sanctus Anselmus & ait: *qui creauit te, Ipse redemit te, ne amorem tuum diuideres, partem Creatori, & partem tribuens Redemptori*, quasi ambo dicerent, voluit, ô homo, Christus Dominus tuus esse Creator simul & Redemptor, vt nullam haberes ansam diuidendi amorem tuum cùm creaturis; nam si alius à filio Dei nos redemisset, tantùm essemus obligati Redemptori, quantum Creatori. Vnde P. Idiota libro Contempl. capite duodecimo ad Christum sese conuertens loquitur in hunc modum: *Diligi debes Domine ex toto corde ratione Creationis & Redēptionis, quia enim hominem fecisti, debet seipsum amori tuo, & quia eū redemisti debet se amori tuo.*

Et hæc est ratio N. si vnquam eam intellexistis, cur Deus præceperit in libro Leuiticorum capite primo aues sibi offerri integras; etenim, vt asserit sanctus Theodoretus quæstione prima in Leuiticos, quia aues sunt symbolum prædestinatorum, noluit Deus illas diuidi, quò sic intelligeremus, quòd totum amorem debeamus Deo, nec agamus quemadmodum peccatores, qui diuidūt illum, & partem offerunt Deo, partem Creaturis. Conformiter loquitur Propheta Oseas capite decimo versiculo secundo, *diuisum est cor eorum*, verba Theodoreti hæc sunt, *nam qui volunt Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum*

mum collocantes illum tum in terrenis, tum in cœlestibus; sed totum sursum ferunt, & propterea cœlestis sponsus vocat sponsam suam dilectam nomine Columbæ, Canticorum secundo versiculo decimo quarto. *Columba in foraminibus petræ*, vt enim ait Aristoteles libro secundo de historiis animalium capite tertio, Columba totum suum amorem collocat in sponso, quod confirmat Richardus de sancto Victore libro quarto de contemplat. *Columba consortem amat, socium non admittit.*

Adiungit doctissimus P. Idiota libro primo de amore diuino capite quarto, amorem non debere diuidi, & omnes illos, quotquot partiuntur illum, peiores esse militibus Christum crucifigentibus qui noluerunt partiri tunicam illius: *amor*, ait ille loquens Crucifixo, *neque diuidi debet, neque scindi, & qui eum diuidunt, peiores videntur quàm milites, qui te crucifigentes tuam tunicam diuidere noluerunt.*

Nunc pariter percipiemus dictum illud Canticorum capite quarto versiculo nono, vbi sponsus sic alloquitur dilectam suam sponsam: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Sanctus Gregorius Nyssenus oratione octaua in Cantic. gratiosa quadam similitudine exponit hunc locum, quemamodum, inquit ille, collimaturus in scopum aliquem, vnum occludit oculum, & hoc modo se certificat de directâ in scopum iaculatione, ne ab illo aberret: ad eundem modum sponsa vnum oculum claudebat ne videret res creatas & mundanas, & alium in Deum, quem affectuum suorum statuerat scopum, dirigebat, *qui ad solam Dei naturam visus acumen dirigit, is in cæteris omnibus cœcus est, ad quæ multorum oculi respiciunt*, ait citatus Nyssenus.

Num. 7. Diligendus igitur est Deus ex toto corde, ac proinde nequaquam diuidendus est amor ille, sed totus offerendus est Deo, qui super omnes res creatas meretur amari. O quàm bene id nobis præmonstrat sanctus Anselmus lib. de mensur. Er. §. 4. vbi sic ipsimet Redemptori nostro loquitur: *Sic totum cor nostrum tuo debemus amori, vt quidquid de eo altari damus, tibi subtrahamus*, q. d. O perdilecte & pientissime Iesu, totum cor nostrũ tali modo in amando te occupemus necesse est, vt, si minimam illius partem elargiamur creaturis, illam tibi iniustissimè furemur & surripiamus, tanquam nefandi & scelerati fures & latrones audiamus, qui quod tuum est, videlicet illam amoris partem te hæreditario iure concernentem surripimus.

Profectò N. amor diuinus cum alio amore mundano simul consistere nequit, solus ille in anima cuiuslibet Christiani vult dominari & tanquam potentissimus Dominus & Monarcha vult & imperat, vt cęteri omnes affectus & amores mundani longè à nostris exulent cordibus, asserente ita sancto Bernardo sermone octogesimo secundo in Cantic. *Diuinus amor vbi venerit, cæteros in se omnes traducit & captiuat affectus.*

Reuocate in memoriam N. litem & contentionem duarum illarum mulierum, cuius fit mentio libro tertio Regum capite tertio: cohabitabant simul hæ duæ mulieres, & vnaquæque proprium habebat infantulum eiusdem ætatis, accidit horum infantium vnum aut ex negligentia matris, vel ex alio quodam extraordinario accidente mori; alterius autem adhuc superstitis in viuis vnaquæque asserebat se esse matrem, petebat illum vera mater materno ipsam ad id instigante affectu, sollicitabat & altera odii incitata stimulis & inuidiæ, non enim videre poterat sociam prole suâ gaudentem, cùm temporibus illis summa erat verecundia mulierum nullos habere filios, res defertur ad Regem Salomonem vtpote iudicem & litis huius decisorem, ambæ comparent coram Regis tribunali rationes suas allegantes, probantes, ficta ma- Num. 8.

ter

ter tàm pulchro verborum fuco causam suam defendere nouit, vt ipsemet Salomon tametsi sapientissimus dignoscere nequiuerit, an ex odij & inuidiæ, vel vero amoris loqueretur affectu; vnde quia Rex anxius hæsitabat, nesciebatque, pro quâ danda esset sententia, sollicitè indagare satagebat vtriusque affectum simulque ex eodem coniecturari, quænam vera, quæque falsa esset mater; & ecce simulatè pronunciat sententiam, & dicit: agedum, propositas vtriusque vestiûm examinaui rationis, fiat igitur iustitia: occidatur infans, quælibet illius capiat medietatem, & abitote ab hinc: *Diuidatur infans:* falsa mater sub specie zeli & iustitiæ consentiit datæ iam à rege sententiæ, vnde vt quamprimum Regis exequeretur præceptum, sollicitauit, altâque exclamauit voce: *nec mihi, nec tibi, sed diuidatur,* versiculo vigesimo sexto. Ast, vera mater sententiam audiens adeò crudelem in filium suum, à lachrymis se temperare, &c. nequiuit ac dixit; ergóne patiar innocentissimum filium meum mactari ac diuidi? Ah non patiar, non tolerabo hanc tyrannidem, integer potiùs & totus consignetur alteri eum prætendenti, cedam potiùs causæ tametsi pro me iustissimæ. Sapientissimus Salomon maternum hunc admirans affectū, statim subiunxit: en verum matris affectum, hæc est vera mater infantis illius, ipsi igitur detur totus & indiuisus: *date illi infantem viuum,* versiculo decimo septimo. Vnde altera abiuit conuicta & confusa.

Historiam hanc adducit sanctus Bernardus in libro de diligendo Deo in probationem, quòd amor non sit diuidendus, & partim tribuendus Deo, partim creaturis: vnicuique nostrum, inquit, citatus Doctor, vnum duntaxat est cor, id postulat Deus, anhelat ad idem & diabolus; cui id debes dare? vis agere Salomonis personam & iudicē? De nega id ei, qui contentus est vna illius medietate, quique nōn curat possidere illud totum, & dona ei, qui aut vult totum aut nihil; quid dicit, quid prætendit diabolus? ego sum contentus, ait hic, vnicâ cordis tui particulâ, sum, inquam, contentus, vt audias sacrum, recites rosarium, sis inscriptus confraternitati sacri scapularis, & Rosarii, recites etiam officium Beatæ Virginis, sum etiam contentus, vt interdum sacras auscultes conciones; sed totâ die voluere & reuoluere rosarium nimium est, vires tuæ id non patiuntur, vt continuò sedeas & ores flexis genibus, interesse semper confraternitatum Processionibus, aliisque piis vacare exercitiis sapit hypocrisin; si carnem mortifices jejunio & cilicio, nimium debilitabitur corpus; si infimum occupes locum, te humilies & alteri cedas, illudêris, spernêris & vulgi fies fabula. Consultò igitur facies, si amplectaris interdum animi voluptatem & delitias, choreis te delectes, exeas quandoque spatiatum, intersis nonnumquam hilari sodalium cōuersationi, exhibe te magnificum, curialem ac pomposum, & cuncti te respicient; & quid refert, si quandoque committas aliquod peccatum, mentiaris nonnunquam joci & recreationis gratiâ, non id magni faciendum est, parum pro nihilo reputatur. In summa contentus est diabolus medietate cordis tui, idem quod falsa illa mater clamare videtur: *non mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Ast quid iam dicit Deus? quidnam ille prætendit? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Matth. 22. vers. 37. Aut totum aut nihil, tu instar sapientissimi Salomonis iam iudica, sententiam profer & consequentiam: Deus postulat totum cor, diabolus contentus est illius medietate, totum igitur & indiuisum offer & tribue Deo totum id à te postulanti per sapientem, Proverbiorum vigesimo tertio versiculo vigesimo sexto *Præbe fili mi cor tuum mihi.*

Dico insuper, toto vos aberrare cælo, Num. 9.
si Deum pariter & diabolum cordis vestri

ſtri hoſpitio ſuſcipere prætendatis; impoſſibile eſt vtriuſque ſimul nos eſſe hoſpites. Perſpicuè id atteſtatur ipſemet Chriſtus Dominus Matth. 6. v. 24. *Non poteſtis duobus Dominis ſeruire, &c. Deo & Mammonæ.* Quem locum exponens Nicolaus Liranus ait: *cor hominum non poteſt ſimul capere Deum & Diabolum, ſed ſuſcepto diabolo per peccatum, Deus exit, ſuſcepto Deo per charitatem, exit diabolus.*

Propoſito huic apprimè inſeruit gratioſa illa fabula, quam refert celebris quidam & doctus Poëta de Ericio. Hoc animal eſt vndiq; ſpinoſum & ſetoſum, & nonnunquam ſeſe taliter conſtringit, vt minima videatur eſſe pila ſeu globulus. Quâdam hinc vice cõtigit miſerum hoc animalculum priuari domicilio, eò quòd venatores arbitrantes intùs latere prædam aliquam, totum illud deſtruxerant. Vnde miſer Ericius ſuo orbatus domicilio totus deſolatus vagabatur per cãpos & ſyluas, obuiã intereà reperit vulpem, quam enixè cœpit rogare, vt ipſum dignetur ſuo ſuſcipere hoſpitio. Beſtiam hanc ſpinis vndique obductam vulpes attonita intuetur, condolet quidem ei, ſed abſolutè denegauit hoſpitium; non enim judicabat è re ſuâ eſſe, hoſpitem adeò moleſtum & pungentem ſuſcipere. inſtat Ericius & ſupplicat feruentiùs vulpi, ad minùs concedere ſibi minimum & abiectum ſuæ cauernæ angulum; Spondebat enim non velle ne minimum quidem ſe in illo mouere, aut ipſi creare moleſtiam. Ita inſtanter ſupplicanti tandem annuit vulpes tametſi aſtutiſſima, ac clementer indulſit, quod poſtulabat Ericius. Qui quamprimum iam occupauerat anguſtiſſimum locum in cauernâ vulpis, cœpit ſe dilatare & extendere taliter, vt vulpes, ne læderetur & pungeretur ab illius pelle ſetoſâ, fuerit poſteà coacta capere fugam, & totam ei debuerit relinquere cauernam. Fabula hæc eſt, N. ſed veritatem ſub eâ latẽtem inſinuat Propheta Iſaias capite decimo quarto verſiculo vigeſimo tertio, vbi loquens de diabolo ſub figura & ſimilitudine ipſiuſmet etiam Ericii ait: *Ponam eam in poſſeſſionem Ericii.* Secundum litteram loquitur de Pharaone veluti expreſſo ipſius diaboli typo. Iam igitur quid facit diabolus? planè hoc idem, quod jam audiuiſtis de Ericio: te primum rogat, ſollicitat, vt ei concedas vnicum dumtaxat cordis tui angulum, ſemel ſolummodò cogites de hac vel illa muliere, de honore, dignitate, bonis tui proximi; petit à te, ut ſemel hanc vel illam perſonam curioſè inſpicias, & quid damni, inquit, poterit unquam cauſare vnicus intuitus, vnica cogitatio? Non tanti hæc faciẽda eſt. Aſt quamprimum Diabolus ſubintrauit cordis tui domicilium, taliter poſtea ſe dilatat & extendit, ut ex eodem eliminet & Deum & Sanctos & ſacramenta, omnem denique virtutem, gratiam & ſanctitatem. Ad hoc omninò exiſtimo Apoſtolum Paulum direxiſſe mentis ſuæ aciem dum dixit: ad Epheſ. 4. verſ. 27. *Nolite locum dare Diabolo,* Cauſam illius appoſitè ſubnectit S. Chryſoſtomus commentans in hunc locum, & dicens: *hoc pacto ſi introierit, cuncta dilatat & ſibi amplificat.*

Eâ de causâ patientiſſimus Iob c. 31. verſ. 1. ſciens & timens aſtutiam & dolum infernalis hujus Ericii, dixit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Sed ad quid tanta diligentia & cura ô patiẽtiſſime Iob? Quid mali vnica tantùm & tranſiens cogitatio generare poteſt? Quæris, quid mali? Audi, quod ſubiicit: *quam enim partem haberet in me Deus* verſ. 2. quaſi diceret: ſi permitterem ab vnicâ dumtaxat malâ cogitatione occupari cor meum, certus ſum & omninò mihi perſuadeo, quòd nullus in eo ſupererit & vacabit locus Deo. Quapropter non ſinamus nos decipi à Diabolo N. ſed totum cor noſtrum donemus Deo, juxta illius mandatum Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum*

tuum ex toto corde tuo, ipse namque vult esse omninò absolutus Dominus & patronus cordis nostri, nullum alium postulat socium. *Solus vult Dominus amari*, inquit Lippomannus in c. 17. Genes. 1. & *vt solus Dominus noster est, sic totos nos exigit esse suos.*

Reperiuntur nonnulli (ait S. Bernardus lib. de diligendo Deo) qui malè sibi consulunt, diuidunt cor suum, & adamantes creaturas conantur simul amare Creatorem; sed heu! *durum est amanti cor diuidere.* Grauissimè offendis Deum tuum, dum cor tuum diuidis, & ipsum simul cum creaturâ amare satagis.

Num. 10. Hinc refert S. Augustinus lib. 7. de Ciuit. Dei c. 2. tom. 5. quòd gentiles postquam inuasissent aliquam ciuitatem, solebant exstruere templum, & in eo collocare idola domestica simul & externa; quod tamen noluerunt facere Titus & Vespasianus post occupatam ciuitatem Hierosolymitanam, dicebãt enim, Deum Hebræorum vel esse solum, & nullos secum pati socios. Nec tu, ô Christiane, alium præter ipsum admitte socium in corde tuo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: Matthæi 22. vers. 37. elimina ex corde tuo qualemcumque alium amorem indignum, vanum & mundanum, & solum dilige Dominum Deum tuum.

Patriatchæ Ioseph vbi legitur in Gen. c. 41. duo in Ægypto nati fuerunt filii, & vtrique mysteriosa imposuit nomina: primum vocauit Manassen, quod significat obliuionem, & secundum Ephraim, quod indicat augmentum; en, ô Christiane, Manassen & Ephraim fratres carnales ambos, appetisne augmentum spiritus? debes prorsus obliuisci omnium mundi vanitatum; si vis perfectè diligere Deum, spernas mundum, teq; ab amore creaturarum sequestres necesse est. *Homo*, inquit S. Chrysost. hom. 47. in cap. 22. Matth. *si Deum amat, mundum non amat*: Si autem mundum amauerit, jam Deum ex toto corde non amat. Ideòque regius Propheta Dauid, postquam venisset in cognitionem, quantùm pergratum esset Deo, quòd homo totum ei donaret cor, instanter petiit à Deo, dignaretur sibi tale formare cor, quod alium non amaret nisi ipsum: *lætetur cor meum & timeat nomen tuum*. Psalm. 58. vers. 11. S. Hieron. hîc traducit ex Hebræo: *vni Domine cor meum, vt timeat nomen tuum.* Quasi vellet dicere Propheta: fac, ô Domine, vt cor meum, quod varias obambulat vias, non diuidatur, sed totum maneat vnitum tibi soli; peccatores namq; cor diuisum gerunt; at iusti cor suum vnitum conseruant, vt solum Deum ament. Audite Ioannem Gersonem tract. 1. super Magnific. *de peccatoribus dicitur: Diuisum est cor eorum; de iustis verò secundũ aliam literam: vni Domine cor meum.*

Occurrit mihi, idque ad intentum nostrum, quòd in sacris Canticis, cap. 2. v. 4. fuerit semel inuitata sponsa à cœlesti sponso ad cellam suam: *introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Ergo dicet quispiam, non in aliũ finem vocauit sponsam, nec alium eidem præstitit fauorem, nisi vt ei præpararet & disponeret amorem? Origines hom. 3. in Cant. egregiè explicat hunc locum dicens: *introduxit me rex in cellam vinariam, vt ordinetur in me charitas, sitq; cõstitutus ordo in dilectione rerum, vt scilicet prius diligatur Deus quàm cætera omnia*, q. d. non ob alium finem introducta fuit sponsa in cellam amoris, nisi vt disceret amare Deum super omnia; tunc enim amor est inordinatus, quando homo id amat, quod amare non debet, vel amore maiori prosequitur, quàm id meretur amari: *tunc charitas* (pergit idem Origines) *est in nobis absque ordine, quando homo diligit id, quod diligendum non est aut verò diligit maiori amore, quàm res illa mereatur ac digna sit, vel certè minus quàm debeatur.* In ordine amoris semper Deus primus ponitur & principalis super reliqua Num. 11.

omnia

omnia, & nihilominus plurimi sunt, qui ipsum postponunt, & quemadmodum dicit S. Augustinus de Doct. Christian, relatus à glossa: *multorum charitas inordinata est, eò quòd illud, quod primum diligendum est, ponunt secundum, tertium vel quartum.* q. d. miseria magna est, quòd paucissimi seruant rectum charitatis & amoris ordinem; vel amat quod non est amandum, aut non amant, quod est amandum: *ille inordinatam habet dilectionem* (ait S. August.) *qui diligit, quod non est diligendum, aut non diligit, quod est diligendum.*

Num. 12. Eia igitur N. inclinate, disponite tandem aliquandò corda vestra ad Deum ritè rectèque amandum: hic enim est verus amor, vbi nullam quis patitur repulsam, vbi nulla subintrat diffidentia, vbi indignatio non habet locum, vbi dignitas & majestas non deterret. Sed eheu! aduerto benè, ne minimam quidem hodierno die reperiri scintillam amoris diuini in mundo; aliis non implicatur amor noster, nisi rebus caducis, fragilibus & transitoriis. Senescimus, &, ut dici solet, pedem vnum posuimus in cymba Charontis, & nihilominus, quid sit Deum amare, ignoramus. Et quî fieri potest, ô homines mundani, Munde scelerate, ætas impia, vt tam præproperè curras ad amorem creaturarum, & quidem cum euidentissimo tum animæ tum corporis periculo; ad amandum verò Deum vix est, qui resoluat? quot & quanta passus est adolescens ille ad captādam infamis hujus alteriusue pellicis gratiam & beneuolentiam? nocte dieque sustinuit aëris iniurias, dissipauit totam suam substantiam, & bona & pecunias, imò deperdidit sanitatem ipsam, & ad recuperandam gratiam Dei, cur non plangis? cur non ex intimo elicis corde suspiria? quomodò, ô homo, potes amare mundum, delitias, voluptates, filios, imò substantiam tuam ad vilissimum canem vsque, & non Deum, qui te creavit & redemit suo pretiosissimo sanguine? spernite quapropter tandem aliquādo vanitates & delitias illas mundanas, quæ nostrum nequeunt satiare appetitum, solus Deus omne nostrum desiderium, gressum & appetitum satiare potest. Vnde propterea Seraphicus ille Franciscus teste S. Bonauent. in vitâ illius, coram crucifixo Iesu postratus dicere solebat: O *Iesu amor tuus, & nihil aliud.*

Væ tibi, si non amaueris Deum, tremendo enim excommunicationis fulmine te feriet Apostolus, 1. Cor. 16. vers. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit Anathema, Maran Atha.* O tremendam sententiam, ait S. Chrysostomus hom 44. in hunc locum, quæ meritò intrepida etiam corda deterrere deberet, sit excōmunicatus quicumque non amat Dominum nostrum Iesum Christum, quare? *Maran Atha,* quod idem significat, ac *Dominus venit,* quasi dicere vellet Apostolus, postquam descendit de cœlis in terram & factus est pauper ille, qui est Dominus totius vniuersi, passus est famem, qui pascit volucres cœli, nudatus & spoliatus est, qui campos floribus ornat ac vestit, postquam etiam sustinuit acerbissimos cruciatus ille, qui est beatitudo Angelorum, & mortuus est Author vitæ, *Maran Atha Dominus venit, si quis non amat Dominum Iesum Christum sit anathema.*

Magnum fuit prodigium Danielis ca.
3. quòd tres illi pueri in fornace Babylo- Num. 13.
nicâ non comburebantur; at maius est prodigium, maiori dignum est admiratione, quod nos simus constituti in medio amoris igne, & non incendamur & ardeamus charitate; profectò corde planè orbatus est, qui tanto amori non correspondet amore, ad tanti ignis præsentiam non calefit, ad tantorum beneficiorum considerationem non excitatur ad gratiarum actionem & amorem. Nulla se poterit excusare persona, quòd non pos-

sit Deum nos adeò vnicè amantem redamare, non petit cilicia, carnis mortificationem, profusionem sanguinis & martyrium; sed solum desiderat amorem: *Attendite fratres charissimi* (prædicat B. Thomas de Villanouâ serm. 17. Dominicæ post Pentec.) *attendite & videte, qualia præcepta nobis iniungit Deus noster, non aspera & difficilia, non grauia & importabilia, non lacerare carnes verberibus, non pedibus nudis super ferreos tribulos ambulare; sed quid? Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ.* O Deus meus, quis te non amaret? & nihilominus, ô miseri peccatores, magis mundum quàm Deum diligitis, plus carnē quàm spiritum, plus fallacis mundi vanitatem, quàm cœlestes consolationes & inspirationes, plus tenebras quàm lucem: *Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*, dixit S. Ioannes Euang. c. 3. vers. 19. ardentem à nobis expostulat Deus amorem, qui sit perpetuus & semper duret. Refert Iustinus Martyr Dialogo cum Tryphon. Deum populo suo Hebræo præcepisse, ut quilibet se vestiret purpurâ, idque non in alium finem, ait idem sanctus, nisi vt hoc igneo & flāmeo colore eorum corda & affectus incitarentur ad amandum Deum. Et quid nobis præcepit Deus, ô Christiani? non vt in vestimentis, sed in corde deferamus amoris signa, Cant. 8. v. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Hoc signum, inquit S. Ambrosius lib. de Isaac & Ia. cap. 8. est Christus deferendus in corde; vt ipsum semper amemus, & vt semper cor nostrum sit aptum, molle & facile ad imprimendam ei quamcunque effigiem diuinam, ecce ignem amoris: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Lucæ. 12. v. 49. Id si fiat, quilibet nostrûm posteà dicere poterit cum Prophetâ Dauid Psalm. 21. vers. 16. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.*

Deprecemur igitur cum sancto Augustino lib. medit. c. 35. benignissimum Iesum; quatenus vnicam amoris sui scintillam nostris dignetur infundere cordibus, vt nullum præter ipsum amemus. *Dulcissime & amantissime Iesu, infunde obsecro multitudine charitatis tuæ pectori meo, vt te solum in corde habeam, scribe digito tuo in pectore meo dulcem tui memoriam nulla vnquam obliuione delendam.*

Amor Dei omnia facilia reddit.

DISCVRSVS III.

Verus Dei amator semper & assiduò studet diuinorum mandatorum obseruantiæ; quid mirum? si amor Dei non potest otiosus, assiduumque & facilem reddit operantem?

Num. 1. NON minus pulchra quàm curiosa fuit illa antiquorum sapientum amorem depingentium inuentio: depinxerunt namque amorem vigilantem simul & dormientem, cum hoc tamen discrimine, quòd repræsentaturi eum vigilem & excitatum, depingebant iuvenem apprimè decorum facie, agilem & gracilem, pomposâ indutum veste, auro, margaritis, aliisque pretiosis intextâ gemmis; at repræsentaturi amorem, dormientem, depingebant juuenem quendam robustum & fortem, sinistroincu-

bantem

bantem brachio, & sub illo clypeum, manu euaginatum gestantem gladium, & ad latera arcum & sagittas, quasi jam jam esset initurus certamen & pugnam. Varia hisce picturis significare & demonstrare nitebantur antiqui illi, inter alia significare volebant, amorem non posse otiari, sed semper operari in obsequium & seruitium objecti amati. Et ad hoc forsan alludens Poëta Ouidius lib. de arte amandi cicinit:

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

Insuper significare intendebant, quòd amor semper triumphet & vincat, & nihil reperiatur tam arduum & difficile, quod nō assequatur, in quod idem collimans Poëta dixit: *Omnia vincit amor.*

Si ad prophanum hunc amorem tanquam Deum falsò ab obcæcatis gentilibus illis adoratum totum hoc applicarūt antiqui, jure merito & majori veritate Catholicâ, nos, qui Christiani sumus, de amore sancto illud idem verificare poterimus, & sic, fide prophano cecinit Poëta:

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

De amore diuino dixit Rupertus Abbas sect. 26. in Cant. *charitati juncta est sollicitudo quædam.* Si de prophano dictum est: *omnia vincit amor*, excellentius id de diuino amore asserit S. Apostolus Paulus 1. Corint. 13. v. 7. *Charitas omnia suffert, omnia sperat, &c.* Etenim qui amat & diligit Deum, non potest esse otiosus, assiduò nititur obseruare præcepta Dei.

Num. 2. Et quidem plusquàm verùm est, N. majorem verioremq; amoris probationem non posse elici aliundè nisi ex operatione. Ita attestatur sanctus Gregorius Papa homiliâ 35. in Euangelia, dicens, *probatio dilectionis exhibitio est operis*, quasi dicere vellet: verus amor consistit in opere, imò propria amoris conditio est non otiari; sed semper operari in obsequium & seruitium illius quod amatur, sicque detur mihi cor amans, & tale illud otii inimicum pronunciabo.

Euidentem hujus rei experientiam comperiemus in scripturâ sacrâ. Genes. cap. 25. legitur, quòd, vbi Esau deditus erat venationi & agriculturæ, nocte dieque sudores & labores subibat: *Gnarus venandi & homo agricola.* vers. 27. Iacob nihilominus frater ejus grauitatem suam seruaret, & in tantis viueret educareturque delitiis, vt etiam, ne incommodo aut fastidio aliquo afficeretur non exiret domo suâ paternâ: *Iacob autem, vir simplex habitabat in tabernaculis.* Omnibus affluebat delitiis, delicatè viuebat, instar filii Regis ab omnibus curis liber; sed, vt discessit e Mesopotamiâ & dereliquit domum paternam, amore ecce capitur pulcherrimæ illius Rachelis, & oblitus penitus omnium delitiarum, promptissimum se offert servum Patri suæ Amasiæ, quàm vt in vxorem sibi acquireret, septenni se illius consecrat seruitio & obsequio: *quam diligēs Iacob*, ait, *seruiam tibi pro Rachel filiâ tuâ minore septem annis* Genes. 29. vers. 18. Et ecce adeò mutatus est, vt quasi jam non ille, sed alius visus fuerit Iacob, exponebat se frigori, gelu & æstui solis, flocci faciebat pluuias, niues, sudabat, laborabat noctu diuque absque vllâ prorsus intermissione & requie, veluti ore proprio id confessus est: *Diu noctuq; æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Genes. 31. vers. 40. Nunc quæro ego, vnde tanta hæc in Jacob mutatio? à quo tempore cœpit is laborare, sudare & aëris perferre iniurias? annon is ille Iacob, qui omnibus affluebat delitiis? annon is ille, qui tantus otii amicus, tam lautè viuebat, & instar filii regis nutriebatur? annon is ille, qui ad euitandas curas & minima corporis incommoda ne quidem domum deserebat paternam? omninò, ille idem est, idem ille jam sudori, labori & solis expositus ardori, cūctas despicit aëris iniurias omnium oblitus deliciarum. Sed vnde prouenit isthæc mutatio? vero verius est N.

illius Poëtæ dictum: *qui non vult fieri desidiosus amet.* Verùm fateor, Iacob delicatum lautè vixisse, deliciis affluxisse, & à curis vacuum securissimè dormiisse; sed tempore illo, quo non amabat, tūc enim nulla fiebat mentio curarum & laborum; verùm quamprimum captus fuit decorę Rachelis amore, nullas fugiebat curas, laborabat, sudabat noctu diuq; , quæcumque ardua & difficilia reddebantur ei facilia, & ex tot tantisque exantlatis curis & laboribus tantam hausit animi voluptatem & gaudium, vt septem anni pauci illi viderentur dies, tam excessiuus erat amor ille: *Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine,* ait S. Scriptura Genes. 29. vers. 20. & S. Hieron. Epist. 20. ad Eustoch. De custodiâ Virg. dum commentatur in hunc locum subiungit: *Nihil amantibus durum est nullus difficilis cupienti labor est: intuere quanta passus fuerit Patriarcha Iacob, qui vt Rachelem in coniugem consequeretur æstu vrebatur & gelu & tamen videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, cùm tamen septem annorum spatia voluerentur in tam grandi labore.* Deinde idem S. Doctor hisce concludit verbis: *amemus & nos Christum, & facile videbitur omne difficile.* Nec minori cum elegantiâ locutum est os illud aureum homil. 55. in Genes. mentionem pariter faciens Iacob diligentis Rachelem: *Septem anni* (ait ille) *pauci dies videbantur, ob ingentem erga puellam amorem, quando enim quis sauciatur charitatis desiderio, nihil difficile spectat; sed id quod fuerit plenum periculis & multâ miseriâ, leuiter fert, ad vnum hoc attendens, quomodo suo potiatur voto & desiderio.* Effectus amoris est N. esse fatalem inimicum otii, *qui non vult fieri desidiosus, amet.*

Num. 3. Antequam sponsa amaret sponsum suum; otio sopita viuebat, tam negligens & pigra erat, vt dum sponsus vice quadam iret pulsatum ostium domus illius, peteretque sibi aperiri: *Aperi mihi soror mea.* Cant. 5. vers. 2. ipsa adeò erat sopori & desidiæ dedita, vt ne quidem è lecto surgere & ostium aperire voluerit, ne incommodaretur. At quamprimùm audiuit loquentem sponsum cor suum mouentem & excitantem, in tantum tacta fuit amore sui sponsi, veluti ipsamet fassa est vers. 6. *anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Vt non solùm surrexerit è lecto, aperuerit ostium; sed etiam iam discendentem à longè conspiciens vocauerit altâ voce: *vocaui & non respondit mihi.* Et quia auertit illum non respondere, secuta est, & quæsiuit illum per totam ciuitatem: *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Cant. 3. vers. 2. Dum ita circumiret, inuenit milites agentes excubias in ciuitate, qui postquam illâ excepissent verberibus & vulneribus, surripuerunt ei pallium. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* v. 7. Ipsa tamen non propterea cessauit inquirendo sponsum suum, sed vlteriùs progreditur diligēter quæsitum illum, vbique interrogabat, num quis sponsum suum conspexisset alicubi locorum, precabatur quoque alios, vt si illis casu obuiaret, dicerent ei quòd quęreret & desideraret illum: *adiuro vos filiæ Ierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Cant. 5. vers. 8. Iam edicite mihi N. vnde ista spōsæ hujus mutatio? non aliundè nisi ab amore, cum scilicet cœpit amare sponsum: *anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est,* & ideò quietem capere non poterat.

Verùm vnum est, quod me rapit in admirationem, quòd desiderans totam perpessiorum malorum congeriem significare sponso suo, non aliis verbis illi nunciari curat nisi quòd langueret amore: *adiuro vos filiæ Ierusalem, vt nuncietis*

ei, quia

ei, quia amore langueo. Annon illi per nuncium significare poterat; quòd jam surrexisset è lecto, aperuisset ostium domus, & non inueniens eum pulsantem, totam obambularet ciuitatem quæsitum illum, aliaque incommoda quæ passa erat quærendo illum? omnia hæc subticet, & dicit solummodò: *quia amore langueo.* Et cur hoc? quia significando hoc vnicum & solum, significat ei omnia, & si sponsus intellexisset, eam amore languere, intellexisset etiam consequenter curas, molestias, labores & incommoda, quę amore illius perpessa erat, intellexisset quoque diligentiam, quam adhibuisset in quærendo illum. Verum enim est illud poëtæ: *qui non vult fieri desidiosus, amet.* Amor inimicus est otii, nec magis probari potest quàm operando.

Date igitur mihi cor amās animam amantem Deum, & de ipsâ non aliud affirmabo, quàm quòd assiduo & sedulò studeat se exercere in operib. bonis, non possit otiari, quodque non possit non obseruare præcepta diuina, vt propterea benè dixerit Christus Ioan. 14. vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit,* & S. Gregorius hom. 30. in Euangel. posteris reliquit hoc suum testimonium: *nunquam est Dei amor otiosus, operatur enim magna, si est si verò operari renuit, amor non est.* Vbi non sunt opera, signum est ibidem non esse amorem, amor enim & opera pari ambulant gressu. Et S. Bernardus in libro, cuius titulus est modus bene viuendi ad sororem serm 51 ait: *tunc verè Deum diligis, si pro amore illius bona, qua potes, operaris.*

Num. 4. Nec solùm effectus amoris est, quòd non possit otiari, sed etiam omne quod arduum & difficile est, reddit facile, leue & assequitur. Sensui nostro ardua & difficilis nimis videtur lex Dei, ast non amori, quantumcumque enim grauis & difficilis repræsentatur, quia tamen est lex amoris, facillimè ea executioni mandatur à corde amante Deum: *omnia enim sæua* (sic loquitur S. Augustinus serm. 9. de verbis Domini.) *& immania prorsus facilia reddit amor.*

Desideratisne generosum quendam & inuictum Heroëm, qui Dei amore captus cunctum spernat laborem, quibuscumque se exponat periculis, mentis vestræ aciem dirigite in S. Paulum Apostolum, qui potentissimo hoc amoris scuto munitus, omnes prouocat totius mundi creaturas, apertissimum illis offert campum, in quo decertet & prælietur cum eis pro amore Dei: *quis nos separabit à charitate Christi?* ad Rom. 8. v. 35, & 38. prodeat qui mecum præsumit inire certamen, ubi & quis est? *tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum enim quia neque mors, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Christi.* Quasi dicere vellet Apostolus sæviant in me omnes creaturæ, cuncti in me fluant tribulationum torrentes, torqueat me fames, affligat nuditas, mille circumdet periculis, sæuiat in me gladius, assiliat mors, proponatur mihi totus mundus cunctis suis stipatus deliciis & voluptatibus, concitentur contra me Angeli cœli, bellum mihi indicant Tyranni, in me tormentis suis excandescāt, nunquam tamen viuam amoris flammā in pectore meo ardentem extinguere poterunt. Sed vnde Apostolo huic tanta audacia & virtus, quâ tot potentissimis hostibus in dubiis adeò & periculosis præliis resistere valuit? vnde illi tanta animi generositas & fortitudo, quâ tam ardua, tamque difficilia superare & vincere præsumit? ab amore. *Quis nos separabit à charitate Christi?* detur mihi cor amans Deum, & nihil erit tam arduum & difficile in lege diuinâ, quod non ad amussim obseruabit, *Qui amat, non laborat;* inquit S. August. lib. 13. confess. Omnis enim labor non amantibus grauis est, solum amor est, qui

men difficultatis erubescit. O raram & miram amoris potentiam! quæ reddit homines generosos, inuictos & audaces.

Fuit quâdam vice à Christo Domino interrogatus S. Petrus: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ioan. 21, vers. 15. & respondit ei: *etiam Domine: tu scis, quia amo te.* Sed quia Dominus noster idem aliquoties replicabat, Petrus quodam modo confusus, dum aliud à primo nesciret dare responsum verbisque amorem suum exprimere, tanquam verus Christi amator auidè præstolabatur occasionem, quà, quod verbis sufficienter declarare nequiuerat, ipso demonstraret effectu, veluti & docuit rei euentus. Occurritne vobis, N. quod recenset S. Euang. Matth. cap. 14. vers. 25. & 26. cùm piscarentur discipuli Christi in mari, viderunt Dominum suum ambulantem super aquas maris & se accedentem: unde Discipuli desuper obstupefacti & exterriti existimarunt ipsum esse phantasma: *quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos ambulans super mare & videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt dicentes, quia phantasma est, & præ timore clamauerunt.* Pulchrâ hîc præsentabatur Petro occasio, quâ & insigne amoris sui in Christũ daret testimonium, simulque opere ipso adimpleret, quod verbis hactenus significauerat; siquidem vix viderat dilectum suum Magistrum, & statim prosiliit ex naui, descenditque in mare, ut ipsum accederet: *& descendens Petrus de nauiculâ, ambulat super aquam, ut veniret ad Iesum,* vers. 2. Ponderans hoc factum S. Ambrosius exclamat & dicit: ô sancte Apostole, vide, quid agas! en, Deus non es, & diuina tibi deest omnipotẽtia, ac proindè non tibi veluti Christo obedient maris aquæ; homo es, sicuti & alii, ac corporis tui pondere haud dubiè trahêris in profundum maris, & submergêris; præstolare igitur Christum Magistrum tuum in naui, uti & cæteri. Ah NN. exspectare nequit bonus Petrus. Cur hoc? quia plus aliis Christum amabat, & sicut juxta Diuum August. lib. 13. confess. cap. 8. amor est pondus, & qui plùs de hoc participat pondere, plus cæteris etiam & citiùs conjungitur objecto amato. Ita Petrus, quia plus de hoc amoris pondere participabat, citiùs ferebatur ad Christum; nec minimũ timuit periculum submersionis, quia tametsi pondus corporis ipsum trahere potuisset in profundam maris voraginem, nihilominus præponderans pondus amoris, quod pectori suo tenebat inclusum, trahebat ipsum ad Christum quasi ad suum centrum. Audite S. Ambrosium serm. 2. de sanctis, quàm egregiè id confirmet: *Non videbat Petrus ubi pedum vestigia poneret, videbat autem ubi figeret vestigium charitatis, in naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare: non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respicit elementum.* O raram & stupendam amoris potentiam, quæ Dei amatores audaces efficit & generosos, non est potentia quæ ei comparari possit, reliquas omnes transcendit virtutes, & potentias.

Huic meo propositio peroptimè inseruit jucunda & gratiosa illa fabula, quam refert Homerus in Iliad. enarrat hic, quòd Iupiter quâdam vice summopere indignatus in homines, ignitas è cœlo cœperit emittere sagittas, totum mundum hisce deperditurus. Demorabatur eodem tempore Amor in terris hominum fruens societate, qui statim alarum remigio penetrans aërem, petiit cœlum, vt Iouis sese opponeret furori. In ascensu obuiam reperit vnam ardentium sagittarum, quæ tametsi ei nocere non posset, magnam tamen stragem ab illa causari vidit inter homines, vnde igne, quem secum deferebat, ignitam repressit sagittam. Vero enim & antiquo fertur adagio: *Omnia vincit amor.* Sed

Sed ecce quàm pulchrè totum hoc verificatur de amore diuino.

Narrat Antiquissimus Tertullianus lib. de præscrip. cap. 36. de inuictissimo illo Milite Christi, sancto, inquam, Euangelistâ Ioanne, quòd cùm iussu Imperatoris Domitiani condemnatus esset ad martyrium & tormentum in cacabo oleo ebulliente pleno subeũdum, magnâ omnium admiratione & stupore ex illo prorsus exierit illæsus & incolumis. Cuius stupendi miraculi stupendam reddit rationem Tertullianus & dicit: quòd oleum ebulliens non potuerit minimam inferre violentiam igni amoris, qui euaporabat ex corde D. Ioannis in Deum, hic enim impediebat illum, & post diuturnam & mutuam horum ignium pugnam, tãdem euasit victor ignis amoris. *Flamma*, (sunt ipsamet uerba Tertulliani) *pectus eius comburens, ignis actionem, qui in lebetem agebat suspendit, ibique duo erant ignes inter se prælio dimicantes, tandem ignis amoris superior euasit victoriam reportans.* O mira potentia amoris! quæ, propter diuinorum præceptorum obseruantiam, nullas formidat afflictiones, pœnas & tormenta, sed superat & vincit omnia.

Num. 7. Percurrite adhæc caput 20. vers. 15. Ioannis Euang. & inuenietis quòd pœnitens Magdalena sollicita nimis & lachrymosa inquirebat corpus dilecti sui Magistri, qui ut afflictam & desolatam consolaretur, temperaretque ingentem illius dolorem, apparuit ei sub specie hortulani, ac cur plangeret, quidue in horto isto anxiè quæreret, interrogauit: *mulier quid ploras?* quem quæris? Magdalena iudicans alloquentem se verum esse hortulanum, humiliter ei respondit: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum: & ego eum tollam*, v. 15. simulque in nobilissimo quodam sepulchro collocabo. Subintrat hic P. Origenes tract. 29. in Ioannem, & quasi præsens auscultasset discursum Magdalenæ cum ficto illo hortulano, sic eam alloquitur: quid, ambo, ô Domina, tibi proponis? quid cogitas facere? frustraneus est conatus tuus, factu impossibile est, quod intendis; dicis te illum sublaturum: *Ego eum tollam: Ergo si corpus Iesu positum est in atrio Principis sacerdotum in quo Petrus calefaciebat se ad ignem, quid factura es*: quid faciam, ait Magdalana? *ego eum tollam*, etiam de atrio Principis sacerdotum, & de quocunque alio loco tametsi periculosissimo eriperem eum, & mecum abducerem, *ego eum tollam*; & si corpus hoc etiam barbarorum & crudelium demandatum esset militum custodiæ, imò si ipsissimi milites, qui dilectum Magistrum meum cruci affixerunt custodirent corpus illud, agerent excubias quàm diligentissimas, defenderent se lanceis & gladijs *ego eum tollam*. Ego animosa & intrepida in medium prodirem, non curarem acutas lanceas nec gladios, minas crudelissimorum etiam militum flocci penderem, spernerem omnia, *ego eum tollam*. Adhuc quæris, quid factura es? hoccine petendum est ab amante? totus iam obstupefactus Origenes hîc exclamat: *O ineffabilis huius mulieris amor! ô mirabilis mulieris audacia! ô mulier non mulier! nullum locum excipit nullum anteponit, sine timore dicit, absolutè promittit: ego eum tollam*: neque id mirum est, quia, ut ait S. Ioannes Chrysostomus hom. 8. in Gen. qui verè amant, nullas curant molestias difficultates nullæ eis obstare videntur, & pedubus nudis supra pungentissimas ambulabunt spinas & tribulos *Quando quis sauciatur* (sic loquitur S. Chrysost.) *charitatis desiderio, nihil difficile spectat, sed id quod fueri plenum periculis & multâ miseriâ leuiter fert, ad vnum hoc attendens, quomodo suo potiatur voto & desiderio*. Neque hunc duntaxat effectum producit Num. 8. amor: verùm etiam res alias arduas & difficiles alleuiat, efficitque faciles. Ex Canticis, cap. 1. vers. 13. dilucidè id patebit.

tebit, inter alia nomina & titulos, quos sponsa ibidem attribuit suo dilecto sponso, legitur etiam quod vocet eum fasciculum Myrrhæ: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Per hunc fasciculum Myrrhæ intelligit S. Bernardus, miserias, dolores & tribulationes, volens significare, quòd ipsa ab amorem sui sponsi, libenter amplecteretur omnes dolores & pœnas Passionis illius, eisque veluti floribus delectaretur. Iam verò ait sanctus Bernardus Serm. 43. in Cant. Si plurima fuere tormenta & cruciatus Christi Domini, quomodò igitur sponsa vocat eum nomine fasciculi? & respondet idem mellifluus Doctor, id factum esse ad demonstrandum summum affectum amoris: audite verba melliflua: *non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leue pro amore illius ducat, quicquid laboris immineat & doloris.* Non eum nuncupat fasciculum, vt paruum illum judicaremus, sed voluit, vt cognosceremus amorem suum sufficientem esse ad reddendum id exiguum & facile, quod aliàs arduum est & difficile, & ideò passionem Christi Domini nostri amplectabatur amore; vnde non dicit, quòd esset fasciculus omnibus, sed sibi soli vtpotè amanti Deum. *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi.* Vbi notat S. Bernardus & dicit: *Fasciculum dicit non absolutè; sed mihi, quæ diligo, fasciculus est.* Totum mihi, quæ diligo, erit facile & leue; ac propterea in unum conglomerentur omnia flagella, spinæ, crux, claui, lancea, opprobria, omnia in me veluti in scopum suum tendant, *inter ubera mea commorabitur:* cuicunque igitur lex diuina videtur ardua nimis & difficilis, signum est, quòd non diligat Deum; de quo ait S. Augustinus de bono Viduit. cap. 21. *Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant.*

Num. 9. Sat euidenter igitur constat, quod ubi est amor, ibi sunt opera, siquidem verus amans est obediens, & cum particulari priuilegio de eo videtur asserendũ, quod sit totus ipsius Dei, proprio id ore fassus est Regius Propheta Dauid Ps. 118. vers. 94. dum ait: *tuus sum ego, salvum me fac.* Ast, dic, amabò, mihi, ô rex sancte, quid singulare dixisti confitendo te esse ipsius Dei? ah, inquit ille, *quoniam justificationes tuas exquisiui.* Ego particulariter res tua sum, ô Domine, quia te perfectè diligo, totum me dedi tibi pro me reseruaui nihil, non feci voluntatem meam, nam sic essem meus, & memet reseruarem mihi, sed feci voluntatem tuam: *tuus sum ego, quoniam iustificationes tuas exquisiui.*

Sed ô miseriam magnam horum temporum, quàm pauci hodiè reperiuntur, qui cum Regio Prophetâ verè possint dicere: *tuus sum ego.* Vnde ait S. Ambrosius in Psal. 118. Serm. 12. *Facilis vox & communis hæc videtur: tuus sum ego, sed paucorum est, satis rarus est, qui possit dicere: tuus sum ego.* Scitisne quis id possit dicere? inquit cit. Doct. qui propriam deserit voluntatem, sed facit voluntatem Dei. Tu ergò, ô lasciue, ait S. Ambrosius, quomodo Deo poteris dicere: tuus sum ego, cùm totus sis deditus sensualitati & voluptatibus carnis? teque emancipaueris publico & infami isti Scorto, quod vnicè amas? tu, ô Auare, quomodo poteris dicere, *tuus sum ego?* cum sis servus auaritiæ, & vendideris te auro & argento, quod vt Deum diligis & colis? & tu, ô gulose, quomodo & tu poteris dicere: *tuus sum ego?* cùm te vendideris gulæ propter continuam crapulam? Audite S. Ambrosium: *non potest dicere sæcularis, tuus sum; plures enim Dominos habet. Venit libido & dicit: meus es, quia ea, quæ sunt corporis, concupiscis. Venit auaritia, & dicit: meus es, quia argentum & aurum, quod habes, seruitutis tuæ pretium est. Venit gula, & dicit: meus es, quia vnius diei conuiuium pretium tuæ vitæ est.* Quomodò ergò poteris

teris dicere, ô peccatòr, quod obſerues diuina præcepta, ſi facere nolis voluntatem Dei? ſiquidem verum eſt, quod qui amat Deum, eius obtemperat mandatis: *Si quis diligit me,* (ait Chriſtus Ioan. 14. verſ. 23.) *ſermonem meum ſeruabit.* Quomodò potes eſſe meus, cùm verbotenus ſolùm dicas: *tuus ſum ego*, Et poſteà me neges operibus, amor demonſtratur & manifeſtatur operibus: is meus non eſt, qui ardet libidiuis æſtu: meum enim præceptum eſt, vt quilibet ſeruet caſtitatem. Non meus eſt auarus, nam ego præcipio liberalitatem in pauperes. Nec meus eſt ille, qui agitatur etiam omni leviſſimo vento iræ, odij, rancoris & vindictæ; nam meo præcepto promulgatur ſeruanda pax. Solus denique meus eſt ille, ait Redemptor noſter, qui me amat & meam exequitur voluntatem: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.*

Quod ſi igitur, ô Chriſtiane, conſiderares, quàm graue malum ſit, non amare Deum, omni procul dubio conatu allaborares amare illum, eique obedire. Adeò graue peccatum eſt non diligere Deum, vt tametſi non eſſet, vt ita dicam, ignis infernalis, ad caſtigandos peccatores, maxima tamen adhuc illis eſſet pœna, priuatio dulcedinis diuini amoris. Huius causâ dulcia emittebat ſuſpiria S. Auguſtinus lib. 5. conf. cap. 5. dum vice quadam genuflexus coram Chriſto Redemptore ſuo ſedebat & orabat: *quid tibi ſum ego Domine, ut amari te iubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? paruáne ipſa eſt miſeria, ſi non amem te?* quaſi dicere vellet: tu, ô Domine, minaris pœnas inferni & miſerias æternas, ſi te non amauero, quaſi priuatio diuini tui amoris non eſſet maior miſeria, quàm pati tormenta & cruciatus in imo inferni barathro, ego (dicit S. Auguſtinus) cenſeo maiorem eſſe pœnam, non ardere amore diuino, quàm ardere igne infernali.

Diuinæ placuit bonitati ut hanc veritatem approbari fecerit ab ipſomet mendaciorum patre, qui dum vice quâdam Num. 10.
eſſet coniuratus & coactus ad manifeſtandum nomen ſuum, reſpondit per os corporis ab ipſo obſeſſi, hæc formalia: *Io ſon' quello ſcagurato priuato d'amore Ego ſum nequam ille priuatus amore.* Et hoc dixit voce adeò dolente & compungente, ut B. Catharina Virgo Genuenſis, quæ eidem tūc præſens aſtabat, vti legitur in vitâ eius, cōfeſſa fuerit, quod ex compaſſione ſenſerit in ſe moueri omnia viſcera corporis, dum cognoſcebat, quàm grave cauſaret damnum hæc priuatio amoris mediante peccato. Lamentari poterat hic malignus ſpiritus & dicere: ego ſum miſer ille condemnatus ad æternas flammas; at diuina ita diſpoſuit prouidentia, vt ad tuam, ô homo, confuſionem, doleret de priuatione diuini amoris; quo ſic aperies mentis oculos, ad cognoſcendum, quàm graue ſit malum non amare Deum. Eia igitur N. ne incurramus in pœnam adeò grauem, diligamus Deum ex toto corde, totum vitæ noſtræ tempus impendamus obſeruantiæ diuinorum præceptorum; quod ſi id fecerimus, gratiam in præſenti vitâ, & in futurâ æternam conſequemur gloriam.

DISCVRSVS IV.

De Præcepto dilectionis inimicorum à Christo Domino N. commendato & promulgato: ubi specialiter tractatur de magno & incomparabili præmio, quod promittitur iniuriam remittentibus; sicut & de pœnis, quas vindicabunt sibi vindicatiui.

Num. 1. QVod inter alia mira & rara prodigia, quæ in S. Matre nostra Ecclesiâ, in hac, inquam, tota fidelium congregatione splendent & relucent, maximum hoc sit & admiratione dignissimum, videlicet quòd ipsa sit tota ignis & non ardeat, tota sit composita ex flammis, & non in cineres redigatur, euidens illius clarumque reddunt testimonium plurimi ex SS. Ecclesiæ Doctoribus, uti S. Dionysius Areopagita lib. de Eccles. Hierarch. S. Augustinus lib. 2. de ciuit. Dei cap. 9. & plures alij; at, quòd quis medias inter tot ardentes flammas vitam agat, conuersetur, quiescat, & nullum prorsus sentiat ardorem aut æstum, imò ne minimum quidem calefiat ab igne in medio ejus constitutus, nullus planè est, qui id non demiretur & obstupescat. Nam si muri eius sunt ignis: *Ego ero ei murus ignis in circuitu*, Zachar. cap. 2. vers. 5. Ignis domus illius: *Erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma.* Abdias vers. 18. ignis lapides eius: *in medio lapidum ignitorum ambulasti.* Ezechiel. cap. 28. vers. 14. Ignis quoque plateæ eius: *ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. vers. 49. Ignis lex eius: *in dexterâ eius ignea lex.* Deuter. 33. vers. 2. Ignis & illius Deus: *Deus tuus ignis consumens est.* Deuter. 4. vers. 24. Ignis ipsius Thronus: *Thronus eius flamma ignis.* Dan. 7. vers. 9. Ignis denique ipsius Aulici & famuli: *qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem.* Psal. 103. vers. 4. qui igitur fieri potest, quòd in medio tot & tantorum ignium constitutus christianus ille sit adeò frigidus? quomodo inter tot flammas urentes nullum sentit fidelis ille ardorem? quomodo in medio tanti incendii ille alius jacet frigore rancoris congelatus, & quasi noua salamandra viuit in medio flammarum, ac in iisdem se enutrit? profectò res hæc adeò monstruosa est & horrenda, ut Christus Saluator noster desiderans hæc frigida & congelata corda de nouo calefacere, ac mutuo amoris igne accendere, clamet & intonet in Euangelio Mattht. cap. 5. vers. 44. & 45. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Quasi diceret, dissoluatur & abscedat è cordibus vestris glacies odii & rancoris, & loco eius ardeat ignis meus cœlestis amoris; *diligite inimicos vestros.* Præmiũ vobis non deerit, nã eritis filii Patris vestri, qui est in cœlis: *ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* O præceptũ amoris! ô legẽ verè diuinã! quis hanc toto cordis affectu non amplecteretur? dum infinitis donis & gratiis cœlestibus, quæ per largam illam & liberalem rerum omnium Creatoris manum communicantur omnibus illis, quotquot ob amorem illius illatas sibi remittunt iniurias, adiungitur etiam hæc singularis gratia transcendens reliquas omnes, quod nimirum remittens iniuriam mediãte hac heroicâ actione, euadat quasi alius Deus in terrâ: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.*

De

De Alexandro Magno refert celeber-
Num. 2. rimus Historicus Quintus Curtius, quòd, postquàm certi quidam peregrini Oratores coram illo perorassent, & stupenda illius stratagemata, actus Heroicos, fortunatissima prælia, & celeberrimas victorias, quas de hostibus suis reportauerat, varijs encomiorum extulissent laudibus, loco epilogi hæc subiunxerint verba. *Tu Philippi es filius.* Quasi voluissent dicere: magna hæc est temeritatis nostræ nota, ô Alexander, quòd varijs tropis, nouisque figuris ex Oratoriâ arte depromptis conati fuerimus tua extollere illustrissima facta & certamina, cùm in te reperiamus quendam omnium laudum tuarum Epilogum, cunctorumque honorum compendium aliquod, nimirum: quòd sis filius cuiusdam Regis, quem hostes reformidant, amant Amici, reuerentur exteri, cui ad nutum obediunt subditi, Regis, inquam, ditissimi & clementissimi.

Annon vobis videtur, idem planè contingere Christo Saluatori nostro, dum dignis encomijs illos celebrare intendit, qui suis condonant inimicis, remittunt offensas? ipse utpotè summa Patris sapientia absque vllo verborum circulo, absque omni eloquentiæ fuco, quamprimùm perorare incipit, digniorem pronunciat titulum, quo homo aliquis unquam posset honorari & extolli, dicitque: *ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* q. d. non terreni alicuius hominis, sed ipsiusmet Dei eritis filii, & taliter ab illo æstimabimini.

Num. 3. Enimverò N. annon honorum omnium imaginabilium summus est, esse nimirum filium Dei, hoc ipso quòd amet inimicos? dicat Apostolus, qui deprædicaturus dignitatem ac prærogatiuuas Christi D.N. maiorem encômiorum titulum ei attribuere nequiuit, quàm dicendo: *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit,* ad Hebr. cap. 1. vers. 4. q. d. scitote pro certo charissimi mei Hebræi, Christum quocunque Angelo multò extitisse digniorem, cuius veritatem si cognoscere velitis attendite ad excellentiam nominis, quod ipse hæreditauit, quo nec ullus unquam Angelus dignus fuit: *Cui enim Angelorum aliquando dixit: filius meus es tu,* Hebr. 1. vers. 5. q. d. ipse dignus factus est vocari filius Dei, qui titulus denegatus fuit Angelis. Nunc peto ego, Auditores: num deerant alii tituli, quibus ab Apostolo Christus sublimari & laudari potuisset? poterat benè dicere: eum fuisse plenum gratiâ: *Vidimus &c. plenum gratia & veritatis* Ioannis 1. vers. 14. quòd esset totius mundi Monarcha: *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Apoc. 19. vers. 16. quòd esset splendor cœlestis gloriæ: *qui cùm sit splendor gloriæ* ad Hebræ. 1. vers. 3. & ut finiam, appellare eum poterat Saluatorem, quod nomen illi per grâtum est, & nihilominus sepositis omnibus hisce titulis, S. Apostolus eodem, quo Pater æternus, deprædicat ipsum titulo: *Cui enim Angelorum aliquando dixit: filius meus es tu:* idque non aliâ de causâ, nisi quia hoc titulo veluti compendio quodam comprehenduntur reliquæ omnes dignitates, quas unquam quis sibi imaginari potest. Iam vos formate consequentiam: hanc dignitatem denegat Christus Angelis, & concedit hominibus, qui remittunt iniurias, diligunt inimicos, ergò maxima est omnium. Conceptum hunc iam dudum ponderauit S. Chrysostomus hom. 13. in cap. 5. Matth. dum dicit: *qualis putas sit actus dilectionis inimicorum cùm filiationis diuinæ titulo remuneretur? diligite ergò inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.*

Ex dignitate illâ, ad quam sublimatur Num. 4.
homo qui condonat suo inimico, ego elicio hanc actionem esse actionem diuinam, tali modo, ut, qui iniurias sibi illatas remittit, sese manifestet & declaret,

vt ita dicam, quasi alium Deum. In confirmationem huiusmet veritatis pulchram habemus figuram in Genes c. 32. quam etiam ponderat Card. Caietanus commentans in hunc locum. Totâ nocte luctatus fuit Iacob Patriarcha cum Angelo quodam in viâ sibi obuiâ, & tametsi humanæ vires cedere debuissent Angelicis, ipse nihilominus superans vires Angeli illius præualuit & euasit victor, eumque tam fortiter constrinxit inter brachia, ut ab eodem obtinuerit desideratam & petitam benedictionem; ast completâ luctâ aduertit non cum Angelo quodam, sed cum Deo se luctatum fuisse, eumque vidisse facie ad faciem, unde dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea,* vers. 30. Quam visionem Deus ipsemet confirmauit mutatione nominis illius, nam primò dictus Iacob, vocatus fuit deinde Israël, id est, videns Deum. Edic, amabò, ô sancte Patriarcha, unde cognouisti illum, eum cũ quo tanto luctatus es tempore, esse Deum? unde recepisti nomen Israel, id est, videns Deum? an fortassis ex luctatione illâ? profectò actio hæc non solùm à Deo; sed à quâcunque substantiâ spirituali multum aliena est, & solum competit corporibus. Fortè, quia eum superasti, ac de ipso reportasti victoriam? at si colluctator tuus fuisset Deus, nullo modo ipsum superare potuisses; *Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum,* ait Sapiens Prou. 21. vers. 30. Vnde igitur certus es te vidisse Deum & cum illo pugnasse? ex misericordiâ, respondet ille, quam mihi exhibuit, id collegi, ac certissimum illius habeo argumentum, nam quamuis colluctator meus non fuisset Deus, sed Angelus; merebar tamen ob audaciam & temeritatem hanc pugnandi, uti etiam ob factam illi violentiam, ut loco benedictionis, reportarem maius damnum illo, quod recepi in latere; quia verò tempore illo, quo meritò castigandus essem, recipio benedictionem, optimè dicere possum, me iam non cum homine, neque cum Angelo; sed cum ipsomet Deo, cui proprium est parcere & misereri, luctatum esse: *meritò*, ait Caietanus, *Iacob Dominum recognouit illum, quia sibi non restitit in prœlio, imò hilari vultu dimisit, imò benedixit ei in eodem loco.*

Eodem libro Gen. cap. 33. recensetur, quòd Esau fatalis erat inimicus ipsius Iacob fratris sui, qui propterea timens illum fugit & multis annis demoratus fuit in Mesopotamiâ; cùm verò paternam deinde repeteret domum, videretque fratrem suum Esau non solùm non offensum, verùm cunctas remittentem iniurias, honore se præuenientem, & veluti regio comitatu obuiam sibi factum; *currens itaque Esau obuiam fratri suo, amplexatu est eum, stringensque collum eius, & osculans fleuit.* Gen. 33. vers. 4. obstupefactus S. Patriarcha hac super beneuolentiâ, considerauit illam non esse actionem humanam; sed diuinam, & propterea in actu isto repræsentauit sibi fratrem suum Esau transformatum, quasi iam non homo, sed Deus esset, & facie reluceret diuinâ, vnde dixit: *Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* vers. 10. Nimirum in hac actione, quâ mihi omnia condonas, facies tua assimilatur faciei Dei, quia, sicut dicit Glossa in hunc locum Gen. *peccator cùm remittit quasi alter Deus est.* Est S. Ioan. Chrys. in Gen. & hom. 18. in Matt. pulchram hanc posteris reliquit sententiam: *nihil facit hominem ita Deo similem, sicut inimicis esse placabilem.* Quandò puerum aliquem videmus Patri suo admodum similem, dicere solemus: hic puer habet naturalem faciem patris, negari non potest, quòd sit filius eius, physiognomia etenim ipsa hoc demonstrat; sic pariter Iacob conspiciens extraordinariam illam affabilitatem & beneuolentiam ab Esau inimico suo sibi exhibitam, Num. 5.

recognouit in ipso vultum aliquem supernaturalem, & effigiem quandam diuinam, dum in ipsius vultu ipsam cœlestis Patris aduertit physiognomiam, de quâ dixit Chrys. Matth. 5. v. 44. & 45. *benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.*

Huic non dissimile est, quod legitur in libro Exod. cap. 2. priusquam Moyses electus esset in Principem & Ducem Hebræorum, tam cholericus erat & vindicatiuus, vt cùm die quodam habuisset obuium sibi certum quendam Ægyptiũ, qui vnum ex Hebræis pessimè tractauerat, tantâ in illum excanduerit irâ & furore, vt eum sine morâ occiderit, & ibidem in arenâ sepeliuerit. Hunc virum adeò terribilem & vindicatiuum ablegauit Deus ad Pharaonem, vt apud eundem sollicitaret liberationem populi Israclitici, deditque ei sceptrum quoddam imperiale. Exod. 4 quo posset imperare ipsi naturæ, cœlis, elementis, producere in momento Dracones, muscas, ranas, flumina conuertere in sanguinem, deperdere frumenta terræ, occidere animalia, obtenebrare solem, aliaque patrare horrenda portenta, quæ sacra enarrat scriptura.

Num. 6. Prodigioso hoc sceptro munitus venit in Ægyptum, suumque populum à tyrannide & seruitute Pharaonis oppressum inuenit, & postquam incepit tractare negotium suæ legationis, non solùm Rex non obediuit, neque Moyses tanquam legatus Dei receptus fuit, verùm etiam tanquam mendax est seductor habitus & proclamatus fuit, ac miser populus Israeliticus maiori fuit pressus & afflictus angustiâ. Responsum deinde, quod ei datum fuit à Pharaone, non nisi superbiam sapiebat & arrogantiam, dixitque Pharao, *nescio Dom. & Israël non demittam.* Exod. 51. vers. 2. q. d. nihil æstimo, nec cognosco Deum istum, qui te misit. Moyses accepto hoc responso ne minimum quidem irascitur, neque indignatur, nec se vindicat de Pharaone; sed expectat, suffert, precatur, supplicat iterum atque iterum, variis etiam signis exhortatur, semel, bis, ter, quater, decies, neque in minimo mutat vultum suum, quasi fuisset persona quædam insensibilis, alij eum fraude & doli circumueniebant, & Moyses illis condonat, alij in eum irâ & odio excandescebant, & Moyses se humiliat, alii aliter illum offendebant, & Moyses Deum supplex rogat pro salute illorum & sui populi, &, vt paucis plura complectar, semper Moyses in bono vincebat malum, placidum semper & eundem benignum monstrabat vultum.

Iam quæro ego hîc, quis trasmutauit naturalem Moysis furorem & arrogantiam, qui primò nihil poterat sufferre, facilè offendebatur, percutiebat, occidebat ob exiguam etiam causam? cur non vtitur virgâ & sceptro suo contra Pharaonem? cur non facit rebellum hũc Regem deuorari à serpentibus, muscis, ranis, aut ferit eum fulmine de cœlo, cum tamen plenam se vindicandi potentiam habeat? respondet Clemens Alexandrinus lib. 2. strom. quod hæc mutatio non erat humana, sed cœlestis, quæ facta fui, in ipso, quando fuit creatus Deus Pharaonis. Exod. 7. vers. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* quod erat idem dicere: Moyses, te existente homine, nil mirum erat, quod humanis tuis ducebaris passionibus; sed nunc cùm sis Deus, te transformes, agasque more diuino necesse est. Deus enim est velox ad misericordiam, tardus verò ad iram, quando eras filius filiæ Pharaonis, educatus in palatiis & aulis regalibus, non mirum quòd eras homo cholericus, impetuosus, & uelox ad vindictam; at nunc cùm sis Deus, decens & conueniens omninò est, ut superinduaris cœlesti misericordiæ togâ, & cum omnibus procedas mansuetissimè: conuenit quoque, vt habeas cor quoddam diuinum, & euadas

filius

filius Dei, & Deus Pharaonis: *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* & hæc Dei formitas est proprius effectus sanctæ huius legis Christi: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.*

Num. 7. Non absimile exemplum habemus in nouâ lege, pendebat in cruce misericors Redemptor noster, plagis & vulneribus vndique confectus, & ob hæc acerbissimos sentiebat dolores: nihilominus perfidi & scelerati Iudæi ipsum blasphemabant dicentes: *Vah qui destruis templum Dei, &c.* Matth. 27. vers. 40. idem & perfidus ille latro ei improperabat dicens: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* Luc. 23. vers. 39. vnde alter latro cognitâ Christi maximâ mansuetudine & patientiâ, dolens de suis peccatis humiliter à Redemptore nostro veniam petiit & ait: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* ibid, vers. 42. Subintrat hic Theophylactus hom. 88. in Matth. & plenus stupore petit à bono illo latrone: Dic mihi, quæso, ait, ô fortunate latro, vbi est regnum, vbi sceptrum, vbi corona? annon vides ipsum cruci affixum, undique sauciatum, à capite ad plantam pedis vsque vulneratum, blasphematum & omninò despectum à gente Hebræorum? totum hoc verum est, respondere videtur bonus latro; sed dum video ipsum oblitum omnium iniuriarum, & totum accensum amore pro illis, qui non cessant illum iniurijs afficere, nec desinunt illi opprobrosam inferre mortem, rogantem ac supplicantem: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23. vers. 34. id me facit venire in notitiam eius, ex hoc cognosco ipsum esse verum Deum, ac propterea me illi vnicè cõmendo: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Audite ipsamet Theophylacti verba: *agnoscens iste bonitatem Iesu ex voce quam fecit pro crucifigentibus, Pater, dicens: dimitte eis, ad Iesum dicit, Memento mei in regno tuo.*

Iam intelligo quid dicere voluerit Apostolus Paulus 1. Cor. 4. vers. 13. illis verbis: *blasphemamur & obsecramus.* At quam ob causam Apostolus iniurias illatas homini mortali vocat blasphemias? *blasphemamur.* Blasphemia, vti optimè obseruat S. Augustinus lib. 2. de moribus Manich. cap. 12. solùm dicitur de Deo, quia habet pro obiecto bonitatem, quæ reperitur in ipso Deo, non solùm in gradu heroico sed cum infinitâ perfectione, & sic verba sprolata contra proximum nostrum benè dici possunt iniuriæ, sed non blasphemiæ; nihilominus dicit Apostolus, *blasphemamur & obsecramus.* Cur hoc? significare volebat hoc modo loquendi, quod homines remittentes iniurias suis inimicis, non vocandi sint homines, sed Dij. Et sic iniuria illis illata nuncupari potest blasphemia, quia homo in hac actione, quâ remittit offensam, assimilatur Deo: *diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Vnde concludit S. August. in Psal. 70. *qui ergò benè vult suo inimico, Deo similis est,* & S. Chrysostomus hom. 42. in Act. Apostol. *non vlcisci Deo facit æqualem.*

Sed pergamus ulteriùs. Qui non vlciscitur, sed iniurias remittit, non consequitur duntaxat similitudinem Dei; sed etiam summum honorem & gloriam inde reportat, stupendum, amabò, ad hoc propositum auscultate N. Testimonium ex sacrâ scripturâ à paucis fortassis hactenus obseruatum. Summopere die quodam indignabatur Deus populo suo, & ad demonstrandam hanc suam indignationem & iram, quam contra illum conceperat, prorupit in hanc asperam sententiam: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum:* Ierem. 15. vers. 1. quasi dicere vellet, promitto & iuro, quam verè Deus sum, tametsi Moyses & Samuel, duo hi perchari mei & fideles famuli sese prosternerent ante me, impetraturi veniam Num. 8.

pro

pro infami hoc populo; non tamen eorum precibus placaret & flecteret ad misericordiam, *Non est anima mea ad populum istum.* Non ego hîc intendo inuestigare motiuum, cur Deus sese ostenderit adeò indignabundum & iratum; verùm optatem meum ponderares, cur tantummodò Deus fecerit mẽtionem illustrium harum duarum personarum antiquæ legis, Moysis nimirum & Samuelis, & non Abrahami, Isaac & Iacob aliorumque multorum Patriarcharum & Prophetarum tempore illo celebrium? difficultas hæc mota fuit à D. Gregorio hom. 25. in Euang. & lib. 9. moral. cap. 6. *quid est, quòd Moyses & Samuel cæteris Patribus in postulatione præferuntur?* & enodans ipse dubium propositum subiungit: *nisi quòd hi duo tantummodò in cunctâ testamenti veteris serie, pro inimicis suis leguntur exorasse.* Vnus Exodi 17. lapidatus exorabat Deum pro se lapidantibus; alter regno expulsus, & rogatus ab alijs, vt Deum precaretur pro vindictâ contrà rebelles, noluit id præstare, imò pro eorum exorabat salute. *Moyses enim*, prosequitur S. Gregorius, *à populo lapidibus impetitur, & pro lapidatoribus dominum deprecatur; Samuel verò ex principatu ejicitur, & tamen non cessat pro populo orare dicens: Absit à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.* 1. Reg. 12. vers. 23. Volebat igitur dicere Deus: tam eminens, heroica ac pergrata est mihi ars illa parcendi inimicis, vt, quia duo hi antiqui Patriarchæ in hâc præ alijs excelluerunt, præ alijs etiam eosdem honorare velim: *Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum.* O verè christianam, heroicam & meritoriam actionem! Vtilem ei qui illam exequitur; & quis conspiciens remittentibus tantum deferri honorem, honoratam hanc non amplecteretur virtutem & actionem?

Num. 9. S. Ambrosius lib. de Joseph c. 1. asserit, dæmonem varijs tentasse modis innocentem & castissimum Ioseph, nunc fratrum inuidiâ Ismaelitis eundem vendentium; nunc importunis precibus impuræ istius pellicis & patronæ suæ etiam cum diuturnâ & iniustâ incarceratione. Verùm nõ tantùm eundem euasisse gloriosum & illustrem ob victoriam illam, quam de impudicâ illâ reportauit muliere, neque ad tã sublimẽ euectum fuisse honorem ob iniustam illam venditionem & incarcerationem, quàm dum suis pepercit inimicis, remisit offensam facillimè se vendicare potens.

S. Chrysostomus hom. 7. de Dauid & Saul recenset, quod Dauid ex speluncâ illâ, ubi iniuriam sibi illatam remisit Sauli, exiuerit maiori perfusus gaudio & lætitiâ, quàm cùm immensam illam molem, gigantem Goliath prostrauit in terram, & proprio illius gladio caput ei detruncauit; *Siquidem hæc illi magnificẽtior erat victoria, hoc gloriosius trophæum.* Etenim reuersus est Dauid exiens de speluncâ non secum ferens caput barbari illius inimici, sed indignatione mortificatus caput gestans irâ eneruatum; non secum contulit opulẽta spolia, vt triumpharet in augustâ vrbe Hierosolymorum, sed vt palmam reportaret in augustissimâ ciuitate cœlorum; non ei occurrebant resonantes & cantantes chori Israelitici: *Saul percussit mille, & Dauid decem millia.* 1. Reg. 18. vers. 7. Sed occinebant applaudẽtes chori angelici, admirantes Dauid mansuetudinem: *Angelicus populus è sublimi applaudebat, admirantes eius humanitatem.* Inquit citatus Doctor. Hæc gloria, hæc corona, hic honor & dignitas debetur omnibus, quotquot suis parcunt inimicis.

Hanc quoque dignitatem & honorem facto suo declarauit S. Stephanus, nam Num. 10.
commendaturus Deo spiritum suum, veluti obseruat S. August. Serm. 1. de S. Stephano. Erecto stetit corpore, postea verò exoraturus Deum pro se lapidantib. flexit reuerenter genua sua: *positis autem*

autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7. vers. 60. Sed quam ob causam, ô sanctissime Diacone, pro te ipso rogaturus stas erectus, & pro inimicis oraturus sedes genuflexus? rationem huius N. assignat venerabilis Beda in acta Ap. *quia maius & excellentius supplicandi genus existimauit pro inimicis, quàm pro seipso exorare.*

Num. 11. Mirum igitur non est, N. videre Angelos cœlo turmatim descendentes vt reuereantur & honorent hominem illum, qui ob Dei amorem ex toto corde remittit iniurias, parcit & ignoscit suis inimicis. In cuius veritatis confirmationem pulcherrimum habemus argumentum in lib. 3. Reg. cap. 17. vehementer indignabatur Elias populo, eò quòd Deum continuò suis offenderet peccatis, vnde laxat habenas suæ indignationi, & iratus valdè prorumpit in hæc verba: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto: Si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* vers. 1. Volo, Domine; ait hic Propheta, quòd cataractæ cœli occludantur, nec pluat supra terram, nisi quando mihi placuerit. Deus aduertens Eliam indignatum, vocat illum ad se, ac vt eundē placaret dicit: *recede hinc.* Abi Propheta, facilè te stomachari aduerto, ideoque aliorsum te mittam: *recede hinc, & vade contra orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanē.* v. 3. Et ne Propheta moneret difficultatem aliquā ratione victus, dixit illi Deus: *ibi de torrente bibes: coruisq; præcepi, ut pascant te ibi,* v. 4. q. d. Potus nō laborabis penuriâ, quia in vicino torrente aqua tibi aderit abundantissima, de cibis neque sis sollicitus, quia coruis mandabo, ut quotidiè tibi apportent panem. Eodem lib. cap. 19. indignabatur vicissim impia illa Iezabel Prophetæ Eliæ, indignationi adiecit minas, imò mortem Prophetæ minata est, eò quòd tanquam temerarius manus iniecisset in idoli sui sacerdotes, vnde Elias fugam capere coactus fuit, & vt venit ad locum quendam desertum, precibus instanter sollicitat Deum, ut ipsum tolleret ex hac vitâ: *petiuit animæ suæ, ut moreretur, & ait; sufficit mihi Domine: tolle animam meam.* 3 Reg. 19. vers. 4. Hac finitâ oratione cœpit obdormire. S. Hieronymus exponendo hunc scripturæ locum Eliam obdormientem summopere demiratur, ac sic alloquitur: *quid agis Elia? Elia dormis? anne potentiam Iezabelis non curas? nihil te tot Prophetarum nutu Iezabelis interfectio? nihil eius aspectus, palpabris mille milites vocare valens, mouet?* Sed ecce N. dormiente Eliâ angelus quidam de cœlo descendit ad locum, ubi dormiebat Propheta, stertentem excitat, & ad prandium inuitat: *& ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: surge & comede,* vers. 5. Toto, quæso, animo ponderemus hoc factum, inquit S. Hieronymus, & ad perpendiculum illud examinemus; dū indignatur Elias populo, præcipit illi Deus discessum, cibumque suppeditat famulantibus coruis; idem verò fugiens impiam Iezabelem cibatur ministrante Angelo. Ecquod hîc mysterium? num fortè iam auolarant corui ab illâ syluâ inhabitatum aliam? Sed cur transmittitur ei Angelus? respondet idem S. Hier. & dicit: *iam auolare cœperat obediens coruus alarum remigio aerem scindens.* Iam, iam promptissimus coruus parauerat volatum & abitum apportaturus panem Eliæ; *Sed primâ illarum motione restitit angelus persecutricis cōdonatori ab alio ministrari non ferens, quàm ab illorum vno, qui Dei ministrant.* At coruo iam alas expansuro ac panem Prophetæ allaturo extemplo adfuit Angelus panem ori eius surripiens, nec patiens, nec permittens, vt ei, qui se persequenti condonauerat, ab alio fuissent exhibita beneficia & famulitia, nisi ab ipsomet Dei famulo. Quasi coruo voluisset dicere Angelus: da huc panem istum, non enim tui muneris & officij

officij est, adferre cibum & inseruire ei, qui furori cedit & indignationi, non te concernit non vlciscenti famulari, sed Angelum & ministrum Dei; officio hoc benefungi poteras, quia id tibi demandatum erat & licitum iuxta torrentem Carith, quando nimirum hic Propheta summopere indignatus & iratus populo, illinc fuit amandatus à Deo; at modò, quia totus euasit pacificus & patienter sustinet iniurias; modò, quia cedit furori & iræ inimicorum suorum; modò, quia cœpit obdormire cùm posset prodere, imò internecioni dare hostem suũ; modò, quia sibi potiùs, quàm suæ persecutrici optauit mortem, *petiuit, animæ suæ, vt moreretur*; modò denique, quia de leone crudeli euasit mansuetissimus agnus, & factus est filius Dei, *vt sitis filij Dei*, Ego, inquit Angelus, iam volo ipsi inseruire, volo esse ipsius Symmista & architriclinus, nunc ego volo esse seruus serui & filij Dei: *iam auolare cœperat obediens coruus, alarum remigio aërem scindens, sed primâ illarum motione restitit Angelus, persecutricis condonatori ab alio minestrari non ferens, quàm ab illorum vno, qui Deo ministrant*. O sublimem dignitatem & honorem, ô singulare priuilegium hominis pacifici iniurias ex animo remittentis.

Num. 12. Hinc est N. quòd omnes sancti in paradiso debitam quandam ei exhibent reuerentiam & honorem, qui ad exemplum Christi Saluatoris nostri, ad mitationem huius crucifixi condonat inimicis suis. Aures præbete attentas huic conceptui iam dudum excogitato à S. Ioanne Euangel. in Apoc. cap. 5. vers. 6. *& vidi*, ait hic Euang. *Et ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio Seniorum, Agnum stantem tanquam occisum*. Vidit in medio quatuor animalium, videlicet: Aquilę, leonis, bouis, & hominis agnum quendam veluti mactatum. Subiungit deinde, quòd viginti quatuor reges regio cincti diademate inclinabant capita sua, incuruabant humeros, & sese ad terram vsque prosternebant. *Et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno*, vers. 8. Stupet hîc antiquus Tertullianus libr. patientiæ, & seniorum illorum demiratur cultum & adorationem, ac postquam exposuisset, hunc Agnum esse figuram Christi redemptoris nostri, quẽ tãquam Deum & hominem cuncti cœlestis curiæ Principes adorant, subiungit: *possem allegoricè dicere, significari nobis in Agno homines pacificos, qui venerantur à Sanctis viris in cœlo propter eminentiam virtutis* quasi dicere vellet Tertullianus, cultus talis exhibitus fuit Agno, eò quòd symbolum fuerit alicuius patientis & mansuetæ personæ. Vnde Isaias cap. 53. declaraturus inuictissimã Christi D. N. patientiam tempore passionis suæ meliorẽ nesciuit adducere similitudinem nisi agni: *quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*, vers. 7. Eiusmodi igitur Agnus, talis, inquam, homo, qui patienti animo suffert illatas sibi iniurias easque libenter remittit, is, inquam, dignus est, & præter alia meretur, vt honoretur, colatur & adoretur à Sanctis in cœlis existentibus: *& viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno*.

Verò igitur verius est N. remissionem iniuriarum esse actionem heroicam & omni honore dignam. Num. 13. Ast quid ait stultus & insipiens mundus: *odio habebis inimicum tuum*. Matth. 5. vers. 43. quia, scilicet, te pretiosâ priuauit gemmâ, quâ pretiosior inueniri nequit, videlicet honore. Eheu munde infamis & scelerate! num te vindicante de surripiente tibi honorem, credis esse honorem? imò remittere offensam honor summus est; maxima verò ignominia vindicta. Maxima duellantis hæc est: repugnare nimirum suo honori, si de eo non sumat vindictam, à quo recepit offensam, sic enim se pusillanimem, timidum, & socordem ostenderet.

Huic ego primo respondeo & dico, faxit Deus, vt honorem tuum, cui ac-

quirendo sedulam nauare deberes operam, tanti faceres & æstimares, manu etenim stipulatâ tibi promitto, te enormia quamplurima peccata euitaturū. Dicite mihi, quæso, qui tanti vestrum ducitis honorem: anne honorificum est, vitam traducere liberam & brutalem, vti vos facitis, sollicitando viduas, inquietando coniugatas, eripiendo honorem pudicis & castis domicellis? estne honor ille vitam agere sensualem, quasi essetis irrationalibiles bestiæ? anne honorificum est, tot tantisque annis agere concubinarium cùm infami illâ meretricè, dissipare bona, deserere & coniugem, & filios, & filias etiam cum scandalo vrbis & orbis? honorificúmne est tot tantisque illicitis modis exercere vsuram, fallere pauperem, exsugere ab illo sanguinem & sudorem? anne denique honorificum est incumbere vanitatibus mundi, ludis prohibitis, crapulæ, gulæ, mercede defraudare operarios? quomodo igitur dicitis, vestri vos esse defensores honoris veluti pretiosissimi thesauri, si illū toties pro tā vili diuendatis prætio? quoties, quoties confessarij instantissimis vos rogarunt precibus, idque propter amorem Christi Crucifixi, vt illatas remitteretis iniurias inimicis vestris & recusastis? oblato verò deinde pauxillo pecuniarum absque vllâ repulsâ ne minimam quidem suscitastis difficultatem?

Meritò hîc exclamat S. Ioannes Chrysost. hom. 19 ad populum: ergóne propter amorem Christi Crucifixi nulla fit remissio iniuriarum, & propter pecunias parcitur inimico? ergo: *coram Christianis plus valet pecunia quàm regnum Dei?*

Num. 14. Sed vt respondeam melius in formâ vestro proposito honori, quem deperdi pertimescitis reconciliandos vos cùm inimico. Dicam cum S. Chrysostomo, Deum nolle vllâ ratione, vt minimo etiā periculo vestrum exponatis honorem, imò non tantam eius vos habetis curam quantam ipse desiderat. Totam tum antiquam tum nouam ad amussim ponderate legem, tametsi comperiatis, Deum suis præcipere seruis, vt relinquant Patrem & matrem, fratres & sorores, possessiones, propriam imò vitam; nunquam tamen legetis Deum mandare, vt deserant honorem, imò persuasit semper, vt curam illius ageremus, eumque veluti pretiosissimum mundi thesaurum conseruaremus: Eccl. 41. vers. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.*

Imò audeo dicere, quòd Deus maiorem honoris vestri habeat curam, quàm vos ipsimet. Cuius vt pateat veritas, in mentem id vobis veniat, quod accidit S. Patriarchæ Abrahamo Genes. 12. cùm proficisceretur in Ægyptum, seque à populo illo occidendum suspicaretur, ab hoc periculo liberum & securum se fore arbitratus est, promulgāte Sarâ pulcherrimâ suâ coniuge: quod esset Soror sua, vnde dixit: *noui quòd pulchra sis mulier; & quòd cùm viderint te Ægyptii dicturi sunt, vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis: vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui,* Genes. cap. 12. vers. 12. & 13. ingrediente igitur Sarâ in Ægyptum, & visa hac à populo illo, defertur illicò ad Pharaonem Regem, nimirum aduentasse in vrbem peregrinam quandam mulierem eximiæ pulchritudinis; quam ob causam iussit eam Rex sibi adduci: *& sublata est mulier in domum Pharaonis*, vers. 15. nunc ex vobis N. peto, dicite, amabo, cuius maiorem habuit curam Abraham, honoris vel vitæ suæ? communis SS. Patrum sententia est, eum maiorem habuisse curam vitæ, quàm honoris sui; Siquidem ne perderet vitam, suasit vxori, vt affirmaret se esse sororem suam: *dic, obsecro te, quòd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te.* Verùm quam curam habet Deus honoris Abrahami? ait S. Scriptura: *flagellauit autem dominus Pha-*

raonem plagis maximis, & domum eius propter Saram uxorem Abraham verſ.17. Defendit Deus honorem Abrahami ac propterea caſtigauit acerrimè Pharaonem;&,vt uult Philo Hebræus lib.de Abraham, afflixit eum dolore cholico, adeò vt ferè expiraret. Vnde Rex hoc ſuper facto attonitus, vocari iuſſit Abrahamum, & vxorem illi quamprimùm reſtituit *Vocauitque Pharao Abraham, & dixit ei: quidnam eſt hoc, quod feciſti mihi? quare non indicaſti mihi, quod uxor tua eſſet? nunc ergo ecce coniunx tua, accipe eã & vade.* verſ.18.& 19. Verùm igitur eſt, & pluſquam verum; Deum vobiſmetipſis maiorem honoris veſtri habere curam. Vnde ad hoc propoſitum eleganter S. Cyprianus lib. de bono patient. *Nullus eſt, qui magis honorem ſuum curet, quàm Deus, quiq; minus permittat honori ſuo detrahi. Deus autem non tantùm cenſet eſſe contra honorem inimicis parcere, & bene facere; ſed potiùs ſupremum honorem & gloriam.*

Num.15. Ipſi etiam Ethnici ſummum cenſuerunt eſſe honorem remittere iniurias inimicis ſuis, & non vlciſci: vndè, vti legitur in hiſtorijs Romanorum, Adrianus Imperator ante ſuſceptum imperij ſui ſceptrum, infenſum ſibi habebat inimicum ciuem, cui magnum ſtatuerat inferre damnum, creatus fuit deinde ipſe in Imperatorem, inimicus intereà ſummoperè ſibi timere cœpit, & tantò magis vocatus ad Imperatorem, à quo, dum mortis exſpectat ſententiam, audit hanc vitæ: *bono eſto animo, me Imperatore euaſiſti,* q.d. Deo refer gratias, qui me creauit Imperatorem, ideo namque manus meas & laqueum effugiſti mortis: remiſſionem namque iniuriarum, eo præſertim tempore, quo ſe vleiſci poterat, exiſtimauit actionem eſſe Imperatore dignam.

Num.16. De Cæſare refert Plutarchus lib. de vtilitate capiendâ ab inimicis, quòd cùm Romam ingreſſus conſpexiſſet ſtatuam Pompeij inimici ſui planè dirutam eſſe à ciuibus illico eamdem præceperit erigi, & ornationibus depingi coloribus, ducens ſibi maiori honori & gloriæ condonare quàm triumphare; vnde eloquentiſſimus Cicero ei, Ad Poliant. *Cæſar dum Pompei ſtatuam reponit, ſuam ſtabiliuit.* Cumque audiuit Catonem Vticenſem ſibi ipſi violentas iniecisse manus, ſuique extitiſſe carnificem, ne incideret in manus illius, altùm ſuſpirans dixit: *inuidit Cato gloriæ meæ, quam ego parcendo mihi parauiſſem.*

De Theodoſio Iuniore eximiæ pietatis & religionis Imperatore legitur & refert Panormitan. de rebus geſtis Alphon. quòd cùm interrogatus, cur ſe offendentem non iuberet occidi, reſpondit: *vtinam & mihi liberet mortuos ad vitam reuocare.*

De Lycurgo recenſet Plutarchus in oppoht. quòd iuuenis quidam, cùm eruiſſet ei oculum, fuerit captus à Senatu & traditus deinde Lycurgo, vt ipſum pro ſuo placito caſtigaret. Te interrogo hic vindicatiue: quid tu ei viciſſim feciſſes? procul dubio non vnum, ſed ambos ei eruiſſes oculos, imò, vitam ipſam ſurripuiſſes. Et hic Lycurgus domi eum ſuſcepit, iram & furorem ſuum frænare docuit, ac taliter eum inſtruxit, vt de peſſimo euaſerit optimus, ſic inſtructum deinde remiſit ſenatui dicens: hanc eſſe vindictam, quam iudicaret ſumendam eſſe de ſuo inimico.

Et de Theodoſio Imperatore ſcribit S. Ambroſius in orat.de obitu Theodoſij, quòd pro ſummo ſibi reputaret fauore, quotieſcumque rogaretur, vt illatam ſibi remitteret iniuriam: *beneficium ſe putabat accepiſſe auguſtæ memoriæ Theodoſius, cùm rogaretur ignoſcere.*

Et ſi exempla hæc adducta non te moueant, moueat ad minus illud miſericordiſſimi Saluatoris tui, qui duris clauis affixus, cruci poſtulauit veniam pro ipſum offendentibus, & ait: *Pater dimitte illis* Num.17.

non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23. vers. 34. Supra quæ verba pulcherrimam habet considerationem S. Anselmus in explanat. Euang. & petit ex Christo Domino dicens *: qui sunt hi, Domine, quibus ignoscendum* ? an fortassis sunt tui discipuli, qui te in horto videntes captiuum duci, fugerunt ? non. Quia tametsi trepidarint, non tamen prorsus congelati fuerunt, nec diuini amoris ignis in eis extinctus fuit. Anne Petrus? qui post tot promissiones & iuramenta oblitus & sui & tot à te acceptorum beneficiorum tertiò negauit se esse tuum discipulum ? neque ille, nam licet ex timore te negauerit, ex amore deindè etiam doluit. Fortè cognati & amici tui ? qui te in tot tantisque constitutum angustijs & tribulationibus tuam non defenderunt innocentiam, neque opem tibi tulerunt? neque hi, quia tuam lugentes amarissimè mortem te secuti sunt vsque ad montem Caluariæ, imò ad crucem vsque. At ô fontem! ô flumen! ô mare! ô abyssum bonitatis, clementiæ, & misericordiæ inauditæ! *Pater dimitte illis. Illis* nimirum petit pientissimus Iesus ignosci à Patre æterno, qui ipsum præsentes offenderunt, & nihil, quod ei despectum causare poterat, intermiserunt. *Illis* militibus Præsidis, qui illum in horto durissimis ligarunt funibus: officialibus etiam ministris Iudæorum immisericorditer illum condemnantibus: Herodi, qui ipsum despexit: Pilato, qui eum morte iniustissimâ condemnauit. *Illis*: Sceleratis satellitibus, qui ipsum flagellis inhumaniter ceciderunt. *Illis*, qui acutissimis caput ipsius confinxerunt spinis, clauis manus, & lanceâ transfoderunt pectus. *Illis*, qui clamarunt Barabbam homicidam, latronem, seditiosum dimitti, mortem sollicitarunt filij Dei: *Illis*, illis denique petit ignosci, qui ad sitim eius explendam porrexerunt spongiam felle & aceto permixtam. O ineffabilem charitatem! ô immensum Christi amorem! ô Sed cur, ô Domine, ait Anselmus, noluisti nomine suo compellare illos, qui tibi tot intulerunt iniurias, pro quibus tunc à Patre æterno petiisti veniam? causamne exoptatis scire, ait cit. sanctus? *quia si nominare eos deberet: ignosce illis inimicis meis, crucifixoribus meis dicere deberet, sed hoc non patitur amor.* Non id passa est charitas, vt hoc verbum, inimici, profluisset ex ore eius & ideò dicit, *Pater dimitte illis.*

Et non solùm in hoc vltimo vitæ suę puncto, sed etiam toto vitæ suæ cursu ex ore eius emanarunt verba similia, quibus nomina inimicorum suorum subticuit, pro cuius veritatis probatione memento te N. indignationis illius & odij, quod conceperunt Scribæ & Pharisæi in humillimo triumpho Christi, dum ipsimet Hebræorum pueri clamabant: *ô sanna filio Dauid.* Matth. 21. vers. 9. vbi sacer textus refert, quòd finito triumpho Saluator mundi reprehendere inceperit inuidiam & rabiem illorum hisce verbis David, Psalm. 8. *Vtiq; nunquam legistis, quia ex ore enfantium & lactentium perfecisti laudem?* obstupescit S. Irenæus lib. 5. aduersus hæreses cap. 24. supra hunc modum loquendi Christi & ait: *cur propter inimicos tuos non additur?* aduertite hîc N. quòd regius Propheta in spiritu pręcognoscens humilem Christi triumphum dixit, Redemptorem nostrum ab infantibus esse laudandum, simulque subiunxit causam finalem, nimirum, id totum fieri ad confusionem inimicorum eius; verba Psalmistæ hæc sunt: *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Psalm. 8. vers. 3. improperaturus igitur Christus Scribis & Pharisæis inuidiam illorum, quam in eum conceperant in ipsius Triumpho, dum laudabatur à pueris, resumit ipsamet Prophetæ verba: *Vtiq; nunquam legistis: quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem* & reliqua subticet, & ideo quærit S. Irenæus: *cur propter inimicos tuos non additur?*

ditur? & sapientissimè respondet: *quia non inueniebatur in illo sapientiæ thesauro vocabulum istud, inimici.* Et propterea solum dixit: *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, & in cruce: *Pater ignosce illis.*

Num.18. Quapropter, ô fideles non prolongate remissionem iniuriarum, sed ad exemplum Saluatoris nostri condonate offensas, imò pro persequentibus vos orate: *diligite inimicos vestros: orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Matth. 5. vers. 44. Sic nobis salubriter consulit Apostolus ad Ephes. 4. vers. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram*; quasi diceret: ô charissimi fratres suscitatâ inter vos & inimicos vestros quâdâ inimicitiâ, odio aut rixâ, precor vos ob amorem Dei, vt non diem permittatis abire cum vesperâ, quin primò vos reconclietis: *non eam diu teneatis.* (subiungit S. Anselmus in hunc locum) *ne reseruetis eam in crastinum, sed ante Solis occasum eijcite illam de corde.* Securos enim vos facio, nunquam vos gratius Deo oblaturos esse sacrificium pro remissione scelerum vestrorum, quàm cùm ignoscitis inimicis vestris. Contestatur idipsum sacra scriptura 1. Reg. 26. nam ingrediente Dauid Speluncam, vbi dormiebat Saul, volebat hunc occidere Abisai; at non id permisit Dauid, imò conuersus ad Saul dixit: *Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium*, vers. 19. Quasi diceret, si Deus ob mea iratus scelera te vtatur veluti instrumento me persequendi, supplico ei humillimè, vt pro illius satisfactione acceptet in sacrificium hanc remissionem iniuriarum à te mihi illatarum, quam tibi modò indulgeo, qui facillimè te modò occidere possem & non facio. Ita hunc locum explicat doctissimus Liranus: *hîc patientia mea in persecutione accepta sit coram Deo, ac si offeram holocaustum ante altare tuum.* Et S. Ioannes Chrys. hom. 2. de Dauid & Saul discurrens similiter de hoc facto Dau. ait: *in speluncâ obtulit sacrificium, non quidem mactato vitulo aut occiso agno; sed quod his erat honorificentius, mansuetudinem & humanitatem offerens Deo.*

Placet tantopere Deo hoc remissionis iniuriarum sacrificiũ, vt si tu sacrificaturus Deo, recordareris fortuitò cuiusdam rancoris & odij in proximum tuum, velit omninò, ut sacrificium illud relinquas imperfectum, & pacem ineas priùs cum fratre tuo, & posteà venias oblatum sacrificium, & grato illud animo tunc acceptabit: *Si offers munus tum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*, Matth. 5. v. 23. & 24. hic modò S. Chrysostomus hom. 12 in hunc locum non se cohibere potest, quin exclamet: *O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit. Interrumpatur (inquit) cultus meus vt tua charitas integretur.* Quasi diceret, contentus est Deus remanere sine sacrificio sibi debito, dummodo homo reconcilietur proximo suo, quia vt idem S. Doctor dicit in personâ Christi hom. 16. in Matth. *Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio* Num.19.

Et ob hanc rationem N. præcepit Deus Deut. 27. v. 5. vt in exstructione Altaris nullo modo adhiberetur ferrum: *ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Quodnam hîc latet mysterium? dicit Origenes hom. 12. in Iosue, ecquam exhibebit aspectui repræsentationem in sacro templo eiusmodi altare ex lapidibus rudibus & sine artificio aut ferro elaboratis compositum? respondet præfatus Pater, & ait, per petram aut lapidem illum, quem non tetigit ferrum, indicari Christianum, qui non est vsus gladio ad sumendam de suis inimicis vindictam, sed vixit semper pacificè & mansuetè tanquam verus Christi imitator, hic, inquam Num.20.

Chri-

Christianus est lapis destinatus pro altari Dei. *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit.* Nimirum vt exponit Origenes: *qui ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium nunquam recepit, sed semper pacificus fuit, semper quietus & mitis, & Christi humilitati conformatus.* Quòd si igitur, ô Christiane, exoptes tibi Deum mansuetum, pium, & misericordem, tibi remittentem peccata & iniurias ei illatas, necesse est, offeras ei hoc gratum sacrificium remissionis iniuriarum: Secus scias velim, portas cœlestis Paradisi tibi oranti & morienti fore occludendas: *fores cœli,* inquit S. Augustin. Sermon. 122. de temp. 1. *clausæ sunt ei, qui non dimittit: ad Deum non ingredietur eius oratio, nec à Deo illi bona venient,*

Num. 21. S. Iacobus Apostolus formidabilem in vindicatiuos promulgat sententiam dicens: *iudicium sine misericordiâ illi, qui non fecerit misericordiam:* Iac 2. vers. 13. & hanc sententiam multoties contra seipsos vindicatiui ferunt, cùm dicunt: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* Matth. cap. 6. vers. 12. ad quod dictum alludēs S. Chrysostomus hom. 38. in Ioannem dicit: *tu legem scribis de veniâ & pœnâ, tu in tui causâ fers sententiam: dimitte nobis sicut dimittimus. Vide, quid dicis, ne contra te ensem vt insanus & furens stringas.* Et quo iure nos petere possemus remissionem & veniam peccatorum nostrorum, si illam nostris denegamus proximis? & quâ fronte possemus dicere: *dimisi, Domine, dimitte, ignoui, ignosce.* Veluti dicebat S. Chrysostomus.

Num. 22. Si hæ rationes, ô vindicatiue, cor tuum necdum tetigerint ac penetrarint, vt inimico tuo ignoscas; audi hanc aliam ex D. Chrysostomo ho. 12. in Gen. de promptam, quæ si te non mouerit, diffido de tuâ salute: *In quacumque creaturâ,* ait ille, *si scrutari volueris, inuenies immensam opificis potentiam,* & quod suâ voluntate gubernat omnia. Et illius sanctus hic Doctor adducit exemplum ex lib. Danielis cap. 13. de tribus illis adolescentibus, qui quidem iussu impii Nabuchodonosoris Regis in ardentem proiecti fuere fornacem à flammis voracibus absorbendi, sed illæ si nihilominus & incolumes euaserunt: *Postquàm imperauit Dominus,* ait cit. Doctor, *corpora tenera & incorruptibilia ignis non tetigit, sed illæsos pueros seruauit in medio camino.* q. d. Vt Deus præcepit igni, ne minimùm læderet innocentes illos pueros, exemplò ignis diuino obtemperans mādato natiuam suam deposuit sæuitiam & feritatem; non illos inflammauit, sed restaurauit; non consummauit sed conseruauit, terribile & ferox illud incendium factum est aura suauiter spirans, ignis suum ardorem mutauit in rorem, flammæ voraces parturierunt zephyrum suauem. Iam igitur ignis non audet comburere innocentes illos pueros, sed ad præceptum Dei reprimit innatam sibi nocendi potentiam; quomodo igitur tu, ô homo, mentis & rationis compos resistere audes iussui & præcepto diuino; tibi mandat & præcipit Deus, vt parcas & ignoscas inimico tuo, & tu non supprimes nec suffocabis internum hunc odij & rancoris ignem? prosequitur S. Chrysost. discursum suum: *imitemur,* inquit, *tantam ratione carentium elementorum obedientiam, nos qui ratione insigniti sumus. Ignis tantam vrendi vim habet & suam operationem non ostendit; homo autem mansuetum animal, & rationale & benignum, contraria suæ naturæ facit, & negligentiâ suâ mores suos in ferinos vertit.* q. d. possibiléne est, quòd cùm ignis sit ex suâ naturâ actiuus & vorax, nullam ad mandatum diuinum exerceat actiuitatem, comburat & deuoret, *homo autem* cùm sit rationalis, pejor ipsis bestijs exerceat odium & iram? Et propterea regius Propheta considerans hominem ob desiderium vindictæ factum irrationabi-

lem

lem meritò vocat iumentum: *comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Psalm. 48. vers. 13. estne possibile, quòd homo creatus ad imaginem Dei à propria obcœcatus passione & rancore rationis perdiderit vsum, & non obediat diuino præcepto, quod dicit: *diligite inimicos vestros.*

Omnino persuade tibi, ô vindicatiue, futurum tandem tempus illud, dum eris in agone constitutus, quo compellêris remittere iniuriam inimico tuo ne de te verificetur de morte pessimâ obijsse; vnde quia hæc erit actio coactè facta, dicta communiter à Theologis *inuoluntarium mixtum*, nescio sanè, an erit sufficiens saluti tuæ. Quare cum D. August. lib. de vera & falsa pœnit. dico: *nec laudo, nec vitupero.* Habe igitur rationem salutis animæ tuæ opportuno tempore, cura eandem ad securum portum deducere condonando lubenti & prompto animo tuis inimicis & nisi id feceris, ex hoc rancore & odio tuo veluti ex euidenti signo non aliud augurabor, nisi æternam tuam damnationem.

Num fortè oblitus es seueri illius iudicij, Matth. 18. quod executus est magnus ille Rex cum seruo suo ingrato huic Rex dimiserat omne debitum, & ille alteri suo conseruo dimittere noluit, imò vt ait scriptura, tenens suffocabat eum, vers. 28. vnde Rex totus indignatus dixit ei: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* vers. 33. *non legimus* (ait hic Hieronymus) *sic atrociter locutum fuisse Saluatorem, quàm vbi nō dimittentem debitum redarguit* q. d. totam vt examinaui Christi vitam, nullum legi tam asperis tam acerbis verbis fuisse à Christo reprehensum, quantum ille, qui noluit conseruo suo misereri, & demittere debitum. Illi, qui venit ad conuiuium destitutus veste nuptiali, dixit Matth. 22 vers. 12. *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Sceleratum Iudam qui ipsummet tradidit filium Dei, nuncupauit amicum, Matth. 26. vers. 50. *amice, ad quid venisti?* Epuloni diuiti ad supplicium æternum condemnato non alium quàm filii attribuit titulum, Lucæ 16. vers. 25. *Fili recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ.* Solùm tibi (audi duellator, audi vindicatiue & diaboli satelles) tibi soli, vtpotè peiori ipso proditore Iudâ & damnatis inferni, soli tibi, inquam, improperat: *Serue nequam:* & quod magis spectandum, ait S. Hieronymus, minatur tibi, Patrem æternum in extremo iudicij die eodem modo tecum acturum, si non ignoscas ex toto corde tuo inimico. Matth. 18. vers. 35. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Timeat iniuriarum vltor* (concludit S. Hieronymus) *futurum vltorem, & si vindinctam capit à fratre, timeat impendentem vindictam quam capiet ab illo, qui dixit: mihi vindictam, & ego retribuam,* ad Rom. 12. vers. 19.

Quid dicturus es, ô vindicatiue, in extremo iudicij die? implorare Dei misericordiam nihil tibi proderit. Omnium approbabitur sententiâ, te, qui remittere noluisti in vitâ tuâ, modò nullâ prorsus dignum esse veniâ. Fortè recurres ad Diuam Virginem tāquam ad Matrem misericordiæ dicturus ei: *Ora pro nobis peccatoribus?* at sicut tu indignatus tuo proximo noluisti ei condonare, ita illa tecum indignabunda procedet, imò improperabit tibi & dicet: tu impie & scelerate, quâ ratione audes me exorare, quę Christum dilectum meum filium pendentem in cruce & extremos patientem cruciatus vidi veniam postulare pro suis crucifixoribus, idque ad tuum exemplū, & tu spreto omni consilio & bono exemplo nonnisi vindictam spirasti? meritò igitur & ego modò tecum agam, & non exaudiam. Adhuc non moueris, ô Christiane, ad remittendas offensas & iniu-

iniurias? adhuc desideras expectare finem vitæ tuæ, quæ te tuo reconciles inimico? at caue, ne frustra expectes, & iusto Dei iudicio æternis adiudiceris flammis. Quapropter modò te resoluas necesse est, inseruias tempori reconciliationis quòd nunc est, & posteà fortassis denegabitur, ad exemplum Redemptoris tui parce, ignosce, condona te persequenti; sic te securum facio, tandem aliquando te à supremo Iudice obtenturum veniam, promitto cœlesti dignum fore gloriâ, dignum honore Angelorum & reuerentiâ Sanctorum, per infinita sæcula sæculorum.

Ambitio.

DISCVRSVS V.

Quàm graue malum sit & peccatum ambire dignitates & honores mundanos. Vbi & agitur de frequentibus ac ferè ineuitabilibus periculorum scopulis, in quos ambitiosi impingere solent.

Num. 1. Mellifluus Doctor S. Bernardus serm. 6. in Psalm. *qui habitat.* Sancto ductus zelo ambitionis vtpote appetitus inordinati dignitatum, honorumque mundanorum declaraturus damna & nocumenta, quæ secum apportat, describit eam in hunc modum: *Ambitio mater hypocrisis, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, virtutum ærugo, tinea Sanctitatis, Vitiorumq; origo.* Stulti planè & vecordes sunt, quotquot dignitates & mundanos ambiunt honores, dum enim in hisce veluti in lecto cōmodo & quieto requiescere arbitrantur, nōnisi maximis & laboribus comperient se esse aggrauatos: *O ambitio ambientium Crux!* exclamat idem Bernardus lib. 3. de considerat. ad Eugenium, *quomodo omnes torques, omnibus places? nihil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales crebrius negotijs eius.*

Nihil veritati magis consonum N. quàm quòd dignitas & honor, tametsi oculis obcœcati & fatui mundi repræsentatur veluti res quædam vtilis & iucunda, nihilominus sit (vt ita dicam) quoddam tucetum *ein Pastet* compositum, conditum & pistum ex meris curis, laboribus miserijs & angustijs, adeò, vt apprimè huic proposito quadret commune illud adagium: *non omne quod relucet instar auri, aurum est.* In cuius veritatis probationem pensiculatè considero & obseruo in sacris literis quatuor illas statuas præfigurantes ex mente Theodoreti Orat. 3. in Danielem, dignitates mundanas. Prima est quam fabricarunt & adorarunt Hebræi in deserto, & hæc fuit vitulus ille conflatus ex auro; Secunda statua est, quam construxerunt sibi Samaritani, quæ pariter erat formata ex auro; 3. Statua fuit Babyloniorum, & hæc quoque aurea erat. Quarta denique fuit repræsentata Regi Nabuchodonosori in somno Dan. 2. & hæc non solùm erat composita ex auro, sed etiam ex alijs confecta erat metallis, argento, ære, ferro & luto. Significationem harum Statuarum pulchrè exponit Theodoretus & dicit: Omnes quatuor esse verum symbolum mundanarum dignitatum, & propterea tres priores conflatas fuisse ex puro auro, ope & artificio hominum; hi

hi enim falsò credunt, totum, quod relucet in dignitatibus, esse aurum. Quarta verò Statua, quia formata fuit solo artificio supremi Artificis Dei, non solùm composita fuit ex auro, verum etiam argento, cupro, ferro & luto, vt nobis significaret, non totum id, quod in honore & dignitate mundanâ resplendet, esse aurum; sed simul in illis reperiri lutum & ferrum miseriarum & curarum, quæ ordinariè sequuntur prælaturas & dignitates mundanas.

Num. 2. Optatisne N. huius rei experientiam & exemplum cuiusdam hominis qui ad summam euectus dignitatem cognouit hanc veritatem? ecce Regem Antigonum. De quo referunt Plutarchus in Apopht. & Valerius Maximus lib. 7. cap 2. quòd cùm regali decoratus purpurâ & sceptro ac plurimorum Principum aliorumque illustrium virorum stipatus catervâ triumphali per ciuitatem veheretur curru obuiam repererit mulierem, hisce ei verbis applaudentem & congratulantem: O te fœlicem! Antigone, ô te verè beatum! qui ad tam prosperam & sublimem euectus es dignitatem. Ad applausum huiusmodi mulieris substitit nonnihil Rex, & postquam eam admirabundus contuitus fuisset, vultu pallescente ac voce dolente eam affatus est hisce formalibus: *O mulier, si scires, quot mala contegat hoc frustum panni, illud è terrâ nequaquam tolleres.* Innuere volebat hic sapiens Rex, non omnia in dignitate resplendentia esse aurum.

Deferunt Principes Coronam in Capite, auro gemmisq; intextam; sed quam opinamini esse veram coronam principis? auscultate Apostolum ad Philip. c. 4. vers. 1. *Gaudium meum Corona mea.* Quòd si igitur subditi sunt Corona Principis, & Corona imponitur capiti, deferuntur igitur & ponuntur subditi suprà caput Principis: *O Corona speciosa magis quàm pretiosa*, clamat Ioannes Gerson lib. 1. parte 3. *plus expauescenda quàm appetenda, quis tuum pondus ferre potuit, quoniam tot homines ponis super caput tuum? mirum si non illud oppresserit.*

Verùm vt ab hisce transitum faciamus, ad maiores miserias, quibus ambitiosi subiacent, dico: ambire honorem & dignitatem, idem planè esse ac optare deperditionem quietis & interni gaudij. Ad hoc propositum gratiosam quandam audite parabolam ex libr. Iudicum ca. 9. Conuenerunt die quodam omnes arbores pro electione Regis imperaturi omnibus & singulis, & communi omnium consensu concluserunt in Regem eligendam esse Oliuam, vnde accedentes eam dixerunt: O Oliua pari te consensu elegimus in superiorem & Regem, id igitur munus in te æquo animo suscipe: *ierunt ligna, vt vngerent super se Regem: dixeruntque Oliuæ, impera nobis.* Iud. 9. v. 8 Quid arbitramini oliuam respondisse? recusatâ hac dignitate excusauit sese hisce verbis: *nunquid possum deserere pinguedinem meam, quâ & Dij vtuntur & homines: & venire vt inter ligna promouear?* vers. 9. Ab oliua transierunt ad ficum: *dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni & super nos regnum accipe:* vers. 10. Respondit hæc: *nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq; suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear?* vers. 11. Videntes reliquæ arbores, quòd nec olina nec ficus ambiat hoc imperium, perrexerunt ad vitem: *locutaq; sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis.* vers. 12. Respondit eis vitis: *nunquid possum deserere vinum meũ, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoueri?* vers. 13. Demum inuitarunt Rhamnum arborum inutilem & infructuosam: *dixeruntq; ligna ad Rhamnum, veni & impera super nos,* vers. 14. Quæ respondit eis: *si me verè Regem constituitis, venite, & sub vmbrâ meâ requiescite,* vers. 15. Per omnes arbores, quæ noluerunt acceptare imperium, intelligit Liranus in hunc locum homines iustos, qui virtutum suarum pinguedinem,

Num. 3.

contemplationisdulcedinem,suaues,qui exinde percipiuntur fructus, ae vinum spiritualis & internæ lætitiæ deferere recusant; per Rhamum verò arborem illam infructuosam & inutilem intelligit ambitiosos, qui summo anhelant desiderio ad dignitates & lubenti animo regimen suscipiunt, nec curant curas, labores,angustias dignitatibus,officijs,prælaturis annexas. Euidens illius testimonium ferent Rectores & Gubernatores Rerumpublicarum,ciuitatum,&c. Quot enim illorum reperiuntur qui somnum capere nequeunt? quot coangustantur animi passionibus? quot dolores,angustias patiuntur? quot agitantur curis & suspicionibus falsis? & hinc mirum non est, quòd iam suscepti occasione officij deperdiderunt gaudium, dulcedinem ac quietem vitæ & pacis,quâ primitus fruebantur.

Damocles aulicus Dionysij Tyranni Syracusarum,deprædicabat,vt refert Cicero in Tuscul. statum regis sui fœlicem & beatum; sed voluit ei Dionysius intimare, quantum à veritate aberraret, vndè inuitauit eundem ad prandium lautissimis cibis instructum. Assidens ergo mensæ amicus ille eleuat oculos, & è tenui filio videt pendentem gladium ceruici suæ imminentem,cuius timore correptus nihil cibi potusve deinceps gustare potuit. Cui tunc Rex dicebat: talem prorsus iudica esse Magnatum vitā, plurimi illorum subduntur imperio,non desunt ipsis opes & diuitiæ,habent denique omnia quæ desiderant,sed permixta timori, curis, suspicionibus, pluribusque alijs miserijs, quibus continuò cruciantur.

Redemptori nostro commonstrauit vice quadam Diabolus omnia totius mundi regna eiusque pompam. Matt.4. At non ostendit ei mundanas tribulationes & anxietates. Si diabolus diceret: regna,dignitates, honores, comites sortiuntur suspiciones,sollicitudines,curas, timoris, contentiones, odia, rebelliones, proditiones & toxicationes; non iam mendacij sed veritatis assertor diceret verum; at quis tam insipiens & vecors tunc acceptaret illa? Quot Imperatores gentiles valedixerunt coronis, sceptris, ac regnis integris & humilibus contenti tugurijs agriculturam præposuêrunt Imperio? annon recordamini, quod quondam Antigonus Rex Macedoniæ dixit filio suo apud Plutarch. in Apopht. *an ignoras regnum nostrum esse præclaram seruitutem*? Rex enim totius communitatis seruus est, obligatus ad exercendam iustitiam,ad conseruandam pacem,ad procurandam rerum abundantiam, puniendos rebelles, præmio afficiendos bonos, & ad tot tantosque alios subeundos labores, vt quasi fabulosus Atlas cogatur humeris suis deferre totum regni sui pondus & onus. Vnde appositè Moralis Seneca epist. 22. *Maximo imperio maxima cura inest.*

Insignem ecce experientiam istius in Moyse, Num. cap. 11. qui de custode armentorum factus Princeps & Dux celeberrimi ac numerosissimi populi, & de tugurio euectus ad imperium optimè nobis indicare poterit, vter duorum illorum statuum magis illi placuerit: & ecce eleuatus ad regimen tot molestis circumdatus curis & laboribus, à tot anxijs & sollicitis oppressus fuit cogitationibus ipsum nocte dieque inquietantibus, vt conquestus & protestatus fuerit coram Deo, impar humeris suis impositum esse onus, ideoque dixit: *cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te,& cur imposuisti pondus uniuersi populi huius super me?* vers. 11. & meritò lamentatus est, quia, vt ait D. Gregorius libr. 17. moral. cap 15. regimen pondus est admodum graue & molestum: *homo quippe in sublimibus eleuatus, tantos super se sustinet, quantos suppositos regit.*

Hisce adiungite dictis, honores & di- Num.5.
gnitates

gnitates mundanas esse vanas & fugaces. In confirmationem huius occurrit mihi factum illud memoratu dignum, quod de Apostolis refert S. Euang. Marc. c. 9. qui in viâ discurrentes inuestigabant, quis illorum esset maior: *Si quidem in viâ inter se disputauerant, quis eorum maior esset.* vers. 34. Quem locum exponens D. Hier. inquit: quæ erat necessitas tractandi de primatu inter eundem & ambulandum? annon eiusmodi negotium determinari poterat stando aut sedendo? & appositè respondet cit Doctor dicens: discipulos Christi iustè & meritò disputasse in viâ inter ambulandum de dignitatibus & honoribus, hi namque planè similes sunt locis, quos pertransibant: *rectè in viâ tractabant de principatu; similis enim est hæc tractatio loco.* Et eleganter hunc discursum prosequitur D. Hieron. *Principatus enim sicut ingreditur sic deseritur, & quamdiu tenetur, labitur, & incertum est, in qua mansione, id est, in qua die finiatur.* Quasi diceret: Sicut locus, quem pertransimus, à nobis deseritur, firmusque stare videtur & fugere, nec, vbi locorum permanendum est, persæpè nobis constat. Ita dignitates & honores mundanos vix adepti sumus, & subitò deficere incipiunt, dum à nobis possidentur, abscurrunt; nec scitur quantum durabunt aut quo tempore, quo loco & die terminabuntur.

Num. 6. Auscultate modò, quid de honoribus senserit patientissimus Iob, cap. 30. sic loquitur de quodam ad pompam & dignitatem mundanam euecto: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.* vers. 22. Dicere nimirum volebat: exaltasti me, ô Domine, supra ventorum altitudinem; sed quid? summâ cum verecundiâ confestim decidi in terram. Subintrat hic S. Gregorius Papa lib. 20. moral. cap. 29. & ait: non mirare desuper, ô Christiane, quòd pompa & dignitas mundana fœlicem adeò sortiantur exitum, in illâ namque nulla prorsus conspicitur stabilitas, firmitudo nulla, quippe ruinosis est innixa fulcris, arenoso insistit fundamento. *Quia præsentis vitæ gloria*, ait ille sanctus, *quasi in alto cernitur, sed nullâ stabilitate solidatur.*

Ad explicandam hanc veritatem peroptimè nobis inseruit serenissimus Rex Dauid Psal. 36. dùm honorum mundanorum possessores comparat fumo, qui vti explanat S. Gregorius, quò altius ascendit in aërem, extollitur & dilatatur, eò celeriùs consumitur & euanescit: *deficientes quemadmodum fumus deficient.* In quem locum eleganter discurrit S. Gregorius: *fumus ascendendo deficiet, & sese dilatando euanescit; sic videlicet fit, cum peccatoris vitam præsens fœlicitas comitatur, quia vnde ostenditur, vt altus sit, corde agitur vt non sit.* Idque pulchrè confirmat Philo Hebræus lib. quod Deus sit immut. hisce verbis: *nihil est in humanis rebus & negotijs, præter vmbram auramque leuissimam sine morâ præteruolantem.*

Hanc quoque veritatem indicare voluit Ecclesiastes cap. 1. vers. 12. cùm dixit: *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Ierusalem.* Hic est vobis N. scire exoptarem, quisnam Regi Salomoni surripuerit regnum? cui consignatum fuit sceptrum eius? quis illum destituit coronâ? annon erat ille, qui regnabat, imperabatque in Ierusalem? annon adimperabant ac debita exhibebant obsequia ciues omnes? omninò. Cur igitur ait Ecclesiastes *fui Rex Israel in Ierusalem.* Respondet egregiè Hugo Cardinalis hom. 5. non sine magno mysterio id asseruisse sapientissimum Salomonem, eò quòd magnificentia & dignitas mundana sit instabilis & transitoria: *Rex fui, iam non sum, sic labitur humanus status, sic fluunt vniuersæ res hominum, vt verius de vnaquaque re possit affirmari, quod fuerit, quàm quòd sit.* Num. 7.

In testem voco hîc Imperatorem Augustum, de quo scribit Suetonius in vitis Cæsarum, quòd, postquàm summâ

cum pace & tranquillitate quinquaginta annorum spatio & vltra rexisset Romanum Imperium, post longam & fœlicissimè transactam vitam, ab hâc conuictus veritate, nimirum honores & pompas mundanas esse vanas & fallaces, appellauit mundum fabulam, seipsum personatum & interlocutorum vanę cuiusdam & ridiculosæ comœdiæ. Et vt cunctis innotesceret, quòd ab hac de mundo concepta opinione etiam moriẽs non declinaret, refert Suetonius historicus, eundem iam, iam exhalaturum animam, ab amicis alijsque principibus circumstantibus discedendi veniam & licentiam ijsdem petijsse verbis, quibus eam à Comœdiæ spectatoribus expetere solent Comici, nimirum in hæc moriens prorupit verba: *ego quidem in hac mundi fabulâ satis commodè personam meam egi, valete ergo & plaudite.*

Et Dionysius Cassianus in vit. Ad. celebris cuiusdam Romani Senatoris, Similis nomine, sepulchrum se vidisse scribit, cui sequens appositũ erat Epitaphiũ: *Similus hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, tamen septem dumtaxat annis vixit.* Sed quomodò credibile est, quòd ille longævâ adeò transactâ vitâ septem annis solummodò se vixisse dicat? respondet Dionysius Cassianus quòd Similus varijs negotijs & curis Reip. primò intentus, non sibi, sed alijs vixerit; Sed postmodum ab hisce sese negotijs sequestrãs, villam quandam petierit, vbi septem annis habitauit in continuâ quiete & tranquillitate, & ideo in his tantummodo septem annis totam vitam suam consistere dixit.

De Adriano Sexto summo Pontifice refert Platina in vitâ Pontificum, quòd Sepulchro suo hoc incidi fecerit Epitaphium: *Adrianus Sextus hic situs est, qui nihil sibi infœlicius in vitâ, quàm quod imperaret, duxit.* Et Leo vndecimus horâ mortis suæ dixit Confessario suo: *quàm melius fuisset mihi, si monasterij, quàm cœli clauem tenuissem.*

Hisce addatur, quod, qui ambit hono- Num. 8.
res & dignitates, idem agat, ac si propriam exponeret vitam euidenti periculo, imò morti ipsi, offerente sese occasione. Veritati huius attentas prebete aures. Genes. cap. 6. vocauit vice quâdam Deus Patriarcham Noë, dixitque ei: *vnum è sẽcretis meis confidenter tibi cõmunicabo: scias igitur velim, me omnino resolutum esse vniuersali diluuio totum penitus destruere orbem, idque ob pessimorum illorum commissa scelera, quibus ad indignationem me indies prouocant: quapropter construe tibi arcam, quâ te tuamque salues familiam: fac tibi arcam de lignis læuigatis*, vers. 14. diuinæ huic resolutioni ne minimum respondit verbum bonus ille Noë; sed opus sibi impositum extemplò cœpit exstruere, vt se suosque tempore determinato conseruare posset: *fecit igitur Noë*, dicit scriptura, *omnia quæ præceperat illi Deus*. Genesis 6. vers. 22. Sic quoque Exod. 32. vocauit Dominus Deus seruum Moysen, dixitque ei: *scias uelim, Moyses, me rebellem & inobedientem populum tuum puniturum & deperditurum: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Exod. 32. vers. 10. auditâ hac diuinâ resolutione, quid Moysen fecisse opinamini N. 2. non siluit, velut Patriarcha Noë, sed subito prostratus in terram precibus & lachrymis instantissimè supplicauit Deo, vt dignaretur illis condonare, vel illum tollere de libro vitæ: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, ibid. v. 32. nunc peto ego N. vnde prouenit, quòd pro totali mundi interitu non exoret Deum Patriarcha Noë, & pro populi destructione instanter supplicet Moyses? ambo erant amici Deo charissimi, ambo proximorum suorum desiderabant salutem, vtrique promissa fuit salus, præseruatio, imò benedictio & augmentum posterorum: *crescere eum faciam in gentem magnam*, Genes. 17. vers. 20. Doctor quidam

quidam modernus respondet, id non aliundè prouenisse, nisi quia Noë erat persona priuata absque onere subditorum, ac propterea particulari carebat obligatione exorandi Deum pro populo; Moyses verò quia erat superior & Dux generalis populi Israelitici, ratione huius officij, quod sibi incumbebat, obstrictus & obligatus erat defendere suos subditos, & causa horum millies vitam suam exposuisset periculo, & ideò toto cordis affectu precatur Deum, quatenùs vel eis remitteret offensam, vel ipsum deleret è libro: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si nō facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Qui igitur ad exponendam propriam vitam pro subditorum suorum defensione non se agnoscit aptum, non ambiat dignitates, prælaturas & officia. Vt enim inquit S. Chrysostomus in Psalm. 114. officium proprium Rectoris & superioris est habere curam populi sibi commissi, & exigente necessitate illius amore exponere propriam vitam: Ecce verba sancti Chrysostomi: *hoc maximè ostendit Principem, quod scilicet suorum curam gerat, eis prouideat ac prospiciat, & ideò Christus Pastor bonus, non dixit: honoratur, sed animam ponit pro ouibus suis.*

Num. 9. Verùm parum esset, si ambitioso iam ad dignitates & honores sublimato propria solummodò esset exponenda vita pro subditorum suorum salute, si non adesset quoque periculum perdendi animam; etenim strictissimam insuper reddere debet rationem de grege sibi commisso, vndè Moyses, vt aduertit populum Israeliticum adorasse vitulum aureum Exodi 32. grauiter reprehendit Aaron tanquàm superiorem & summum sacerdotem, qui & illius debebat reddere rationem: *ipsi enim*, ait Apost. ad Hebr. 13. vers. 17. *paruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* O grauem obligationem N. quam dum vice quadam attentiùs considerabat sanctus Chrysostomus hom. 34. in epist. ad Hebr. summoperè demirabatur ambientes prælaturas & sceptra: *audiant ij, qui regunt & gerunt Magistratus, quantum est periculum omnium quos regunt, mulierum, virorum, & puerorum reddenda est ratio.* Et concludit deindè hac tremendâ sententiâ: *miror an fieri possit, ut aliquis ex rectoribus fiat saluus.* Et mellifluus Bernardus in Decl. loquens de ambitiosis hoc posteris reliquit scriptum: *Caueant ij, qui primas cathedras amant, ne cōtingat carere secundis, & qui primos nunc accubitus eligunt incipiant cum rubore tenere locū nouissimum.* Pulcherrimus locus scripturæ in veritatis huius probationem est, quem adduxit regius Propheta Psal. 72. vbi discurrens de collocatis in dignitatum honorumque gradibus dixit ad Deum: *deiecisti eos, dum alleuarentur.* vers. 18. quasi vellet dicere: tu, ô Domine, hosce ambitiosos eodem temporis momento quo ad honores euehuntur, fecisti cadere in terram, vt exinde intelligeremus, ait S. Gregor. lib. 1. Reg. epist. 5. eandem ipsam exaltationem & ascensum esse simul ruinam & casum ambientium, & omnes, quotquot humanam quærunt captare laudem & gloriam mundanis innitentem dignitatibus, meritò deinde defraudari & priuari æternâ dignitate & honore in cœlis: *eleuatio ipsa ruina est, quia dum gloriâ falsâ subnixi sunt, à gloriâ verâ euacuantur.*

Celebrium sanctorum exempla in probationem huius adducere & dicere possem, quod si dignitates terrenæ non scaterent periculis, nec subiectæ essent præcipitijs, S. Ioannes Chrysostomus teste Metaphraste in eius vitâ, non fugisset ad syluas, ne illas acceptaret. Cæsarius, vti scribit S. Cyprianus de ipso, non se abscondisset, & quasi viuum sepeliisset in quodam sepulchro; tametsi, Deo ita ordinante, fuerit inuentus, & contra ipsius voluntatem creatus Episcopus Arelatensis. Nec Malachias, teste S. Bernardo, refutasset Archiepiscopatum sibi obla- Num. 10.

oblatum, & nisi sub pœnâ grauissimâ sibi fuisset mandatum à summo Pontifice, nunquam accepisset illum. Nec denique S. Andreas Corsinus rutilans illud Carmelitarum iubar latitasset in Carthusiâ vrbi Florentinæ vicinâ, vti testatur Surius in eius vitâ, ne acceptaret Episcopatum Fesulanum, licet manifestante ita bienni puero seu Angelo, fuerit coactus suscipere illum.

O ambitionem maledictam! quid non mortalia pectora cogis! ô sæcula corrupta! ô tempora nostra infœlicia! dum videmus Christianos Christi sanguine emptos, ambitione & regnandi desiderio adeò stimulari, vt nullius curent perniciem & perditionem, dummodo ipsi regnent & desideratum obtineant honorem, proximos potiùs in vltimam præcipitarent ruinam, priusquam etiam minimum de honore & reputatione suâ deperdi finerent.

Num. 11. Ita legimus de Ionâ Prophetâ lib. Ionæ cap. 4. quem cùm Deus misisset in ciuitatem Niniuem, vt ei annunciaret pœnam diuinam infra quadraginta dies infligendam, ait S. Scriptura: *Afflictus est Ionas afflictione magnâ & iratus est.* vers. 1. Sed quâ de causâ tristatus est Ionas ob hoc præceptum diuinum & indignatus est? ipsemet subiungit causam: *Scio enim, quia tu es Deus clemens.* vers. 2. *& nunc Domine, tolle quæso animam meam à me quia melior est mihi mors, quàm vita,* vers. 3. Quasi vellet dicere, certum est & negare nequeo, ô Domine, te esse misericordem, & benignum, & tametsi ego prædicauero ciuitatem Niniuen intra quatuordecim dies fore destruendam, nihilominus tu non solùm non destrues illam; Verùm etiam cœlesti eam insuper fauore & gratiâ ditabis. Sicque totus mundus me veluti mendacem & falsum habebit Prophetam. Ergóne sic meâ destituar reputatione? absit hoc, vitam potiùs mihi surripe, malò potiùs obire mortem, quàm vt patiar hanc mihi inferri ignominiam, ac periclitari finam honorem & reputationem meam: *& nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita.* Ita verba hæc interpretatur Theodoretus discurrens hoc modò in personâ Prophetæ Ionæ: *vitâ defungi malo, quàm cum ignominiâ viuere, vereor autem, ne mendax habear.* Sed adsis paulisper, ô Propheta Iona, potuisset dicere Deus, annon vides & consideras, quòd me vlciscente & non remittente vrbi offensam, tota illa peribit? & tu, ô Domine, replicare poterat Propheta, annon aduertis, quod te non vlciscente; sed condonante, periclitabitur honor & reputatio mea, & veluti mendax ab omnibus æstimabor? *vitâ defungi malò quàm cum ignominiâ viuere: veror autem ne mendax habear.* Deus præseruet vos N. à Principibus & Prælatis ambitiosis & honoris auidis; nam priusquam minimum de honore & existimatione suâ, in quâ sunt apud homines, deperde fineret, integras ciuitates & regna in extremam potiùs deturbarent perniciem.

Profectò N. ad tales hodiernâ die sumus reducti terminos vt ambitiosus, cùm agitur de dominio & imperio, ne vllum etiam proprijs consanguineis & amicis deferret respectum. En huius probationem. Genes. cap. 3. legitur, quòd, postquam Deus nostris inhibuisset Protoparentibus, ne comederent de fructibus arboris vitæ, humani generis hostis varijs mirisque modis conatus fuerit Euam inducere ad esū fructus illius, sed maxima, quâ serpens infernalis vsus fuit, ad id ei persuadendum, fuit, illam nimirum euehendam ad deitatem ipsam: *eritis sicut Dij scientes bonum & malum, vers.* 5. Subintrat hic Moyses Barcefas antiquissimus ecclesiæ Pater tomo 2. lib. de parad. c. 1. & dicit: quia iam Diabolus loquebatur Euæ, eique persuadere volebat, vt ederet de pomo vetito, potiùs ei dicere debebat: *eris sicut Dea,* cur igitur ait: *eritis sicut* Num. 12.

Dij?

Dij? respondet hic Doctor, dæmonem optimè nouisse, quantum valeat & possit in corde humano ambitio & imperandi desiderium, & ideò, si Euæ soli persuasisset, quòd comedendo fructum euasura esset Dea, subricuisset illa, nec quicquam suo reuelasset sponso; sed sola ipsa tacens manducasset, non alium præter seipsam admissura mundi Deum, adeoq; dæmon non habuisset suũ intentum, quod desiderabat. Pergit vlteriùs idem Moyses Barcefas, & quærit: cùm iam dæmon vtrique suaserat esum pomi illius, cur Eua tenens manu pomum, non exhibuit id primitus gustandum marito suo, cùm id exigeret honor mariti, & ratio ciuilitatis? causam illius scire desideratis? ait hic Pater, quia ipsa sola prætendebat Deitatem, sola ipsa volebat esse Dea, adeoque sicut Adam erat ipsâ superior quoad naturam humanam, quia ante illã creatus fuit, ita illa esset Adamo superior quoad Diuinitatem, & vt consequenter Adam ipsius esset subiectus imperio & dominio. Accipite ipsamet Barcefæ verba verè gratiosa: *cur prius non vocauit Adamum, vt ipse prior ederet? nimirum transformari prior ipsa cupiebat, & diuinitate praire, sicut ipse humanitate præcesserat, vt imperium obtineret.* Vero igitur verius est, quòd ambitiosus ne proprijs quidem pareat cognatis & amicis.

Num. 13. S. Hilarius sup. capite 20. Matth mirabili suo acumine confirmat hunc meũ conceptum. Refert namque S. Euangel. Matth. cap. cit. Matrem filiorum Zebedæi accessisse die quodam ad Christum, & ab eo petijsse, vt vnus filiorum esset admissus ad dexteram & alius ad finistrã in regno suo: *dic, vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo: vers.* 21. Edic paulisper, ô bona mulier, ait hic S. Hilarius, vtrum horum duorum petis? desiderásne vt sedeat ad dexteram Iacobus vel Ioannes? noluit mentem suam declarare prudens illa mulier; peroptimè enim nouerat, quidnam hodierno die valeat ac possit in mundo ambitio; vnde si dexteram petijsset pro Iacobo, & sinistram pro Ioanne, statim inter eos orta fuisset discordia & contentio; dixisset namque Ioannes mihi conuenit sedere ad dexteram, & Iacobus, id replicasset, mihi tanquam seniori de iure debetur. Et ideò sapiens fuit hæc mulier in petendo: *dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram in regno tuo.* q. d. Tu, O Domine, loca distribue, dexteram ei assigna, cui te iudice & arbitro id magis expedire videtur, non enim à veritate alienum est, maledictam ambitionem dominandi & imperandi alijs nullum ferre respectum intimis etiam cognatis & amicis.

Demum Auditores, date mihi hominẽ quendam ambientem honores & dignitates, & proclamabo illum omnium sceleratissimum, pessimũ, ac vitiorum omnium sentinam. Conformem huic proposito audite considerationem quandam S. Augustini serm. 29. ad frat. in eremo. Num. 14. In vltimâ cœnâ dixit benedictus Christus suis discipulis, ab vno discipulorum suorum se esse tradendum: *vnus vestrûm me traditurus est.* Matth. 26. vers. 21. Audientes hoc Apostoli vnus alterum interrogare cœpit, quis illorum esset maior: *facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Lucæ. 22. vers. 24. acutissimè notat hîc S. Augustinus, contentionem hanc non fuisse ortam ex eo, quòd fortassis prætenderent dignitatem aut successionem illam, cùm tanto tempore in Scholâ Christi edocti didicerint humilitatem: *discite à me quia mitis sum & humilis corde* Matth. 11. vers. 29. Verisimile igitur non est, quòd fuerint tali subiecti imperfectioni, & ambiuerint dignitates, officia & prælaturas. Quare intentum illorum hoc fuit, quod, quia pientissimus Redemptor noster eis dixerat, ab vno illorum se esse

esse prodendum, nec determinauerat quis ille esset, curiositare moti scire illum optarint, quis nefandum adeò crimen committere præsumeret, quia ex præmissâ hac poterant elicere hanc consequentiam & inferre, talem etiam esse proditorem Magistri & Redemptoris nostri; nam qui ambit honores & dignitates, proditor est, & omnium scelerum receptaculum; *Sed quare hoc?* inquit S. Augustinus, *nisi quia arbitrati sunt vt homines; ille qui maior est, vt dominari possit, Magistrum prodere procurat.* Nescit igitur quid petat, qui ambit honores & dignitates, & idem illis, quod filijs Zebedæi dixit Christus, dici potest: O ambitiosi *nescitis quid petatis*, Matth. 20, vers. 22.

Dicite mihi, amabo N. annon insipientem & vecordem iudicaretis illum, qui venenosum arriperet serpẽtem, eumque poneret & foueret in sinu suo? omninò. Ecquid aliud est dignitas & officium illud, quod ambit homo ambitiosus, quàm venenosus quidam serpens. Probationi huius & memoriæ vestræ inseruiat, quod legitur Exodi 4. electurus Deus Moysen iudicem populi sui, præcepit ei, vt virgam suam prodigiosam projiceret in terram, obediuit Propheta, & ecce, ô rem miram & stupendam! confestim illa conuersa est in serpentem venenosum, vnde denuò præcepit illi Deus, vt caudâ eam arriperet, & sic ad pristinum redijt statum virgæ. Quod ideò factum scitote, vt cognosceremus, dignitatem in seipsâ consideratam esse venenosum quendam serpentem, ac propterea quicunque ambit dignitatem aliquam, finem illius sedulò considerare debet, quàm graue onus secum ferat, & quò rigorosissimum quis teneatur desuper Deo reddere rationem. Et si id ad amussim ponderaretur, securus sum & certus, plurimos non tantâ anhelare auiditate ad officia & Prælaturas, sed fugere ea cane peius angue. Tale nobis suppeditat consilium S. Ioannes Chrysostomus hom. 46. in Gen. dum ait: *ne ambitionem sectemur, nihil enim periculosius, id quod rerum experientiâ satis didicimus.*

Veritatem hanc suo nos docuit exemplo Christus Saluator noster Ioannis 6. qui, cùm satiasset turbam quinque panibus & duobus piscibus, animaduertens, quòd ipsum ex debito gratitudinis eligere vellent in Regem, fugit in montem, vti refert S. Euang. *Iesus ergo cùm cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem: fugit iterum in montem ipse solus.* vers. 15. Vt nos doceret, ait Carthusianus in hunc locum, fugere dignitates & honores mundanos: *vt doceat nos honores prælationesque fugere.* cùm non sint veri honores vti foris apparent, sed tribulationes, anxietates, curæ & animi inquietudines, quæ infœlices reddunt ambitiosos.

Causam percipio modò N. cur Christus in cruce pendens, & titulo Regis se honorari conspiciens à Præside Pilato, veluti scribit S. Ioannes Euangel. cap. 19. vers. 19. *Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Inclinauerit caput suum, nam quia non potuit illum tollere manibus, nec fugere, manus quippe & pedes cruci habebat affixos; inclinatione saltem capitis, quod adhuc liberum erat, demonstrauit se illum fugere. Ita S. Bernardus Serm. 3. p. att. 2. c. 1. *inclinato capite,* inquit ille, *videbatur titulum crucis fugere*, vt hinc disceretis fugere honores mundanos. Num. 15.

Quapropter si veros perpetuosque ambitis honores, bonis eos operibus appetere satagite in regno cœlorum, vbi cum SS. Angelis æternâ fruemini beatitudine. Ad hoc vos sedulò exhortatur S. Gregorius lib. 7. epist. 126. hisce verbis: *Si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite, si gloriam dignitatum diligitis, in illâ supernâ Angelorum curiâ adscribi festinate:* quam vobis concedat Deus qui viuit in sæcula.

Angelus

DISCVRSVS VI.

De protectione & custodiâ Angelorum Sanctorum, deque obligatione ac debito, quo homines quorum gerunt curam, erga illos devinciuntur.

Num. 1. GEnesis cap. 28. paternam fugiebat domum S. Patriarcha Iacob tremens ac timens persecutionem fratris sui Esau, & postquam diuturnum peregisset iter, cernens adesse noctem, lassus de viâ & viribus totus exhaustus, nesciens etiam quo in loco pernoctãdum sibi esset, procubuit in terram & suppositis capiti aliquot lapidibus obdormiuit; at vix clauserat oculos corporis, aperuit oculos mentis, viditque Scalam adeo sublimen & altam, vt cacumine suo attingeret cœlos; adeo mirabilem, vt illi Deum innixum videret; adeo pulchram, vt Angelis referta esset ascendẽtibus & descendentibus: *Viditq; in somnis Scalam stantem super terram, & cacumen illius taugens cœlum; Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum Scalæ:* Gen. 28. v. 12. Rationem hîc curiosè inquirunt sancti Patres, cur Deus tam extraordinariâ & admirandâ visione voluit gratificari Iacob? & omnes vnanimiter consentiunt, id factum esse, ad ipsum consolandum. Peregrinus erat hic S. Patriarcha, patrios iam deseruerat lares, & Deus illi ostendit cœlum, quasi diceret: nullam tibi pariat molestiam aut tædium hæc tua peregrinatio, nam Patria tua cœlum est. Nihil cures deserere parentes & cognatos, nam me habebis in Patrem. Persequebatur insuper S. Patriarcham frater eius Esau, & Deus ostendit illi plurimos Angelos, quasi diceret; non cadas animo, nec timeas ob persecutionem alterius; Angelos namque habebis in tui defensionem & custodiam. S. Bernardus in Psalm. *qui habitat, &c.* ait per S. hunc Patriarcham Iacob repræsentari & significari hominem adhuc viuentem, ipse enim verè peregrinus est, iuxta illud Apost 2. Corinth. 5. vers. 6. *dum sumus in corpore peregrinamur à Domino,* Et quilibet fugit ac fugere debet varias insidias persequentium inimicorum; visione illâ voluit Deus declarare excellentiam hominis Christiani, qui graui contemplationis somno deditus videt & contemplatur Scalam, cui innititur Deus, ad demonstrandum quòd omnium hominum gerat curam, videtque Angelos ascendentes & descendentes, nimirum quòd particulariter nos regat, & gubernet ope & ministerio suorum Angelorum: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Psalm. 90. v. 11.*

Et hoc imprimis negari nequit N. quemlibet hominem siue fidelem, siue infidelem (excepto Christo Domino) habuisse & etiamnum habere Angelum custodem. Quæ protectio incipit à primâ natiuitatis nostræ horâ; nam secundum S. Ambrosium in lib. Machab. in materno adhuc constituti vtero custodimur ab Angelo, qui curam habet matris, ne ei aduersitatis quidquam accidat, vnde meritò exclamat S. Hieronymus lib. 3. commemor. in Matth. cap. 18 *magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodia sui Angelum deputatum.* Quasi diceret; ecce ô homo, quanta est dignitas animæ tuæ, & quanti te Deus æstimat, vt à principio natiuitatis tuæ tibi assignauerit Angelum cœle- Num. 2.

stem in tui defensionem, Angelum, inquam, tantæ excellentiæ & maiestatis, vt S. Ioannes Apoc. 19. tametsi cum Christo Domino familiariter conuersari consueuerit, nihilominus ad aspectum vnius Angeli se prostrauerit in terram, & eum adorare voluerit, tanta dignitas emicabat in vultu illo angelico: hunc tamen Angelum tantâ dignum reuerentiâ tibi, ô homo, tradidit Deus custodem & defensorem corporis & animæ tuæ. Dicam maiora cum S. Paulo, tibi datus est tanquam minister: *omnes sunt administratorij spiritus, &c.* Hinc & S. Bernardus explicans verba illa Psalm. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, &c.* Occasionem accipit exclamandi: *mira dignitas, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandauit?* quasi vellet dicere: quis immensum amorem Dei in hominem non admiraretur, dum nobilissima creatura inseruit homini de terrâ & luto formato, fidelissimus Dei amicus custodit inimicum, potentissimus defensor custodit debilem naturam & creaturam.

Num. 3. Et quidem sancti Angeli tanto desiderio & amore custodire nos exoptant, vt quia nato iam homini assignandus est Angelus custos, vti ait S. Vincentius serm. de S. Mich. currant ocyssimè ad homines recenter natos custodiendos & protegendos, idque magno sibi ducunt honori, & Deo de eiusmodi officio immensas referunt grates hisce verbis: *Domine reputo mihi ad magnam gloriam & honorem, quòd committis mihi creaturam ad imaginem & similitudinem tuam factam, tuo sanguine redemptam.* Et S. Bernardus serm. 7. in Cant. dicit: *demorari apud nos non grauantur.* Et propter amorem sui creatoris ad nos viles & debiles descendunt creaturas.

Tãto etiam perfunduntur gaudio Angeli Dei nos miseros peccatores custodientes, vt ne quidem vnico momento nobis abesse possint, nec instans temporis præterlabi sinant, quin causam nostram agant coram tribunali diuino, laborentque pro nobis in omnibus necessitatibus & miserijs vitæ nostræ. Adite S. Augustinum lib. soliloq. cap. 26. *magnâ curâ & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, & locis, sunt currentes & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te, Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, vt impetrem facilè tuæ benignitatis propitiationem, & referunt ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem.*

Custodiunt nos itaque in viâ prosperitatis, ne euadamus arrogantes & superbi; in viâ aduersitatis, ne desperemus; in viâ diuitiarum ne simus auari; in viâ paupertatis, ne simus impatientes; in peccato vt quamprimum id deseramus; ante peccatum, ne committamus illud; post peccatum, vt euitemus illud, & ne in idem reincidamus. Demum custodiunt in principio, medio & fine vitæ nostræ, & post mortem, vt vel descendentes in purgatorium nos consolentur, vel ascendentes in Paradisum nos comitentur. Et hæc continua custodia significatur nobis per illos Seraphinos à Propheta Isaia cap. 6. in spiritu visos, qui duabus alis cooperiebant faciem Dei, duabus volabant, & alijs duabus velabant pedes eius, quia, vt ait Dionysius Areopag. lib. 6. de cœlesti Hierarch. mouent alas custodiæ suæ in fauorem & obsequium nostrum, in principio, medio & termino vitæ nostræ. Num. 4.

Ast quoties nos eripiunt è periculis vitæ huius? pulcherrima Iudith fragilis, inermis & debilis illa mulier castra ingreditur armatorum hostium & animo heroico & generoso occidit Holofernem, se suamque patriam è manibus illorum liberat. O Deum immortalem? vnde tanta fortitudo & potentia huic mulieri? quis contulit ei tantam audaciam? Angelus custos, qui ex officio suo nos liberat à periculis. Ipsamet loquatur:

tur: quis te, ô prudentissima, mulier eripuit è manibus inimicorum tuorum? quis te ab eorum lasciuâ & impudicâ voluntate conseruauit illæsam & intactam? *Custodiuit me Angelus eius hinc euntem & ibi commorantem, & inde reuertentem.* Iudith cap. 13. vers. 20.

Num. 5. Sed quid? an forsan illubenter hoc officio & curâ perfungi opinamini Angelos Dei? audite quantâ currant velocitate in nostrum auxilium. Dan. cap. 9. captiuus tenebatur Propheta Daniel in Babylonia, & dum animo recogitaret calamitatem populi sui, humiles ad Deum fudit preces, quatenus dignaretur populum istum à tot tantisque liberare afflictionibus: *adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini.* Non sufficiebat dicere, quod venerit volans, *sed citò volans.* Ad ostendendum magnum illud desiderium, quo succurrebat Danieli Prophetæ.

Et eò libentiùs occupantur in defensione & custodiâ hominum, quo vident Deum descendisse de cœlis & carnem assumpsisse humanam, vt hominem in peccatum lapsum ad cœlū reuocaret & extolleret. Exspatiatur quandoque Magnus quidam Princeps per plateas Baronum & Satraparum suorum stiparus comitatu, & casu pauperem quendam in viâ offendit infirmum & languidum, cuius motus compassione equo descendit, vt ei succurrat; nullus iam dubitat reliquos Barones & Satrapas videntes Principis huius humilitatem & misericordiam, & ipsos quoque equo descendere ac ocyus accurrere, vt misero huic opem ferant & auxilium. Lapsus est homo in peccatum, descendit de suo regali throno ipsemet Deus, vt illum subleuaret: *qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*, cantat Ecclesia. Angeli, quia viderunt Deum & principem suum ad hominem subleuandum humiliatū, crucifixum & mortuum, verbis explicari nequit, quantâ & ipsi diligentiâ succurrant iam misero homini, & eò magis, cùm videant, quòd Deus vehementer sitiat ipsius salutem, & pro eâ tot lachrymas, tot sudores, & pretiosissimum suum effuderit sanguinem, imò vitam ipsam exposuerit. Vndè Origenes hom. 10. in Lucam, auream hanc reliquit sententiam: *Post Christum natum efficaciùs Angeli nos custodiunt.*

Hinc etiam prouenit, quod, cùm quis- Num. 6.
piam labitur in peccatum, nunquam illum deserat Angelus custos: discedit nunnunquam, ait S. Basilius hom. 10. in Psalm. 37. verum est, si quid indignum patramus eius præsentiâ; non tamen curam nostri deserit tametsi videat nos non dare locum sanctis illius inspirationibus, tametsi aduertat nos datos in reprobum sensum, & celeri cursu properare ad malum, cumque non potest nos inducere ad bonum, ad minus nos retrahit ab aliquo saltem malo. Et quis immensum hunc fauorem & gratiam non admirabitur? nullam etenim reperiemus vnquam personam, quæ totaliter & ab omnibus sit derelicta; Sanitas deperditur, fateor, diuitiæ etiam euanescunt, ab amicis proprijs persæpè prodimur, fortitudo diminuitur, in fumum abeunt honores, terminatur & vita nostra. Quid plura? Deus ipsemet tametsi noster amantissimus Pater, dum mortale committimus peccatum, discedit à nobis & fugit, à solo Angelo custode nostro nunquam deserimur, solus ille nobiscum manet vsque ad vltimum spiritum: *Ecce ego,* dicebat Deus, Exodi 23. vers. 20. & 21. *mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris.* O fidelem amicum & comitem singularem.

Quid dicam de efficaciâ orationum Angelicarum? dicat pro me S. Iob. qui per-

peroptimè id intellexit: *appropinquauit* ait ille cap. 33. verf. 22.23 & 24. *corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis*. Sed quid? *si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, vt annũciet homini æquitatem, miserebitur eius. & dicet libera eum, vt non descendat in corruptionem.* Si Angelus, inquit hic Propheta, vnum solummodò dicat verbulum, statim obtinebit salutem. *Si fuerit loquens*, legit S. Gregorius, *eloquens*. Et optimè, Angeli enim mille rationes & argumenta adinuenire norunt, quibus Deum flectant ad misericordiam nobis exhibendam. O prudentem & eloquentem aduocatum!

Num.8 Adhæc tam ardenter Angelus custos diligit hominem suæ custodiæ & curæ demandatum, vt, dum conspicit Deum ob peccata illius indignatum, praxim & modum excogitet, quo illum eripiat ab ira diuinâ: euidentem rei huius probationem videre poterimus Genes. cap. 8 amandauerat Deus vice quadam tres Angelos ad destruendas & puniendas quinque illas ciuitates Sodomæ & Gomorrhæ. Cumque hi tres cœlestes Parinymphi ædes subintrassent Patriarchæ Abraham, ab illo honorificè suscepti dicũt ei: O Abraham communicabimus tibi secretum quoddam magni momẽti, nimirum accessimus huc ex mandato Dei, vt destruamus Sodomam & Gomorrham. Iam peto ergo quid cõmodi vtilitatisve inde reportare poterant hi Legati cœlici quòd Abrahamo suam manifestarent commissionem? causam scire exoptas? ait Reu. Cardinalis Caietanus, *vt Abrahæ daretur occasio deprecandi*, nimirum pro Sodomitis & Gomorrhæis tametsi sceleratis, impijs, infamibus, & veniâ indignis ob enormia illorum scelera ab illis patrata, vt hinc cognosceremus magnum illum amorem, quem sancti Angeli custodes erga nos demonstrant, liberando nos omni suo conatu ab ira Dei & pœnis nobis imminentibus.

Confirmatur hæc veritas alio quodam facto desumpto ex eodem lib. Genes. c. 6. videns Deus totum mundum immersum peccatis, indignatus se resoluit & eundem submergere diluuio; quapropter præcepit Noë, vt fabricaret arcam quandam, quâ se suamque liberaret familiam: *fac tibi arcam de lignis læuigatis*, *vers.* 14. Quòd præceptum Dei sine morâ executus est Noë. Nunc quæro, quis illa omnis speciei animalia introduxit in arcam? respondet Abulensis in hunc locum, hoc officio & munere perfunctos fuisse Angelos. Iam notate N. quòd successit posteà. Sacer refert textus, quòd introductis omnibus animalibus secundùm speciem suam in arcam, *inclusit eam Dominus deforis, Genesis. 7. vers.* 16. Deus clausit arcam, tulitque secum claues illius. Et quî hoc? annon ijdem Angeli hoc officio Ostiarij fungi poterant, qui tantâ diligentiâ & fidelitate introduxerant omnis speciei animalia? cur igitur Deus ipsemet clausit ostium arcæ, & id non commisit Angelis? respondet quidam modernus Doctor commentans in hunc locum, Deum peroptimè nouisse, quòd Angeli plurimũ sint affecti hominibus, nec videre aut sufferre possint, cùm homines aliquid patiuntur, & moriuntur; vnde si aduertissent, quòd aquæ diluuij altissimos ascenderent Armeniæ montes, ducti compassione miserorum hominum vitâ periclitantium illicò aperuissent ostium arcæ, & quilibet Angelus custos hominem custodiæ suæ commissum intromisisset in arcam, adeoque diuina iustitia non fuisset sortita suum effectum: Dicebat igitur Deus, ad tollendum omne impedimentum inclusus remaneat arcæ Noë cum suis; at ostium ego obserabo, & nulli Angelorum illud officium confidam. Et totum id factum est, quia singulari amore Angeli sancti prosequũtur homines, nostrum bonum & commodum semper procurant, & summopere nobis compatiuntur, dum punimur & castigamur à Deo.

Num. 8. Transcendit vlteriùs custodia angelica; nam mediante illâ homo protegitur ab irâ diuinâ. Quoties, quoties tu ô peccator, fuisses punitus à Deo, si tuus Angelus custos non retraxisset ei manum, ac pro te exorasset! pulcherrimam parabolam refert S. Euang. Lucas ca. 13. de Domino & Patrono cuiusdam vineæ, quam quotidie visitans, aduertit arborem quandam fici in eâ ab ipso plantatam trium annorum spatio nullum prorsus produxisse fructum, vnde indignatus vocauit villicum suum, dixitque illi: *Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* vers. 7. Sed quid accidit N. bonus ille villicus, qui diligebat hanc arborem, prostrauit se ante pedes domini, eum instanter deprecatus est, dicens: *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam*, vers. 9. Precibus & instantiâ villici motus Dominus vineæ, confidensque illius promissioni pepercit arbori.

Num. 9. Edic paulisper, ô Christiane, quanto tempore instar sterilis, & infructuosæ arboris occupasti terram in vanum? quoties tuis peccatis, & effrænato sensualitatis appetitu Deum prouocasti ad iram & indignationem, adeò vt ampliùs te tolerare nequeat & clamat: *Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* & sic præcipit tibi vitam eripi. Sed quid facit Angelus tuus custos? benigni & misericordis agricolæ instar accedit Deum, humiliter pro te supplicat & dicit: Eia, Domine, contrahe manum, quæso, exspecta adhuc paulisper. Verum est, peccator & homo est sceleratæ vitæ; spero nihilominus eum auxilio & fauore meo breui errores suos correcturum, dicam, prædicabo, inspirabo ei consilia salubriora, vt vitam suam impiam mutet in meliorem. Peccatrix etiam Magdalena tandem errores suos agnouit & emendauit. Fortunatus insuper ille latro, qui tecum in monte Caluariæ mortuus est, perseuerauit in malo ad finem vsque vitæ suę; Sed egit pœnitentiam. Non diffido etiam ego, animam illam custodiæ meæ commendatam tandem aliquando vitam suam emendaturam, tametsi nunc mille mereatur cruciatus & tormenta. Et ecce placatur Deus, & flectitur ad misericordiam precibus Angeli, eique tempus pœnitendi benignè concedit. O quàm diligens & sedula est hæc Angeli custodia ab irâ diuinâ Christianum protegentis!

Idem hoc charitatis officium, quòd nobis exhibet Angelus custos, dilucide quoque cernitur ex secundo libro Iudicum; vbi visibiliter Angelus apparuit populo Israëlitico, fecitque ei perpulchram hanc exhortationem: ô perdilecte popule, cur ita ingratus existis, nec diuina recognoscis beneficia tibi præstita: *eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro quâ iuraui Patribus vestris, &c. Et noluistis audire vocem meam.* vers. 1. & 2. Tandem, teste sacro textu, voce adeò viuaci verbisque adeò efficacibus & ponderosis tetigit illorum corda, vt commoueret eos ad planctum & lachrymas, & locus ille deinceps nuncupatus fuit locus lachrymarum: *cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israël, eleuauerunt vocem suam, & fleuerunt. Et vocatum est nomen loci illius locus flentium, siue lachrymarum*, vers. 4. & 5. Adsis, ô peccator, dic, quæso, annon mentis tuę oculis, dùm solus nonnunquam morabaris in conclaui tuo, repræsentata fuit peccati enormitas & turpitudo, Majestas Dei offensa, periculum, quod tibi immi-nebat, horror & timor mortis, rigor diuinæ justitiæ, tempus inutiliter dissipatum, bonum quod potuisses operari, & malum quod perpetrasti? totum hoc, inquit S. Bernadus, Serm. 18. in Cant, operatus est Angelus tuus custos. Num. 10.

Nec hîc gradum sistit hæc custodia & protectio; sed progreditur vlteriùs; ab insi- Num. 11.

insidijs namque dæmonum Angeli nos quoque protegunt & defendunt. Plato lib. de Repub. tria dicebat esse necessaria ad rempublicam benè ordinatam; Primum, vt ciuitas optimè munita propugnaculis tradatur generosis militibus, qui agant excubias, custodienda; Secundùm, vt milites fortiter reprimant omnes hostiles inuasiones & assultus; Tertium, vt illi deposito omni mortis timore hostem strenuè aggrediantur, interficiant, ac palmam reportent: *fortissimis muris*, ait Plato, *circumdata ciuitas strenuis militibus custodienda tradatur, qui inimicos de longè stare compellant, & accedentes opprimant, & erit ciuitas fortitudinis.* Pulchra ciuitas N. est anima nostra, in quâ tanquam in republicâ optimè ordinatâ videmus cunctas potentias, veluti priuatos ciues, rationi subjectas tanquam suo duci & gubernatori, pulcherrimis cincta est diuinæ gratiæ muris; at post rebellionem nostri Protoparentis Adami tot sibi acquisiuit hostes infensissimos, quot sunt diaboli in inferno; quare Deus misericors & pius fortissimis eam prouidit & muniuit militibus, nimirum Angelis sanctis, vt ipsam continuò custodirent & defenderent, quemadmodum id innuit Spiritus sanctus per os Prophetæ regij Psalm. 90. *Scuto circumdabit te veritas eius*, vers. 5. Quasi diceret juxta expositionem S. Bernardi in hunc locum: Sancti Angeli adeò promptè agent excubias & vigilabunt in fauorem hominis, vt de nullo sibi sit timendum assultû nocturno & insidijs inimicorum, adeò vt, si infernalis hostis præsumeret accedere, & tentaret assultum aliquem, statim sancti Angeli strenuorum militum instar, ipsius conatum reprimerent, & de longè stare compellerent: *à sagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Ad te autem non appropinquabit*, vers. 6. & 7. colligat diabolus exercitum suum ad debellandam animam; attamen quamdiu hæc munita erit præsidio angelico, nullus eam accedere audebit: *non accedat ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*: vers. 10. Et si diabolus fortassis pugnam inire præsumeret, tam strenuè custodes Angeli dimicabunt, vt facilè victoriam sint reportaturi: *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis*, vers. 7. Confusus, delusus, & victus abibit Sathanas. Quapropter sic custodita anima erit vrbs fortitudinis, veluti dixit Isaias cap. 26. vers. 1 *Vrbs fortitudinis nostra Sion*. Scilicet anima fidelis quæ nullum formidat assultum hostilem, quia fortissimos in sui defensionem sortitur milites, qui aduersarios reprimerent, & à longè stare compellent, ac quoscunque accedentes deterrebunt: *Verè munitissima ciuitatum est anima, & urbs fortitudinis*, ait hic S. Bernardus confirmans iam dicta, *quoniam à sancto Angelo ad tutelam circumdatur, qui insultantes de longè stare compellit, & irruentes deludit.*

Huius experientia demonstrata fuit per visionem illam factam Prophetæ Eliseo, vt habetur 4. Reg. cap. 6. demorabatur Sanctus hic Propheta in Dothaim, cumque seruus Prophetæ huius summo diluculo egrederetur ciuitatem, vidit illum vndique circumdatam copiosissimo exercitu militum: *viditque exercitum in circuitu ciuitatis & equos & currus*. v. 15. Vnde summo perculsus timore & terrore sine morâ cucurrit ad Eliseum altâ exclamans voce: *Heu, Heu, Heu, Domine mi, quid faciemus?* vers. 15. quid igitur est? ait Propheta, Totus, ô Domine, exercitus Regis Syriæ hic congregatus est, vt te ducat captiuum; nec est ullo modo possible, vt effugiamus manus illorum. Esto bono animo, subiungit Eliseus, expertiores ad nos defendendos nobis adsunt milites, quàm sunt illi, à quibus circumdati & capiendi sumus: *noli timere plures enim nobiscum sunt quàm cum illis*, vers. 16. Et vt seruum suum Num. II.

hac

hac de re certificaret, sublatis in cœlum oculis dixit: *Domine aperi oculos huius, vt videat*. vers. 17. Videlicet omnipotentiam tuam diuinam. Et ecce confestim Deus aperuit oculos serui Elisei: *& aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisei*, vers. 17 S. Chrysostomus ho. 104. Nicolaus de Lira in hunc locum. Et sanctus Augustinus de mirac. S. Scripturæ cap. 2. afferunt terribilem hunc belli apparatum factum & in aëre repræsentatum fuisse ab Angelo custode S. Elisei, vt nobis indicaretur Angeli illius diligentia & cura, quâ succurrere paratus erat sancto Prophetæ.

Num. 12. Et quamuis hic sanctus custos noster omni tempore, omni momento nostræ saluti sedulò inuigilet, majori tamen & particulari diligentiâ in horâ mortis nostris succurrit necessitatibus, in quâ, dum priuamur omni auxilio humano, deserimurque & à parentibus & amicis, non deserit nos Angelus, & cum Dæmon extremam tum adhibet manum, nobisque acriter insidiatur, teste S. Ioanne Apocal. cap. 12. vers. 12. *descendit ad vos Diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Ille maiori diligentiâ & sollicitudine nos propugnat & defendit, juxta regium Prophetam Psalm. 54. vers. 19. *redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mibi*, quare? *quoniam inter multos erant mecum*, id est, vt exponit hunc locum Episc. Agellius, *quoniam multi Angeli erant mecum*. q. d. in horâ mortis meæ non timebo inimicos meos, nam Angelus custos stipatus magnâ aliorum Angelorum cateruâ feret mihi opem & auxilium. Et Psalm. 33 vers. 8 ait idem Psalmista regius: *immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos*. Legunt alij: *Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Et S. Hieron. legit: *circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum*. Vndè si fortuitò animam suæ curæ commissam videt peccatis immersam & appropinquantem ad portas mortis, lachrymabundus illi assistit, vt ostendat, quantum sibi displiceat peccatum ab animâ illâ commissum, rogat & orat intereà pro eâ, eamque ad pœnitentiam exhortatur. Quod videtur indicare Ecclesiastes c. 12. v. 5. hisce verbis: *ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in plateâ plangẽtes*. Quem locũ de Angelis exponit quidã Doctor modernus, cui expositioni, vti ipse notat, fauet etiã lectio Chaldaica, quâ sic legitur: *circũ labunt Angeli inquisitores judicij tui, vt lamentantes, qui circumeant per plateã ad scribendum judicium rationis tuæ*. Etenim sãctus Angelus tutelaris noster conspiciens animã afflictam & timore morbis angustiatam, consolatur eam, additque ei animum vt confidat in Deum, & non desperet.

Verùm si Angelus tutelaris tam ardenter desiderat nostram salutem, quis explanare poterit gaudium & jubilum eiusdem, dum nos victoriosos & triumphantes conspicit transire ad meliorem vitam? quàm lætus & hilaris assistit nostro triumpho? paupere mortuo Lazaro, refert S. Scriptura Lucæ 16. plurimos descendisse Angelos ad suscipiendam animam illius in sinu Abrahæ collocandam: *factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, vers. 22. Sed dico ego, annon sufficiebat Angelus tutelaris Lazari? ad quid tot Angeli necessarij erant, qui eum deducerent ad cœlestem gloriam? respondet os illud aureum hom. in hunc locum, tantam Angelum custodem Lazari indè hausisse lætitiam, vt alios simul Angelos inuitauerit ad sibi congratulandum & honorandum inuictum suum Athletam triumphaturum de suis inimicis; vnde singuli summo sibi ducebant honori, vt conducerent beatam illam animam in sinum Abrahæ. *Gaudet enim vnusquisque Angelorum* (inquit S. Chrysostomus) *tantum onus tangere, & libenter* Num. 13.

talibus oneribus grauantur, vt adducant homines ad regna cœlorum.

Num. 14. Cùm igitur tot tantisque cumulemur beneficijs ab Angelo nostro Tutelari, quid recompensationis loco ei referremus ne ingratitudinis incurramus notam? Sanctus ille adolescens Tobias, vti legitur Tob. cap. 12. quia Angelum itineris sui habuit comitem, qui eum è plurimis eripuerat periculis, & saluum ac incolumem reduxerat ad patrios lares, loquens Tobiæ seniori Patri suo ratione mercedis, quæ cœlesti huic comiti, quē mortalem existimabant hominem, debebatur ob beneficia præstita, dixit: *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficijs eius?* vers. 2. refert deinde Sacer textus: *& rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.* vers. 5. Sed quid respondit eis Angelus? *ego enim sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum* v. 15. Quasi diceret: ego sum Angelus Dei, nec indigeo bonis & diuitijs vestris, quapropter, si beneficia vobis præstita compensare cogitatis, aliud non opto, desidero nil aliud, nisi: *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei.* vers. 6. Ad eundem modum persuasum vobis habeatis N. cuilibet vestrûm præcipi ab Angelo tutelari: nimirum vt loco compensationis continuæ custodiæ, quam de vobis gessit à primo natiuitatis instanti, & prosequitur ad extremam vsque mortis horam, aliud non agatis, dicatis nisi: *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei.*

Ad deuotionem igitur & pietatem ergâ beatos Angelos, tanquam fideles nostros duces & defensores exercendam vos inuito, in his nostram reponamus spem & fiduciam. Quòd si id executi fuerimus, securi & liberi viuemus in hoc mundo, & in horâ mortis nostræ ab omni periculo insidijsque dæmonum nos protegent, ac tandem conducent in Paradisum, præsentantes nos Deo veluti suæ custodiæ fructus. Quemadmodum ab ipsomet Deo nobis promissum fuit Exod. 23. vers. 20. *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum, quem præparaui.* Quod concedat omnibus, qui viuit in sæcula sæculorum.

Adulterium.

DISCVRSVS VII.

Quàm enorme & graue vitium sit lasciuia, & præsertim Adulterium, quantumque displiceat Deo.

Num. I. PLVRIMÆ sunt viæ, quæ nos conducunt ad infernum; sed omnium latissima est lasciuia: *Via inferi domus eius*, ait Sr. Salomon Prouerb. 7. vers. 27. & S. Remigius in caput primum epist. ad Rom. posteris quandam reliquit sententiam, quæ meritò omnibus timorem & tremorem incutere deberet: ita loquitur: *demptis paruulis ex adultis paucâ propter hoc vitium saluantur.* Et huius reddens rationem subiungit: *nam alia vitia forinsecus sunt, hæc autem pestis connaturalis est.* Cætera vitia & peccata, videlicet superbia, ambitio, odium spatio breui temporis transeunt, non relinquunt

radices in corde;ast hoc peccatum lasciuiæ *inhæret intus*, ait Doctor Angelicus D. Thomas 3. part. quæst. 86. art. 1. inclusum manet cordi, & flammis suis adurit.

Et quantumcumque conuersio obstinati cuiusdam peccatoris sit difficilis, nihilominus difficillima est illa animę vitio sensualitatis immersæ. Experientiam huius dilucidè videre possumus in personâ regij Prophetæ Dauid, qui postquam vndecim menses, vti computat S. Chrysostomus in Psalmos, pestifero huic se dedisset vitio lasciuiæ, vbi primitus semper Deum laudabat, magnificabat; posteà oblitus totaliter Dei creatoris sui non aliam nisi bestialem duxit vitam; & carnalibus indulsit voluptatibus, è quibus emergendi vix habuit facultatem; vnde dicebat: *infixus sum in limo profundi. Psal. 68. vers. 3.* Inde factum, vt maximam Deus expertus sit difficultatem conuertendi ipsum; etenim, vbi Paulum sine morâ reduxit ad pœnitentiam, dicendo dumtaxat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor 9. vers. 4. ad conuertendum Prophetam Dauid, varijs vti debuit stratagematibus, veluti ex discursu liquet Nathan Prophetæ tot & tanta ei proponentis exempla & rationes, quibus eundem ad pœnitentiam induceret. Sileo tot & tantas inspirationes & illuminationes diuinas. Hinc est, quòd postquàm aduertisset Dauid se reductum extra miserum illum statum, in quem propria ipsum pertraxerat sensualitas, benedicēs & laudans Deum diceret: *& eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Psalm. 85. vers. 13. q. d. infinitas tibi, ô domine, refero gratias, quòd me eduxeris ex inferno, ad quem vltrò currebam inhiando carnis voluptatibus; vt hinc intelligeremus, quòd homo deditus vitio lasciuiæ non longè absit à præcipitio in imum inferni barathrum.

Num. 2. Et sanè libidinosa hæc passio carnalis concupiscentiæ verè repræsentat quendam infernum N. vnde S. August. apud Salat. in cap. 2. appellat illam ardorem insatiabilem; *æterni ignis æmulum*, qui per totam æternitatē torquet damnatos & incessanter castigat & excruciat animas illas miserabiles; nam sicut ignis inferni illum, quem semel cœpit torquere, semper deinde & sine fine torquet, cruciat, & punit, nec à pœnis illis liberari potest; ita ardor lasciuiæ, quem semel accendit, ita penetrat intimas cordis illius partes, sicque in illius radicatur corde, vt difficulter exinde eradicari valeat, & non aliter operetur, quàm ignis quidam infernalis, vndè illum incessanter torquet & excruciat.

Hinc spiritus sanctus Prou. cap. 2. loquens de peruersis illis adolescentibus, qui laqueis luxuriæ & perniciosæ mulieris amicitiæ se irretiri permittunt, ait: *omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ*, vers. 19. q. d. omnes quotquot semel subintrant meretricis domus, exeundi non inuenient viam, nec capient viam salutis æternæ. Vero verius est, quod damnati semel descendentes in infernum nunquam per diuinum decretum inde redibunt, quia iuxta Ecclesiæ dictum: *in inferno, nulla est redemptio.* Idem hos innuere intendit spiritus sanctus de domo infamis mulieris, cui incautus iuuenis se dat in prædam, & subdit animam suam: *omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Ipsa infernus quidam est, & qui semel eam accedit, impossibile quasi videtur, & magnum reputatur miraculum, si quis se ab illâ liberat. Meritò igitur dicimus cum D. August. ardorem lasciuiæ esse potentem æmulum ignis infernalis: *æterni ignis æmulum.*

Progredior & dico, difficiliorem esse conuersionem alicuius lascivi, quàm cuiuscumque alterius peccatoris, & ratio est, quia reliqua vitia & peccata semper quasi sola solent esse: exempli gratiâ, vnus erit ambitiosus, alter auarus, vel Num. 3.

 blasphe-

blasphemus aut maledicus, & sic de alijs, At lasciuum semper videbitis centum & mille peccatis immersum, maior igitur difficultas reperitur in conuersione huius, quàm aliorum.

Et ex hoc N. motum fuisse credo D. Gregor. homil 33. in Euang vt, dum sanctus Euang. Marcus testaretur de Maria Magdalena, quam per antonomasiam vocat peccatricem, septem ab eâ exiuisse dæmonia, dixerit: *quid per septem dæmonia nisi uniuersa vitia designantur?* & concludens deindè ait: *Septem ergo dæmonia Mariæ habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit.*

Num. 4. Iam recordor N. illius mulieris Samaritanæ, quæ post sermonem habitum cũ Christo Domino rediens ad ciuitatem dixit suis patriotis: *venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Ioan. 4 vers. 29. Si rectè considero omnia Saluatoris verba, non aliud eum tibi, ô mulier, dixisse comperio, nisi quòd habueris quinque maritos, & nunc vtaris familiaritate & conuersatione alicuius, qui non est maritus tuus; Sed num in hoc solum tota tuorum patratorum subsistit substantia peccatorum? an non credibile est, quòd aliquoties tuos offenderis maritos? annon interdum extitisti impatiens, vana, loquax, & murmuratix? & tamen horum nulla facta est mẽtio ab homine, cui locuta fuisti quomodo igitur dicere poteris: *dixit mihi omnia*, Verè & optimè dixit Samaritana iuxta mentem moderni cuiusdam Doctoris, quòd significato sibi peccato lasciuię asseruerit sibi omnia fuisse dicta à Christo Domino: *dixit mihi omnia* Nam alia peccata ab hoc dimanant vitio, & hoc est veluti eorum epilogus, cùm sit quasi impossibile, quòd mulier impudica non sit etiam impatiens, vana, murmuratrix, inuidiosa, &c.

Væ ergo illi, qui enormi huic lasciuiæ vitio deditus est, tantâ enim pollet virtute in corde humano, vt hominem rationalem transformet in bestiam irrationabilem. In probationem huius memoriâ recolite meretricem illam, quam vidit S. Ioann. in Apoc. suâ cap. 17. vers. 3. & 4. *Et vidi mulierem sedentem*, inquit ille, *super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem. Habens poculum aureum in manu suâ plenum abominatione & immunditiâ fornicationis eius.* Quid; amabò, significat hæc meretrix? non aliud asserunt hic communiter Doctores, nisi peccatum lasciuiæ. Sedet hæc mulier supra bestiam, quo significatur, quòd si illa non perdidisset cerebrum & intellectum, non permitteret se regi à tam enormi & sordido vitio. Quid plura? meretrix illa habebat in manu poculum aureum plenum abominatione, quod significat voluptatem & delectationem illam, quam adolescenti sensuali offert hoc vitium, qui meritò scire deberet. quòd ob momentaneam illam voluptatem reum se faciat æternę mortis Veluti asserit S. Gregorius Papa libr. mor. cap. 21. *momentaneum enim est, quod delectat; æternum autem quod cruciat.*

Hinc prouenit, quòd eiusmodi homines sensuales potiùs se traderent morti, quàm vt effrænes suas cupiditates & passiones domarent. Refert Suetonius Trãquillus in Vit. Cæsarum, quòd imperatrix Faustina à propriâ obcæcata passione, & nullo habito respectu Imperatoris mariti sui adamauerit vilem quendam digladiatorem; quod aduertentes parentes & amici, curarunt illum interfici, cumque miseri huius & infœlicis Amasij mors illicò significaretur Faustinæ, dixit pedissequis suis: *propinate mihi paulalum sanguinis.* q d. quando quidem iam orbata sum charissimo meo Amasio, nec mihi licet deinceps frui illius præsentiâ, adferte mihi illius sanguinem, quo animus meus languescens restauretur, & ardentem suffocem in me amoris flammam: *propinate mihi paululum sanguinis.* Idem Num. 5.

hoc

hoc accidet misero & infœlici peccatori lasciuiæ dedito; in extremo mortis articulo non dicet: *propinate mihi paululum sanguinis Christi pro me effusi.* Non postulabit, inquam, S Ecclesiæ Sacramenta, non attentas præbebit aures Religiosis ad pœnitentiam seriò eum adhortantibus, non conijciet oculos suos supplex in Christum crucifixum & Beatissimam Virginem; sed pluris æstimabit vnicum Amasiæ suæ intuitum, plus pendet vnicam suauem infamis illius vocem, quàm ipsummet Christi sanguinem. Ecce ad quid non reducit hominem indomita hæc animi passio.

Num. 6. Prædictis subnectendum est, maximum miraculum, quod operari potest diuina omnipotentia, esse salutem eiusdem lasciui hominis, Testimonio suo mihi assistet Apostolus Paulus ad Hebr. 11. vbi varia & diversa recensendo prodigia & facta antiquorum Patrum, quæ operati sunt mediante fide, veluti Abraham, Isaac & Iacob, &c. tandem concludit: *fide Rahab meretrix non periit cum incredulis: excipiens exploratores cum pace, vers. 31.* Quasi dixisset Apostolus secundum Theodoretum in hunc locum, non videatur vobis mirum quòd fides tot & tanta operata fuerit in Abraham, Isaac & Jacob, etenim magna & stupenda operata est in meretrice illâ, quæ mediante fide etiam salua facta est, & hoc solùm sufficere posset ad ostendendum quanta sit virtus fidei, & hoc maximum est omniū, quæ vnquam operata est fides. Vndè subiungit Apostolus: *& quid adhuc dicam?* &, quî hoc, ô sancte Apostole! num tibi deficerent verba ad extollendam hanc virtutem? annō poteras adhuc enarrare miraculum solstitij factum per Iosue, Iosue ca. 10. resuscitationem mortui filij mulieris Sereptanæ? 3. Keg. 17, conuersionem amararum aquarum in dulces Exodi 15. Scaturiginem aquarum ex durissimâ petrâ, aliaque stupenda prodigia & miracula, quæ non recensuisti? quid adhuc dicam quæris? ah inquit Apostolus, satis dixi, satis deprædicaui & laudaui hanc virtutem fidei dicendo: adeò illam fuisse prodigiosam & efficacem, vt saluauerit vnam meretricem, etenim lasciui summâ cum difficultate è luto, cui inhærent, extrahuntur. Vnde dum Propheta Oseas illorum facit mentionem, ait: *non dabunt cogitationes suas, ut reuertantur ad Deum suum,* Oseæ 5. vers. 4. quem locum explicat S. Hieron. de lasciuis, & dicere volebat Propheta: ne quidem cogitabunt agere pœnitentiam & conuerti ad Deum, cujus ratio est: *quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non inuocauerunt* vers. 4.

Affectus & propensio lasciui ad oculum patuit in personâ Herodis, cum reprehenderetur à S. Ioanne Baptista Marc. 6. vers. 18. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui* q. d. Ecce, ô Herodes, in quonam misero constitutus es statu, tui enim scandalo grauiter offendisti Deum, vbique non de alio loquuntur, discurrunt, murmurant subditi, nisi de tuâ vitâ lasciuâ, eò quòd vxorem fratris tui assumpseris in concubinam tuam, facilè hinc conjecturari poteris, quàm graue & enorme sit peccatum tuum? profuitne N. aliquantulum hæc correctio? habuitne effectum aliquem huiusmodi exhortatio? nullum prorsus, surdo cecinit S. Ioannes, & idem prorsus effecit, ac si bruto fuisset locutus; Vnde Andreas Cretensis Orat. de dec. præcurs. *& ille quidem à ratione aliena voluntariæ congressioni obrutus delicijs, neque se potuit erigere, neque aspexit ad lucem veritatis, sed mansit grauatus crapulâ libidinis.* q. d. Nolite mirari, quòd S. Ioannes Baptista nihil effecerit prædicando, concionando in Herode; sicut enim mortuus, quantumcunque ad eum clamamus, vociferamur, non resuscitatur nisi miraculo diuino; nec ebrioso, cui vinum surripuit rationis vsum, possumus loqui & suadere Num. 7.

commodo & saluti eius proficua, ita Herodi crapulâ libidinis oppresso & sepulto in lasciuiæ sepulchro frustra concionabatur S. Ioannes, in vanum prædicauit, monuitque illum, vt è misero illo, in quo jacebat statu, exsurgeret, ageret pœnitentiam, dimitteret vxorem fratris sui, surdo denique canebat. Vt hinc cognosceremus, esse rem difficilem & quasi impossibilem, vt quis ab hoc se liberet peccato.

Quid igitur mirum est N. quòd pientissimum Deum ob nullum aliud peccatum, nisi ob hoc solum nostro modo intelligendi pœnituerit creasse hominem, & ob id etiam vniuersali diluvio destruxerit mundum vitio hoc totaliter corruptum, vti refert S. Scriptura Genesis 6. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ*, vers. 5. & 6. Vt etiam benè aduertit hic S. Hieronymus, in suo testamento apud Euseb. dicens: *de nullo alio peccato legitur dixisse Deum, quòd pœnituit se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio deleuit.*

Num. 8. Et si velimus descendere ad particularia ac sermocinari de grauitate peccati Adulterij, sufficiet, quòd Thales Milesius (vt author est Laërtius) demonstrauerit hoc peccatum esse grauius & enormius falso juramento; nam suspecto sibi de Adulterio non permisit, vt innocentem se juramento expurgaret. Apud Romanos annumeratum fuit hoc vitium inter crimina læsæ majestatis. In lege ciuili L. Codicil. mat. de leg. cap. 2. determinatur, vitium hoc peius esse furto & homicidio. Vnde testator quidam, postquàm dixisset uxori, quod priuaret hæreditate fratrem illius, eò quòd vnicum filium suum interemisset: *Scis vnum fratrem tuum, vnum filium nostrum occidisse, cui ei rapinam faceret.* Subiunxit statim: *Sed & alia mihi deteriora fecit.* Quod Glossa & Baldus exponunt de adulterio. Spartani, teste Plutarcho in Lacon. existimarunt non posse reperiri hominem tantę temeritatis & peruersitatis, qui eiusmodi auderet committere peccatum, vndè nec ei præscripserunt pœnam: *crimen adulterij apud ipsos habitum est pro incredibili*: scribit Plutarchus.

Antiquissimi etiam Ethnici & gentiles summoperè abhorruerunt adulterium, undè illud tam enorme & abominandum reputarunt esse vitium, vt author est Alex. lib. 4. cap. 1. vt non nisi pœnâ mortis illud mulctarent. Ita obseruati præcepit primus Romæ fundator Romulus. Et Imperator Aurelius huius pœnæ executionem fieri curauit in quodam suorum militum, mulierem peregrinam quam hospitio susceperat, violante. Macrinus Romanorum Imperator, vti scribit Iulius Capitolinus, in tantum abhorruit hoc delictum, vt adulterorum corpora colligari, & viuis absumi flammis præceperit. Ægyptij, teste Diodoro Siculo lib. 1. cap. 6. juxta antiqua sua statuta seuerissimè adulterium flagellari præcipiebant: Adulteram verò abscisso naso declarabant deinceps semper infamem. Arabes & Parthi alięque quamplurimæ nationes, vt refert Gellius lib. 10. cap. 23. Solum naturæ lumine ductę, horribili & tremendâ adulteros condemnarunt morte. Sed quid necessarium est recurrere ad gentiles, cum dilucidè ex S. Scripturâ constet, quàm graue & horrendum sit peccatum adulterij?

Occurrit mihi modò quod legitur Num. 9.
Genesis 12. de Patriarchâ Abrahamo, qui ingressurus terram Ægypti, summoperè timebat de surripiendâ sibi vxore suâ Sarâ, eò quòd facie decora & pulchra erat, vnde vt ab hoc periculo liber euaderet, simulauit se fratrem vxoris suæ, *noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cùm viderint te Ægytij dicturi sunt, vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror*

mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui, verſ. 12. & 13. Vix intrauerat ciuitatem Abraham, & annunciatum fuit Regi Pharaoni, adeſſe mulierem miræ pulchritudinis; Conducta fuit Sara ad Pharaonem, qui cùm eius violare niteretur honorem, punitus fuit à Deo ob ſcelus tam nefandum: *flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius propter Saram vxorem Abraham,* verſ. 17. Quòd aduertens Pharao ſine morâ iuſſit vocari Abrahamum, & indignatus ei dixit: *quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti mihi, quòd vxor tua eſſet? quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam & vade,* verſ. 18. & 19. S. Chryſoſtomus homil. 32. in hunc locum ait, S. Patriarcham non alium in finem ſe ſimulaſſe & finxiſſe talem, quia peroptimè ſciebat, quòd Ægyptij Adulterium pro graui & enormi habebant pecccato, quodque cenſerent minus eſſe peccatum homicidium, adeoque ſibi eriperent vitam, quàm quod viuenti adhuc marito ſurriperent vxorem; audite ſacri Doctoris verba: *mulier intacta egreditur ſeruata caſtitate ſuâ, vt videas in homine barbaro quantum exhorruerit adulterium quamq; acriter Deus illum puniat.*

Num. 9. Similiter Geneſ. 20. idem S. Patriarcha pertranſiens Palæſtinam, ac timens, ne interficeretur propter vxorem ſuam ab incolis regionum illarum, omnibus, quotquot ab eo petebant conditionem vxoris ſuæ Saræ, reſpondit illam eſſe ſororem ſuam: *dixitq; de Sarâ vxore ſuâ, ſoror mea eſt.* verſ. 2. Vnde ducta eſt ad Abimelech ex quo tantùm indignatus fuit Deus, vt illi apparuerit in ſomno, minatuſque fuerit grauiſſimam pœnam, niſi ſine morâ reſtitueret vxorem marito ſuo: *Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: en morieris propter mulierem, quam tuliſti: habet enim virum,* verſ. 3. Et ecce confeſtim ſurgens è lecto Abimelech iubet vocari Abraham, grauiterque lamentatus fuit eò, quòd dixiſſet Saram eſſe ſororem ſuam, quodque eum propterea expoſuiſſet periculo adulterij: *quid feciſti nobis? quid peccauimus in te, quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande?* verſiculo nono q. d. quodnam fuit demeritum meum aut populi mei, quòd te coëgit ad celandum Saram eſſe vxorem tuam? vt ex hoc cognoſceremus, ait S. Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum cap. 33. quàm enorme ſcelus apud antiquos fuerit peccatum adulterij.

Ideoque patientiſſimus Iob cap. 31. proteſtatus eſt, ſemper ſe abhorruiſſe committere graue adeò peccatum, & vt magis eiuſdem exaggeraret grauitatem, prorupit in hæc verba: *Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima,* verſ. 11. Et dicere volebat, adulterium, à quo ſemper alienus extitet, non eſt ſimplex culpa, ſed grauiſſimum & exceſſiuum delictum, malitia incomparabilis, tranſcēdit terminos compaſſionis & remiſſionis, eſt abyſſus quædam abominationis: *nefas eſt & inquitas maxima.* Ac propterea dicit S. Auguſtinus lib. de adult. coniugijs, quòd in remiſſione generali, quàm fecit Deus omnibus delinquentibus in antiquâ lege, ſemper exceperit adulterium: *hoc crimen in veteri lege nullis ſacrificijs mundabatur.* Omnia peccata, quibus homines Deum in veteri lege offendebant, habebant ſuum remedium, & per ſacrificia remittebantur, vt in priſtinam peccatores redirent gratiam, excepto ſolo peccato adulterij, quod, quia ſummè Deo diſplicebat, non remittebatur per ſacrificia. Quapropter id fugiant omnes, ne re rei fiant æternæ mortis. Num. 10.

DISCVRSVS VIII.

De Gloriâ æternâ & cœlesti Beatitudine, ac de medijs, quibus eam obtinere poßumus.

Num. 1. INFINITIS ferè nominibus, titulis & Hieroglyphicis sacræ exponunt paginæ gloriam Beatorum: gaudium & fœlicitas appellata fuit à Christo D. N. *intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. vers. 23. Corona laboris & operum nostrorum à D. Paulo Apost. *reposita est mihi corona iustitia*, 2. ad Timot. 4. v. 8. Desertum iucundissimum ab ipso etiam Saluatore nostro: *dimittit nonaginta nouem in deserto.* Luc. 15. vers. 4. Appellata fuit quoque granarium, in quo conseruatur frumentum Paradisi. Matth 3. *triticum cõgregabit in horreum suum*, vers. 12. Lectus quietis nominata fuit à Regio Prophetâ: *lætabuntur in cubilibus suis.* Psalm. 149. vers. 5 terra viuentium ab eodem: *portio mea in terrâ viuentium.* Psal. 141. vers. 6. merces etiam dicta est à nostro Redemptore Matth. 5. vers. 12. *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Sic plura alia, quibus illa nũcupatur, reperiuntur nomina. Verùm vt verum fatear N. congruentori haud potest explicari titulo & nomine gloria æterna, nisi vocãdo eam Bonum. Quando Moyses magnus ille legislator & intrepidus Hebræorum Dux petijt a Deo videre gloriam eius dicens: *Ostende mihi gloriam tuam*, responsum ei fuit: *ostendam tibi omne bonum.* Exod. 33. versic. 18 & 19. Siquidem gloria Dei comprehendit in se omne bonum, tanquam quod est omnis bonitatis principium, & à quo omnis dependet fœlicitas. Et S. Petrus Apostolus vnicum dum vidit radium dumtaxat istius gloriæ, dixit: *bonum est nos hîc esse.* Matth. 17 vers. 4. bonum & summum bonum, bonum & verum bonum, bonum & incommutabile bonum, bonum quod non generat nauseam, bonum securum & certum, bonũ quo fruimur sine dolore, labore & rancore; bonum indicibile, quia ibi videtur Deus facie ad faciem in omnem æternitatem. Vnde exclamabat S. August. libr. solilоq. cap. 22. *Quàm magna & inumerabilia erunt, ô Deus, illa bona quæ præparasti diligentibus te in illâ cœlesti patriâ vbi te videbimus facie ad faciem.* Bonum denique adeò magnum, vt nec lingua Angelica id exprimere possit. Ideoque Apostolus Paulus hæc stupenda edixit verba 1. Cor. 2. vers. 9. *Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Quod confirmat S. August. lib. 22. de ciuit. Dei ca. 9. hisce verbis: *quòd præparauit Deus diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, acquiri potest, æstimari non potest,* Consonat proposito quòd D. Chrysost. libr. de rep. laps. ait: *effugit omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit illa gloria.* Nec minori cum eloquentia loquitur mellifluus Bernardus libr. de consid. ad Eugen, *Merces Sanctorum tam magna est, quòd non potest mensurari, tam copiosa, quòd non potest finiri, tam pretiosa, quòd non potest æstimari.* Tam magna est gloria in cœlis quâ gaudent beati, vt Doctor Angelicus D. Thomas 1. part. quæst. 25. art. 6 ad 4 asserat Deum non posse eã facere maiorem, & ratio huius est, quia obiectum nostræ fœlicitatis & beatitudinis

est

Num 2. eſt ipſemet Deus infinitus, immenſus, & incomprehenſibilis.

Verum non eſt mirum, quòd hominibus deficiant verba digna ad exprimendã gloriæ cœleſtis magnitudinem, cùm etiam ipſi ſpiritus Beati nequeant eandem ſufficienter explanare verbis & vocibus, teſte Regio Prophetâ Pſalm. 149. verſ. 6. dum dixit: *exultationes Dei in gutture eorum.* q. d. ad aliud non attenditur in cœlis, nil aliud moliuntur & agunt beati in Paradiſo, niſi vt nouos efformẽt concentus & laudum encomia, quibus manifeſtant cœleſtis Paradiſi gloriã, hę tamen exultationes & laudes non tranſeunt de corde ad linguam, ſed in faucibus hærent & ſubſiſtunt: *exultationes Dei in gutture eorum.* Sed cur eiuſmodi exultatio non communicatur linguæ? Reſp. Rabanus in catenâ Græcâ, quòd adeo excedat capacitatem intellectus humani maieſtas cœleſtis gloriæ, vt etiam ipſis Beatis nobis illam explicaturis deficiant voces, & verba faucibus eorum hęreant, eò quòd lingua nõ valeat eam exprimere: *hauriunt*, (inquit ille) *riuos dulcedinis de fontibus Saluatoris & haurientes ſitiunt, imò exultationes Dei in faucibus eorum.*

Idem hoc contigit ſponſæ Cant. 5. quæ expoſitura prærogatiuas, & pompam cœleſtis ſponſi cõparat ſingula membra illius ſingulis rebus creatis, & imprimis caput aſſimilat auro: *caput eius aurum optimũ*, verſ. 11 capillos palmis: *coma eius ſicut elatæ palmarum.* Oculos columbis: *oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum.* verſ. 12. Labia lilijs, *labia eius lilia*, verſ. 13. Manus tornaturæ: *manus eius tornatiles.* Ventrem ebori: *venter eius eburneus*, verſ. 14. crura duabus columnis marmoreis: *crura illius columnæ marmoreæ* verſ. 15. quando verò ſponſa vult deprædicare guttur ſponſi ſui, nulli id aſſimilat, ſed ſolùm dicit ſuauiſſimum eſſe: *guttur illius ſuauiſſimum*, verſ. 16. demiratur hunc modum loquendi ſponſæ Rupertus Abbas libr. 5. in Cant. & rationem inueſtigat, cur ſcilicet guttur non aſſimilet alicui ex rebus creatis, ſicut alia membra, cur non dicit: guttur illius dulce ſicut mel, aut alius ſimilis liquor? & reſpondet per guttur ſignificari viſionem beatificam, quâ ſponſi anima intus gaudebat, quæque tam magna eſt, vt ſuperet cunctas terrenas dulcedines, nec inter ſublunaria quidquam reperiri poteſt, cui compareter, vnde aliud non ſupereſt dicendum, niſi quòd ſit ſuauiſſima, qualis verò ſit ſuauitas, linguâ mortali nequit exprimi: *porrò guttur nulli rei ſimile, ſed tantummodò ſuauiſſimum dicit, vt per hoc recogites, ineffabilem atque inenarrabilem eſſe internam dulcedinem diuinitatis, vt meritò dictum ſit illud, quod diligentibus Deum præparauerit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.*

Audite, amabo N. aliũ quendam Scripturæ locum Pſalm. 72. examinatum etiam à D. Auguſtino, vbi regius Propheta diſſerens de gloriâ cœleſtis Paradiſi dicit hæc verba: *quid enim mihi eſt in cœlo?* verſ. 25. Petit nunc D. Auguſt. ſerm. 94. de ſanctis, quid ſignificare intendat Dauid hiſce verbis? & reſpondet, non aliud, niſi vt oſtendat, bona illa, quæ Deus ſuis præparauit electis, eſſe inexplicabilia: *quanta ſit ſupernæ ciuitatis gaudia, ea enarrare non ſufficiens clamabat, quid mihi eſt in cœlo? quaſi diceret, excedit vires meas, excedit facultatẽ eloquentiæ meæ, tranſcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celſitudo.* Quantumcumque Dauid magnus fuerit Propheta, cuius lingua, conformiter ille dixit, in declaratione diuinorum myſteriorum, & arcanorum Dei erat velox; attamen ſermocinaturus de lætitiâ, gaudio, & gloriâ, quâ perfruuntur in cœlis Beati, tam ſublimem & magnam vidit eſſe gloriam illam cœleſtem, vt ad illam declarandam ei deficerent verba, vnde factum ori ſuo impoſuit ſilentium. Num. 3.

Et in alio quodam Pſalmo idem Propheta diſcurrens de gloriâ æternâ, quam

Deus electis suis præparauit; prorupit in hæc verba: *parasti in dulcedine tuâ pauperi Deus.* Psal. 67. vers. 11. Hugo Cardinalis ponderando hunc locum obstupescit quòd S. Propheta dicat, Deum parasse pauperi; & non specificet, quidnam hoc sit, quod ei præparauit: *nec dicit quid parauerit.* Et respondet eum Apostolo, *quia nec oculos vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum.* 1. Cor. 2. vers. 9. Meritò igitur non dixit Dauid, quid Deus seruis suis parauerit in cœlo, loquendum enim ei erat de ineffabilibus bonis & gaudijs, quæ lingua humana non valet exprimere, tam magna & incomprehensibilia sunt, vnde cùm nequeat illa attingere oculus, nec auris, nec imaginatio, multò minus poterit ea explicare lingua.

Num. 4. Ioannis cap. 1. legitur de duobus discipulis S. Ioannis Baptistæ, qui desiderabant ascribi numero discipulorum Christi Redemptoris nostri; at quia primò exoptabant experiri & cognoscere vbi illi habitaret, adiuerunt ipsum inquirentes: *Rabbi, ubi habitas?* quibus respondit Saluator: *venite & videte* v. 39. Alcuinus citatus à D. Thomâ in catenâ aureâ, per locum, vbi habitat Christus, intelligit gloriam cœlestem, vndè interrogatus de loco habitationis suæ meritò non descripsit eam verbis: sed solùm dixit: *venite & videte. Quasi diceret* (exponit Alcuinus) *habitaculum meum non potest explicari sermone, opere demonstratur.* Si desideratis, ait Christus, cognoscere quænam sit domus habitationis meæ, non ea verbis describi potest, siquidem intellectus humanus eam capere non sufficit, nisi primò subintret & videat illam: *Venite & videte.*

Num. 5. Verum nihilominus est, & negari nequit, quòd umbra quędam seu species aliqua illius gloriæ interdũ manifestata fuerit plurimis sanctus, veluti Moysi Exod. 3. cui ostensa fuit in medio rubi, qui ardebat & non consumebatur. Isaiæ cap. 6. qui vidit sedentem in throno regali S. Ioanni Apocal. 21. qui sub similitudine sponsæ, vidit eam prædiuitem & adornatam pretiosis gemmis, Et S. Apostolo Paulo 2. ad Corint. 12. qui prope adeò accessit, ut Beatos in cœlo audiuerit loquentes; Sed idem illis contigit, quod legitur de Alexandro Magno, de quo scribit Plutarchus in eius vitâ, quòd cùm magnus ille orbis Imperator die quodam scriberet litteras aliquas magni momenti, & statum imperij concernentes, accessit illum familiarissimus, illius amicus Ephestion, & totum, quod scribebat Alexander, inspexit & legit. Permisit Rex vt secretum legeret, quia illi amicissimus erat; sed eodem sigillo, quo litteras, communiuit & os Ephestionis; quasi dicere voluisset: præstiti tibi hanc gratiam & fauorem, tibique veluti mihi charissimo communicaui mea secreta; verùm aduerte & cura, ut, sicut hæ literæ, ita & os tuum maneat clausum & sigillo munitum, nec vlli præsumas illa manifestare. Idem meo iudicio contigit hisce sanctis, quibus Deus dignatus fuit aliquam suæ gloriæ speciem seu umbram ostendere. Isaias vice quadam manifestare nitebatur locum, in quo viderat Deum sedentem: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum* s. Isa. 6. vers. 1. Sed Heus Isaia, ait Deus, nolo reueles mea secreta, quare misit ei Seraphinum sigillo munientem os eius, *Volauit ad me unus de Seraphim, & in manu eius calculus, & tetigit os meum.* vers. 6. & 7. Sufficit tibi, ô Isaias, quod videris quendam gloriæ radium, sed nullâ ratione volo eum manifestari aliis. Et sic reperietis, quod deinceps interrogatus de cælesti gloriâ, aliud non responderit nisi hoc: *secretum meum mihi.* Esa. 24. vers. 16. Vbi legit Paraphasis Chaldæa: *secretum præmium justorum monstratum est mihi,* q. d. Deus præstitit mihi gratiam, ostenditq; gloriam sanctis suis paratam, sed

ſed cogor tacere, quia labia mea ſunt ſigillata, & non audeo ea reuelare. S. quoque Apoſtolo Paulo, poſtquam redijt ex tertio cœlo, vbi raptus fuit ad videndam diuinam eſſentiam, vti opinantur S. Auguſt. Aymon & Angelicus Doctor in hunc locum, pariter prohibitum fuit, & ori eius appoſitum ſigillum, ne loqueretur de gloriâ cœleſti, quam viderat, vndè dixit: *habeo ſignaculum hoc.* q. d. Os meum ſigillo communitum, ac expreſsè mihi prohibitum eſt, ne vlli viuenti confidam, & manifeſtem gloriam illam quam vidi.

Sed clariſſimè hoc totum patebit in trāſfiguratione Chriſti Domini in monte Thabor Matth. 17. annon enim Apoſtolis gloriam Chriſti contemplantibus quaſi ſub obedientiæ precepto mandatum, & os eorum pariter ſigillatum fuit, ne vlli manifeſtarent gloriam, quam viderant: *nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat,* verſ. 9. nec id ſine myſterio fuit, aſſerit S. Hilarius Can. 17. in Matth. quia Apoſtoli tunc temporis non fuiſſent ſufficientes explicare minimam etiam partem illius gloriæ; at ſuſcepto ſpiritu ſancto voluit vt de illâ diſcurrent: *Silentium enim rerum geſtarum,* inquit S. Hilarius, *quas viderant, imperat, donec à mortuis reſurgeret, vt cùm eſſent à ſpiritu ſancto repleti, tunc geſtorum ſpiritualium teſtes eſſent.* Et ideò poſtquam receperunt ſpiritum ſanctum, locuti ſunt adeò liberè de illâ gloria, vt omnes remanſerint attoniti: *ſtupebant autem omnes & mirabantur dicentes.* Act. 2. verſ. 7. Quòd ſi igitur ſancti & electi Dei qui viderunt hanc gloriam, nequeant eâdem exprimere, quomodò nos illam declarare poterimus, quos fides docet?

Num. 6. Anhelabat ſummoperè glorioſus Pater D. Auguſtinus epiſt. 205. ad Cyr. de laud. Hieron. cognoſcere pompam cæleſtis gloriæ, quâ anima beata fruitur in cœlo. Quapropter ſcripſit epiſtolam quandam ad D. Hieronymum enixè cū rogans, vt mentem ſuam hâc ſuper re ſibi declararet, & ecce ſcribenti ei epiſtolam illicò apparuit ſplendor quidam cœleſtis, audiuitque vocem ſibi dicentem: Auguſtine, ego ſum Hieronymus frater tuus, qui iam, iam in Bethlehem ex hac vitâ migraui ad æternam gloriā, me miſit ad te Deus, vt reſpondeam quæſito tuo propoſito circa gloriam Beatorum; velim, igitur ſcias, quòd faciliùs poteris dinumerare ſtellas cœli, omneſque maris guttulas infundere minimo cuidam vaſi, quàm minimam partem gloriæ iſtius intellectu tuo capere, adeò namque excelſa eſt & magna, vt nec lingua angelica, nec humana eam explicare queat; perſeuera propterea in exercitio bonorum operum vſque ad finem vitæ tuæ, & ſic eadem mecum perfruêris viſione beatificâ in omnem æternitatem.

Recogitate N. quod occurrit Reginæ Sabæ, audiens hæc ſapientiam Regis Salomonis in ciuitate Hieroſolymitana nomine & famâ celeberrima ab omnibus vbique deprædicari, diſceſſit è regno ſuo auida videndi pompam illam regiam, & cùm ingreſſa eſſet ciuitatem, perluſtraſſetque ſumptuoſum Palatium Regis, eiuſque pretioſas, prædiuiteſque, quibus induebatur, veſtes, quaſi ſtupore & admiratione oppreſſa, quia plura ſibi narratis conſpiciebat, dixit: *Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior eſt ſapientia & opera tua quàm rumor quem audiui: Beati viri tui, & ſerui tui.* 3. Reg. 10. v. 7. & 8. Suprà quem locum notat Eucherius, quòd hæc Regina, *magna quidem ſperauit, ſed maiora percepit: Ita & Beatus in hac vita magna quidem ſperat, ſed maiora in alia vita percipiet.* Ead. m illa verba, quæ dixit Regina Saba Regi Salomoni, applicat D. Auguſt. ſerm. 153. de temp. gloriæ cœleſti,

lesti, sic ait: *cùm omnis anima sancta cœlestem Ierusalem ingressa fuerit, multò plura & magnificentiora perspiciet, quàm ei sunt in hac terrâ per sacra eloquia, per Prophetas & Apostolos nunciata.* Ad hunc conceptũ allusisse credo acutissimum illud ingenium, quod depinxit stellarum quoddam cœlum, hisce appositis verbis: *pulchriora latent*, nimirum quòd gloria electis Dei parata tã sublimis & magna est, vt in hac vitâ intellectu percipi non possit, quia Rex æternus eam abscondit oculis mortalibus. Ad verba prædicti Emblematis videtur quoque alludere S. Bernardus serm. 3. de S. Mat. dum dixit: *tota pulchra es patria mea, absque eo quod intrinsecus latet.* Et propterea meritò Spiritus sanctus Apocal. 2. vers. 17. nuncupauit gloriam cœlestem manna absconditum: *vincenti dabo manna absconditum*, Per manna hîc intelligit Angelicus Doctor D. Thomas gloriæ cœlestis dulcedinem: *manna, id est, dulcedinem gloriæ in fruitione æternâ, quia manna dulcissimum erat.* Nam sicut Hebræi in deserto edendo manna illud, quod cœlo indies decidebat, indicibilem illius saporem admirabantur, cumque eis non essent verba, quibus illum exprimerent, exclamabant; *manhu, quid est hoc?* Exodi 16. vers. 15. *manhu quid est hoc?* qualis dulcedo, quisve sapor dulcis est ille? *quid est hoc?* ob eandem rationem dulcedo beatitudinis æternæ appellata fuit à Deo manna: *manna absconditum.* Quia dulcedo illa est, quam nulla lingua explicare potest. *Quid est hoc?* vnde beati illi spiritus in cœlo tantâ sunt repleti suauitate & dulcedine, ut admirantes summum illud bonum, omnes vnanimiter dicant & clament *manhu quid est hoc? quid est hoc*, ait beatus ille, quod pro exiguâ quâdam abstinentiâ, pro minimâ illâ mortificatione, quam egi in mundo, lautissima mihi parata mensa? quid magnifeci vnquam, quod merear modò superabundantem adeò remuneratio-nem, & Deus dignum me faciat vitâ hac æternâ? *quid est hoc?* clamabit alius Dei seruus, quod pro tam exiguâ eleëmosynâ, quam elargitus sum pauperibus, diuitijs nunc abundem inexplicabilibus? *quid est hoc?* dicit ille alius, quod pro scypho aquę frigidæ, quem proximo meo bibendum obtuli, modò torrente poter dulcium aquarum æternæ gloriæ? *quid est hoc?* ait S. Albertus Carmelitarum & nostræ Siciæ decor, quod pro momentaneâ illâ pœnitentiâ & carnis mortificatione, quàm exercui in mundo, circumder modò tantâ fœlicitate & lætitiâ? *quid est hoc?* dicit S. Franciscus, quod pro frustulentâ & scabrosâ quadam veste quâ indutus fui, nunc pretiosâ induar togâ æternæ gloriæ? *tunc*, ait Isaias loquendo cuilibet Beatorum, *videbis, & affluens mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Isaiæ 60. vers. 5. quæ verba examinans S. Bernardus Serm. 5. in Virg. Nat. D. quærit, *quousque dilatabitur?* & resp. *usque ad videndam in se maiestatem Dei.* Tunc videbis superabundantem illam gloriam, dilatabitur cor tuum & satiaberis summo illo bono, cogitando & speculando magnum & immensum illud pretium & thesaurum, quo Deus soluit vnicum, idque exiguum bonum opus tuum, exile illud ieiunium, tenuem illam eleëmosynam.

Lucæ 16. infœlix ille Epulo, dùm in inferno sepultus infernalibus torreretur flammis, excruciaretur tormentis, oculos sustollens in cœlum precabatur enixè Patrem Abraham, ut is dignaretur ope pauperis Lazari sibi transmittere unicam duntaxat guttulam aquæ ex amplissimo illo cœlestis dulcedinis haustam pelago; siquidem miser ille censebat guttulam illam fore sibi sufficientem ad extinguendam flammam, quâ circumdabatur, & dulcorandam pœnæ illius amaritudinẽ, quam patiebatur: *Pater Abraham*, inquiebat ille, *mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrige-* Num. 8.

ret linguam meam, quia crucior in hac flammâ. verſ. 24 Ex hoc loco, ait D. Auguſt. dilucidè oſtenditur, quàm magna & inenarrabilis ſit æternæ beatitudinis gloria, vna ſiquidem guttula ſufficeret ad extinguendas flammas inferni; auſcultate ipſamet huius ſancti Patris verba Serm 8. de tranſ. ſic loquitur: *tanta eſt dulcedo futuræ gloriæ, quod ſi vna gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem indulcoraret.* Quòd ſi igitur vnica duntaxat ſtilla dulciſſimarum illarum aquarum cœleſtis & æternæ gloriæ tantâ viget potentiâ ac virtute, quid dicendum erit de inexhauſto & immenſo illo vitæ fonte, de quo regius Propheta Pſalm. 35. verſ. 10. *quia apud te eſt fons vitæ?* quid non facient torrentes illi delitiarum? *torrente voluptatis tuæ potabis eos.* verſ. 9. quid non facient flumina illa cœleſtium gaudiorum? *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Pſal. 45. verſ. 5. quid non faciet denique illud bonorum omnium ſimul aggregatorum diluuium? *Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum.* Pſalm. 28. verſ. 10.

Num. 9. Sed præ cæteris ſummâ dignum eſt admiratione, quod cæleſtis illa gloria ſpiritibus beatis nullum prorſus generet faſtidium, veluti teſte experientiâ rerum magiſtra bona vitæ huius aliquandiu à nobis poſſeſſa nauſeâ nobis pariunt & faſtidium. Iam capio mentem pſalmographi dùm dixit Pſalm. 14. verſ. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* placuit hic S. Auguſt. cum textu græco legere in hunc modum: *Dom. quis peregrinabitur in tabernaculo tuo?* etenim ſicut viator itinerando varias perluſtrat regiones, ciuitates & oppida, diuerſum conſpicit populum, & plurium experitur hominum mores, & exinde magnam percipit lętitiam & animi delectationem; ad eundem modum Beatus ita fruitur viſione Dei in cœlis, quaſi ſemper intueretur aliquid noui, ſemper repletur nouâ lętitiâ & gaudio. Et ſicut qui peregrinatur nouis ſemper oblectatur obiectis, nullâ eundem afficit nauſeâ & faſtidio prolixitas itineris: ita Beatus nouis continuò in cælis fruitur delitijs, & nouitate illectus obiectis nunquam afficitur triſtitiâ vel nauſeâ, ideoque non immeritò dixit Propheta: *Domine quis peregrinabitur in tabernaculo tuo?*

Veritatē hanc inſinuare voluit Apoſtolorum Coriphæus & Princeps S. Petrus 1. Pet. cap. 1. verſ. 12. dum loquendo de ſpiritibus Beatorum Dei vultum continuò intuentibus dixit: *in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Quoties hæc verba Apoſtoli ruminaui, toties raptus fui in admirationem: etenim ſi pientiſſimus Saluator noſter ait Matth. 18. verſ. 10. quod Angeli ſancti actualiter ſemper fruantur beatifico æterni Patris aſpectu: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Quomodo igitur Apoſtolus dicere poteſt, quòd deſiderent videre faciem Patris æterni? idem dubium proponit gloſſa citata ab Hugone Cardinale & dicit: *cur cernere deſiderant, cuius faciem nunquam cernere ceſſant?* & reſpondet: *niſi quia contemplatio diuina præſent à ita Angelos beatificat, vt & ſemper eius viſâ gloriâ ſatientur, & ſe per eius dulcedinem, quaſi nouam inſatiabiliter eſuriant.* Quaſi dicere vellet: petitiſne cognoſcere, ô fideles, cur Angeli cœleſtes intuendo beatificam Dei faciem (in quâ noſtra conſiſtit beatitudo) deſiderant eandem de nouo intueri? quia tametſi eiuſdem continuo fruantur & ſatientur aſpectu; nihilominus cum viſio illa ſit ſemper quaſi noua, accreſcit ipſorum deſiderium, deſiderantque magis magiſque faciem Dei intueri, quaſi nunquam eandem vidiſſent. Vnde S. Auguſtinus lib. medit. cap. 27. ad idem loquitur propoſitum: *eſt in eis*, puta Angelis, *deſiderium viſionis Dei cum ſatietate, & ſatietas cum deſiderio, in quibus nec deſiderium pœnam generat, nec ſatietas faſtidium*

ſtidium parit. Quod confirmat D. Gregorius libr. 18. moral. cap. 28. dum ait; *Deum Angeli vid nt, & videre deſiderant, & ſitiunt intueri & intuentur: ne autẽ ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur, & ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant, & deſiderant ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.* Hiſce accedit venerabilis Beda commentans in hunc locum Petri: *Contemplatio diuinæ præſentiæ ita Angelos beatificat, vt eius ſemper viſâ gloriâ ſatientur, & ſemper eius dulcedinem quaſi nouam inſatiabiliter eſuriant.*

Num.10. Cœleſtis denique beatitudinis diliciæ meritò comparari poſſunt cuidam torrenti, in quo ſemper nouæ ſibi ſuccedunt aquæ: *torrente voluptatis tuæ potabis eos* Aiebat Dauid Propheta Pſalm. 35. verſ. 9. in quem locum S. Hieron. ait: *Sicut in fluminum perennitate aliæ alijs nouæ aquæ ſuccedunt; ita Dei conſpectus idem ſemper & conſtans, noua tamen ſemper beatorum mentes oblectatione detinebit.*

Apocal. 21. verſ. 2. teſtatur S. Ioannes ſe vidiſſe ciuitatem ſupernam cœlorum: *Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo.* Et paulò pòſt acceſſit Angelus, & vocauit eum, vt perluſtraret beatum iſtum locum: *Veni, & oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni.* verſ. 9. Subintrat hîc Richardus de ſancto Victore & dubitans inquit: Cur S. Euangeliſta dicit ſe vidiſſe Paradiſum, ſi ab Angelo ei oſtendendus erat? *quid eſt, quod Angelus promittit oſtendere, quod ſe dixerat vidiſſe?* & reſpondet idem Doctor, quòd tametſi videantur magna & multa à Beatis in cœlis, plura nihilo minus adhuc ſuperſunt videnda, & licet oculos Beati viſione beatificâ delectetur, non tamen ideo faſtidio afficitur, imò eo magis ſitit aquas illius perennis fontis: *dixerat ſe iam vidiſſe: quid eſt, quod Angelus promittit oſtendere, quod ſe dixerat iam vidiſſe? niſi quia magna viderat, ſed maiora viſurus erat.*

Profectò tanta eſt beatitudo illa æter- Num.11.
na, tamque inexplicabiles ſunt delitiæ, quibus ibidem perfruuntur beati, vt liberè dicere poſſim: *non plus vltra*, cùm jam adepti ſint terminum miſeriarum & tribulationum, quas in procelloſo mundi huius pelago pati ſolemus, non illic venti contrarij, nullum etiam naufragandi adeſt periculum, Vnde S. Euang. Ioannes Apocal. 21. verſ. 4. *Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima a ierunt.* Quaſi diceret: portæ empyrei cœli hoc cernitur inſcriptum: *non plus vltrà* enimuero hucuſque miſerrimi & turbulentiſſimi mundi ſulcamus oceanum, ad hunc uſque locum & non vltrà tempeſtates attingunt miſeriarum, tribulationum, ac aquilonares mortis, dolorum & lachrymarum venti hucuſque ſæviunt: abhinc verò nouus incipit mundus, ubi perpetua lætitia, voluptas, vbi æternæ reperiuntur delitię: *& mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.*

O æterna & cœleſtis gloria quàm deſiderabilis es & mille appetenda votis! optabat S. Auguſtinus in manuali cap. 15. aliquo tempore ſubire atrociſſimas inferni pœnas; non alium in finem, niſi vt ſemel duntaxat guſtare poſſet cœleſtem illam gloriam Hanc recogitans gloriam Prophera Dauid & vitam & cunctas mundi ſpreuit delitias, vnde pſallebat: *hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.* Pſalm. 41. verſ. 5. hanc dum contemplaretur S. Apoſtolus Paulus ad Philipp. 1. verſ. 23 mori optabat: *deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto* Sola huius gloriæ conſideratio Seraphicum Patrem Franciſcum rapuit in ecſtaſin. Et de Beato Fratre Ægidio Socio S. Franciſci refert Surius tomo 2. 23. April. quod poſt multorum dierum jejunium ei comparuerit

paruerit Christus, illuminauerit oculos mentis, ostēderitque aliquantulum gloriæ cœlestis, vndè in tantum despexit mundum eiusque vanitates, vt nec hominem viuentem aspicere vel alloqui voluerit.

Num.12. Quapropter animos erigite N.N. ad cōtemplandam hanc gloriæ æternæ celsitudinem, sic enim polliceor vos spreturos cunctas mundi illicebras. Vnde D. Chrysost. hom. 68. in Ioannem: *Si quis cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt contemplatus fuerit, nullius se pretij existimabit.* Et gloriosus Patriacha sanctus Ignatius, venerabilis Societatis Iesu fundator oculos sustollens in cœlum, & eosdem deindè deflectens in terram exclamabat: *heu quàm sordet tellus, cùm cœlum aspicio!*

Sed quid dicemus de Philosopho ethnico Anaxagora? refert de eo Laërtius in vitâ eiusdem, quòd, postquam omnibus renunciasset bonis & facultatibus, adeò pauper euaserit, vt quasi omnibus indiguerit: vnde amici videntes illum in miserrimo hoc constitutum statu stultū appellarunt, eò quòd bonis tanto labore & sudore à maioribus suis acquisitis tàm prodigè renunciasset, quibus philosophus ille eleuatis in cœlum oculis respondit: *illa patria mea est, illa hæreditas mea est, illam ego curo, non ea quæ sunt super terram, sicut vos qui de deorsum estis.* Et sanè, quid ampliùs Christianus dicere posset? annon pudor est, nos conuinci & confundi ab Ethnico & gentili homine? hinc S. Pontifex Gregorius mentem nostram rebus affixam terrenis conspiciens seriò nos monebat hom. 15. in Ezech. *nihil cum terrâ commune habeatis, sed tota mens vestra ardeat amore cœlestis patriæ.*

Num.13. Magna est profectò hominis stoliditas, qui non studet operibus bonis cœlestem consequi beatitudinem. Quando ad explorandam terram promissionis missi fuerunt exploratores, in reditu hoc retulerunt responsum: *Vidimus enim terram valdè opulentam & vberem: nolite negligere:* lib. Iudic. cap. 18. vers. 9. ad eundem modum dico vobis N. beatitudo æterna locus quidam est, vbi omni perfruimur bono, vbi Deum videmus facie ad faciem, quare *nolite negligere*, nolite despicere eam, sed omnem adhibete conatum, vt illam auxiliante diuinâ gratiâ obtinere valeatis.

Sed ô miseriam magnam! ô casum deplorandum! flocci penditur hodierno die gloria æterna à Christianis, pro momentaneâ voluptate, pro minimâ delectatione non curant deperdere æternam Paradisi gloriam: *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Psalm. 105. vers. 24. Eia, ô Christiani, satagite tandem aliquando eundem attingere, & dicite cum Propheta: *Concupiscit & deficit anima mea in atrijs Domini.* Psalm. 83. vers. 1.

Scio verbotenus plurimos dicere magno se teneri desiderio fruitionis æternæ gloriæ, at facto suo contrarium posteà ostendunt. Si ab amico tibi obuio peteres: dic amabò, Domine, quò tendis? & responderet tibi: Romam proficiscor magni momenti expediturus negotium, & nihilominus Venetias versus viam caperet; absque dubio diceres: exiguus illi est animus eundi Romam. Idem prorsus plurimis contingit Christianis, qui dicunt se petere Paradisum; sed viam ingrediuntur inferni, veluti id clarè demonstrant peruersa eorum opera; etenim cùm viæ cœli sint jejunia, mortificationes & frequentatio Sacramentorum, quicunque hanc non capit viam, nunquam cœlestem attinget gloriam. Hinc D. Gregorius lib. 16. moral. cap. 4. *quærenda est gloria Dei per vias eius, nam quomodò aliòqui eò perveniet ur, si via quæ eò ducit, non tenentur?* despiciamus igitur & spernamus vanam hanc & transitoriā vitam, & acceleremus gradum & passum ad capiendam cœlestem illam gloriam, ita nos exhortante Apostolo Paulo, ad Hebr. 4. vers. 11. *Festinemus ergo*

ingredi

ingredi in illam requiem. Et celebris Pater Origines hom. 1. in Psalm. 38. inuitat vnumquemque nostrûm ad æternam beatitudinem hisce verbis: *contemnamus istam vitam vanam, & festinemus ad sanctam vitam & beatam, in illam animo & mente tendamus omni vanitate discussa.* Annon quotidie dicimus in oratione dominicâ: *adueniat regnum tuum?* & tamen reipsâ parum præstamus; væ nobis, quibus digna suo tempore non deerit pœna, eò quòd nihili ducamus æternam gloriã.

Num. 14. Memini me legisse in sermone quodam, quem habuit S. Vincentius Ferrerius in Festiuitate omnium Sanctorum, quod, dum quidam deuotus Dei famulus ad meliorem æternam migrasset vitam, vnus amicorum illius scire exoptãs, num ille, vtpote ab omnibus æstimatus sanctus, vti verè erat, æternâ frueretur requie, Deum instanter exorârit, quatenus dignaretur id sibi manifestare: exaudita fuit huius oratio, apparuitque illi amicus defunctus, sed flammis circumdatus gehennalibus: quâ horrendâ visione ille deterritus & obstupefactus interrogauit defunctum, cur infernalibus illis torqueretur pœnis, cum tamen piè & sanctè in hoc mundo vixisset? respondit alter, se iusto Dei iudicio condemnatum esse ad pœnas purgatorij aliquamdiu adhuc sustinendas, eò quòd non ardenter desiderarit æternam gloriam: *quia paradisum non ardenter desideraui, ideò crucior* in hac flammâ. Faxit Deus vt plurimæ personæ spiritualis & religiosæ vitæ, quæ Dei sese consecrarunt seruitio & obsequio, eiusmodi purgatrices non debeant sustinere flammas in pœnam exigui feruoris & desiderij sui, quo tepidè anhelant ad obtinendam æternam beatitudinem.

Quis igitur omni conatu non allaboraret attingere beatam illam Paradisi patriam? si tot & tanta faciamus & patiamur ad prolongandam duobus dumtaxat diebus hanc transitoriam vitam, quot & quanta sustinere non deberemus pro comparandâ beatâ & æternâ? *Si tanta cura inest hominibus*, ait S. August. serm. 39. de temp. *vt tardius moriantur, quantâ curâ agendum est, vt nunquam moriantur; quotidie queruntur in isto sæculo dies boni, vbi non inueniuntur, & nemo vult sic viuere, vt illuc perueniat, vbi inueniuntur.* Ad beatam igitur hanc patriam, vbi boni, beati, ac fœlicissimi reperiuntur dies, aspiremus, hanc omnibus viribus consequi studeamus.

Et si aliud non superesset N. quòd nos alliceret instigaretque ad illius consecutionem & fruitionem, ad minus nos instigare deberet vilissimum illud pretium, pro quo benignissimus Deus nobis vendendam offert æternam beatitudinem, audite amabo S. Augustinum in Psal. 93. *venale est quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habeo venale? requiẽ, inquit, venalem habeo.* Sed *quanto labore digna est requies, quæ non habet finem?* Si æterna est requies æterno quoque labore meritò solui debet, vt valori illius, quod comparatur, æquiparetur æquum & iustũ pretium: *æterna requies æterno labore rectè emitur.* Sed si labor debet esse æternus, quando igitur quispiam fruetur illâ requie comparandâ, cùm æternitas omne comprehendat tempus? ô excessum bonitatis diuinæ! ô clementiam & misericordiam Dei! vt tu possideas quod comparandum est, vilissimo id Deus vult tibi vendere pretio; adeoque contentus est, vt terminatus, finitus & temporalis sit labor, non quia æterna requies & beatitudo non mereatur solui æterno labore; sed vt videas illius clementiam & benignitatem, cum quo negotiaris, & frueris eo, quòd tibi offert comparandum: *digna est quidem*, ait idem S. Doctor, *emi labore perpetuo, sed necesse est labore temporali ematur, non quia non valet tanti, sed vt possideatur quod emitur.* Ast quanto tempore durabit hic labor? an fortassis centum millia annorum? nequaquam, Fortè mille annis? multò minus.

nus. O stupendam & inauditam pietatem & clementiam Dei! *non dicit decies centena millia annorum labora, non dicit vel mille annos labora, non dicit quingentos annos labora, sed dum viuis, inquit, labora in paucis annis.* Hoc, inquam, breue tempus vitę tuæ sufficit Deo pro pretio cœlestis gloriæ numquam habituræ finem. Nec hîc gradum sistit bonitas diuina, vult tibi insuper pauco hoc durante laboris tui tempore concedere gratiam confortatiuam, ac tale solatium, quod non solùm laborem tuum alleuiabit, verum etiam iucundum reddet & suauem, adeoque contentus est Deus labore factu tibi facili & suaui. Ergo, concludit S. Augustinus, vilissimum est pretiũ quod damus pro æterna gloria: *pretium damus quoddammodò vnam siliquam ad recipiendos thesauros sempiternos.* Stante igitur hoc pretio, laudemus & admiremur ex vna parte diuinam bonitatem & benignitatem, nam quamuis videatur nobis Deus vendere cœlestem gloriam, gratis tamen eandem nobis donat. Ex alterâ verò parte non simus segnes & socordes, neque negligamus thesaurum istum adeò immensum, æternam scilicet requiem, infinitam gloriam breui comparare labore, laboremus, sudemus igitur in præsenti vitâ, vt quiescamus in aliâ.

Et vt dilucidè cognoscatis, ac quasi manibus palpetis Deum vilissimo vobis vẽdere pretio æternam gloriã: peto à vobis N. si quispiam vestrũ adiret mercatorem quendam empturus aliquot vlnas panni hic verò diceret ei, pannum istum se velle illi vendere eodemmet pretio, quo illum vendit charioribus suis amicis & propinquis, annon mercator hic magnam emptori tali præstaret gratiam & fauorem? omnino. Agè, videamus pretium, quo æstimauit cœlestis mercator pannum illum beatitudinis, quem paratâ pecuniâ compararunt & soluerunt intimissimi & charissimi amici illius, loquatur hic Apostolus Paulus ad Hebræos 11. vers. 35. 36. 37. & 38. Sic ait: *alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem: alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Et hoc est pretium, quo maiores Dei amici emerunt pannum, quo se vestierunt, nimirùm gloriam æternam; & vos exspatiando, jocando, ac delitijs terrenis inhiando eandem obtinere arbitramini? toto profectò aberratis cœlo. Vlteriùs, si hic mercator alium vobiscum iniret contractum, polliceretúrque se pannum illum pro eodem vobis daturum pretió, pro quo eundem dedit propriæ suæ Matri, annon magna illa esset gratia? audite ergo pretium quod soluit Beatissima Virgo Maria ipsiusmet Dei Mater: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Lucæ 2. vers. 35. Martyr fuit Deipara, imo Regina Martyrum, quia sanctissima eius anima doloris gladio transfixa fuit ob amarissimam mortem sui filij: & vos absque omni prorsus tribulatione & adversitate vestiri & calceati prætenditis intrare Paradisum? an maior impertinentia & stultitia excogitari potest? tandem, si Mercator ille venderet vobis pannum pro eodem pretio, quo ipse eundem lucratus est & comparauit, quid vlterius vobis posset facere? annon maximum vobis exhiberet fauorem? enimverò cœlestis Mercator hoc modo vẽdit vobis gloriam suam: *& ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum* Lucæ. 22. vers. 29. pro eodem pretio, quo à Patre suo ipse acquisiuit regnum cœlorum, offert etiam vobis illud, vti suo testimonio clarè id ostendit S. Euan. Lucas cap. 24. vers. 26. *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* proprij effusione sanguinis, sudore,

dore, labore, opprobrijs, iniurijs, doloribus & augustijs comparauit eam. *Pretium ipsius labor est*, inquit S. Augustinus in Psalm. 93. hoc est pretium, quo æterna comparatur gloria.

Num. 16. Vnum credo solum est, quod vos retardat & impedit à viâ cœlestis Patriæ & tribulationum, nimirum quòd sit nimis ardua, aspera & angusta. Fateor id verum esse; sed ad amaritudinem extrinsecam, quam præ se fert via cœlestis gloriæ, consulo vobis, vt adhibeatis saccarum cœlestis gloriæ. Visne, ô Christiane, angustias, tribulationes, afflictionesque conuertere in ducedinem? considera præmium, quod inde speras, & sola hæc spes addet tibi animum, vt patienter illas sufferas & consequaris gloriam.

Scribit Surius de Adriano milite nondum conuerso ad fidem Christianam, quòd cum tempore Diocletiani Imperatoris quosdam ex sanctis Martyribus præsens conspiceret crudelissimis affici tormentis & flagellis, ductus compassione vnum sanctorum Martyrum accessit & interrogauit: *quid est hoc, quod vos tanta tormenta sustinere compellit?* cui respondit sanctus Martyr: *gloria quam nobis Dominus promisit*. Et quæ est ista gloria, replicauit Adrianus. Est gloria talis, subiunxit ille, quæ verbis explicari non potest, quia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ Deus præparauit ijs, qui diligunt illum*. 1. Cor. 2. vers. 9. quæ verba tantæ extiterunt efficaciæ, vt Adrianus ad sanctam fidem illicò se conuerterit, & animo intrepido pariter subierit martyrium, & hodie eâdem fruitur gloriâ, quam tanto desiderio cognoscere anhelabat. Hinc S. Seraphicus Pater Franciscus, vti refert S. Bonauentura in vitâ eius, dicere solebat: *tantum est bonum quod expecto, vt omnis pœna mihi videatur esse delectatio*. Et sanè nulli sunt labores & difficultates tàm arduæ, quæ non superantur huius gloriosi præmij consideratione.

Primo Reg. cap. 17. legitur, quod, Num. 17. cum tumidus & elatus ille gigas Goliath prouocasset ad singulare duellum & certamen capitaneos & belli Duces exercitus Israëlitici, consternati huius exercitus Principes, nec ad resistendam tam fero hosti idoneos se dignoscentes, quid agendum, nescierint. Vnde Rex publicum emisit decretum, illum & filiâ Regis & plurimis ditandum esse diuitijs, quicumque cum gigante illo auderet inire certamen, eumque deuinceret & profligaret; *qui percusserit Philisthæum, ditabit Rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei*. 1. Reg. 17. vers. 25. Edictum hoc & rumorem de præmio à Rege promisso audit Dauid adhuc juuenis & ouium pastor, accedit propterea militem quendam interrogatque: *quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc & tulerit opprobrium de Israel?* vers. 26. respondit ille, percussorem Gigantis habiturum filiam Regis in vxorem, multisque ditandum esse diuitijs. Progreditur Dauid vlterius, & militem alium sibi obuium iteratò interrogat de præmio à Rege promisso palmam de profligato Goliath reportaturo, & eodem modo, vt antea, responsum ei fuit. Nec hîc quiescit, sed quasi esset labilis memoriæ, interrogat & tertium quid profligaturo superbum illum Gigantem Goliath præmij loco rependendum esset: & responsum ei fuit vti primò. Sed mi Dauid, ad quid tanta diligentia & cura in inuestigando & cognoscendo præmium illud quod dandum est triumphatori & percussori Gigantis? estne tibi animus fortassis decertandi cum illo? si es paratus & dispositus ad pugnam, ad quid ista iterata interrogatio? congredere solùm cum illo, tantùmodò te virum præsta, pugna, decerta animosè, detrunca solum modò Gigantem, & Michol habebis vxorem: num fortè dubitas eam fore tibi à Rege denegandam? non dubito, ait Dauid, sed quia ego, vtpotè simplex pastor ouium, aggressurus

gressurus

greſſurus ſum pugnam ſatis arduam & viribus meis inæqualem, eò quòd aut nihil aut parum me in re militari exercuerim; attamen dùm conſidero permagnum illud præmium, quod miſer & abiectus quidam homuncio, veluti ego, futurus ſit gener cuiuſdam Regis diademate coronati, ditanduſque tot diuitijs; ſpes, inquam, illa futuræ mercedis mihi addit animum & vires, vt prælium hoc licèt arduum & difficile aggrediar, præmio illo tantùm allector, & non ſolùm cum hoc tumido Gigante, verùm etiam cum centum leonibus & vrſis ferociſſimis, vt aliàs feci, inirem certamen. Nam vero verius eſt N. ſpem præmij & mercedis obtinendæ efficaciſſimum eſſe medium ad alliciendū & inſtigandum animum, vt ſuperet ardua quæuis & difficilia, contemnat pericula, & quæcunque deſpiciat aduerſa. Quod hìc accidit adoleſcenti Dauid, credo ipſum poſteà voluiſſe innuere Pſalm. 118. verſ. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Quaſi dicere vellet: cor meum, ô Domine, in bilance quaſi poſitum teneo; affectus terreni id trahunt in vnam partem, & ſpes futuræ mercedis in alteram id trahunt partem; Sed *inclinaui*. In illam bilanx propendet partem, quæ mercedem promittit & retributionem æternam.

Hæc enim hominum, qui lucro & commodo ducuntur, eſt conditio, vt eis perſuaderi nequeat operatio vnius actus etiam meritorij, niſi ſimul eiſdem promittatur, præmium; vnde Diuus Auguſt. epiſt. 143. ad Dem. *Omne opus leue fieri ſolet, cùm eius pretium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium eſt laboris.*

Num.18. Ecce igitur, ô Chriſtiane, modum quem tibi ſuprà ſuggeſſi, quo labores tuos tuâ opinione amaros & difficiles dulcores & alleuies, & aſperam Chriſti ſequelam efficias facilem & dulcem, dum igitur te ob laborem ſentis afflictum & anguſtiatum, ſuſtolle mentem ad coronam & mercedem cœleſtē, & omnia facillimè tolerabis. Num maior, intenſiorque eſſe poterit afflictio, dolor, & labor illo, quem perpeſſus eſt pientiſſimus Salvator noſter? dic mihi, quod ipſe tunc temporis habuit leuamen & ſolamen? audite D. Apoſtolum Paulum ad Hebr. 12. v. 3. *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ.* Tantum erat ipſius gaudium, lætitia tanta, quam concipiebat & ſperabat ex futura redemptione humani generis, vt nulla curauerit tormenta & pœnas.

Et ſi hic modus ordinarius eſt, quo ad dulcoranda amara & difficilia vſi ſunt Chriſtus & ſancti eius, eundem tibi propono, ô Chriſtiane, & dico cum ſanctâ illa Machabæorum matre acerbiſſimis aſpiciente filios affici doloribus: *peto te nate, vt aſpicias ad cœlum*, 2. Machab. 7. v. 28. quaſi dixiſſet: ô filij mei chariſſimi, quia varias jam ſuſtinetis tribulationes, dolores & tormenta præſentis vitæ, erigite animos veſtros & corda, contemplamini ſummum illud bonum, quod clementiſſimus & benigniſſimus vobis parauit Deus, æterni vos moueat præmij lucrum: *Surgite & ſtate, & videte numerum ſignatorum in conuiuio Domini.* Dicit vobis Eſdras 4. c. 2. v. 38. ſurgite & euigilate, ô mortales, & obtutum veſtrum defigite in Beatos & cæli incolas, qui lautiſſimo in cœlis fruuntur conuiuio, quod illis præparauit Deus, & illico cognoſcetis, non eſſe vera bona illa, quibus in terris gaudetis. Et ſi animas veſtras non excludi exoptatis à cœleſtibus illis nuptijs: *ſurgite, ſtate & videte.* Recogitate Paradiſum, aſpirate ad viſionem hanc beatificam, amore accendimini æternæ gloriæ, vbi cum perpetuâ fælicitate beati diuinâ fruuntur eſſentiâ; contemplantes enim hoc præmium patienter ſuſtinebitis tribulationes præſentis vitæ, & hiſce mediantibus eritis participes æternæ beatitudinis.

Blasphemia.

DISCVRSVS IX.

De Reuerentiâ & honore debito sanctissimo Nomini IESV, & de pœnis quibus castigantur blasphemi.

Num.1. DEVS ille, qui temporibus antiquæ legis nullo nuncupatur nomine, nec erat nomen aliquod in toto mundo, quod nobis eundem significaret, vnde parenti Sampsonis instantissimè ab eo petenti: quod est tibi nomen? respondit: *cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Iud cap. 13. vers. 19. in lege gratiæ, ô nos fœlicissimos! manifestat nobis suum sanctissimum nomen: *vocatum est nomen eius Iesus.* Lucæ 2. vers. 21 ô nomen sanctum, nomen tremendum! ô nomen quod Angelis adfert lætitiam, diabolis incutit terrorem! ô nomen dulcissimum, quod peccatoribus veniam, gratiam iustis, & beatis donat gloriam! ô nomen omnibus supereminens nominibus, veluti testatur Apostolus ad Philip. 2. vers. 9. & 10 *Nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.*

Sanctus Bernardinus Senensis ser. 42. tom. 2. Dom. 6. exponendo verba iam citata ait, S. Apostolum in paradiso didicisse, qui honor exhibendus sanctissimo nomini Iesu; cùm enim raptus in tertium cœlum (per quod Nicolaus Liranus in hunc locum intelligit empyreum) perlustraret vndique ciuitatem illam supernam Jerusalem, contemplabatur hinc & inde assistentes Angelos, Archangelos, Seraphinos, aliosque spiritum beatorum ordines & hierarchias, & progrediens ad thronum sanctissimæ Trinitatis, vidit Iesum Redemptorem mundi residentem ad dexteram Patris, vnde diuino inflammatus amore cœpit exclamare & dicere: *Iesu trahe me post te.* Quod sanctissimum nomen audientes cœlestes Angelorum ordines illicò profundâ illud adorarunt reuerentiâ. Post raptum deinde prorupit in hæc mysteriosa verba: *in nomine Iesu omne genu flectatur.* Quasi voluisset dicere: attestationem facio, ô fideles, quòd, me in cœlis proferente sanctissimum nomen Iesu, omnes Angeli totius Paradisi profundissimâ inclinatione illud venerati fuerint; audite ipsiusmet D. Bernardini verba sanè melliflua: *didicit S. Paulus dicere hoc, quando fuit raptus vsque ad tertium cœlum, vbi sensit tantam dulcedinem Iesu, quod exclamando dixit trahe me post te, & ad illud tale nominari nominis Iesu, quod fecit Paulus raptus ipse illicò vidit omnes Angelos prostratos.* O Jesu nomen diuinum, nomen ineffabile, nomen quod est super omnia nomina! quis te non veneraretur magnificaretque? quis te non continuò gestaret cordi impressum?

Permagnam huic sanctissimo nomini exhibuit reuerentiam & honorem gloriosissima Virgo Deipara, etenim teste sancto Cyrillo Alexandrino *de rectâ in Deum fiduciâ.* Antequam illa conciperet, fuit ei iussu Dei ab Angelo reuelatum hoc sanctissimum nomen. O quàm gratam illius habebat memoriâ! ô quàm reuerenter cordi suo insculptum illud deferebat! ô quantâ dulcedine labia eius virginea id proferebant! S. Bernardus serm. 14. in Cant. loquens de hoc nomine dicit: quod *est mel in ore,* veluti exper- Num. 2.

rus fuit S. Franciscus, de quo scribit S. Bonauentura, quod sacrosanctum hoc pronuncians nomē labia linxerit gustaueritque ea plena melle ab hoc sanctissimo nomine relicto: *in aure melos, & in corde iubilus.* Quòd si hoc contigit in ore S. Francisci, quid igitur non factum fuit in ore, auribus & corde sanctissimæ Mariæ Virginis, quæ primò illud pronunciauit, experta est, & probauit ipsius dulcedinem?

Num. 3. Verùm quid dicam de virtute & potentiâ huius sacrosancti Nominis? Siquidem eius virtute mira patrata sunt miracula & prodigia. Quis ignorat stupendam & inuictam illam fortitudinem, quam demonstrauit Dauid adhuc imberbis iuuenis, qui artis pugnandi omninò ignarus ausus fuit aggredi superbum illum Goliath, nec non iactu lapidis fronti eius infixi in terram dedit præcipitem, ac detruncato gigantis capite rediit gloriosus triumphator? sed cuius virtute id Dauid fecisse arbitramini? non alterius nisi virtute huius sanctissimi nominis Iesu. Nec id mirum videatur; refert namque Philo Hebræus de antiquitate bibliorum, quod quinque lapidibus (quos Dauid collegerat in torrente, & ad præcipitandum Goliath peræ imposuerat (inscripserit nomina virorum illustrium, qui vixerunt ab exordio mundi; primo inscripsit nomen Patriarchę Abraham, secundo nomen Isaac, tertio nomen Iacob, quarto nomen Moysis, & quinto demum nomen inuictissimi Iosue, quod in Hebræo idem significat ac Iesus. Ast quonam horum quinque lapidum opinamini Goliath fuisse à Dauid prostratum? illo abs dubio dicetis, quem primò omnium extraxit è perâ suâ pastorali: & optimè; sed quis fuit ille primus? quando plura saxa imponuntur alicui sacco aut peræ, quod omnium vltimum impositum est, primum omnium extrahendum est; vltimum verò, quod Dauid imposuit peræ; saxum fuit illud, cui inscripserat nomen Iesus; illud ergo primum fuit, quod extraxit è perâ, & & quo gigantem percussit ipsemet id restatur Dauid cùm dicebat: *tu venis ad me cum gladio, hastâ & clypeo, & ego venio ad te in nomine Domini exercituum.* 1. Reg. 17. versiculo 45. Annon igitur pugnauit lapide Dauid? omninò. Cur igitur dicit se dimicaturum in nomine Domini? quia lapidi isti inscriptum erat nomen Iesus: adeoque rectè dixit se pugnaturum hoc nomine, vti & gloriosam inde reportauit victoriam. Pulchrè hinc S. Ioannes Chrysostomus in hunc locum: *neque enim vulgari more proijcit lapidem, sed prius dixerat: tu venis ad me in Dijs tuis, ego autem venio ad te in nomine Domini Sabaoth, atque hæc locutus mox lapidem direxit in Goliath, & tremorem incussit barbaro, hostisque confidentiam fregit.*

Iosue cap. 10. eleuabat & mentem & oculos ad cœlum inuictissimus Capitaneus Iosue, precibusque Deum humillimis sollicitabat, vt cursum solis aliquo tempore suspendere dignaretur, quousque nimirùm hostem suum superasset & profligasset, & confisus in Deum nihilque dubitans de obtinendâ hâc, quam postulabat, gratiâ, mandat & imperat soli, vt sistat cursum suum: *Sol ne mouearis contra Gabaon, versiculo decimo tertio*, & substitit sol integri vnius diei spatio: *stetit itaque sol in medio cœli, & non festinauit occūbere spatio diei vnius* vers. 14. Annuit, imò obediuit Deus precanti Capitaneo: *obediente Domino voci hominis & pugnante pro Israël* Sed vnde accidit N. quòd sol immotus steterit ad vocem & imperium Iosue? sanctus Basilius serm. de transfig. asserit, id fecisse Solem ob reuerentiam sanctissimi nomis Iesu, cuius gerebat nomen generosissimus ille Heros Iosue; vnde S. Basilius conuersus ad solem sic eundem alloquitur. *constitisti Sol aliquando victoriam Hebræorum spectans, reueritus es Iesum Ducem, qui imperauerat in conseruo, honorans Domini appellationem.* Quod Num. 4.

 confir-

confirmat S. Iustinus Martyr dialogo cum Triph.& ait:*Sol stetit iussu illius viri, cui nomen erat Iesus.*

Num, 5. Verùm quid mirum, quòd Sol sanctissimum hoc reuereatur nomen, cùm ipsa etiam animantia rationis expertia, idem summo prosequantur honore & veneratione, deponendo ferocitatem suam ad solam nominis huius prolationem? euidens veritatis huius testimonium extat in Daniele Prophetâ cap. 14. Regiam inhabitabat aulam Nabuchodonosoris sanctus hic Propheta, Regisque illius summo pollebat fauore & gratiâ; Sed eam ob causam gentis Babylonicæ subijt inuidiam & odium, quare Babylonij importunis Regem sollicitarunt precibus, vt suæ potestati traderet sanctum iuuenem, alioquin fore vt ipsum cum omnibus reliquis aulicis essent occisuri: *trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te & domum tuam*, vers. 28. Aduertens itaque Rex seditionem & tumultum populi, coactus fuit tradere manibus inuidorum Danielem, quem sine mora proiecerunt in lacum leonum, vt ab eisdem dilaniaretur. Sed ô prodigium! dum inimici arbitrabantur, Danielem à ferocissimis deuorari leonibus, hos veluti mansuetissimos agnos conspexerunt ad pedes illius prostratos: *Et ecce Daniel sedens in medio Leonum*, vers. 39. Causam mansuetudinis horum Leonum inuestigat P. Origines homil. 1. in cap. 1. Iob, & respondet: Danielem leones veneratos fuisse, eique non ausos fuisse inferre damnum, quòd in pectore illius conspexerint sanctissimum Dei nomen: *hoc nomen cùm vidissent leones in Daniele, in agnos mutati sunt.*

Num. 6. Non absimile exemplum legimus in Ionâ Prophetâ cap. 1. obseruato etiam ab eodem Origine: mandauerat vice quadam Deus Ionæ Prophetæ, vt iret in ciuitatem Niniuen, eiusque incolis annunciaret futuram destructionem ciuitatis, & imminentem pœnam, ni agerent pœnitentiam & conuerterentur ad Deũ. Reluctãs Ionas præcepto diuino fugit in Tharsis; sed quid accidit? magna exorta est illicò tempestas, adeò vt nautæ coacti fuerint eundem præcipitare in mare: *& tulerunt Ionam, & miserunt in mare*, vers. 15. Et statim adfuit immensæ molis cetus Prophetam deglutiens. Tribus adhinc diebus, Deo ita disponente, saluus & incolumis eiectus fuit è ceto: *& dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam*, Ionæ 2. vers. 11. Quærit modò Origenes, vnde ortus fuerit respectus ille, quem exhibuit cetus huic Præphetæ? & respondet id factum esse, quia piscis ille vidit in pectore Prophetæ sanctissimum Dei nomen: *hoc autem nomen & cetus cùm vidisset in Ionâ obstupuit, atque illæsum eum quem de naui susceperat, reddidit, incontaminatum remisit, quem viuum susceperat.* Si ergo animalia ratione destituta tantam huic sanctissimo nomini exhibent reuerentiam & honorem, æquum & iustũ est, vt nos fideles illud & honoremus, & in terrâ prostrati adoremus, nisi peiores esse velimus ipsis brutis irrationabilibus.

Et si dicerem vobis, ipsas etiam creaturas sensu carentes sacrosanctum hoc Iesu nomen reuereri, vix mihi fidem adhiberetis; sed euidenter id ostẽdam ex Daniele Prophetâ cap. 3. legimus hoc in loco, quòd tres illi adolescentes, Ananias, Azarias & Misaël iussu Regis Nabuchodonosoris proiecti fuerint in ardentem fornacem Babylonicam ab igne ocyus deuorandi & in cineres redigendi. Obstupescit hoc super facto Origenes, cur nimirùm igniuomæ illæ flammæ nihil prorsus eis nocuerint, imò ne capillum quidem læserint teste sacro textu: *& non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit*. Et respondet id contigisse, eò quòd sancti hi iuuenes in pectore suo gestabant sanctum & tremendum hoc nomen: *quod nomen*: ait Origines, *cùm flamma ignis cognouisset in*

Ana-

Anania, Azaria & Misaële, foras è fornace fugit, quia terribile nomen Domini in eis conspexit.

O miraculosum effectum causatum ab hoc sanctissimo nomine? consideratione & admiratione dignum est, quod pereuntibus & morientibus in deserto tot hominum millibus viuus solus euaserit Iosue: quis illum è mortis eripuit faucibus, inquit S. Ambrosius in Psalm. 118. nisi nomē Iosue, vtpote verus sanctissimi nominis Iesu typus & figura? *quicumque enim exierunt de Ægypto perierunt in deserto. Mortuus est Aaron, mortua est Maria, mortuus est & ipse Moyses, solum Iesum Naue nominis sacri similitudo seruauit.*

Num. 7. Causam modò intelligimus N. cur Angelus Dei apparens in somnis Ioseph, eique dicens, vt acciperet puerū & Matrem eius, ac fugeret in Ægyptum, vti legitur Matth. cap. 2. non sese comitem illis adiunxerit per horridum illud desertum, dixit namque Euthymius in hunc locum, quòd securissimum itineris sui comitem habuerint infantulum Iesum, ac propterea non erat quod timerent sibi: *non promisit Angelus comitē se fore itineris, insinuans, quòd magnum haberent viæ comitem, puta puerum.*

Vnde si veram exoptemus salutem, per inuocationem huius sanctissimi Iesu nominis certo certius illam obtinebimus. *Et omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit*, ait Propheta Ioël capite secundo vers. 32. Ah si proditor Iudas accessurus principes Sacerdotum, & cum eis de pretio, quo charissimū suum Magistrum tradere cogitabat, acturus, inuocasset sanctissimum nomen Iesu, non sui ipsius homicida effectus, in tantam sese præcipitasset miseriarum abyssum; at quia nimio in Iesū exæstuabat odio, dixit: *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradā?* Matt. 26. versiculo 15. Vbi obseruat acutissimè magnus Pater Euthymius & ait: *dixit eum, non Iesum, quia iam sacrum illud nomen oderat, & tamen si illud inuocasset non malè perijsset, longè enim est desperatio, vbi est huius nominis inuocatio.* Et S. Bernardus serm. 15. in Cantica, quemlibet exhortatur Christianum, vt in quacumque constitutus aduersitate & periculo inuocet hoc sanctissimum nomen Iesu dicens: *tr statur aliquis v strum? veniat in cor Iesus, & inde saliat in os. Labitur quis in crimen? currit insuper in laqueum mortis desperando? nó ne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?*

Famosissima est historia illa descripta in libr. Iosue capit. 2. dum inuictissimus hic heros misit exploratores in Iericho ad explorandam promissionis terram. Num. 8.
Ingredientibus hisce domum Raab narrantibusque ciuitatem illam infrà dies paucos fore demoliendam, inijt pactum illa cum exploratoribus dicens: ego vos domi meæ occultissimè celabo, insuper saluos & incolumes extra ciuitatem educam, si vitæ meæ totiusque familiæ conseruationem polliciti fueritis: contenti fuerunt exploratores, & vt domus illius cognita redderetur, iusserunt vt appenderet funiculum coccineum in fenestrâ quo signo ab alijs dignosceretur ædibus: *misit igitur Iosue*, ait scriptura, *filius Nun de Sethim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis, ite & considerate terram Vrbemque Hiericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab*, versiculo primo. Iam peto ego N. vnde hæc meretrix salutem propriam totiusque domus suæ sperare poterat ab exploratoribus illis, & vnde hi vicissim cognoscere poterant saluos & incolumes fore se euasuros auxilio & ope mulieris illius aliàs naturâ instabilis & fallacis, & eò magis cùm fuerit meretrix? non aliunde respondet S. Ioannes Chrysostomus sermon. in peccat. tomo 3. nisi ab vmbrâ sanctissimi nominis Iesu: *nihil mihi desperandum est. Noui Rahab meretricem in portâ ciuitatis misericordiam sui peccati obtinuisse, qui enim seruauit illam Iesus filius Naue figuram vi-*

ri Ieſu referebat, bona meretrici pro opere bono donans & retribuens. Sic igitur tunc nomen Ieſu ſalutem & remiſſionem præbuit. Grauiſſimæ nobis ſtruantur inſidiæ à fatali noſtro inimico Diabolo, cunctas nihilominus effugiemus per inuocationem ſacroſancti nominis Ieſu.

Quicunque igitur Chriſtianus hoc ſe muniet ſanctiſſimo nomine, honorando illud & corde & ore, non eſt quod ſibi timeat; etenim ad illius deuotam inuocationem cuncta euaneſcent pericula tam ſpiritualia quàm corporalia, & inſtar ceræ ad ignem liquefient. Vnde S. Bernardus Serm. 15. in Cantica diſſerens de ſanctiſſimo nomine Ieſu ait: *iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, extingit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, & totius dedecoris pruriginem fugat.* Quaſi diceret: Optatiſne ſingulare antidotum & remedium contra quaſcunque tentationes? viua vtimini fide ſanctiſſimi Ieſu nominis, & confeſtim diſparebunt. Si irâ flagratis & excandeſcitis, ſanctiſſimum vobis inſeruiat nomen Ieſu, & iratum compeſcet animum: *cohibet impetum iræ.* Si ſuperbiâ intumeſcitis, hoc remedio nominis Ieſu confeſtim vanæ fugabitis arrogantiæ fumũ: *ſuperbiæ tumorem ſedat.* Si vos inuidiæ inuadit tentatio, optimum remedium eſt ſacroſanctum hoc Ieſu nomen: *Sanat liuoris vulnus.* Torquemini fortaſſis auaritiæ ſiti? Salubre adeſt antidotum, nimirùm ſanctiſſimum nomen Ieſu, quod vos liberales efficiet in pauperes: *ſitim temperet auaritiæ.* Si carnis tentationibus moleſtamini, ſemper Ieſus, Ieſus, Ieſus clamate, & ab hoc veluti rore cœleſti incendium illud penitus extingui & ſopiri experiemini: *extinguit libidinis flammam.* Irruat tandem quæcunque tentatio, hoc tamẽ potentiſſimo remedio ſanctiſſimi Ieſu nominis deſtruetur & annihilabitur: *totius dedecoris pruriginem fugat.*

Num. 9. Supereſt igitur, vt reueremur & honoremus ſanctiſſimum hoc & dulciſſimum nomen, ſi deſideremus quæcunque obtinere bona, noſtriſque malis remedium parare, ac diaboli tentationes euincere exoptemus. Ita docuit nos S. Antonius Patauinus Serm. in Dom. 3. poſt Epiph. vbi in hunc modum ſermocinatur: *cùm tentaris, dic diabolo: in nomine Ieſu qui imperauit ventis, recede à me.* Et ſic de hoſte tuo palmam reportabis & victoriam; & eâ de causâ ait Rupertus Abbas libr. 12. de oper. Trinitatis. Sancta Mater Eccleſia in omnibus ſuis orationibus & collectis inuocat ſanctiſſimum Ieſu nomen, dum ſic concludit: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Idque non ſine myſterio; tenet etenim tanquam certiſſimum fidei articulum, quòd in virtute huius ſanctiſſimi nominis Ieſu inuocati, nulla à Patre æterno nobis denegari poſſit gratia: quemadmodum id proprio teſtatus eſt ore ac promiſit Saluator noſter Ioan. 16. v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quapropter Rupertus Abbas: *Salutaris mos & Catholicæ hæc ſanctæ Eccleſiæ orandi regula eſt, ut omni orationi, quam ad Patrem dirigit, ſubiungat: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.*

Poſtremò aſſerit S. Bernardinus Senenſis Serm. 4. tom. 2. quod fugientibus opibus & diuitijs, diſcedentibus amicis, cognatis, medicis, abitum parante vitâ corporis, quando nimirum anima circumdata eſt innumerabili hoſtium cateruâ, in ultimo, inquam, vitæ termino, tametſi ſceleratiſſimam quiſpiam duxerit vitam; quotieſcunque tamen verè de ſuis peccatis contritus corde piè inuocauerit hoc ſanctiſſimum nomen, fœlix migrabit ad æternam gloriam: *quicunque ſceleſtiſſimus peccator debitè inuocauerit in vltimo vitæ nomen Ieſu, ſaluabitur, iuxta illud Prophetæ: quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Ioel 2. v. 32.

O potentiſſimum, dulciſſimum ac glorio-

glorioſiſſimum nomen! tu infirmos & debiles non ſanas, tu nos tribulatione oppreſſos confortas, tu in perſecutione nos defendis & liberas. Quapropter hoc ſacroſanctum nomen & in corde & in ore habendum eſt omni tempore, ſiquidem Ieſus mitigat noſtros dolores, indulcorat noſtros labores, noſtras temperat anguſtias, terminat & finit pœnas noſtras & tormenta, à Ieſu dependent piæ & bonæ cogitationes, juſta deſideria, verba honeſta & opera ſancta. O Ieſu, Ieſu, tu es vnica mea ſpes, ſingulare meum ſolamen & leuamen, tu es pax mea, quies & fœlicitas mea. O Ieſu vera vita mea, ſalus mea, te ſolum deſidero; in te ſolum dirigo mentis meæ aciem, ad te ſolum ſuſpiro, tecum viuere, tecum mori deſidero & volo.

Num. 10. Aſt ô temporum horum miſeriam! ô mores peruerſiſſimos huius ſæculi! etenim loco honoris & venerationis, quam quidam ſanctiſſimo huic nomini exhibere deberent, ſummâ illud temeritate blaſphemant, conuitiantur abſque vllo prorſus reſpectu & timore, vt propterea non immeritò lamentetur Deus per os Iſaiæ cap. 52. verſ. 5. *Tota die nomen meum blaſphematur.* O ſi tu, ô Christiane, quàm graue & abominandũ peccatũ eſſet blaſphemia huius ſacratiſſimi Nominis, quàmq; grauis tibi immineret punitio, ſcires, ſaperes profectò, eamque euitares.

Conſidera primitus atrocitatem blaſphemiæ, nam in comparatione aliorum peccatorum, comperies blaſphemiam omnium culparum grauiſſimam, magiſque enormem & abominandam, imò pondere ſuo quæuis alia peccata longè excedere reperies, docente ita nos ſancto Hieron. in Iſaiam, ubi ſic ait: *omne quippe peccatum blaſphemiâ leuius eſt.* Cuius ratio communiter aſſignatur à ſanctis Patribus & Theologis, quia reliqua omnia peccata ſunt contra præcepta ſecundæ tabulæ, quibus Deus prohibuit offenſam proximi; at blaſphemia eſt contra præcepta primæ tabulæ, quibus inhibentur peccata quæ committuntur in propriam Dei perſonam. Vnde perelleganter ait S. Ioannes Chryſoſtomus hom. in Pſ. 95. *multiplex eſt differentia peccatorum, quæ committuntur in Deum & in homines, Nihil tamen ſceleſtius blaſphemiâ.* Et S. Ioannes Damaſcenus in Paral. cap. 59. eidem ſubſcribens propoſito ait: *qui peccat, legem Dei violat, at qui blaſphemat, aduerſum diuinum nomen impietatem admittit.* Et ſanctus Auguſtinus apud S. Bernard. tom. 1. Serm. 41. artic. 2. cap. 3. aſſerit Chriſtianum blaſphemum ſimilem eſſe Hebręis, qui crucifixerunt Chriſtũ Dominum; ſententia huius S. Doctoris digna eſt, ut omnium Chriſtianorum inſculpatur cordibus, & eſt talis: *non minus peccant, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Idipſum euidenter demonſtrauit bonus latro in cruce pendens, quando aliũ peruerſum latronem blaſphemantẽ reprehendit hiſce verbis: *neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es*, Lucæ 23. verſ. 40. Quaſi dicere voluiſſet: Iudæi crucifigendo hunc hominem & Deum grauiſſimi peccati rei facti ſunt, ſed tu blaſphemando ipſum eâdem comprehenderis damnatione, ſiquidem peccatũ tuum blaſphemiæ tam graue & enorme eſt, quantum peccatum crucifixionis. Nicolaus Litanus in c. 18. Matth. exiſtimat ſputa & colaphos tempore paſſionis Chriſto Domino inflictos non differre à blaſphemijs, quas peccator euomit in Deum: *ſicut tunc conſputus ſaluis infidelium ita nunc opprobrijs exhonoratur falſorum fidelium, & colaphis, id eſt, blaſphemijs eorundem cæditur.*

Et S. Hieronymus in cap. 5. Iſaiæ interpretando quænam ſint illæ labruſcæ, Num. 11. quas loco vuarum produxit vinea à Deo plantata Iſaiæ cap 5. verſ. 2. *Expectaui vt faceret vuas & fecit labruſcas.* Dicit, quòd ſint ſpinæ juxta lectionem ſeptuaginta Interpretum, ex quibus formata fuit co-

rona ſpinea Chriſti Domini. Vti legimus Matth. cap. 26. & ſubiungit ſanctus Doctor blaſphemos tot producere ſpinas, quot ſacrilegâ ſuâ linguâ proferunt blaſphemias in Deum.

Non hîc gradum ſiſtit malitia & perverſitas blaſphemi, ſed progreditur vlteriùs; ſuis namque blaſphemijs in Deum euomitis quantum eſt ex ſe, occidit ipſummet Deum. Veritatem huius probant doctiſſimi Patres Græci. Theodoretus quæſt. 33. & Procopius in cap. 24. Leuit. etenim Deus poſt prolatam primam blaſphemiam, quæ ſucceſſit in Levitico cap. 14. promulgauit pœnam homicidij eiuſmodi blaſphemo infligendam: *Meritò*. inquit Theodoret. *blaſphemo homicidij legem aptauit, quia blaſphemator, cùm Deum interficere non poſſit, lingua ferit* Et Procopius diſcurrit in hunc modum: *blaſphemiæ, quâ inhonoratur Deus, conjungit homicidium, nam blaſphemus punitur, vt qui inſtituat blaſphemando nocere Deo, quamuis nemo mortalium nocere poſſit Numini; blaſphemi enim & homicidæ idem eſt animus, idemque propoſitum.*

Demùm S. Bernardinus Senenſis to. 1. Serm. 41. art. 2. cap. 4. cui Deus dignatus eſt reuelare horrorem, enormitatem, & grauitatem blaſphemiæ, diſcurrens de linguâ blaſphemâ in hæc prorumpit verba; *lingua blaſphemantis eſt gladius ſcindens & diſcerpens, ſi poſſit, Deum in plures partes.*

Ex hactenus dictis colligo blaſphemos multò pejores eſſe ipſis Turcis & infidelibus; ſiquidem impius Mahometus ipſorum legiſlator in ſuo Alcorano inuiolabilem hanc ipſis propoſuit & dedit legem, videlicet quicunque auderet blaſphemare nomen Dei, Chriſtum aut Beatam Virginem Deiparam, ſecaretur per medium: ita affirmat S. Bernardinus Seneſins ſuprà citatus dicens: *Mahometus infideliſſimus canis in ſuo Alcorano præcipit, quod quicunque Deum, Chriſtum, & etiam Beatam Virginem blaſphemaret, medius diuideretur.* Quid hîc dicet Chriſtianus, qui particulariter profitetur obſeruationem præceptorum veri legislatoris?

Num. 12. Cum antiquiſſimo Origene homil. 4. in Leuit. auſim dicere, quòd homo blaſphemans Sacroſanctum nomen Dei, non exiguum de ſeipſo det teſtimonium & indicium ſcelerati, & peſſimi hominis, imò oſtendit ſe non eſſe Chriſtianum, nec Chriſtianæ fidei profeſſorem. Probat hanc veritatem Origenes dum examinat & inueſtigat locum illum, vnde exivit blaſphemus, cujus fit mentio in libro Leuit. cap. 24. verſ. 10. *Ecce autem egreſſus filius mulieris.* Et reſpondet ipſemet: *egreſſus eſt de fide & charitate.* Vt nos hinc perciperemus, quòd alij peccatores diſcederent & exirent duntaxat de charitate, fide manente adhuc integrâ, quæ non amittitur, & quamuis grauiſſima & ferè innumera cōmittant peccata, ſemper tamen adhuc erunt Chriſtiani, & tales ab omnibus æſtimabuntur; ſolum abominandum hoc vitium blaſphemiæ infidelitatem magnamque arguit ſuſpicionem, an blaſphemus ſit Chriſtianus vel gentilis, qui enim blaſphemias eructat in Deum, euidens dat alijs ſignum, quod illius negauerit fidem, in quem in baptiſmo fidem profeſſus eſt. Eiuſdem planè exiſtit ſententiæ S. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis præfat. in Exod. qui verum Chriſtianum diſtinguit à falſo & ficto per hoc, quòd ille benedicat Deum in aduerſis conſtitutus: *verus cultor Dei ille eſt, cuius fides inter aduerſa non deficit, cuius lingua benedicere nomen Domini ſui in omni anguſtiarum tempore, in omni tribulationum plagâ non deſinit.*

Clariſſimum huius veritatis teſtimonium habemus 2. Eſdræ cap. 3. enarraturus namque hîc Propheta infidelitatem populi Hebræi in diſerto, dum abnegando verum Deum adorauit vitulum aureum, viuacioribus haud potuit eun-

dem depingere coloribus quàm blaſphemiâ. *Et quidem cum feciſſent ſibi vitulum conflatilem, & dixiſſent: iſte eſt Deus tuus qui eduxit te de Ægypto; feceruntque blaſphemias magnas.* verſ. 18. Aduertite diligenter hîc N. qualiter Spiritus ſanctus accipit blaſphemiam pro infidelitate, & infidelitatem pro blaſphemiâ, ſunt namque vnum & idem, & ubi eſt vna, ibi pariter eſt altera, adeò, vt magnæ Chriſtianus ille arguatur infidelitatis, qui blaſphemat Deum.

Idem planè teſtatur opinione meâ illa ſententia Ieremiæ Prophetæ cap. 9. vbi ſic loquitur in perſonâ Dei: *extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & me non cognouerunt, dicit Dominus,* verſiculo tertio. S. Hieronym. interpretatur hunc locum de blaſphemis, dum legit in hunc modum: *armauerunt linguas ſuas inſtar arcus in blaſphemiâ,* q.d. Tamdiu Deum non cognouerunt, quamdiu eundem blaſphemijs affecerunt. Iudæi crucifixerunt Chriſtum Redemptorem noſtrum perſuadentes ſibi non eſſe verum filium Dei; ad eundem modum, dum homo ille blaſphemiæ ſagittas eiaculatur in Deum, ſignum eſt, quòd non cognoſcat Deum, ac proinde non ſit Chriſtianus.

Num. 13. Ergo ex grauitate huius peccati blaſphemiæ oritur difficultas veniæ & remiſſionis, non quidem ex parte Dei, qui eſt Pater miſericordiarum & extenſis brachijs expectat peccatorem pœnitentiam acturum; ſed ex parte blaſphemantis, qui ratione praui & mali habitus, quem continuis acquiſiuit blaſphemijs maximâ cum difficultate ſe diſponit ad obtinendam veniam, & quia Deus nullum remittit peccatum, niſi peccator ceſſet ab eo, veluti inquit per prophetam Iſaiam cap. 1. verſic. 16. *Quieſcite agere peruersè*, & ego vobis remittam. Sed quomodo eis remittet peccatum, ſi de die in diem, de horâ in horam Deum blaſphemijs offendant.

Huic aliud ſubiungo motiuum, nimirum quia hoc peccatum difficulter remitti poteſt, cuius rationem pulchrè aſſignat Hugo de Sancto Victore citatus à Sancto Bernardino Senenſ. ſerm. 33. in fine dicens: *eò quòd hoc malum nihil in ſe habet excuſationis, non meretur habere executionem remiſſionis.* Reliquis peccatis videtur ſubeſſe adhuc aliqualis excuſatio ad minus apparens: luxuriæ voluptas carnalis; vindictæ complacentia videndi inimicum in malo ſtatu; Superbiæ propria ſui ipſius æſtimatio; gulæ ſapor ciborum; at blaſphemiæ nullus ineſt ſapor, nec delectatio, nec alia aliqua ratio eum alliciens ad blaſphemandum.

Aliud quoddam motiuum, cur videlicet blaſphemus difficulter veniam obtinere poſſit, adferunt ſancti Patres, & eſt: quòd ſancti non ita facilè pro eo ſint interceſſuri apud Deum, cùm ſciant perſonam offenſam eſſe ipſummet Deum. In mundo hoc cernimus abijſſe in morem, quòd reus condemnatus ad mortem vel aliam quandam pœnam ſuſtinendam ob iniuriam alicui perſonæ priuatæ illatam, plurimos quandoque reperiat interceſſores & mediatores apud Principem pro eo veniam & gratiam expoſtulantes; at ſi ille factis vel dictis tetigerit vel offenderit ipſiuſmet perſonam Principis, nullus audet adire Principem pro eo ſollicitaturus & petiturus gratiam. Hanc ob cauſam Abſalon interimens fratrem ſuum Amnon apud Dauid Regem & Patrem ſuum obtinuit interceſſores Ioab & mulierem Thecaiten. 2. Reg. capit. 13. quia delictum eius erat fratricidium, & peccauerat in priuatam aliquam perſonam; at nullum reperit, qui pro eodem intercederet apud Patrem ſuum, dum huic ſe rebellem oſtendit regno eundem exturbaturus, eò quòd grauiter offenderat ipſam Regis perſonam. Pari modo quamvis Sancti & Beati in cœlo libenter intercedunt pro omnibus peccatoribus ob peccata vel in proximũ vel in propriam perſonam commiſſa, attamen in fauorem

& gratiam blasphemorum recusant quodammodo Deum exorare & pro eisdem implorare veniam ; blasphemiæ nam que sunt offensæ & iniuriæ ipsiusmet Dei honorem tangentes & directè concernentes.

Num.14. Vnde S. Joannes in Apocalyp. cap. 6. recenset de quibusdam, qui montibus dicent, & petris, vt irruant super eos, & abscondant illos ab iracundo Dei conspi-ctu : *& dicunt montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos ab irâ Agni*, v. 16. quæ verba exponit S. Bernardinus Senensis tomo 1. serm. 41. de blasphemis & ait : *Dicent & montibus & petris blasphemi, id est, maioribus minoribus sanctis, cadite super nos per gratiarum impetrationem, & abscondite nos per intercessionem orationum ab irâ Agni*, q. d. Exorabunt sanctos & clamabunt defendite nos, nostrarumque blasphemiarum impetrate nobis veniam & remissionem, ac sub protectionis vestræ alis abscondite nos, & defendite ab irâ & indignatione diuinâ; ast non exaudientur, siquidem nec locus, nec tempus erit exauditionis, quia blasphemiæ tangunt ipsummet Dei honorem.

Euidentissimum igitur mortis periculum est, in quod se præcipitat infortunatus blasphemus, dum debitam peccatorum suorum nequit agere pœnitentiam, & hoc vt pluries Deus permittit, idque in pœnam horrendarum blasphemiarum, quas in illũ euomuit. Docuit hoc ipsum S. Ioannes in Apocalyp. cap. 16. vbi quosdam blasphemos se vidisse ait, qui dum dignas luerent pœnas, cœperunt horrendas eructare blasphemias, & quod peius est, nullam de suis erroribus commissis egerunt pœnitentiam : *blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam*, versic. 11. Sanctus Bernardinus tomo 4. serm. 33. rationem assignaturus, cur nimirum in horâ mortis blasphemi non agant pœnitentiam, ait, id prouenire ex eo, quòd nullius recordentur faciendæ pœnitentiæ : *blasphemus propter eius ingratitudinem in puncto mortis non recordatur pœnitendi se, & in isto modo remanet damnatus, quia est extra gratiam Dei.* Et tomo 1. serm. 41. cap. 2. explicans verba illa Jeremiæ Thren. cap. 1. vers. 3. *Omnes persecutores eius comprehenderunt eam inter angustias* sermocinatur hoc modo : *comprehenderunt blasphematoris animam, quasi inter duos muros. Sunt autem isti muri, murus peccatorum & murus infirmitatis ; murus peccatorum arcet eum ab ingressu cœli ; murus verò infirmitatis arcet eum ab hoc mundo, siue à corpore, & in hac angustiâ comprehendunt eum dæmones, & in infernum demergunt.*

Ex omnibus blasphematoribus, quorum meminit sacra scriptura, nullus legitur egisse pœnitentiam de suis peccatis. Num.15.
Lucifer vtpote blasphemorum primus & coryphæus ambiendo diuinitatem obstinatus remansit in hoc peccato. Cain blasphemando misericordiam Dei obduratus perseuerauit in desperatione ad mortem vsque. Sennacherib, manifestus Dei blasphemator post deperditionem sui exercitus ab Angelo destructi in pœnam blasphemiarum, quas in Deum protulerat, nõ solùm non egit pœnitentiam, verùm etiam reuersus in Patriam plurimos occidit filios Israel, vt se vindicaret hoc modo de dãno sibi illato, veluto refert Sacer textus Tobiæ cap. 1. Sacrilegus ille Nicanor, de quo 2. Machab. cap. 15. blasphemando omnipotentiam diuinam obstinatus permansit in suâ peruersitate vsque ad finẽ vitæ suæ. Peruersus latro, cuius lingua pessima blasphemauit filiũ Dei in cruce pendentem, nullâ actâ pœnitentiâ migrauit ex hac vitâ æternis adiudicatus flammis. Lucæ 23. & ratio est, quia blasphemus extremâ mortis suæ horâ non audet se recommendare Domino Deo, nec illius implorare auxiliũ ac expostulare veniam ; tunc enim primo cognoscere solet, quòd Deum toties grauissimis & horrendis suis offenderit blasphemijs.

Tot tantisque igitur miser blasphemus oppressus calamitatibus quid faciet? quid dicet? quibus se commendabit? S. Bernardinus tomo 1. serm. 41. cap 2. asserit illum se præcipitaturum in omnium malorum & calamitatum cloacam, quæ est desperatio, adeoque morietur desperatus: *blasphemi subitò morientes vbi non sperauerunt, comprehendentur scilicet inter angustias desperatæ mortis.* Hæ sunt pœnę, hæc digna sunt supplicia, quę Deus præparauit blasphemis in hac vitâ & specialiter in extremâ mortis horâ. Quapropter hoc opportuno tempore quilibet blasphemus sibi caueat, mutet vitam, agat pœnitentiam, planctu abluat maculas blasphemiarum, firmiter sibi proponat deinceps non blasphemare; sed corde & ore laudare, benedicere, & honorare sanctissimum Dei nomen, dicendo cum Prophetâ Psalm. 112. vers. 2. *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

Confessio.

DISCVRSVS X.

De sacramentali Confessione, eiusque Virtute ac effectibus.

Num. 1. PLAVDITE & collætamini, ô peccatores, gaudete & triumphate, ô peccatrices, etenim Deus Pater misericordiarum, tametsi innumerabilibus vestris sceleribus ad iracundiam sæpissimè concitatus, omnium horum nihilominus pollicetur obliuionem, promittit veniam, spondet remissionem & totalem indulgentiam, si tantummodo corde verè contrito ante Sacerdotis pedes prostrati, agnoscatis vestram culpam, confiteamini vestra peccata, ac firmum emendationio vitæ vestræ faciatis propositum: *Si impius*, inquit ille per os Ezechielis Prophetæ cap. 18. versiculo 21. 22. *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vitâ viuet & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.*

Et, vt verum fatear, N. inter beneficia singularia nobisque vtiliora magisque salutifera, quæ misericors Deus humano præstitit generi, annumeranda quoque est institutio S. Sacramenti Pœnitentię, in hoc namque cœlestem diuinę suę misericordiæ aperuit ostenditque thesaurum, in hoc, inquam, singularis Dei relucet pietas, ac excessiuus eius in homines resplendet amor, dum videlicet illud tanquam efficacissimam medicinam & saluberrimum antidotum instituit ad resanandas animæ nostræ infirmitates, tametsi enormes & grauissimas, in quas incidimus post deperditam gratiam & innocentiam in sacro Baptismo consecutam.

Excellentia igitur tanti tamque singularis beneficij primitus colligitur ex facilitate remedij. Ecquod enim facilius medium ad liberandum hominem à tot tantisque sceleribus (quorum quodlibet ipsum reum constituit ęternę damnationis & pœnę) potuisset vnquam excogitari desiderarive, quàm sacra confessio? Deus enim aliud non petit, nec exigit à peccatore, nisi vt accedat Sacerdotũ hominem ei ęqualem & similem, & vt sub Num. 2.

ſummo ſecreto, quale eſt Sigillum Confeſſionis, patefaciat illi ſua peccata, ſignificet illorum ſpecies, ſpecificet neceſſarias circumſtantias, & numerum: quod dum facit, dicente Confeſſario: *ego te abſoluo*, Deus illum quoque abſoluit & liberat ab omnibus culpis & peccatis quantumcumque grauibus & enormibus. Annon hoc ſingulare beneficiũ eſt?

Num. 3. Æquâ conſiderationis lance ponderat D. Chryſoſtomus homil. 3. de Verbis Iſa. diſcrimen, quòd eſt inter iudicium humanum & Diuinum; in illo enim dum reus ſeſe accuſat confiteturque commiſſum à ſe delictum, condemnatur ad pœnam exinde promeritam. in hoc verò quamprimum delinquens ſe accuſat, abſolutus & liber dimittitur: *in mundanis & forenſibus iudicijs*, inquit ille *poſt accuſationẽ & criminum confeſſionem reſtat mors; apud diuinum autem tribunal poſt accuſationem & confeſſionem criminum datur corona.* Si Deus Angelos, qui ſunt puri ſpiritus conſtituiſſet conſcientiarum noſtrarum Iudices, eſſet, cur timeremus refugeremuſque ipſis confiteri & manifeſtare peccata noſtra; aſt cum Deo ita diſponente Confeſſarij ſint homines fragiles, imperfecti, peccatores, fragilitatique humanæ obnoxij non minus ac reliqui omnes, cur erubeſceremus confiteri culpam noſtram, deterreremurque ab accuſatione ſcelerũ noſtrorum quantumcumque enormium? meritò quapropter ait D. Auguſtinus in Pſalm. 93. *cur confiteri erubeſcis peccata tua? peccator ſum, ſicut & tu: confitere homo homini, homo peccator homini peccatori.*

Num. 4. Cauſam inueſtigat D. Chryſoſtomus homil. 80. in Matth. cur benigniſſimus Saluator noſter potiùs S. Petrum Apoſtolum cum ſuis ſucceſſoribus & non Angelum quendam noluerit eligere in Vicarium, ac animarum noſtrarum conſtituere Iudicem, vt nos abſolueret à peccatis? & reſpondet pientiſſimum Deum totum id feciſſe in noſtri fauorem & gratiam, ut nimirum videntes hominem fragilem & peccatorem eò facilius inclinaremur ad manifeſtanda noſtra peccata perſuadentes nobis, illum fore nobis propitium ac miſericordiâ mouendum; non ita Angelum, qui cùm ſit impeccabilis, ſi graue quoddam audiuiſſet peccatum in Deum à nobis commiſſum, ſancto ductus diuini honoris zelo nos repuliſſet, nec vllâ commotus fuiſſet compaſſione, adeoque fuiſſemus damnati. Voluit igitur hoc munus deferre homini peccatori nobis non diſſimili. Aurea & pulcherrima auſcultate D. Chriſoſtomi verba. *Ideò non Angelis hæc eſt commiſſa poteſtas, qui nunquam peccauerunt, ſed homo paſſibilis ſupra homines ordinatur, vt dum in alijs ſuas recolit paſſiones mitem apud eos ſe præbeat & benignum.*

Cur igitur homini tali erubeſcis plerumque confiteri ſcelera & errores tuos, qui in præſentiâ omnium creaturarum non erubuiſti eos committere? *quem pudet* ait Anaſtaſius Nycenus in reſponſ. quæſt. 7. *propter ſalutem hominibus ſua aperire peccata, in illo die judicij non coram vno aut altero, ſed vniuerſo terrarum orbe vidente traducetur.* Illa ſanè vera dicenda erit verecundia, confuſio maxima erit. Norunt peccata tua Angeli cœli incolæ, non te id latet, ſciunt & Dæmones inferni, cognoſcunt inſuper plurimi homines tuorum complices peccatorum, & tu verecundaris adhuc ea confiteri Sacerdoti Chriſti vicario, Dei miniſtro, tuæque ſalutis Aduocato & Mediatori? noli expectare vltimam mortis horam niſi defraudari velis: *dic tu iniquitates tuas prior*, dicit Propheta Iſaias cap. 43. verſ. 27. juxta lectionem 70. Interpretum *ut juſtificeris. Dic tu prior*, explanat hunc locum S. Cyrillus, *ne te ille præueniat, præuentus diabolus in accuſatione vltrà nos accuſare non poterit. Dic tu prior*, ante nimirum horam illam tremendam & horrendam, horam, inquam, potius ſententiæ mortis quàm pietatis & miſericordiæ:

cordiæ: *præcurrat pœnitentia*, inclamat S. Petrus Chrysologus Serm. 167. *ne præcurrat sententia, ne judicemur, nostri judices simus, demus nobis pœnitentiam, vt possimus à nobis auferre sententiam.*

Num. 5. Salubre igitur & facile est N. hoc remedium Confessionis ad consequendam sanitatem animę mortali laborantis peccato, nam quamprimum Christianus ille statuit confiteri, peccatorumque suorum agit pœnitentiam, remissionem illorum consequitur. Expertus idipsum fuit & probauit regius Propheta, cui contrito de vitâ impiè transactâ ac confesso Deus illicò condonauit omnia, vnde dicebat Psalm. 31. vers. 5. *Dixi, confitebor ad versum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quam promptitudinem & liberalitatem Dei remittentis peccata pœnitenti Dauid admirans hîc S. Augustinus exclamat: *magna Dei pietas: nondum pronuntiat, sed promittit se pronunciaturum & Deus peccatum dimittit.*

Oseam Prophetam cap. 14. percurrite, & Deum vice quadam grauiter indignatum comperietis in populum suum ob enormia quædam, quæ admisit, scelera, & tametsi Deus sæpissimè atroces & seuerissimas eidem minatus fuerit infligere pœnas, nihilominus populus ille protervus & inobediens laxatis quasi habenis ad propriam currebat perditionem, tandem solitam eidem exhibiturus misericordiam, modum & methodum docet eandem, quam remissionis & veniæ consequendæ cupidus obseruare deberet: *conuertere*, inquit *Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tuâ*, vers. 2. q. d. ô popule Israel, ad me, qui sum Dominus Deus tuus, reuertere, qui in imam cecidisti scelerum abyssum. Et quæ nobis facienda sunt ad obtinendam veniam? *tollite nobiscum verba*, vers. 3. Paraphrasis Chaldæa hoc in loco legit: *afferte nobiscum verba Confessionis.* Quasi diceret Deus, iuxta interpretationem S. Hieronymi in hunc locum, & S. Chrysostomi homil. de Presb. aliud à vobis non exigitur, nisi vt confiteamini vestra peccata, totoque doleatis corde, quòd me offenderetis. O quàm salubre antidotum hoc est pro sanitate & salute animæ acquirendâ, & quis est, qui illo non vteretur?

Non me latet, plurimos sibi imaginari confessionem veluti rem arduam & difficilem, at effectu facilis, suauis omninò & iucunda eisdem erit, si internas considerauerint cōsolationes, quas animæ apportat, non aliter sentit Propheta regius Psalm. 93. vers. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et hoc solatium tantò magis experiebatur agens pœnitentiam de suis peccatis, quemadmodum ex hoc loco colligit S. Hieronymus dicens: *hoc est, quod dicit, quoties egi pœnitentiam, toties me consolatus es. Vnam fudi lachrymam, vnam merui consolationem, decem fudi lachrymas, decem merui consolationes, quantumcumque fuit pondus pœnitentiæ, tantus fuit & consolationum numerus.* Veritatem hanc meritò fatebuntur omnes, quotquot vero corde cōtriti & confessi veram de commissis suis erroribus egerunt pœnitentiam, quorum lachrymæ tametsi videantur amaræ propter dolorem, suauissimum nihilominus diuinâ gratiâ illę fiunt conuiuiū, in quo animæ sese recreant & refocillant: *Fuerunt*, ait idemmet Propheta Psalm. 41. versic. 4. *mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* In quem locum disertissimè ait S. Hieronymus: *quomodo potest de lachrymis panis fieri? quia sicut corpus satiatur de pane, ita anima in lachrymis, quia exinde sperat remissionem peccatorum habere.*

Num. 6. Hinc est, quod sacramentum pœnitentiæ, dum nos reconciliamus Deo, causet in nobis pacem, serenitatem & tranquillitatem conscientiæ, quâ mediante indicibilem assequimur spiritus consolationem, conformiter asserit Concilium

cilium Tridentinum Sessione decima quarta, cap. 3. *Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris pijs & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus conscientiæ pax ac serenitas, cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet.*

Num. 7. Non sine urgente ratione, ait doctissimus Oleaster, præcipiebat Deus in lib. Leuit. cap. 23. ut mense septimo post collectam messem tubarum clangore apparatuq; sumptuosissimo solemne quoddam celebrarent festum. At in quo consistet festiuitatis huius celebratio? *affligetisque animas vestras in eo & offeretis holocaustum Domino*, versiculo vigesimo septimo. q. d. Celebratio festorum lætitiæ & triumphi consistet in afflictione & mortificatione carnis & corporis vestri, in pœnitentiâ & dolore: *Festum*, inquit cit. Oleaster in hunc locum, *miscuit afflictioni peccatorum, vt ostenderet, quod etsi nihil sit dolore peccatorũ acerbius, nihil tamen iucundius quàm de peccatis ipsis dolere.* In hoc etenim dolore in hisce lachrymis mira includitur lætitia & indicibile gaudium. Annon igitur tibi, ô Christiane, effectu facile videtur hoc confessionis remedium ad salutem animæ tuæ obtinendam?

Num. 8. Verùm quid dicemus de efficacia huius remedij? assererem ego facilè, nusquam locorum totius mundi reperiri medicinam adeò efficacem & salutarem, quæque tam perfectè indubitateq; sanare possit corporis infirmitatem, quã cœlestem hanc medicinam, curat, sanat cunctas indispositiones ac infirmitates animæ quantumuis grauissimas, mortiferas & enormes. Accedat peccator Sacerdotem quibuscunque grauatus & oneratus sceleribus & abominationibus, quas vnquam sibi quispiam imaginari poterit, confiteatur & accuset se, nec ex parte sua ponat obstaculum virtuti Sacramenti huius, & in instanti, quo Sacerdos finit huiusmodi verba: *ego te absoluo*, in illo, inquã, instanti absque vllâ prorsus morâ reus absolutus remanebit ab omni prorsus culpâ sanus, & liber euadet ab omni animæ infirmitate.

S. Isidorus libr. 1. Syno. capite 31. â quodam vice quâdam interrogabatur: *Nosse cupio, si est spes in confessione, si est remissio, si est venia?* cui sanctus hic Pater: *est planè, est prorsus, est vtique, est profectò, est proculdubio. Confessio sanat, confessio iustificat, confessio peccati veniam donat, omnis spes in confessione consistit, in confessione locus misericordiæ est, nulla tam grauis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam.* Et concludit deinde hisce verbis: *Certissimè igitur crede nullo modo hæsites, nullo modo dubites, nullatenus de misericordiâ desperes.* Paucis multa complecti volebat: confitere solummodo, ô homo, peccata & scelera tua, & obtinebis absque vllo prorsus dubio veniam & remissionem omnium peccatorum.

Si miser & infœlix Cain (teste beato Thoma de Villâ nouâ serm. in Dom 3. Quadr.) dum interrogabatur à Deo: *vbi est Abel frater tuus?* Genesis 4. versiculo nono, non se excusasset dicendo: *nunquid custos fratris mei sum ego.* Sed se accusasset, fassus fuisset peccatum à se commissum, petijssetque veniam, eam indubiè obtinuisset; at quoniam pertinax fuit, meritò à conspectu Dei repulsus fuit, & damnatus perijt. *Propter hanc obstinatam imprudentiam*, inquit Beatus Thomas, *à facie Dei proiectus & damnatus est. Qui si peccatum suum confessus fuisset, & pœnitens misericordiam postulasset, proculdubio mitiorem sententiam accepisset.* Num. 9.

Et Matth. cap. 22. reperietis, ei, qui conuiuium accessit non indutus veste nuptiali, dictum fuisse à Rege: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* versiculo duodecimo. Ad quorum verborum prolationem tremefactus & attonitus miser ille obmutuit: *at ille obmutuit.* Vnde indignatus Rex præ-

præcepit eum ligatis manibus & pedibus præcipitari in imum inferni barathrum: *tunc dixit Rex ministris, ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Versiculo decimo tertio. Factum hoc N. diligenti peruoluite animo. Quærit venerabilis Gualfridus in Alleg. Tilman. in capite vigesimo secundo Matthæi, quando & cur infœlix ille homo condemnatus fuerit? Et respondet, id accidisse, non quia conuiuium intrauit destitutus veste nuptiali; sed quia interrogatus non respondit, nec confessus est suum peccatum. *Tunc ait Rex ministris. Tunc videlicet*, ait hic Doctor, *non vbi ille sine nuptiali veste introiuit, sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.*

Num. 10. Multò melius sibi consuluit Publicanus ille Lucæ 18. dum maximum se agnoscens peccatorem fassus est culpam suam dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* vers. 13. Et illicò optatam consecutus est gratiam & veniam: *descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* vers. 14. Vnde S. Ioannes Chrysostomus hom. 62. ad pop. Publicani huius mentionem faciens dixit: *criminum accusatio facta est illi criminum remissio.*

Grauissimam Deus eis indixerat pœnam, quicumque ausi essent occidere Cain, vti habetur Gen. 4. *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* vers. 15. Hoc tamen non obstante paucis transactis annis miserrimus Cain obuius fit Lamecho & ab eodem occiditur, veluti hic proprio id fatetur ore, loc. cit. v. 23. *Occidi virum in vulnus meum.* En, ô æquissime Deus & Iudex, occisorem, ecce delinquentem, sponte & sine vllâ torturâ ille ipsemet confitetur se occidisse Cain: procedatur igitur ad pœnam, seruetur iustitia, & castiga illum. Nihilominus perlegite N. totam sacram Scripturam, nec inuenietis unquam, quòd Deus castigauerit Lamech ob patratum hoc scelus. Et quî hoc, ô Domine (ait hic Theodoretus:) siccine igitur ille impunitus transibit? iampridem Cain occidit innocentem quoque Abel, neque morti illum adiudicasti; nunc Lamech interfecit Cainum, & tua Diuina Majestas eundem haud punit; non castigat? & quid aliud superest, nisi quòd indies magis magisque increscet malitia & audacia hominum, ac sese inuicem interficient? castiga ergò & puni illum, ô Domine. Ah non morietur Lamech, & cur? quia confessus est peccatum suum. *Occidi virum, &c. euasit pœnam*, ait Theodoretus in Gen. *qui propter peccati confessionem, & contra se ferens sententiam, euitauit sententiam diuinam.*

Huic non absimilis est casus ille, qui legitur in lib. Gen. cap. 38. de Patriarchâ Iudâ quarto genito Iacob, commiserat enim ille nefandum incestum, & Deus nihilominus eum non puniuit. Quomodò, ô Domine Deus, ubi tua manet iustitia? itáne peccatum adeò enorme impunitum transire finis? S. Ambrosius in hunc locum rationem huius assignans ait: Iudam non fuisse castigatum à Deo, eò quòd agnouerit & confessus fuerit peccatum suum dicens: *iustior me est*, vers. 26. q. d. Ego sum reus, ego commisi delictum illud, ac propterea ego promeritus sum pœnam illam, & non ipsa: *ideò culpa eius*, inquit S. Ambrosius, *deputatum non est, quia ipse prius se accusauit, quàm ab alijs accusaretur.*

Efficacissimam hanc Confessionis virtutem peroptimè cognouit filius prodigus Lucæ cap. 15. dum ad se reuersus & vitam, quam pessimè & luxuriosè egerat, detestans, paternam statuit repetere domum, cum intentione agnoscendi culpam suam. Bonum hoc & sanctum exequitur propositum, ad patrios reuertitur lares, & prostratus ante pedes pientissimi patris sui errorem suum fassus est, & deplorauit, amarissimas fundens lachrymas & suspiria dicens: *Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus*

vocari filius tuus, versic.21. Et ecce misericordiâ commotus bonus ille Senex: *ac currens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* vers.20. Ast quâ in parte benignus Pater dedit osculum filio reuertenti, in genis vel in ore? respondet S. Ioannes Chrysostomus hom. de filio prod. Patrem osculatum fuisse os filij. Et cur os potiùs quam genas? *osculatur os*, replicat os aureum, *per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam Pater latus excepit.* Vt exinde nimirum intelligeremus, quàm heroicam & Laureâ dignam exequatur actionem Christianus, qui cõfitetur peccata sua, os etenim quo illa manifestantur, osculo Domini Dei meretur ditari & condecorari: *osculatur os, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam Pater latus excepit.*

Num. 11. Insuper audite, quod refert S. Euangelista Lucas cap. 23. de bono illo Latrone; hic postquam vitam suam latrocinijs, furtis, rapinis transegisset, comprehẽsus tandem iustissimè condemnatus fuit ad opprobrosum Crucis supplicium subeundem, vnde extremum vitæ suæ aduertens adesse terminum, horrendísque sentiens prægrauatam conscientiam suam sceleribus, confessus est culpam suam dicens: *nos quidem iustè, nam digna factis recipimus.* versic. 41. Vnde & sine morâ desideratam obtinuit veniam & remissionem, dum audiuit Christum Dominum sibi hæc dicentem: *hodie mecum eris in paradiso*, vers. 43. Hanc confessionem admirans S. August. serm. 130. de tempore prorupit in hæc stupenda verba: *Vide, quanta res sit confessio? confessus est latro, & paradisum aperuit, confessus est & tantæ fiduciæ robur accepit vt de latrocinio regnum deposceret.* Et S. Ioannes Chrysost. non minus eleganter de hoc eodem sermocinatus est serm. de Latrone: *ecce quantum præstitit Confessio, vt sine dilatione introduci latro mereretur in paradisum.*

Num. 12. Verum, vt transitum faciamus ad alios stupendos effectus, qui ex Confessione dimanant; dicam, quòd mediante illâ cunctæ ab animâ tollantur & abluantur maculæ, & ex sordidâ ac deformi efficiatur pulchra & diuino conspectui grata: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius*: cecinit Propheta Dauid Psalm 95. vers. 6. desideráſne igitur, ô peccator, euadere decorus, gratus & charus Deo? quærit Sanctus Augustinus supra præfatum locum, Confitere peccata tua. *Pulchritudinem amas?* dicit S. Doctor, *vis esse pulcher? confitere. Fœdus eras? confitere, vt sis pulcher. Amamus pulchritudinem? prius eligamus confessionem, vt sequatur pulchritudo.* Et S Bernardus Epistol. 113. ad Virg. Soph. ita scribit: *ama confessionem si affectas decorem. Confessioni iungitur decor, iungitur pulchritudo.*

Num. 13. Quòd si dicere vobis, ex confessione peccatoris verè contriti summum in Deum redundare honorem & gloriam, difficulter vos mihi fidem adhibituros non ignoro, id tamen nunc probabo. Sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. ca. 7. ait, finem iustificationis impij esse gloriam Dei & Christi filij eius: *iustificationis causa finalis est gloria Dei & Christi.* Et iampridem hoc idem insinuauit Apostolus Paulus ad Rom. cap. 3. versic. 23. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei*, nimirum pœnitentiâ, quam Deus veluti gloriam suam æstimat. Ita D. Anselmus, Glossa Interlin. S. Augustinus de Spirit. & lit. capite 9. interpretantur præfatum locum Apostoli dum aiunt: *Gloria Dei, id est, gratia Dei gloriosa, qui iustificantur.* Sicque conuersio peccatoris non aliter æstimatur ac gloria Dei.

Percurrite librum Iosue cap. 7. & gloriam Dei mirabiliter præfiguratam inuenietis per conuersionem peccatoris in facto illo Achan, qui contra præceptum diuinum ex spolij Hierichuntinis furatus fuit quasdam pecunias, quòd cum aduertisset Iosue, vocauit illum ad se, dixitque: *fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere*, versic. 19. Ecquis non de-

miraretur

miraretur hunc loquendi modũ? postulat ab homine inobediente, & fure, vt confiteatur: *confitere*, & vt sic tribuat gloriam Deo, *da gloriam Deo*. Ecquam, iamabo, gloriam poterat Deus recipere ab Achan, qui promerebatur Infernum? magnam profectò & quâ maiorem non posset quis sibi imaginari, ait in hunc locum doctissimus Caietanus, nam agnoscendo & confitendo culpam suam, obtinuisset subitò veniam & remissionem sui delicti, & hoc sibi reputasset Deus pro maiori gloriâ, quàm à nobis recipere posset. *Confitere & da gloriam Deo, Manifesta*, inquit Caietanus, *quod indicat, quid fecerit, erit ponere honorem Deo, & dare confessionem laudis illi*. Et Hugo Cardinalis in hunc locum subjungit: *Et Confessio peccatoris pertinet ad gloriam peccatum dimittentis*. Et ex hisce iam intelligetis verba illa, quibus Ecclesia utitur in Sacrosancto Missæ sacrificio: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Vult enim verbis hisce cunctos nos exhortari fideles, vt debitas Deo refundamus gratias ob infinitam eius misericordiam; quam continuò nobis exhibet remittendo nobis peccata, quod ipse summo sibi ducit honori & gloriæ.

Num. 13. Sancta Mathildis (dum secundâ Dominicâ Aduentus cantabantur in sacrificio Missæ verba illa Isaiæ capite trigesimo: *Auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ*. versiculo trigesimo. Exoptans intelligere & scire, quænam esset illa vox, quâ Deus glorificaretur, per reuelationem simile accepit responsum: hæc est vox gloriæ meæ, quando anima pœnitens amarissimè dolens de peccatis suis, meretur audire ex ore meo diuino verba illa: *remittuntur tibi peccata tua, vade in pace*.

Rectè hinc infert magnus Pater Origenes hom. 23. in Numer. Dominum Deum celebres agere triumphos & festa ob salutem & saluationem hominum: *Deo magna festiuitas humana salus*, Et subjungit idē Doctor, toties id Deum agere, quasi jubilare & triumphare, quoties aliquis conuertitur ad eum per pœnitentiam & confessionem: *ego puto, quod per singulos credentium, qui conuertuntur ad Deum, festiuitas oritur Domini*.

Lectione percurrite Prophetam Ieremiam capite decimo tertio, & reperietis, quod hic Propheta sermocinaturus supremam nitatur sibi conciliare attentionem: *audite* (inquit ille) *& auribus percipite &c. quia Dominus locutus est*, versiculo decimo quinto. Extraordinarius abs dubio fuit ille Sermo Dei, cum summa ibidem requiratur attentio. Quid ergo dicis ô Ieremia? *Date Domino Deo vestro gloriam*. vers. 16. Et quid sibi hoc? respondet S. Hieronymus in hunc locum: *eos, quibus dixerat sermo diuinus: audite & auribus percipite, nunc prouocat ad pœnitentiam*. Exhortatur, inquit sanctus ille Doctor, peccatores ad dandam gloriam Deo agendo pœnitentiam, vt hinc intelligas, quòd si Deus capax esset maioris gloriæ & Majestatis, hanc ei tribueret peccator pœnitens.

Cùm igitur Sacramentalis Confessio sit adeò facilis, efficax & fructuosa, vti hucusque intellexistis, resoluitote ergo vos, si durum infernalis Sathanæ jugum à vobis excutere, & in pristinam Dei amicitiam redire desideratis, ad amplexandum pœnitentiam, dolentes toto corde de commissis hactenus erroribus cum firmo proposito nunquam imposterum offendendi Deum, non intermittentes examen conscientiæ, omnem adhibentes in eo diligentiam, quasi negotium quoddam summæ considerationis & vtilitatis peragendum vobis esset. quod si namque ex defectu huius examinis obliuiscerem ni alicuius peccati mortalis, inualida omninò esset cōfessio illa. Idem prorsus dico, si malitiosè aut ex pudore seu verecundia omitteretis in confessione peccatū quoddam mortale, aut etiam aliquo modo vos excusaretis? Num. 14.

Vnde namque Protoparentis nostri Adami & omnium posterorum ruinam causatam esse opinamini N. non aliunde, nisi quia peccatum suum subticuit & non confessus est. Nam cùm diceret ei Deus: *Adam, Adam vbi es?* Genes. cap. 3. vers. 9. (quibus verbis iuxta opinionem Glossæ in hunc locum, D. Gregorij Papæ lib. 22. moral cap. 9. & Tertulliani contra Mar. inuitabatur ille ad confessionem) loco eius, quòd se in terram prosternere, ac peccatum suum confiteri debebat, se excusauit cū muliere, dicens: *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi,* vers. 12. Vnde subitò fuit eiectus è paradiso. *Miser ille* (inquit S. Thomas de Villâ-nouâ fer. in Dom. 3. Quadrag.) *qui prostratus in terram, confiteri debuerat peccatum suum, & dicere: Domine miserere mei, se potius cum muliere excusauit, vnde propter impœnitentiam cum suâ posteritate damnatur.* Et concludit deinde: *ecce quantum obfuit mundo, nolle confiteri peccatum.*

Et S. Augustinus serm. 3. in hunc locum opinatur ac firmiter credit, quòd si Adamus promptam ac liberā tunc temporis instituisset confessionem erroris sui admissi, nec se excusasset conijciendo culpam in mulierem, illicò consecutus fuisset veniam ac remissionem suorum peccatorum & quoad culpam & quoad pœnam, nec è paradiso exturbatus fuisset: *Si humiliter se accusasset,* ait ille, *& in auctorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset.* Ast quia Deum quasi auctorem peccati sui voluit facere, dicendo: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno & comedi.* Ideò eiectus fuit è paradiso terrestri. Ecce igitur N. quàm vtilis & fructuosa sit Confessio, vt à Deo remissionem consequamur nostrarum iniquitatum.

Num. 5. Simile factum legitur in lib. Genes. ca. 4. peccauit Cain committendo fratricidium, dum nimirum interfecit innocentem Abel, & ecce quamprimum petijt ab illo Deus confessionem patrati nefandi sui sceleris, dicens; *vbi est Abel frater tuus?* vers. 9. en prudentem Confessarium, quomodo interrogat illum de peccato, non alium in finem, nisi vt ab eo extorqueat liberam quandam confessionem, habeatque ansam ipsum absoluendi. Nec dubitandum est, ait D. Ambrosius lib. de parad. quod si Cain tunc confessus fuisset peccatum suum, remissionem impetrasset; at quia subticere peccatum suum, Deoque impertinenter respondit dicens: *nunquid custos fratris mei sum ego?* vers. 9. Ideò nullam obtinuit veniam fratricidij. Num. 6.

Non sic fecit Propheta Dauid, sed statim ac sensit conscientiam suam crimine grauatam, confessus est illud Deo, dicens: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meā non abscondi.* Psalm. 31. vers. 5. quem locum D. Gregorius Papa in Psalmum secundum pœnit. explicando ait: *ille delictum cognitum facit, qui non solùm, quod fecit, annunciat, sed etiam omnem peccati causam & originem narrat.* Et patientissimus Iob. cap. 31. versic. 33. de ipso loquens dicit: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* Translatio Hebræa habet: *Si abscondi quasi Adam peccatum meum.* Et dicere volebat, statim, vt se agnouit culpabilem & reum alicuius peccati, Deo illud manifestauit, non fecit veluti Adam, qui peccatum suum excusare & palliare quæsiuit. *Quasi homo, id est*) vti exponit S. Thomas hunc locum) *sicut homines facere solent, peccatum indebitè negando, vel excusando.*

Noli erubescere, ô peccator; non te pudeat in Confessione agnoscere peccata & scelera tua, hoc namque opus Dœmonis est, qui omni conatu, modo & viâ tuam molitur damnationem: *Duo sunt* dicit S. Chrysostomus hom. 3. de pœnit. *peccatum & pœnitentia, fiducia & verecundia; sed Sathanas inuertit ordinem, deditque verecundiam pœnitentiæ, fiduciam*

verò peccato. Sepone igitur pudorem & verecundiam, & accede Confessarium fatere peccata tua; si in pristinam Dei amicitiam redire exoptes.

Sed dic mihi, amabo, (sic tibi loquitur D. Augustinus de vtilit. pœnit.) quo vrgeris motiuo, vt erubescas confiteri peccata tua cuidam homini, qui non erubuisti ea committere in ipsiusmet Dei præsentia? num id grauius fortassis est, quàm hoc? O magnam peruersitatem! non erubuisti te cõtaminare & defœdare scelerum sordibus, & ab illis lauari & mundari verecundaris? non te puduit proterυè peccare in præsentiâ Creatoris tui, & erubescis te accusare coram quadam creaturâ? largius non timuisti ebibere venenum, & medicinam reformidas bibere? & quomodo lethales plagas & vulnera tua curare & sanare poteris, si refugis Medicum, vitas medicamenta? annon maiori pudore & rubore dignum est committere peccatum, quàm illud iam patratum tegere, excusare aut etiam subticere in confessione.

Ast id maiori dignum est admiratione & stupore (inquit sanctus Augustinus lib. 2. de Visitat. infirm. cap. 5.) quòd interdum non verecundaberis dumtaxat mentionem facere tuorum enormium peccatorum & coram eis, cum quibus peccasti, & cum alijs quoque; sed, quod peius est, sæpissimè gloriaberis teque iactabis de eisdem, idque publicè & cum tui damnatione, & erubesces posteà errores tuos & defectus confiteri Sacerdoti cum summo tuo commodo & salute animæ tuæ? O stulte & insipiens, annon hoc est, apertè ineptire? ergóne pro illâ modica verecundiâ, quam sentis in manifestando tuo peccato, potius vis perdere & Deum & salutem æternam, faciendo te reum in perpetuum infernalium flammarum? annon melius est modicam nunc subire passionis subitò transeuntis amaritudinem, quàm æterna pati tormenta? *Heu cur erubescis* (ait S. August.) *confiteri, quod facere nequaquam erubuisti.* Et S. Ioan. Chrysost. serm. de Confess. peccat. *quid horres fateri, quod libenter ac properè commisisti? cur confunderis dicere, quod non confusus es perpetrare cur vereris Domino indicare, quod non veritus es ipso præsente committere?* Et S. Bernard. in sent. tuam admirans dementiam ita te alloquitur: *cur te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? quod si forte pudor est tibi, vni homini & peccatori peccatũ tuum exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita tua conscientia patebit.* Et S. August. vbi suprà te exhortatur ad Confess. faciendam hac efficaci ratione: *melius est coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui repulsâ denotatum tabescere.*

Ad subterfugiendã ergo tam magnam Confusionem aliud non superest remedium, nisi vt tempestiuè scelera tua manifestes in confessione. Et si illius desideres aliqua exempla, considera magnum Regem Israëlitarum, qui non solum confessus est delictum suum Nathan Proph. dicens: *peccaui Domino.* 2. Reg. cap. 12. vers. 13. verùm etiam toti id manifestauit orbi, dum in hunc finem plurimos conscripsit psalmos. Num. 17.

Contemplare etiam S. Apostolum Paulum, qui non vni dumtaxat homini, verùm etiam toti mundo publicauit sua peccata licet grauissima, vnde ait se fuisse blasphemum, persecutorem Ecclesiæ, & quamplurima alia commisisse peccata.

Maria Magdalena post patrata enormia scelera nõ erubuit in conuiuio multorum sese prosternere ante pedes Christi Domini, confitendo & plangendo amarè vitam suam pessimè transactam, Lucæ. 7.

S. Augustino (teste Possid. in vitâ S. Augustin.) non sufficiebat dumtaxat confiteri sæpissimè grauissima sua pecca-

ta ante conuersionem suam commissa, verùm etiam Voluit ea annotare in chartâ, vt omnibus etiam posteris innotescerent.

Quod si igitur hi omnes non verecundati fuerunt errores suos toti manifestare Mundo, cur te pudebit eos manifestare vni soli homini? Depone igitur, ô Christiane omnem pudorem & ruborem, & confitere peccata illa, quæ sine pudore commisisti, vt sic simul cum peccatrice Magdalenâ merearis à Christo Domino audire suauia illa verba: *remittuntur tibi peccata tua: Vade in pace.*

Conuersatio Malorum.

DISCVRSVS XI.

De grauissimis & euidentissimis damnis, quæ causantur ex malorum Conuersatione, vnde & summopere debent euitari.

Num. 1. VNVM è grauioribus malis & damnis, quod homini in hoc mundo euenire potest; est conuersatio & Societas personarum peruersæ vitæ & pessimis imbutarum moribus. Ita in sacrâ legitur Genesi cap. 6. vbi S. Moyses vniuersalis diluuij assignans rationes, inter alias hanc vnam adducit dicens: *videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores, &c.* versic. 2. Et hæc vna fuit è principalioribus causis, ob quam Deus prouocatus ad iram & indignationem seuerissimè totum castigauit mundum. Per filios Dei (vti exponunt Tertullianus, Theodoretus & alij apud Cornelium à Lapide) intelligit Moyses filios Seth, quia hi secuti pij Parentis sui exemplum conseruarunt se in gratia Dei: per filios verò hominum intelliguntur posteri descendentes à Cain, qui Patris sui peccata hæreditarunt, vnde Glossa ordinaria exponendo hunc locum dicit: *videntes filij Seth religiosi mulieres descendentes de Cain, quæ erant curiosæ, dissolutæ & lubricæ.* Sic & locum hunc interpretatur S. Chrysostomus hom. 22. in cap. 6. Genes. *quia isti* (ait hic S. Doctor.) *(à Seth originem habebant, vti sunt filij Dei in diuinis Scripturis, eò quòd parentes eorum illius virtutem imitati sunt; inter hos autē Cain, & qui ex eo nati sunt, & qui ante Seth geniti fuerunt filios hominum vocat.* Nec mirus hic loquendi modus videatur, quòd peccatores filij vocentur hominū, ita enim & appellantur Psalm. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde?* versic. 3. & Psalmo 61. *Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris.* versic. 10. Volebat igitur dicere Moyses: Videntes filij Dei, nimirum descendentes de Seth, quòd filiæ hominum, id est, descendentes de Cain essent pulchræ, ceperūt eas sibi in vxores. Et ecce Deus exinde adeò indignatus est, vt subitò immiserit diluuiū, omnesque deperdere statuerit: *non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Genes. 6. versic. 3. Hic minus facere nequeo, quin exclamem & dicam: num adeò magnum peccatum est hoc, ô Domine Deus, num, inquam, accipere mulierem in vxorem tam graue scelus est, vt propterea totus terrarū orbis mereatur destrui & deperdi? annon diuina tua Maiestas permisit imò præcepit connubium? *Crescite & multiplicamini; & replete terram.* Genes. 1. versic. 29. Cur igitur adeò regi-

rigidè & seuerè castigas illos? exoptatisne cognoscere causam N. propter innumera peccata, quæ commiserunt, nubendo & associando se malis & impijs mulieribus de stirpe Cain peruersâ & sceleratâ descendentibus. Quamprimū hisce nupserunt, earumque vsi fuerunt conuersatione & societate, impij, scelerati ac diuinæ legis transgressores & ipsi euaserunt, vt propterea meritò à Deo puniti fuerint.

Num. 2. Et in eâdem sacrâ Genesi reperietis cap. 19. quòd Deus iam iam sese resoluerat igne & sulphure absumere infames & nefandas illas ciuitates Sodomæ & Gomorrhæ, at quia ibidem demorabatur Loth fidelis seruus eius, moram traxit, quousque duos mitteret Angelos, qui manum ipsius apprehendentes, & vt loco illo festinaret egredi seriò monentes, dixerunt: *in montem saluum te fac*, v. 17. q. d. Festina, festina, quid diutius hæres? quid cogitas: accelera gradum, & montem ascende. Ad vocē hanc obstupuit Loth. eumque hæc aut similia illis respondisse credo: ad quid isthæc acceleratio; eccur abhinc mihi fugiendum est? subiungunt Angeli: *ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis*, vers. 15. & 17. quasi vellent dicere: annon vides horrenda illa scelera, quibus hæc ciuitas hæret immersa? annon conspicis, quòd pestifer scelerum illius fœtor in cœlum vsque ascenderit? & tu adhuc tardas abhinc abire, ab hisce sceleratis hominibus non fugis, non discedere festinas? eia Loth, amabò, salua te. *Ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Obstupesco hic N. & demiror summopere Angelos hosce hic loquentes: Nam tota ciuitas illa iam iam absumenda erat igne & sulphure, & Angeli nihilominus dicunt ei: *ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Meo judicio potius dicendum erat: *ne & tu pariter pereas in igne ciuitatis.* Fuge abhinc quàm velociter, ne flāmâ obsumatis & sulphure. Ast benè & rationabiliter dixerunt Angeli, significare namque volebant, difficilius esse, morari inter peccatores & homines peruersæ vitæ, & non ab illis infici aut peruerti quempiam per prauam eorum societatem; quam vitam seruare illæsam in medijs flammis, de hoc etenim loquens Deus dixit Isaiæ cap. 43. vers. 2. *cùm ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te.* Ast de peccato locutus est per os regij Prophetæ Psal. 17. vers. 27. *& cum peruerso perverteris.* Ac propterea præcipitur Loth, vt ocyssimè illinc discedat: *ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* ut hinc intelligamus, quòd societas quædā malorum in extremam nos redigere possit perniciem.

Num. 3. Hinc est, quòd justus plurimùm sibi timeat, ne à malorum inficiatur societate, adeò vt, vbi videt commorari peruersos & sceleratos, quàm citissimè illinc fugiat, eosque cane peius & angue devitet. Vnde mira & stupenda notat Rupertus Abbas de magno Patriarcha Abrahamo; illo, inquam, cui Deus toties apparuit; suamque aperuit mentem & voluntatem diuinam. De hoc igitur Patriarchâ lego in sacra Genesi, quòd quoties ei Deus apparebat, toties ille eodem in loco erigebat altare, Deoque offerebat sacrificium quoddam in recognitionem beneficij, gratiæ & fauoris, quem ipsi Deus ibidem præstabat. Ita Gen. cap. 12. apparebat illi Deus & dicebat: *Semini tuo dabo terram hanc.* vers. 7. Et statim subjungit sacer textus: *ædificauit ibi altare Domino qui apparuerat ei.* vers. 7. Sic Gen. cap. 13. apparuit eidem Deus, promisitque multiplicationem suæ prosapiæ, & scriptura sacra subdit: *ædificauitque ibi altare domino.* vers. 18. Sic pariter quando dixit illi Deus, ne vltrà sacrificaret filium suum, subjungit scriptura: *obtulit holocaustum pro filio.* Gen. 22. vers. 13. In summa quoties Deus similem ei præstitit gratiam, toties Abraham deuota sēper obtulit Deo sacrificia. Vnà tamen

tamen excepta vice dum sanctus hic Patriarcha domi suæ resideret, nescio quâ de causâ patrię suę incolę diuinam cœperunt transgredi legem, cœperunt, inquam, falsos colere Deos, aliaque nefanda patrare peccata. Siccinè? inquit Deus, si seruus meus Abraham hoc in loco & patriâ suâ diutius demoraretur, summè & ipse periclitaretur animæ suæ salute? non, discedat abhinc ocyssimè, haud quaquam consultum est, vt hîc diutius remaneat. Quapropter apparuit ei, præcepitque dicens: *egredere de terrâ tuâ, & de cognatione & natione tuâ, & de domo Patris tui.* Gen. 12. vers. 1. Fuge adhinc charissime Abraham, propera, desere patriam, domum, cognatos & amicos tuos, non mihi admodum placet, vt inter homines huiusmodi adeò sceleratos habites & conuerseris, & multa deindè ei pollicitus est: *faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi.* vers. 2. Abraham vt audiuit terram & patriam suam inhabitari à peccatoribus, lubens illinc discessit, nec solitâ vtitur cæremoniâ, nec ædificat altaria, nec occidit victimas, nec offert sacrificia, nec solitam denique rependit gratiam, nihil horum; solùm discedit & fugit. Ecquæ noua isthæc rusticitas & inurbanitas? annon Deus hîc ei apparauerat? cur igitur gratum non sese ei exhibet? deinde quod maius ipse beneficium recipere poterat, dum à medio liberatur sceleratorum & impiorum hominum, promissisque ditatur præclarissimis, & Abraham discedit insalutato hospite, solitoque omisso sacrificio? Sciréne cupis, quid hisce significare voluerit? Deus manifestarat Abrahamo, terram illam inhabitari à peruersis & sceleratis. Itanè? inquit ipse, nolo igitur in impiorum hâc regione diutius commorari, ne quidem, vt Deo meo sacrificem, præstolabor, terra hæc est peruersitate & malitiâ infecta, maledicta patria hæc est, quæ quemque ad peccandum allicere & peruertere potest: *periculum est in morâ*, citò, citò, foras, foras, nullatenus hîc est sacrificiorum locus: *egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus.* vers. 4.

Similiter & Sanct. Patriarcha Iacob, dum præuideret, quanta ei mala & damna causare poterat societas mala fratris sui Esau, resoluit se ab illo discedere & fugere, veluti facto ipso declarauit: *profectus ergo Iacob* (ait Sacra Scriptura) *venit in terram Orientalem.* Gen. cap. 29. vers. 1. Gloriosus Pater S. Ambrosius libr. de Iacob & vitâ beatâ singulari acumine legit hæc verba: *eleuans Iacob pedes, abijt in terram Orientis.* q. d. Gressum accelerauit Iacob, & processit versus Orientem. Et benè, ô Doctor sancte, quidnam exinde concludis? & respondet; *Separatus Iacob à peccatore Esau eleuans se, statim cœlo appropinquare cœpit.* Eodem illo momento & tempore fugit bonus Iacob pessimam Esau conuersationem, & illicò ad cœlũ sese attollere cœpit; quod non fecisset, si in societate cuiusdam hominis adeò scelerati, veluti erat Esau, commoratus fuisset. Num. 4.

Et aliâ quâdam occasione idem S. Patriarcha Iacob inuitatus ab Esau ad iter simul agendum: *gradiamur simul eroque socius itineris tui.* Gen. 33. vers. 12. excusauit se ille dicendo *nosti Domine mi, quod paruulos habeam teneros, &c præcedat Dominus meus ante seruum suum.* vers. 13. & 14. q. d. excusatum me habe, charissime frater, quòd me itineris tui non adiungam comitem, mecum enim habeo aliquos infantulos, qui adeò celerrimè nequeunt progredi. Rupertus Abbas lib. 8. in Gen. cap. 18. in hunc locum commentans ait: *in hoc ostenditur, quid electi facere debeant, ne salutem ad modicum cum impijs gradiantur.* Hoc facto instruit nos Iacob fugere malorum societatem, vt ne quidem per vnicum momentum admittamus impiorũ conuersationem, nam vti inquit Spiritus sanctus secundum expositionem Eucherij in

in Genes. qui longè stat à peruersorum hominum societate, habebit Deum pro amico.

Num. 5. Sanct. Euangelista Matthæus cap. 18. suæ Euangelicæ Historiæ mentionem facit illius naucula, quæ exortâ tempestate in medio maris fluctuans summè periclitabatur, adeò, vt, tametsi Christus Dominus præsens in eâ fuerit, in manifesto nihilominus exciterit submersionis periculo. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Matth. cap. 8. vers. 24. Sanctus Ambrosius supra hunc locum Sermon. de Cathedrâ Sancti Petri vult, nauiculam hanc esse expressam figuram Ecclesiæ militantis, & licet in eâ præsens fuerit pientissimus Saluator noster Christus Dominus simul cũ Sancto Apostolo Petro, quia tamen eidem simul etiam inerat impius Iudas, hinc nauicula summum submersionis incurrebat periculum: *hæc est causa periculi* (ait Sanctus Ambrosius) *erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas: quamuis illius fides* (videlicet Petri) *fundaret nauiculam, huius tamen perfidia* (nimirum Judæ) *eam conturbabat.*

Peruersitas & scelera Iudæ discipuli proditoris, non obstante fide Petri nauiculam quasi adhuc fundante, illam submersissent, nisi diuinum adfuisset auxilium: ac propterea subdit S. Doctor: *tranquillitas est, vbi solus Petrus nauigat, tempestas, vbi Iudas adiungitur; licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoru.* Concludit deinde: *vnius igitur delicto cunctorum merita patiuntur. Caueamus ergo vnicum proditorem, ne per vnum omnes fluctuemus.*

Et de eodem Iudâ refert S. Euangelista Ioannes cap. 12. quod murmurauerit de vnguento, quo Maria Magdalena vnxit pedes Christi Domini: *dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus. Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?* vers. 4. & 5. Sed aduertendum hîc, S. Euangelistam Ioannem dicere, solum Judam murmurasse de vnguento. Sanctus verò Matthæus ait, omnes discipulos murmurasse desuper: *videntes autem discipuli indignati sunt dicentes: vt quid perditio hæc? poterat enim vnguentum istud venundari multò & dari pauperibus.* Matth. cap. 26. vers. 8. & 9. quodnam hîc latet mysterium? acutissimè hanc difficultatem soluit Angelicus Doctor S. Thomas in Cat. aureâ in Matth. c. 26. dicendo, quòd vel alij discipuli iusti in societate scelerati proditoris & murmuratoris Iudæ appareant quoque murmuratores, quamuis tales non sint; vel quod ille pessimâ suâ conuersatione adeò alios discipulos peruerterit, vt omnes illo instigante murmurauerint. Audite verba ipsissima Doctoris Angelici: *potest etiam intelligi, quod & alij discipuli aut senserunt hoc, aut dixerunt, aut eis, Iudâ dicente, persuasum fuit.* Ecce igitur, qualiter peruersus & sceleratus homo, quantum est ex se, potest præcipitare plurimos bonos?

Hæc eadem veritas clarissimè liquet ex alio quodã facto, quod refert sanctus Euangelista Lucas cap. 22. qui causam assignaturus negationis Petri, inquit ideò illum incidisse in graue illud peccatum, quia in palatio Caiphæ constitutus, impiorum se adiunxit societati militum: *accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis erat Petrus in medio eorum.* vers. 55. Commorante igitur Petro in medio adeò perfidorum & peruersorum hominum, quid aliud ab illo expectari poterat, nisi deplorandus & horribilis eiusmodi casus? quare conformiter huic nostro proposito dixit Abbas Paschasius in Matth. cap. 26. *Considerandum autem est, vbi neget Petrus: non in monte, in quo fuit cum Domino, non in templo, non in domo suâ; sed in prætorio Iudæorum. Ibi ergo negat, vbi veritas non est, vbi Christus ligatus est.* Num. 6.

Num. 7. Demum Societas malorum adeò periculosa est, vt iusti & serui Dei ne quidem ossa sua nolint inter eos asseruari & quiescere. Ita sanctus Patriarcha Iacob, vti legitur in sacrâ Gen. cap. 47. senio iam confectus & morti vicinus rogauit innocentem & perchatum filium suum Ioseph, ne vlla ratione ipsum sepeliret in Ægypto: *facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto.* vers. 29 Cuius rationem assignat doctissimus Oleaster & dicit, quòd in Ægypto reperiebantur multi idololatræ, scandalosi, Deo inobedientes & rebelles, ac propterea voluit, vt ne quidem mortuū suum cadauer ibidem sepeliretur; sed transportaretur ad terram promissionis: *audis hic* (ait Oleaster in hunc locum) *quàm mala sit coniunctio malorum, vt non solùm viui, sed etiam defuncti nolint iusti cum eis commorari.*

Prædictis adiungitote, non magni faciendum esse, quòd bonus conuersetur inter bonos; at bonum commorari inter malos plusquam admiratione & stupore dignum est. Ad propositum hoc penficulatè considerat D. Gregorius Papa libro 1, Moral. cap. 1. verba illa annotata in lib. Iob cap. 1. vers. 1. *Vir erat in terrâ Hus nomine Iob*, dicitque nō absque magno mysterio Sacram Scripturā mentionem facere loci, vbi habitabat Iob, qui nimirum erat & vocabatur Hus, regio ethnicorum & impiorum hominum; vt nos admiraremur imitaremurque constantiam Iob inter malos sese conseruantis intactum & illæsum, vnde D. Gregorius: *Dicatur itaq; vbi habitauerit, vt hoc eius laubibus proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valdè laudabile est, bonum esse cum bonis: sed bonum esse cum malis.* Enim verò vt veritatem fateat conuersari cum hominibus malæ vitæ res admodum periculosa est, & quot sunt, qui deperduntur per malorum conuersationem & societatem? benè & optimè propterea dixit prudens & moralis Seneca scribendo ad amicum suū Lucillum: *quoties inter homines fui, minus homo redij.* Et dicere volebat, quoties cum hominibus mundanis conuersatus fui, toties minor homo, totus defectibus & imperfectionibus repletus domum reuersus fui. Vnde & rationabile meo iudicio fuit illud Antiquorū Prouerbium cùm dicebant: *tecum habita*, Tecum conuersare, fuge & deuita molorum societatem. Et hoc idem fuit consilium Prophetæ regij Ps. 54. magnamque ex hoc hausit vtilitatem dum dicebat: *elongaui fugiens & mansi in solitudene*, vers. 8. Perspicuè enim videbat quàm periculosum esset conuersari inter homines mundi.

Imò existimo, & vt verissimum proclamo, periculosam adeò esse malorum societatem, vt si quispiam maiori polleret Sanctitate eâ, quâ claruerunt Apostoli, nisi fugeret illam, periclitaretur animæ suæ salute, ac mirnm esset, si non incideret in grauissima peccata, perlegite S. Evangelistam Ioannem cap. 13. vers. 27. & inuenietis, quòd dum Christus Dominus in vltima cœna institueret sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, conuersus ad proditorem Iudam, dixit ei: *Quod facis, fac citius*, q. d. Quod contra meam personam, ô Iuda, deliberasti facere, ocyus exequere, determinasti me tradere manibus Iudæorum, noli tardare, propera, noli præstolari diutius, *Quod facis, fac citius*, Non parua N. hîc exsurgit difficultas; eccur enim Christus Dominus exhortatur Iudam ad discessum executionemque intentionis tam iniquæ? annon melius fuisset, vt eum à tā impio diuertisset proposito, grauemque suum errorem ei ob oculos posuisset? Perpulchrè ad hoc respondet Abbas Isaias in hunc locum, & ait, quòd Redemptor noster, quia prævidebat iniquā Iudæ resolutionem, amaramque ingressurus passionem in cruce mori debebat, sollicitus fuerit, ne & alij Apostoli per prauam societatem & exemplum Iudæ Num. 8.

in pec-

in peccata collapſi fuiſſent, ac propter-eà dixit, *quod facis, fac citius*, Audite pulcherrima Patris huius verba: *non prius Chriſtus Crucem aſcendit, quàm Iudam è collegio dimiſiſſet*, & cur hoc? *ne à ſocietate tam peſſimi viri alij errarent*.

Num.9. Hi ſunt effectus prauæ ſocietatis, faxit Deus, vt hiſce corruptis noſtris temporibus non cerneremus huius experientiam, & quidem cum damno irreparabili plurimum animarum. Videmus non rarò adoleſcentem qui omni octiduo infallibiliter confitetur, ſeſeque communicat, continuò ſacras auſcultat conciones, ſedulò frequentat Eccleſias, non de alijs diſcurrit, loquitur, niſi de mundi contemptu, de pœnis inferni, & de beatorum gloriâ. non niſi cum religioſis alijſque perſonis timoratis, à quibus non aliud, niſi ſalutifera & pia monita, ac bona exempla expectantur, conuerſatur; & ecce vix huic ſeſe aſſociant duo adoleſcentes malæ & peruerſæ vitæ, & illicò totum illum videbitis mutatum, non iam amplius ei ſapit confeſſio, communionem fugit, totaliter iam ab eo exulat Sacramentorum frequentatio, ad aliud non attendit, niſi vt inſtar effrenis equi currat ad præcipitium, & totum hoc prouenit ex prauâ ſocietate. Conſpicimus nunnumquam etiam virginem adeò puram, Deique amore inflammatam, vt Paradiſi quendam repræſentet Angelum, videbitis illam modeſtam, humilem & ſolitudinis amantem; & ecce quamprimum eidem ſeſe aſſociant duæ mulieres deprauatæ timoriſque Dei expertes, breuiſſimo temporis ſpatio euadet procaciſſima & peruerſiſſima totius ciuitatis. Vnde, amabò, hæc tam inopinata mutatio? à praua ſocietate. Hinc ſalubre tibi ſuggerit conſilium Theognides relatus ab Ariſtot. Ethic. 9.

Te coniunge bonis, & ab his bona plurima diſces.
Cum prauis viuens, tu quoque prauis eris,

& Plutarchus lib. de Amicit. numer. 16. hanc auream poſteris relinquit ſententiã: *talis eris, qualis conuerſatio quam ſequeris*. Num. 10.

Quòd ſi ita; oculos, ô parentes, aperite; ad perſonas, cum quibus filij & filiæ veſtræ conuerſantur, attendite. vitioſorum hominum etiam vmbram facite illos euitare & fugere; ſecus infrà paucos dies ipſis, quibuſcum agunt, euadent deteriores & peiores. Propoſito huic conformem & mirabilem ex ſcripturâ mecum annotate ſucceſſum. Poſtquam terra viuos deglutiuiſſet Chore, Dathan & Abiron, præcepit Moyſes omni populo, vt recederet à tabernaculis eorum. Tanquam ab igne, nec ſibi caueret dumtaxat cum illis conuerſari, verùm etiam ne tangeret quidquam, quod ad eorum ſpectaret hæreditatem. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent*. Num. capite 16. verſ. 26. Aſt dic mihi, ô Moyſes ſancte, cur vix & præcipis, vt ne quidquam, quod eos concernit, tangatur? cauſam ille ipſemet ſubiungit: *ne inuoluamini in peccatis eorum*. verſ. 26. Ne peſtilentia deprauatæ illorũ vitæ vos inficiat, ideoque vnuſquiſque ab illis remotiſſimè recedat. Sic quidam ex ſanctis Patribus, vti legitur in Vitis Patrũ, inſtruxit adoleſcentem quendam, qui illum interrogabat, quid facturus eſſet, vt ſalutem aſſequeretur æternam: reſpondit ille in hunc modum: fuge, fuge. Veluti iampridem dixerat Propheta Ieremias cap. 51. verſic. 6 *fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animã ſuam*. Fuge igitur peruerſorum & impiorum hominum ſocietatem, & ſi velis te conſeruare ſaluum & incolumen, tua conuerſatio ſit cum Deo, qui te creauit & redemit; cum Angelis, qui te protegunt; cum Sanctis, qui te defendunt, cum Beatiſſimâ Maria Virgine, quæ eſt tua aduocata, tibique indefeſſè patrocinatur. Sic faciendo habebis gratiam in hoc mundo, & in altero gloriam æternam.

Correctio Fraterna.

DISCVRSVS XII.

De Præcepto Correctionis fraternæ, deq; conditionibus eius, ac de præmio, quod exindè conſequimur.

Num. 1. PLATO omnium Philoſophorum facilè princeps & Coriphæus, ac per excellentiam dictus diuinus lib. 1. de legibus, ſaluberrimas leges tradit, quarum hæc non infima eſt, & conſideratione digniſſima, dum ait: *Si quis ob aliquod delictum (ne abeat impunis) in carcerem iniectus fuerit, ad illum vadant optimi quique ciues & inculpatæ vitæ, qui ante oculos ponant ſceleris enormitatem.* Non alium ob finem, niſi vt hoc modo reus ille recognoſcat ſuum errorem ac reſipiſcat. Num Philoſophus quidam gentilis lumine fidei deſtitutus digniorē homine Chriſtiano potuit proferre ſententiam? tam profundè profectò rem hãc penetrauit, vt quaſi manibus palpauerit ipſiſſimam veritatem, quam & benedictus Saluator noſter in ſacro ſuo docet Euangelio, dum vnumquemq; noſtrûm exhortatur: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Matth. cap. 18 verſ. 15. Si tu, ô Chriſtiane, compertum habeas, quòd frater tuus commiſerit aliquod crimen, ſine morâ eum accede, & ſolus ſolum corrige, quia hoc modo: *lucratus eris fratrem tuum,* verſ. cit.

Num. 2. Ad actionem hanc tam piam tamque meritoriam te, ô Chriſtiane, mouere debet deſiderium ſalutis proximi tui, eamque vti propriam curare debes. Ita in S. Euangeliſta Matthæo cap. 19. reperio; audientes namque ſancti Apoſtoli à Chriſto Redemptore noſtro tremendam hanc ſententiam: *facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* verſic. 24. ſummopere deſuper obſtupuerunt, vnde & dixerunt: *quis ergo poterit ſaluus eſſe* verſ. 25. ſuprà hunc locum D. Chryſoſtomus hom. 64. in Matth. merito cum ratione inquirit, cur nimirum diſcipuli hac ſuper re conturbati & contriſtati fuerint, cùm gaudendi potiùs occaſionem haberent? Siquidem Chriſtus Dominus diuitibus tantummodò & non ipſis minatus fuerat infernum, omnia enim ipſi, quæ poſſidebant, deſeruerant, veluti in perſonâ omnium dixit S. Apoſtolus Petrus: *ecce nos reliquimus omnia.* verſ. 27. Vnde potiùs exultandi, quàm ſignum oſtendendi triſtitiæ & diſplicentiæ habebant motiuum: *cuius rei gratia* (quærit hîc Chryſoſtomus) *diſcipuli, qui nimirum inopes erant, turbabantur:* & acutiſſimè reſpondet: *quia propter perditionem aliorum dolebant, quorum omnium iam charitate afficiebantur, & quaſi Magiſtrorum ac Patrum viſcera ſuſceperant. Sic enim pro vniuerſo terrarum orbe huius ſententiæ acrimoniã expauerunt vt non paruâ eis conſolatione opus fuerit.* Volebat dicere Sanctus hic Doctor, quamuis Apoſtoli cunctas mundi diuitias, omniaque, quæ poſſederant, bona reliquerint, vt proptereà ipſis non timendũ fuerit de ſalute ſuâ, attamen ob amorem, quo ferebantur in proximos ſuos, tantam ſalutis illorum gerebant curam & ſollicitudinē, tantumque res hæc eis cordi erat, vt videntes illos in manifeſto conſtitutos periculo ſummopere doluerint, quaſi proprium paſſuri eſſent damnum. Vt hinc addiſcere mus, quantâ curâ procurare debeamu-

ſalu

salutem nostrorum proixmorum, quantumque nobis displicere debeat eorum damnatio & perditio, cùm nos simus cum illis quasi vnum corpus mysticum; quemadmodū contestatur id S. Apostolus Paulus ad Ephes. cap 4 *vnum corpus & vnus Spiritus*, versic. 4. *quoniam sumus inuicem membra*, vers. 25. Sicut ergo, cùm læsum est membrum quoddam corporis nostri, alia quoque mēbra sentiunt & ei compatiuntur, sataguntque, quantum illis possibile est, necessarium suppeditare ei auxilium & succursum; ita verus Christianus, dum videt proximum suum centum & mille immersum sceleribus, non potest non exinde maximum percipere dolorem. Vnde dicebat Apostolus 2. Corinth. 11. versic. 29. *quis infirmatur, & ego non infirmor?* & David Propheta Psalm. 118. vers. 158. *Vidi præuaricantes & tabescebam*. Sicque magnâ cum charitate & amore corrigere debemus proximos nostros, illo quidem modo, quo cætera corporis nostri membra compatiuntur parti infirmæ, *quia* (ait S. Ambrosius in Psalm. 118. sermon. 7.) *cùm vnum membrum patitur, & cætera membra compatiuntur*. Ille igitur, qui opportunā non administrat correctionem, quando commodè id præstare potest (inquit S. Chrysostomus) similis est ei, qui negligit, nec curat infirmo corporis sui membro, quòd graui læsum videt vulnere, subuenire; & nihilominus experimur indies, quòd læso fortuitò pede, caput inclinemus ad terram vsque, ita pariter cùm videmus proximum nostrum in abyssum vitiorum præcipitatum, correctione eundem subleuare debemus: *in corpore* (sic loquitur os illud aureum) *tametsi per vulnus accipiat, humi declinamus caput inclinantes, caput inclinatur, quando pes infirmatur; ita dum vnum membrum, id est, proximus labitur, ab alio membro erigatur & corrigatur*. S. Chrysostom. hom. 3. in 1. ad Corinth.

Num. 3. Et vt correctio vltimum ac præstitutum suum finem, qui est emendatio proximi, sortiatur, necessarium est, fiat debitis cum circumstantijs; quarum prima est, vt ille, qui correctionem adhibiturus est, sit persona bonę vitæ & Cōscientiæ bonis & sanctis instructus moribus; etenim non admodum bene congruit, si aliorum reprehensurus peccata & errores, alijs magis improbus sit & vitam traducat scelestiorem, & propterea regius dicebat Propheta Psalm. 140. versic. 5. *corripiet me iustus in misericordiâ*.

Antiquum peruoluite testamentum, & reperietis, quòd omnipotens & misericors Deus distribuens duodecim tribus, sex ciuitates refugij, ad quas confugere poterant rei & malefactores, præceperit assignari Leuitis hominibus sanctis & religiosis: *De ipsis autem oppidis quæ Leuitis dabitis sex erunt in fugitiuorum auxilia separata, vt fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem*, Num. cap. 35. versiculo sexto. Obstupescit magnus Theodoretus commentans in hunc locum hanc coniunctionem & mixturam hominum bonorum & malorum & dicit hoc modo: *quid Leuitæ cum rebellibus? quid sicarios cum Sacerdotibus? quid Spiritus cum carne? quid boni cum reprobis?* vultisne scire causam? volebat Deus hoc facto nobis significare, quòd innumeris in ciuitatibus illis occurrentibus peccatis, Leuitæ vtpotè homines diuino cultui consecrati liberè possent improbos & scelestos redarguere & corrigere, absque eo quòd ipsi alicuius arguerentur sceleris: *Deputantur Leuitæ Ciuitatibus refugij* (inquit Theodoretus,) *vt si peruersa gens aliquod scelus patraret, illicò libertate quâ decet, serui Dei correptionem adhiberent*.

In Confirmationem veritatis huius aliam non minus pulchram audite considerationem ex Scripturâ. 1. Regum cap. 12. legitur, quòd, postquam Propheta Samuel conspexisset populum suum currentem post concupiscentias carnales ac innumera patrantem scelera Num. 4.

verum.

verum deseruisse Deum, sancto ductus zelo & correctionem paraturus omnem conuocauerit populum ac dixerit: *loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam hodiè, resti tuamque vobis.* vers. 3. Et respondit ei populus: nihil horum. *Et dixerunt, non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quidpiam,* vers. 4. Itaque, dicit Propheta, non comperitis vos à me aggrauatus in aliquo? testimonium huius præbeat Deus: *testis & Dominus aduersus vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu meâ quippiam.* Et dixit populus: testificetur id Deus. *Et dixerunt: testis.* v. 5. Postquam igitur præstito juramento fidem dedissent innocentiæ & bonitati Samuelis, subiunxit ille immediatè: *nunc ergo state, vt judicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordijs Domini, quas fecit nobiscum & cum Patribus vestris.* vers. 7. & cœpit illis improperare peccata commissa & egregiam adhibuit correctionem, adeò vt totaliter confusi hæserint, nec sciuerint minimum dare responsum. Subintrat in hunc locum Hugo Cardinalis & dicit: quis modus procedendi Samuelis est iste? iam primò laudari voluit à populo, & posteà tam acriter illum increpat & redarguit? ecquid sibi hoc? Sanctus Apostulus Paulus miram & huic proposito conformem omninò protulit sententiam: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* 1. Timoth. 3. vers. 2. q. d. Superiorem & Prælatum, dum vult corripere & corrigere subditos suos, purum & innocentem oportet esse, ita vt nihil prorsus sit, quod ei possit objici aut exponi.

Sic igitur Propheta Samuel correpturus populum, primitus causam suam iustificare voluit, & postea corrigere populum: *nota prudentiam Samuelis,* inquit Hugo: *ipse volebat Iudæis peccata objicere, & ideò prius se purgauit coram Rege eorum testimonio, ne possent posteà reconueniendo mentiri eum, & ita tutius potuit eos arguere.* Sed proferamus meliora.

Obseruat magnus Pater Origenes hom. in Genes. quòd Adam, postquam Eua vxor illius comedisset de pomo vetito, non corripuerit illam, veluti ex ipsâ colligitur Scripturâ. Et cur hoc? cur non reprehendit illam? tantò magis, cùm Deus formando primam nostram matrem Euam, imperio & dominio Adami illam subdiderit. *Sub viri potestate eris.* Genes. cap. 3. versic. 16. Aliquid ad minus correctionis loco illi dicere debuisset. Respondet Origenes dicendo: *non corripuit eam, quia & ipse fructum comederat.* Non ausus fuit illam arguere & corrigere, quia & in eandem ipsemet inciderat culpam, & sic Adam dicturo minimum verbum, magnâ cum indignatione respondisset ipsa: Si ego manducaui de pomo vetito, sola non fui, manducasti pariter & tu, & ideò tacuit Adam. *Non corripuit eam, quia & ipse fructum comederat.* Vt hinc discamus, correctionem non nisi à personâ inculpatę vitæ, quæ ijsdem non sit immersa vitijs, fieri debere. Num. 5.

Verùm transitum faciamus ad alias circumstantias. *Vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Non est facienda correctio in loco publico, sed priuato & secreto, soli à solo. Auscultate ad propositum hoc quendam è scripturâ locum, qui probat intentum. Genesis cap. 45. demorante ac præsidente castissimo Ioseph in aulâ Regis Pharaonis in Egypto, illo præsertim tempore, quo in mundo magna fuit annonę caritas, venerunt fratres illius de longinquis regionibus in Egyptum comparandorum frumentorum causâ, & in ipsum ecce incidunt Ioseph, qui confestim illos cognouit, conduxitque in domum suam, vbi plurima eis exhibuit charitatis officia. Dum igitur sibi inuicem Num. 6.

inuicé loquerentur, haudquaquã potuit vltra se continere Ioseph, quin se illis manifestaret. Sed quid? magna in domo aderat multitudo hominum, ideoque prudenter secretam quandam adeunt aulam, ac Ioseph præcipit alijs, vt inde exirent. *non se poterat vltrà cohibere Ioseph multis coram astantibus, vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras.* versic. 1. Et ecce vt discesserunt exinde omnes, remanens ipse solus cum fratribus suis, quamprimum sese illis manifestauit dicens: *ego sum Ioseph fraterr vester, quem vendidisti in Æ yptum,* vers. 4. Inquirit hîc Rupertus Abbas lib. 9. in Gen. cap. 11. quâ de causâ Ioseph in secreto se manifestauerit suis fratribus? Fortè noluit id sciri ab alijs? non sanè; sed vt cooperiret illorum peccatum, quando nimirum eum vendiderant Ismaelitis; vnde non videbantur ei consultum & conueniens; quòd in præsentiâ tantorum hominum se illis manifestaret; nam magnam fratres eius subiuissent confusionem: *bene* (ait Rupertus) *præcepit, vt egrederentur cuncti foras, vt nullus interesset alienus cognitioni mutuæ. Non enim alienis communicanda erat domestici notitia sceleris, neque sub eorum præsentiâ pius frater edicere voluit rem tantæ confusionis, quam ferre non poterant fratres.*

Num. 7. Sed dicamus altiora in lib. Num. c. 12. reperio, quòd Deus vice quâdam correpturus Mariam & Aaron, quia murmurauerant contra Moysen fratrem suum, vocatis illis ad se dixerit: ingredere ô Aaron simul cum tuâ sorore conclaue hoc, vobiscum enim seria quædam acturus sum. *Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, descendit Dominus in columnâ nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam.* vers. 4. & 5. Quale, amabo, secretum Deo tractandum erat cum Aaron & Mariâ, vt ab illo excluderetur Moyses charissimus ipsius amicus? causa huius perspicua est, quia illis dicebat: *quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* vers. 8. correctionem illis adhibiturus erat, ideoque noluit alios esse præsentes, vt exinde intelligeremus correctionem debere esse secretam: *corripe eum inter te & ipsum solum.*

Legitote N. titulum psalmi quinquagesimi, & hæc comperietis verba: *Psalmus Dauid, cùm venit ad eum Nathan Propheta.* Aut vt habet translatio Hebræa: *cùm ingressus est ad eum.* Commiserat Dauid adulterium cum Bethsabæâ, vnde accedebat cum Nathan Propheta, & domum ipsius ingressus, suaui modo illum corripuit. *Cùm ingressus est ad eum.* Eusebius Cæsariensis apud An. Nize. capit. vlt. notat acutissimè verbulum illud: *ingressus.* & dicit: *Ostendit autem oratio, quod non præsente aliquo. neque coram vniuerso populo redarguit.* Voluit Sacra Scriptura hoc modo loquendi ostendere, correctionem hanc fuisse secretam, nec Nathan corripuisse adulterum Dauid in præsentia aliorum, sed in priuato. *Ingressus ad eum. Corripe eum inter te & ipsum solum.*

Hunc eundem corrigendi modum & in testamento nouo reperio obseruatum. Voluite propterea S. Euangelistam Ioannem cap. 11. & inuenietis, Christum Dominum mortuo Lazaro discessisse à Iordane, vbi tunc demorabatur, & venisse in Bethaniam ad resuscitandum illum à mortuis. Vt aduentum hunc Saluatoris nostri intellexit Martha, obuiam illi processit, cœpitque lamentari: *Domine*, dicebat, *si fuisses hîc, frater meus non fuisses mortuus,* vers. 21. Audiens Redemptor noster verba hæc, insignem ei adhibet correctionem: *ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit & credit in me, non morietur in æternum: credis hoc?* versic. 25. & 26. q. d. Mortuis, ô Martha, vitam dare nequeo? Imò, Domine, respondit illa: *vtique Domine,* vers. 27. Et domum ex templo reuersa dicit Magdalenæ, vt & illa accederet Num. 8.

deret Dominum, quia illam vocaret: *Magister adest, & vocat te*, vers. 28 Et ecce confestim discedit Magdalena magnâ stipata turbâ hominum, proceditque obviam Christo: *illa vt audiuit, surgit citò & venit ad eum.* vers. 29. Et ante ipsum prostrata plorans & suspirans conqueritur & ipsa: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus*, vers. 32. Ad hanc vocem Magdalenæ benignissimus Saluator compassione motus, dixit: *vbi posuistis eum?* vers. 33. Vbi sepeliuistis illum? vehementer obstupescit hoc super facto S. Ioannes Chrysostomus in hunc locum, & ait, cur Christus Dominus non reprehendit pariter Magdalenam, veluti fecit Marthæ? quæ quia conquesta fuit, insignem inde reportauit reprehensionem, eadem verba, quæ dixit vna, dixit & altera, & tamen illa fuit reprehensa, non hæc. Acutissimè more suo solito respondet S. Doctor, & dicit, quòd Martha, quando accessit Redemptorem nostrum, erat sola, & solam propterea solus redarguit; ast non ita res se habebat cum Magdalenâ, quia hæc domo exiuit hominum stipata multitudine, ideoque nihil ei dixit: *Iudæi ergo, qui erant cum eâ in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exijt, secuti sunt eam*, versiculo trigesimo primo. Audite iam verba S. Ioannis Chrysostomi sanè melliflua. *Mariæ Christus non loquitur, sicut ad sororem, nec erat tempus verborum, aderat enim turba.* Vero enim verius est, correctionem debere esse secretam, veluti in sacro Euangelio docet Christus Dominus; *corripe eum inter te & ipsum solum.*

Num. 9. Et Matth. cap. 8. stupendum quoque narratur factum, quod & nostro inseruit proposito. Ascenderat die quodam pientissimus Saluator noster quandam nauiculam, & in comitatu suo solùm conduxerat discipulos suos: *Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius*, vers. 23. Et ecce vt vela dederunt ventis, magna exorta est tempestas, adeò vt miseri Apostoli toti atterriti & conturbati confestim recurrerint ad Christum dicentes ei: *Domine, salua nos, perimus*, versic. 25. Vehementer Redemptor noster indignatus fuit ob hæc verba, & reprehendens illos subiunxit. *quid timidi estis modicæ fidei?* versic. vigesimo sexto. Doctissimus Abulensis in Matth. cap. 7. curiosam hîc mouet quæstionem, cur nimirū Saluator permittere noluerit, vt & alij præter discipulos conscenderunt nauiculam, cùm plures potuerit secum conducere commodissimè, & acutissimè respondet, *quia Christus nouerat, quòd discipuli sui in hoc periculo futuri erant infirmi, & ipse propter hoc eos increpaturus erat, vocans eos modicæ fidei, noluit, quòd turbæ viderent defectum discipulorum suorum.* Sciebat videlicet discipulos suos superueniente tempestate non exiguo cōcutiendos timore, & per consequens vacillaturos in fide, vnde necessariò corrigendi erant; ideò noluit, quod alij homines essent in comitatu illorum. Vt sic nos omnes doceret quàm discretè & secretè agere debeamus corrigendo defectus nostrorum proximorum: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.*

Debet insuper correctio fieri cum charitate & suauitate, quemadmodum innuit Propheta regius Psalmo centesimo quadragesimo versiculo quinto. *Corripiet me iustus in misericordiâ.* Idem salubriter consulit Apostolus Paulus ad Galatas 6. vers. 1. *Fratres*, ait ille, *si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Quem locum explanans S. Ioannes Chrysostomus dicit Apostolum hoc in loco loqui omnibus, quasi vellet dicere; fratres charissimi, si quispiam peccator per fragilitatem humanam tentatus à Diabolo, sollicitatus à carnali concupiscentiâ & inuitatus ab occasione peccandi commissurus est aliquem Num. 10.

quem

quem errorem aut defectum, vos: qui estis personæ exemplaris vitæ, vos qui Christianam profitemini perfectionem, *huiusmodi instruite.* Legit hîc Theodoretus, *corripite, in spiritu lenitatis*, Corrigite illum cum dulcedine, misericordiâ, affabilitate, benignitate, hoc enim vult indicare verbum hoc: *Corripe*, id est, *cor rape*.

Benignis verbis, suaui persuasione rape cor illius, suauiter pone ei ob oculos errores suos, commonstra ei pericula, in quibus versatur; quantumque Deus amet conuersionem suam, sicque veniet in cognitionem sui ipsius, redibit ad seipsum, veram aget pœnitentiam, & erit fructuosa correctio tua; *lucratus eris fratrem tuum.* Nam vt verum fatear N. ex acerbis reprehensionibus vtilitatis loco maxima persæpè orta fuerunt damna. Vnde refert Plutarchus lib. 7. de discrim. adulat. & amicit. Pythagoram condidisse vnam legem, ne quis deinceps reprehenderetur cum seueritate, quia discipulus quidam seuerè ab ipso reprehensus ex desperatione laqueo se suspendit. Vbi à contrario ex correctionibus suauiter & modestè factis plurima sunt secuta bona.

Num. 11. Ad propositum præsens adducit S. Ioannes Chrysostomus in Psalm. 50. exemplum Regis Dauid, cui adhibenda erat correctio; in quem finem miserat ei Deus Prophetam Nathan, 2. Reg. 12. Sed audite modum dulcem & suauem. quem seruauit in corrigendo illum. Non dixit illi: ô Rex scandalose, adulter, homicida, integrum scandalizasti regnum; *ingressus non dixit, ô flagitiose, ô prophane, ô adulter ô carnifex*, sic loquitur S. Chrysostomus; sed primò captando beneuolentiam dixit Regi: tua sacra Majestas scire debet, quòd in ciuitate nostra mirus accideret casus: *duo viri erant in ciuitati vnâ, vnus diues & alter pauper. Diues habebat oues & boues plurimos valde, pauper autem nihil habebat omninò, præter ouem vnam parvulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filijs eius, simul de pane illius comedens, & de calice illius bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia. Cùm autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibus homini illi, qui venerat ad se.* Nunc igitur ô æquissime Rex, propter sententiam, quam pœnam meretur ille, qui commisit delictum adeò enorme? *Iratus autem indignatione Dauid aduersum hominem illum nimis, dixit ad Nathan: viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* versic. 5. Dictus hisce subiunxit Propheta: *tu es ille vir*, ô Dauid, versic. 7. tù commisisti tam graue peccatum; etenim postquam te Deus de paupere & misero Pastore, vti primò eras, creauit in Regem; postquam virgam tuam pastoralem mutauit in sceptrũ regale, tugurium in palatium, pecudes in populos, non contentus fuisti isthac gloriâ & magnificentiâ, tantisque mulieribus, surripuisti pauperi Vriæ vxorem ei admodum charam, insuper commisisti homicidem occidendo Vrium, ac propterea: *dicit Dominus; ecce ergo suscitabo super te malum de domo tuâ*, vers. 11. Hoc suaui, dulci & affabili modo Nathan correxit Dauid Regem, vnde & recognoscens errorem suum dixit: *peccaui*. vers. 13 Egit pœnitentiam, ac se saluauit. Ad eundem modum & tu, ô Christiane, facere debes, si tuâ correctione vis prodesse proximis tuis.

Adhæc Idem S. Pater Chrysostomus hom. 28. in 2. ad Cor. 6. considerat & Num. 12. notat, quòd S. Ioannes Baptista Herodem arguturus publici incestus, quem committebat cùm vxore fratris sui, non aspera, sed dulcia & affabilia dixerit ei verba: *non dixit, scelestè pollute, præuaricator ac prophane conculcasti Dei legem, contempsisti quæ statuta sunt, potentiam tuam legem fecisti; sed in reprehensione ap-*

par ſit multa manſuetudo viri & mititas: dixit enim: non licet tibi habere vxorem fratris tui; erat enim magis verbum docentis, quàm reprehendentis, erudientis magis, quàm punientis.

Progreditur vlteriùs idem Sanctus Chryſoſtomus hom. de lapſu primi hominis tom. 1. quòd hanc ſuauitatem & benignitatẽ, quâ corrigendus eſt proximus, à mundi huius primordio nos docuerit omnipotens & miſericors Deus, idque contigit immediatè poſt creationem noſtri Protoparentis Adami, qui diuinum tranſgrediens præceptum ſtatim à Creatore ſuo correptus fuit, at verbis nonniſi affabilitatem & benignitatem ſpirantibus, *Adam, Adam, ubi es?* Gen. 3. verſ. 9. aiebat. Quaſi dicere voluerit, ecce, ô Adam, quàm multa & grauia tibi cauſaſti damna tuâ inobedientiâ? en, quantâ cum tui confuſione & verecundiâ nudus & inops exiſtis? ô verba dulcia & ſuauia!

Num.13. Sed & hic placabilis & affabilis corrigendi modus magis dilucidè declarari poteſt ex Scripturâ 4. Reg. cap. 4. Mortuum ibidem refert Sacer textus filium cuiuſdam Viduæ, quæ Sancti Eliſei Prophetæ deuota & liberalis erat hoſpita. Quamprimum igitur Sanctus hic Propheta mortem pueri huius intellexerat, aduocauit Giezi diſcipulum ſuum, dixitque ei: vade in domum Viduæ, & pone baculum hunc ſuper faciem mortui pueri: *accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade. Et pones baculum meum ſuper faciem pueri.* verſ. 29. Diſcedit Giezi baculum Eliſei ferens ſecum, venit in Sarephtam, ſubintrat domum Viduæ, ponit baculum ſupra mortuum, & nihil prorſus efficit, *non erat vox, neque ſenſus.* verſ. 31. vnde fuit coactus redire ad Eliſeum, cui totum referens ſucceſſum dixit: Chariſſime Magiſter, veſter baculus nullum prorſus operatus eſt effectum in mortuo illo puero: *non ſurrexit puer,* verſ. 31. diſcedit igitur Eliſeus, intrat conclaue, vbi mortui pueri iacebat cadauer, claudit oſtium, proſternit ſe ſupra cadauer, ponens faciem ſuam ſupra faciem pueri, oculos ſuos ſupra oculos, os ſuum ſupra os, & manus ſupra manus defũcti, & hoc modo vitam dedit extincto cadaueri: *& aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius. & manus ſuas ſuper manus eius. & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* verſ. 34. Expreſſam hîc habetis figuram, ait S. Petrus Damianus epiſt. 12. & 39. boni & mali correctoris ac reprehenſoris. Quid eſt, quòd Giezi vitæ non reſtituerit mortuum puerum; ſicut eundem à mortuis reſuſcitauit Eliſeus? vtriuſque N. examinate actiones, & ex illis colligetis dubij huius reſolutionem. *Giezi poſuerat baculum ſuper faciem pueri.* verſ. 31. Tetigit nimirum faciem pueri baculo ſeu virgâ, quæ eſt expreſſum & verum ſymbolum rigoris & ſeueritatis. Et Eliſeus *poſuit os ſuum ſuper os eius,* tetigit nimirum eum ſuauitate & binignitate, & quid inde ſecutum eſt? *calefacta eſt caro pueri.* Reſurrexit defunctus, quo miraculoſo facto nobis ſignificatur, vt, ſi velimus noſtris proximis peccato iam mortuis vitam reſtituere mediante correctione, non debeamus illos tangere baculo ſeu virgâ, id eſt, ſeueritate & verborum aſperitate; ſed ſuauitate, dulcedine & manſuetudine, non rigore, ſed amore. *Diſcipulus* (ait Dominus) *poſuit baculum ſuper faciem pueri, & puer non ſurrexit. Magiſter verò poſuit os ſuum ſuper os pueri, & ſurrexit, quia quem terroris virga ſuſcitare non poteſt, per amoris Spiritum puer vitam poteſt habere.* Ergo charitate & ſuauitate mediante fieri debet correctio. Vnde optimè dixit D. Ambroſius l. 3. Off. *plus proficit blanda quàm dura correctio.* Ergo *vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Sic enim reuocabis eum in vitam: *lucratus eris fratrem tuum.*

Verùm

Num. 14. Verùm quid dicam de merito, quod exinde assequeris apud Deum? audi, quid de illo sentiat D. Gregorius, hom. 26. in moral. sic loquitur: *Si magna mercedis est à morte eripere carnem quanquam morituram, quanti est meriti à morte animam liberare in cœlesti patriâ sine fine victuram?* q. d. Si digno ditati sunt præmio illi, qui salutem corporalem procurarunt vnius hominis, quam non mercedem assequentur illi apud Deum, qui vnius animæ curant & operantur salutem?

Memores estote N. quod accidit Saluatori nostro Lucæ cap. 23. dum hic in Cruce pendens iam iam benedictam animam suam traditurus esset æterno suo Patri, vnus duorum Latronum, qui cum eo crucifixi erant, cœpit illudere ei dicendo: *Si tu es Christus, saluum fac te metipsum & nos.* versic. 39. Quod audiens illius socius increpauit & correxit eum dicens: *neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es?* versic. 40. Vnde & obtinuit subitò suorum veniam peccatorum ac æternam beatitudinē, quando ex ore veritatis hæc audiuit proferri verba: *hodie mecum eris in paradiso.* versic. 43. Quia vt optimè asseruit S. Iacobus Apostolus: *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte*, cap. 5. vers. vigesimo.

Num. 15. Nec amplissimæ deerunt illi coronæ gloriosè eum adornantes, qui proximi sui saluti incumbit. Plurimæ & variæ fuēre coronæ, quas Heroibus generosè decertantibus antiqui Romani distribuebant, vti refert Claud. in paneg. Olibrij. Erat enim primo Triumphalis, quæ dabatur Imperatoribus de hostibus suis triumphantibus. Obsidionalis, quam offerebant eis, qui ab obsidione fuerant liberati. Muralis, quam Reges concedebant illis, qui primi hostium ascendebant muros, & in eis insignia sua collocabant. Castrensis aut Vallaris, quæ donabatur ei, qui in prælio primus intrabat & irruebat in inimicorum campum. Erat etiam Naualis, quam illi dabant, qui primus hostium inuadebat naues; ast inter has omnes erat quædam non minus gloriosa quàm pretiosa Corona dicta Ciuica, quâ coronabatur ille, qui ciuem aliquem à mortis eripiebat periculis. Et tametsi omnes aliæ coronæ fuerint vel aureæ, aut argenteæ, vel ex aliâ pretiosâ compositæ materiâ, quibus generosa recompensabant militum facta & stratagemata, voluerunt nihilominus hanc nimirum Ciuicam solùm esse compositam ex ligno; quo indicare volebant, vti innuit Plinius lib. 16. cap. 5. quod alia heroica gesta & facta dignè quidem solui & compensari possent aureâ & gemmeâ coronâ; ast dignum & conueniens præmium in hoc prædiuite mundi Palatio reperiri haud posset, quo honoraretur is, qui proximi sui saluti operam nauaret, vnde hanc curam relinquebant & committebant superis, nam in cœlesti & opulento horum ærario pro eiusmodi homine dignā tali honore posse solùm reperi coronam omninò sibi persuadebant: *cùm reliquas coronas auro commendarent, salutem ciuium in pretio esse noluerunt*, ait Plinius loco citato, & vos non iam hâc ciuicâ, sed immarcessibili glorię Coronâ coronabimini in cœlis, si proximorum vestrorum salutem curaueritis: *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.*

Diabolus.

DISCVRSVS XXIII.

De varijs artibus modisq; extraordinarijs, quibus vtitur Diabolus ad nos decipiendos, & quos specialiter ille impugnat ac infestat.

Num. 1. NON potest intellectus terrenus comprehendere, nec humana lingua vnquam exprimere horrendam illam figuram, quam arrogans & superbus Lucifer post miserum ex altissimo cœlo casum sibi acquisiuit. Vt propterea non immeritò dixerit patientissimus Iob cap. 41. *quis reuelabit faciem indumenti eius?* ac si diceret: quis poterit faciem eius detegere? quis de vultu illius poterit tollere laruam? vt hinc intelligeremus, quòd diabolus laruatus incedat, & dum venit tentatum nos, sumat laruam ouis, cùm sit lupus rapax; Columbæ, cùm sit venenosus serpens; amici, cùm sit fatalis inimicus; Angeli lucis, cùm sit Angelus tenebrarum. Ita hunc locum Iob, interpretatur Origenes in cit. Iob, & Cæsarius Episcopus Arelatensis Serm. de tentat. Virg. benè & conformiter huic proposito dixit? *quis enim vel cogitare non dicam, verùm nec numerare valeat dolos & insidias Diaboli hostis antiqui, de quo scriptum est:*

——— tibi nomina mille,
Mille nocendi artes, Virg. lib. 7. Æneid.

Num. 2. Periculosi nimis sunt dæmonis assultus, & ideò sanctus Apostolus Paulus ad Ephes. 6. vers. 12. vt nobis eius patefaceret artes & dolos, dixit: *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum.* Hic Apostolus depingit potentem & robustum inimicum nostrum, qui nullum subterfugiat laborem, nullam prætermitat artem & conatum, ad nos deuincendos & præcipiendos, ac propterea dicit, quod dimicatus cum hoc tyranno necesse est armet & muniat se armaturâ quâdam cœlesti: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.* vers. 13. Textus Græcus legit: *assumite omne genus armorum.* Etenim diabolus millies nouit mutare vultum suum, sicque vbi deficit vis & potentia, superat & vincit ars eius, & ideò dicit S. Apostolus: *Assumite omne genus armorum aduersus insidias diaboli.* Siquidem, vti etiam aduertit S. Augustinus lib. Soliloq. cap. 17. *Diabolus nunc agnum, nunc lupum, nunc tenebras, nunc lucem in se ostendit, & singulis quibuslibet qualitatibus, locis & temporibus secundùm rerum mutationes varias exhibet tentationes.* Sicque quocumque genere armorum homo sese armabit & muniet pro sui defensione, semper ipsum diabolus sciet impugnare & infestare. Vnde & perpulchrè ait D. Gregorius 48. moral. cap. 7. *Prius complexionem vniuscuiusque Aduersarius noster prospicit, & tunc tentationis laqueos apponit.* Munitote ergo vos omni armorum genere, vt quacunque occurrente occasione vos defendere possitis contra quoscumque diabolicos assultus: *assumite omne genus armorum.*

Hunc in finem opinione meâ præcepit Deus prophetæ Ezechieli cap. 4. vt caperet laterem, & in eo depingeret ciuitatem Hierusalem fortissimis muris, propugnaculis, alijsque ad id necessarijs munitam ad resistendum importunis hostilis Num. 3.

hostilis exercitus assultibus : *Et tu fili hominis, sume tibi laterem, pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* vers. 1. & 2. Sed quænam isthæc est ciuitas (inquit D. Gregorius homil. 12. in Ezech. & libr. 8. moral. cap. 4.) in latere discripta & picta, nisi anima nostra corpori terreno vnita? & ecce Satanas contra hanc ciuitatem adeò pulchram crudele mouet bellum, & miris vtitur stratagematibus ad assiliendam infestandamque eam in illâ parte, vbi debilior est, & faciliùs expugnari potest : *rimatur dæmon debiliora*, ait D. Gregorius, *vt illâ parte hominem aggrediatur, quâ illum videt infirmum.* Astutus est dæmon, & ideò quò ipsius media, quibus nos aggreditur, videntur nobis primâ fronte minùs efficacia & apposita ad nos fallendos, eò magis ijsdem vtitur ad nos expugnandos, cuius vt pateat veritas, recogitate N. Draconem illum, cuius in suâ Apocalypsi c. 12. meminit S. Ioannes, nam tametsi ille nullum potuerit damnum mulieri sole vestitæ, nec partui eius inferre, tangendo tamen cœlum caudâ, tertiam ad se traxit stellarum partem : *caudâ eius trahebat tertiam partem stellarum cæli.* vers. 4. Mirum sanè est hoc Draconis factum, siquidem caput habebat adeò horribile, manus fortissimas, & pedes velocissimos, ijs nihilominus non vtitur; sed totum id caudâ efficit : *Caudâ eius trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Pulcherrimum mysterium hoc est : voluit nimirum Sanctus Euangelista nobis demonstrare astutias & fraudes Satanæ, qui, quò debiliora eius videnter nobis media & minus apposita, eò magis illismet vtitur ad deturbandam animam in infernum. Ideoque operæ prætium est, vt Christianus ad resistendum ei omni armorum genere se præmuniat : *assumite omne genus armorum.*

Hæc est astutia dæmonis, vt paulatim Num, 4.
hominem tentare incipiat, ac demonstret sese quasi formicam in principio; sed posteà euadat Leo. Nouistisne differentiam inter formicam & Leonem? formica paulatim & pedetentim incedit, & Leo velocissimè currit, & Diabolus tentaturus hominem, in principio tentationis est formica, tam lentè ambulat & progreditur, vt vix possit dignosci, tibi suppeditabit aliqua motiua, quæ opinione tuâ erunt inspirationes diuinæ; ast postquam subintrauit consensum tuæ conscientiæ, illicò crudelis euadit Leo & incipit currere quàm velocissimè. Audite Iob cap. 4. *tigris*, vel vt textus Græcus habet, *formica Leo perijt, eò quòd non haberet prædam.* vers. 11. At quodnam animalium genus est hoc? mihi profectò monstrum videtur compositum hoc ex formicâ & Leone, debilissimo & fortissimo animali. Sanctus Gregorius Papa dicit Diabolum verè esse eiusmodi monstrum; Leo terribilis est respectu tepidorum & carnalium; formicâ debilis est respectu feruidorum hominum religiosæ & spiritualis vitę. Prius dicitur formica quàm Leo, quia in principio tentationis quasi formica facillimè potest superari, ast si in initio non fiat ei resistentia, euadit fortis sicut Leo : *Si enim* (ait citatus Sanctus Pontifex) *eius suggestionibus assensus præbetur, quasi Leo tolerari nequaquam potest; Si autem resistitur, quasi formica atteritur.* Ipse igitur plus fraude quàm vi efficere valet, adulationibus potiùs quam violentiâ nos ad se trahit, ideoque omni diligentiâ explorat nostras inclinationes & desideria, & conformiter illis nos tentat. Vnde & mansuetus Pontifex Sanctus Leo Serm. 7. de Natiuitate Domini asserit : *nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui opponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ, nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat,*

Num.5. Et quamquam hac suâ astutiâ vtatur in omnes, specialiter tamen in seruos Dei & personas bonæ, sanctæ & religiosæ vitæ, quas singulari studio superare ac præcipitare conatur. Sanctus Gregorius libro quinto, moral. cap. vigesimo primo, supra verba illa Iob cap. 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet* versic. 10. Et supra illa Isaiæ cap. 11. vers. 7. ferè eundem sensum habentia: *Et Leo quasi bos comedet paleas.* Dicit, quòd Behemoth & Leo, qui significant & figurant Diabolum, comedant fœnum instar bouis. Appellatur Diabolus Leo ob feritatem & voracitatem, ad quod alludens quoque Sanctus Apostolus Petrus 1. Petr. 5. versic. 8. ait: *Aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Deinde vocat illum Behemoth, quod idem significat ac *plures bestiæ.* Eò quòd inter omnes creaturas à Deo productas nulla est crudelior & magis inimica sanguinis humani, quàm sit Dæmon. Sed perpendamus cum Sancto Gregorio ob quam caussam hic Behemoth, assimiletur in comedendo fœnum non equo, sed boui? *fœnum quasi bos comedet.* Et respondet Sanctus Pontifex lib. trigesimo secundo, moral. cap. 10. *Equi fœnum quodlibet sordidum comedunt, boues autem fœno non nisi mundo vescuntur.* Equus fame stimulatus absque vllo prorsus discrimine pleno ore capit & rapit fœnum è præsepio & comedit, at bos suâ retortâ linguâ seligit melius fœnum. Volens itaque Spiritus Sanctus nobis notificare, quàm magnus & fatalis hostis hominum inculpatæ, deuotæ & sanctæ vitæ sit Diabolus, quem habeat sentiendi gustū, quam nimirum adhibeat diligentiam in deuorandis illis, comparat illum boui, qui selectius comedit fœnum.

Ad quod idem attendit & respexit Propheta Habacuc capite primo, versiculo decimo sexto, dum ait, *& cibus eius electus.* Hinc fit, quod ad satisfaciendum insatiabili suo appetitui maiori vtatur dexteritate in capiendis & deprædandis iustis & seruis Dei quàm impijs, maius & crudelius mouebit bellum contra bonos & perfectiores, quàm cōtra aliquem peccatorem. Quare concludit S. Gregorius dicens *fœnum ergo comedere sicut bos appetit, quia suggestionis suæ dente conterere mundam spiritualium vitam quærit.* Et S. Augustinus serm. 85. de tempore hæc posteris reliquit: *hoc scitote fratres, quia diabolus non persequitur nisi bonos, malos enim persequi diabolus non consueuit, amici enim sunt sui, & in tantum eos persequitur, vt etiam per illos alios persequatur.*

Et quamuis infernalis Satanas astutiâ, dolo & fraude sit plenissimus; scire tamen quisque debet, quod nunquā nos superare aut vincere poterit nisi illi consentientes. Testabitur idipsum D. Augustinus serm. 297. de temp. dicens: *Diabolus latrare potest, mordere autem non potest nisi volentem.* Et totum hoc prouenit à libero nostro arbitrio, siquidem sumus tam perfectè liberi in nostris operationibus, vt à nemine possimus cogi ad malè & peccaminosè operandum, sed ad id nosipsos determinemus.

Quæstionem exagitant sacri Doctores, Num.6. quænam fuerit imago illa, ad quam homo dicitur esse creatus, dum: *creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Genes. cap. 1. vers. 27. quo in puncto non concordant inter se Doctores, vnus hoc, aliud asserit alius; at ego subscribo opinioni Abbatis Paschasij in B. B. V. V. P. P. hom. 15. qui existimat, quòd similitudo & imago, quam Deus tribuit homini formando cum sibi similem, in hoc consistebat, quòd fecerit eundem liberum in suis operationibus, ita sermocinatur hic grauissimus Pater alloquendo hominem: *In vtero formatus es ad imaginem & similitudinem Dei, propter quod, quemadmodum Deus sui iuris est, & quod vult facit, sic tu tui iuris es.* Quemadmodum Deus liber est in seipso; ita quoque tu,

tu, ô homo, in tuis operationibus tui Dominus es, & in tuâ est potestate velle & non velle. Vnde & B. Thomas de Villânouâ sermon. in Dom. Aduentus exclamauit: *grandis humanæ naturæ dignitas, altissimaq; prærogatiua est, vt ad Dei imitationem ipsa quoque quodammodò sui iuris sit, & suo arbitrio derelicta.*

Num.7. Et hæc etiam causa fuit, inquit, magnus Pater Origenes hom. 13. in Genes. ob quam Deus iam iam creaturus hominem ad imaginem & similitudinem suam dixerit: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Genes. cap.1. vers. 26. Et quando deinde processit ad executionem sui diuini decreti, ait Sacra Scriptura, Deum creasse hominem solum ad imaginem suam: *ad imaginem Dei creauit illum*, vers. 27. Et vbi, quæso remanet similitudo? verum est, (respondet Origenes) quod in creatione nostrâ efformati fuerimus ad imaginem Dei, ast similitudinem bonam vel malam nos ipsi formamus penicillo nostrorum operum, id nobis incumbit officium. Ideoque inter hæc duo, similitudinem videlicet & imaginem differentia est; Similitudo etenim consistit in donis gratuitis & supernaturalibus, vt iustitiâ, sanctitate &c. innocentiâ, quæ dona simul deperduntur per peccatum; ast imago propriè consistit in donis naturalibus, veluti intellectu, memoriâ & libero arbitrio, & hæc amitti nequit per peccatum. Arripiet igitur iste penicillum malorum operum, eoque sibi faciet similitudinem Dæmonis: ille alius operum bonorum penicillo formabit sibi similitudinem Dei. Et de hac intelligitur Sacra Scriptura, quando loquens de formatione hominis dicit: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ergo inquit D. Augustinus de Verb. Dom. sermon. 34. quicumque desiderat assimilari Deo; sicuti fuit primitus creatus, & conseruare hanc similitudinem, non discedat, nec fugiat ab eo, *Quisquis vult esse similis Deo, non recedat ab eo, ei cohærendo, vt custodiat similitudinem, ad quam factus est,*

Insuper asserit augustissimus Pater Augustinus, quod homo potest considerari duobus modis; aut dotatus donis naturalibus, vel spiritualibus; si consideretur secundum naturalia, de quo potest gloriari? fortè de robore & fortitudine membrorum? & hoc non, quia à multis superatur animantibus, veluti Leonibus, Vrsis & alijs. *De viribus præsumis?* dicit D. Augustinus, *à multis animantibus superaris.* Fortè de celeritate in currendo? nec illud, nam muscæ, vtpote vilissima terræ animalia sunt velociores: *præsumis de velocitate? à muscis superaris.* Fortè te iactas de pulchritudine? & hæc superatur à pennis pauonis. *De pulchritudine præsumis? hæc est in pennis pauonis.* De quo igitur potest se iactare gloriari ac fœlicem prędicare homo? vultisne id scire? de imagine, quam obtinuit ad imaginem Dei. Sed quærit D. Augustinus: *vbi est ista imago?* & solitâ suâ eloquentiâ respondet eam esse in libero arbitrio, *Est in mente, in libero arbitrio.*

Veritatem hanc confirmat S. Ioannes Chrysostomus homil. 7. in cap. 3. Genes. Num.8. asserens, quòd, quãdo nostra prima Mater Eua fuit tentata à dæmone & prolapsa est in peccatum, confestim ei apparuit Deus dixitque: eccur transgressa es pręceptum meum? quam, amabo, illa protulit excusationem? *Serpens decipit me.* Gen. 3. versic. 13. Oh, inquit S. Chrysostomus: *non dixit; Serpens coëgit me, & comedi; sed quidẽ serpens decepit me; vt autem deciperetur, aut non deciperetur, in ipsius erat potestate.* Vt exinde edocemur, quòd Diabolus nunquam nostram cogat liberam voluntatem, adeoque non de Diabolo, sed de nobismetipsis lamentari debemus.

Hinc S. P. Hieronymus in Epist. ad Num.9. Dam. explanando parabolam filij prodigi à Patre suo expetentis patrem & portionem substantiæ suę, quæ ex iure hæreditario ei debebatur, dicit, per hanc

por-

portionem significari liberum arbitrium, quod Deus dat homini, vt viuat; & tametsi necessariò sit subditum Dei imperio, omninò nihilominus liberum est & voluntarium, vt tali nimirum libertate ducere possit vitam rectæ rationi conformem & virtuosa, seque assimilet non brutis & animantibus ratione destitutis, & ex electione non operantibus; sed se conformet Deo: *dedit ei liberum arbitrium* (ait sanctus Hieronymus loco cit.) *dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnusquisque non ex imperio Dei, sed ob sequio suo; non ex necessitate, sed ex voluntate, vt virtus haberet locum, & à cæteris animantibus distaremus: dum ad exemplum Dei permissum est nobis facere quidquid velimus.*

Eodem modo Sanctus Joannes Chrysostomus hom. de Pastore & duobus filijs explicat illam legitimam partem substantiæ, quam à Patre suo obtinuit filius prodigus; nam cùm Deus creauerit hominem liberum, sequitur exinde, quod nulli rationabiliter velit denegare facultatem, quâ possit se reparare & discederet de domo suâ, sicuti non vult quemcunque constringere & cogere vt discedat à dictâ domo; sed vnumquemque relinquit in suâ libertate: *Describitur in istis*, ait hic sanctus Doctor, *& euidenter ostenditur libertas arbitrij, quam animæ rationali specialiter inseruit Deus. Vide enim, Pater iste, quomodò nec illum discedere volentem retineat, ne liberi arbitrij auferat potestatem, neque alium manere cupientem, cogat abscedere.*

Num. 10. Hisce adiungendum iam dictis tantæ æstimationis & pretij esse libertatem hominis, vt Deus ipsemet (loquor de potentiâ ordinariâ) nequeat eandem necessitare & cogere. Hinc homo excellentissimorum Dominorum & Principum more, qui, quod sibi lubet & libet, agunt, agere videtur cum Dominorum Domino Deo. Et propterea Propheta Dauid loquens de hac libertate dixit voce quadam: *voluntariè sacrificabo tibi.* Psalm. 53. vers. 8. q. d. Domine, tuæ offeram diuinæ Maiestati debita Sacrificia; ast non coactè & ex necessitate; sed sponte & ex mera & nuda voluntate mea: *voluntariè sacrificabo tibi.*

Quemadmodum igitur Deus non cogit aut compellit hominem ad operandum benè vel male, sed propriam ei relinquit libertatem, quâ dotauit illum à principio creationis suæ, veluti innuit Ecclesiasticus cap. decimo quinto, versu decimo quarto, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Ita Diabolus nullâ ratione cogere valet hominem, vt hîc illi condescendat & suæ consentiat voluntati, & in tantum homo vincitur & superatur à Diabolo, in quantum præbet illi suum consensum. Nec multum difficile erit, superare dæmonis insidias, si cõsideremus ipsius debilitatem, siquidem post passionem Saluatoris nostri maiorem partem virium suarum amisit: ita attestantur Sanctus Ioannes Chrysostomus ho. 42. de Virg. Cassianus collat. septima cap. 27. S. Leo Papa Sermon. de passione Domini & plurimi alij. Et addo infernalem hunc tyrannum in virtute sanguinis Christi remansisse quasi canem sine dentibus, veluti Serpentem sine veneno, tanquam militem sine armis, velut Sampsonem sine robore & fortitudine, & demum quasi Leonem catenis alligatum aut sauciatum, cui quidem non desit animus nocendi, sed viribus prorsus destitus est. Cui optimè congruere potest sequens elogium: *Si non virus, animus,* Etenim nos nisi volentes & consentientes ad peccata pertrahere non potest. Vnde non minus benè quàm eleganter asseuerat Sanctus Bernardus Sermon. 3. ad Fratres: *videte fratres quàm debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentem,* & quamuis dæmon tentationibus suis nos aggressurus, accedat cultrum & gladium gerens in manu nos sauciaturus,

seipso

ſeipſo ſolo nihilominus nullum prorſus nobis poteſt inferre damnum, vt ſuo nos feriat gladio, requiritur voluntas, auxilium & conſenſus noſter. Ita appoſitè id ſignificare videtur patientiſſimus Iob, dum in perſonâ peccatoris loquens dicit: *convulnerauit lumbos meos*. Iob. cap. 16. verſ. 14. In quem locum commentans Sanctus Gregorius Papa libr. 13. moral. cap. 6. inquit: *Convulnerare autem hoſtis dicitur quia quod nobis malè ſuggerit, nos ſequentes ex propriâ voluntate implemus, & quaſi cum ipſo nos pariter vulneramus.* Quaſi vellet dicere, à nobis ſimul & Diabolo ſumus ſauciati, ipſe enim ſolus non habet vim & potentiam aliquam nos lædendi aut feriendi.

Num. 11. Huic ſubjungitur, Diabolum nulli poſſe nocere & minimum adferre damnum, niſi primò habeat licentiam & facultatem à Deo. Ita videmus ex libr. Iob cap. 2. vbi Diabolus tentaturus & percuſſurus patientiſſimum hunc Prophetam, id præſtare nequiuit abſque licentiâ Dei, qui tamen limitatè illam conceſſit ei, primò ſupra bona & ſubſtantiam, poſteà ſupra filios, & deinde ſupra propriam ipſius perſonam, cum hac tamen conditione, ne videlicet tangeret aut læderet vitam & animam illius: *ecce in manu tuâ, eſt veruntamen animam illius ſerua*. verſ. 6. Idem etiam reperietis in S. Euangeliſtâ Matthæo cap. 8. vbi Diaboli expulſi à duobus energumentis & volentes deinde intrare in gregem porcorum, licentiam & facultatem primò impetrare debuerunt à Chriſto Domino, dicendo ei: *mitte nos in gregem porcorum*. verſ. 31. *Vt ſcilicet nouerimus* (ſubiungit ſanctus Auguſtinus Sermon. 197. de tempore) *multò minus eos poſſe ſuâ poteſtate nocere hominibus, qui nec pecoribus potuerunt.*

Cùm igitur rugiens hic leo & rabioſus canis remanſerit abſque aliquo impetu & furore, quaſi eſſet ligatus catenâ, meritò de ipſo ſcribit S. Ioannes Euangeliſta in ſua Apocalypſi cap. 20. *ligauit eum per annos mille, vt non ſeducat amplius gentes.* verſ. 2. & 3. in quem locum ait D. Auguſtinus loco ſup. cit. quòd Angelus hic ligauerit diabolum, nec permiſerit, vt faceret totum malum id, quod potuiſſet & voluiſſet, ſi ei aliàs permiſſum fuiſſet, mille modis tentando & decipiendo homines. At ſi ligatus eſt, cur ergo prævalet, & tantum cauſat mali? verum eſt (replicat D. Auguſtinus in Pſalm. 91.) illum prævalere & plurima facere mala & damna; at totum accidit in tepidis & negligentibus: dæmon namque catenâ veluti canis ligatus eſt, nec poteſt mordere niſi illum, qui eum vult accedere: *latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt, niſi volentem.* Sicut igitur inſanus & amens æſtimaretur ille, ac riſui haberes ſanniſque eluderes eum, qui ſe permitteret morderi à cane fortiter alligato catenis; ad eundem modum (ait D. Auguſtinus) promerentur excipi ſannis, ludibrio & opprobrio, quotquot permittunt ſe morderi à dæmone, cùm veluti canis rabie exagitatus catenis fortiter ſit alligatus, nec vllum poſſit adferre nocumentum niſi illis, qui eum accedere volunt. Sicque à nobis is irrideri & illudi poteſt. Et ad hoc propoſitum appoſitè declarat S. Auguſtinus verba illa Pſalm. 103. verſ. 26. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei* q. d. Creaſti, ô Domine, hunc draconem, vt ei illudamus. Annon vidiſti, quomodo pueri ſubſannent, inſultent & derideant canem vel vrſum ligatum? ita & tu irridere poteris Diabolum, cùm te tentationibus impetit, poteris, inquam, illum vocare canem, eumque vt talem tractare ac dicere: Apagè miſer & infœlix, ligatus es, non potes mordere, nec aliud facere, niſi latrare.

Quando ſancto Antonio (vti legitur in eius vitâ) apparuerunt Diaboli ſub hortendis varijs formis & figuris ferarum, veluti leonum, tigridum, vrſorum, ſerpen- Num. 12.

erpentium & scorpionum, circumdantes eum, ac minitantes ei dentibus, rugitu & fremitu formidabili, quasi illum viuum deuorare voluissent; Sanctus hic vir illudens eis dicebat; si vobis essent vires, vnus solus è vobis sufficiens esset ad pugnandum mecum; at quia debiles estis & viribus destituti, curate omnes, quotquot estis, congregari, vt mihi incutiant timorem; Si Dominus Deus vobis dedit potestatem in me, ecce præsens sum, viuum me devorate; at si non habeatis illam, incassum laboratis

Et sanè N. verbis exprimi nequit, quãtum ille sit debilis, imbecillis & eneruatus, dum ei veluti strenui & generosi milites in faciem resistimus: quod non discordat à doctrinâ S. Iacobi Apostoli cap. 4. seriò nos exhortantis: *resistite Diabolo, & fugiet à vobis*, vers. 8. Imbecillitas eius colligitur etiam ex Sancto Euangelistâ Lucâ cap. 10. vers. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Id est, de primo suæ dominationis & fœlicitatis statu, veluti hunc locum interpretantur S. Basilius, Euthymius & Caietanus in Lucam hic. Vbi & S. Ambrosius obseruat hoc verbum: *sicut fulgur.* Videlicet potentem conspiciebam magis secundum quandam apparentiam, quàm secundum substantiam.

Num. 13. Verum est & indubitatum, quòd ob frequentem praxin & astutiam magnam, quâ excellit, exerceat sese suamque faciat professionem nos tentandi, propter quod & per excellentiam & mysticè in S. Euangelistâ Matthæo cap. 4. appellatur tentator: *& accedens tentator.* vers. 3. Examinat & rimatur, non id nego, nostras inclinationes, ponderat occasiones extrinsecas (vti affirmat Sanctus Gregorius lib. 44. moral. cap. 4.) instar militis castrametantis iuxta muros ciuitatis animæ, explorat, & recognoscit partem infirmiorem ad nos impugnandos, minusque aptam ad sustinendum & repellendum assultum, secundum quod scribit S. Leo Papa sermon. 7. de Natiuit. Dom. *Diabolus omnium discutit consuetudines, Ventilat curas scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi quempiam viderit studiosius occupari* Offert nobis, nec est dubium, Diabolus mediante manu famosæ meretricis in Apocalypsi descriptæ cap 17. calicem aureum veneno & abominatione repletum; sed nostrum est acceptare aut refutare illum, totum hoc remissum est libertati nostræ.

Confirmat idipsũ Sanctus Hieronymus in cap. 4. Matth. vbi legitur, quòd Diabolus conduxerit Christum Dominum ad summitatem templi, & vt inde se præcipitaret, persuaserit; at temerarius ipsemet eum præcipitare non ausus fuit. Num. 14. Vbi citatus Doctor modum hunc loqẽdi examinans scribit in hunc modum: *Persuadere potest, præcipitare non potest.* Vt nos intelligeremus, illum esse adeò inhabilem & ineptum, vt nec vllam habeat potentiam suis falsis suggestionibus nos præcipitandi, si ipsimet nos non præcipitemus; vt propterea defectum virium suarum quærat suâ supplere malitiâ & astutiâ; *Infirmitatem suam* (inquit Ambrosius) in cap. 4. Lucæ. *Diabolus malitiamque designat, quia neminem potest mittere deorsum, nisi ipse se miserit.* Quod confirmauit Sanctus Ioannes Chrysostomus in cap. 4. Matth. ita scribendo: *Non impulit, non tetigit, sed tantùm dixit: mitte te deorsum; vt intelligamus, quod qui obedit Diabolo, ipse se deijcit; Diabolus enim suggere potest, cogere non potest.* Vnde & eleganter asserit S. Petrus Chrysologus sermon. 16 *Cauendos esse dæmones, non timendos* q. d. Cauere eos debemus: quia sunt venenosi & maligni, non verò timendi sunt, quia debiles sunt, eneruati & inermes. Cauendi sunt, qui astuti & fraudulenti; non timendi, quia diuinâ cooperante gratiâ, quæ nunquam nobis deficit, cunctas illorum fraudes, dolos, & astutias detegere & subterfugere possumus. Cauendi sunt, quia pessimam habent

bene voluntatem; at non timendi, quia valdè exiguis pollent viribus.

Num. 15. Memores estote N. facti istius miraculosi, quod refertur in Actis Apost. capite 5. reprehenderat ibidem Princeps Apostolorum Animam, eò quòd hic mẽdacijs & fraude illum circumuenerat, vnde & dicebat: *cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto?* versic. 3. dic mihi, ô mendax, cur permisisti te tentari à Diabolo? sed vnde tibi hæc admiratio, ô sancte Petre? num tibi id videtur insolitum? an nescis officium suum esse nos tentandi? verum id est, & indubitatum, respondebit Apostolus, quòd dæmoni incumbat officium tentandi & suggerendi tentationes, at non cogendi nos; & ideò, vbi nos legimus cum vulgatâ: *cur tentauit Satanas cor tuum?* legunt septuaginta Interpretes: *cur permisisti tentari cor tuum*; q. d. Cur permisisti & dedisti occasionem Diabolo te tentandi? locum hunc exponens S. Hieronymus Epistol. ad Dem. sic scribit: *non extorquet à nobis inimicus consensum, sed expetit; vnde etiam Ananiæ dicitur; quare tentauit cor tuum Satanas mentiri te Spiritui Sancto? quod illi vtique Apostolus nunquam imputaret, si absque ipsius voluntate Diabolus effecisset.* Et fortè res hæc non satis liquet hodiernâ Luce? edic paulisper, ô adolescens lasciue, tu, qui de astutiâ & fraude queritaris Diaboli te tentantis, *cur permisisti tentari cor tuum?* cur te exposuisti peccandi occasionibus? cur non fugisti malas conuersationes, euidentes videlicet tuorum peccatorum causas? & tu, ô Vindicatiue, *cur permisisti tentari cor tuum?* cur per omnes vicos & plateas quæsiuisti occasiones vindicandi te de inimicis tuis? ah N. nos ipsimet fuimus in causâ, non fugimus occasiones peccandi, apertissimis nos exposuimus periculis, vt mirum non sit, quòd simus deuicti & superati. *Videte fratres* (ait suprà citat. Bernardus) *quàm debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentem.* Quòd si igitur, ô Christiane, desideras reportare victoriam & triumphare de Diabolo, necesse est, inquit S. Cyprianus, fugias occasiones & pericula peccandi, nam sat nota est illa sententia Spiritus Sancti Ecclesiast. cap. 3. vers. 27. *qui amat periculum, in illo peribit.*

Diuitiæ.

DISCVRSVS XIV.

Diuitiæ sunt pondera grauia, quæ pertrahunt deuitem Auarum ad inferni barathrum.

Num. 1. CElebris quidam Poëta huius nostri temporis, vt paucis complecteretur multa & grauissima damna, quæ nimius diuitiarum affectus affert animæ & corpori eas appetentium, hosce elegantes & sententiâ dignos ad quendam suum amicum scripsit versus:

Diuitias fugito pondus graue celsa petenti:
Impediunt animum, nec bene velle sinunt.

Quasi vellet dicere: amice charissime, fugito terrenas & mundas diuitias, tibi enim, qui altiora petere & cœlos conscendere debes, sunt animo oneri & ponderi, millenis animam tuam implicant

laqueis, captiuam ducunt voluntatem, adeò, vt vitâ & Christianâ libertate ne quidem vnum actum bonum & meritorium operari possis. Non poterat vt verum fatear N. hic Author in meliori fortunâ describere effectus malos, quos causant diuitiæ, quàm vocare illas pondus: *Pondus graue.* Et insupportabile profectò pondus sunt diuitiæ. Omninò mihi persuadeo, quod Poëta hic conceptum illum compilauerat ex spiritu sancto, Genesis cap. 13. vbi de S. Patriarchâ Abrahamo dicitur: *erat autem diues valde in possessione auri & argenti.* vers. 2. Ex Hebræo traducit D. Hieronymus sic: *erat autem grauis valde.* Vt nobis significaret, esse hominem diuitem, & ferre graue aliquod pondus, quod eum in terram deprimit, esse vnum & idem. Idque confirmat Amos Propheta cap. 4. vers. 1. dum dicit: *audite verbum hoc vaccæ pingues.* Lectio Chaldæa sic habet: *audite hoc graues diuitiis.* Cœlum non potestis scandere, nisi à vobis hoc pondus auferatis, imò vos pertrahet ad imum inferni barathrum, nam, vt S. Ioannes Chrysostomus homil. 2. de verbis Isa. ait: *aurum nihil est aliud, quàm terra rubra, proinde anima, quæ se auro argentove congerendo & congregando deuouit, ab iisdem ponderibus suis depressa ad inferiorem locum in aeternum cruciand a deuoratur.*

Num. 2. Voluit Deus ter opt. max. Exodi c. 14. vt filij Israel siccis pedibus transirent mare rubrum, & hunc in finem diuisit aquas ab aquis, quasi ab vtrâque parte duos erexisset muros pro eorū defensione, & in medio viam strauit spatiosissimam & latissimam, ita vt oculis patuerit arena fundi, sicque salui & incolumes transierunt. Matth. cap. 14. postquam Deus venisset in mundum, & factus homo quosdam congregasset discipulos, inter quos erat Petrus, accidit quadam vice, quod nauigantibus illis in altissimo mari magna exorietur tempestas, ac proinde in euidenti versarentur vitæ periculo, illis igitur constitutis in hisce angustijs quasi quartâ vigiliâ noctis, accessit illos ambulans super aquas Christus Saluator noster quem cùm vidisset Petrus, rogauit humilimè eum, vt & sibi præstaret fauorem & gratiam illam ambulandi super aquas, permisit id ei Christus Dominus: *& descendens Petrus de nauiculâ ambulabat super aquam,* vers. 29. Ambulabat itaque Petrus super aquas eâ quidem securitate, ac si fuisset in terrâ. Ast, quæro ego, cur Deus cum S. Petro & cum filijs Israel eâdem non vtitur potentiâ & modo in parandis hisce prodigijs & operandis miraculis? annon omnes eundem prætendebant finem, nimirum vt transirent ad alteram maris ripam? quidni? quâ de causâ igitur non fecit populum Israëliticum ambulare supra maris aquas, veluti ambulare fecit Petrum; sed præcepit illis vt ad sternendam viam per mare tantisper secederent. Rationem assignat Sacer textus: *petierunt ab Ægyptijs vasa argentea & aurea, vestemque plurimam* Exod. cap. 12. v. 35. Quandò nimirum Hebræi discesserunt ex Ægypto versus terram promissionis, asportarunt secum magnam quantitatem argenti, auri ac gemmarum Ægyptiacarum, & quia hæc erant tanti ponderis, vt naturaliter nequiverint manere & ambulare supra aquas, necessariò sternenda erat via, quæ maris attingeret fundum; à contrario verò S. Petrus toto hoc pondere exutus & alleuiatus, quia jam non solùm renūciauerat facultati suæ & substantiæ, tametsi exiguæ, propter amorem Christi, verùm etiam & sibi ipsi: *ecce nos reliquimus omnia.* Matth. cap. 19. v. 27. Per consequens deposito tali pondere potuit absque vllâ difficultate manere & incedere supra aquas: *ambulabat super aquam.* Hæc est speculatio S. Bernardi lib. de Consid. ad Eugenium, vbi sic loquitur: *cur filij Israel in profundo maris, Petrus verò supra mare graditur? quia Petrus reliquit omnia; illi auri & argenti*

onere pressi ab aquis sustineri non poterant. Nec minori cum elegantiâ discurrit Petrus Damianus in ser. de S. Petro: *nimio pondere grauabantur Israëlitæ onerati diuitijs Ægypti; sed Petrus, qui prius dixit: ecce nos reliquimus omnia, aptior erat, vt super aquas ambularet.* Ecce ergo N. quàm ponderosum onus sunt diuitiæ. *Pondus graue.*

Num.3. Verùm maior vos inuadet admiratio N. si audieritis non aquam dumtaxat esse elementum nimis debile, non valens sustinere pondus diuitiarum; sed etiam ipsimet terræ, tametsi stabili & firmo elemento & fundamento non esse sufficientes vires ad sufferendum & supportandum eiusmodi pondus. Genesis cap. 36. discurrens Sanctus Moyses de S. Patriarchâ Iacob & fratre suo Esau ait: *nec sustinebat eos terra*, vers. 7. Mirum sanè Terra sustinet immensum quasi pondus totaltissimorum montium, tot tantorumque ædificiorum machinas, multitudinem & copiam innumerabilium ferè animantium, arborum & lapidum; terra denique, vt plura paucis complectar, ob firmitatem & stabilitatem suam, quam habet, est fundata in seipsâ, vti testatur regius Propheta: *fundasti terram super stabilitatem suam.* Psalm. 103. versic. 5. Toto igitur hoc pondere onerata terra ne minimum quidem vacillat, dimouetur, & à suo discedit loco: *non inclinabitur in saculum sæculi*, loco citat. Et non posset duos dumtaxat homines sustinere? *nec sustinebat eos terra.* Quonam, amabo, pondere onerati erant hi duo fratres, quod sint adeò graues & ponderosi, vt neque terra eos sustinere valeat? audire, quòd adiungit sacer textus: *diuites enim erant valdè.* Erat, vt nostro loquar modo, diuites in fundo, vt hinc intelligamus, diuitias esse intolerabile pondus.

Vnde Sanctus Petrus Chrysologus sermon. 29. interpretaturus verba illa Matth. cap 9. vers. 9 *& cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine.* Ait, S. Euangelistam non sine magno mysterio posuisse hoc verbum: *sedentem.* Vt nobis significaretur, illum nimirum fuisse oneratum & grauatum pondere diuitiarum, nec potuisse se eleuare, erigere in altum, & surgere à terrâ absque diuino gratiæ auxilio. *Sedebat utique* (inquit S. Petrus Chrysologus) *quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsâ totus conscientiâ fraudis incuruus, aurum naturâ graue grauius sit auaritiâ nimis. Hinc est, quod plus habentem deprimit quàm ferentem, & vehementiùs aggrauant corda, quàm corpora.*

Et sanè N. diuitiæ sunt adeo graue pondus, vt nos deturbent ac præcipitent ad infernum. Ad propositum hoc examinat & perscrutatur D. Augustinus serm. 15. de Verb. Dom. modum illum loquendi, quo vtitur S. Euangelista Lucas in describendo miserabilem, & deplorandam mortem diuitis Epulonis dicens, *Mortuus est autem diues & sepultus est in inferno.*, Lucæ cap. 16. vers. 22. In quem locum ait citatus S. Doctor: *Sepultus est in inferno, quia hic pecuniarum pondere pressus velociùs descenderat, quàm vt venisse diceretur.* Non dicit S. Evangelista diuitem Epulonem descendisse aut deportatum fuisse à dæmonibus ad infernum, nam descendere aut deportare indicat dilationem & moram. Diues igitur hic auarus pondere diuitiarum suarum oneratus tantâ velocitate descendit ad infernum, vt quia hæc vox, descendere, videbatur Sancto Euangelistæ significare moram aliquam, vsus sit hoc loquendi modo: *& sepultus est in inferno.* Num.4.

Cùm igitur diuitiæ sint pondus adeò graue, vti iam percipistis, non aberrabo, si dicam, hinc possibile vix esse, quòd diues quidam & auarus se possit saluare, Matth. cap. 19. mirum sanè & conforme huic nostro proposito reperio factum Accedebat ibidem Christum Dominum adolescens quidam ardens desiderio sequendi eum, informat se de mo- Num.5.

do viuendi, & significatur illi modum illum viuendi, non consistere in alio, nisi quòd omnibus bonis deberet renũciare, omniaq; erogare pauperibus, & hoc modo sequi Christum. *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. & veni & sequere me.* v. 21. Audiens verba hæc bonus ille adolescens (ait S. Euangelista) tristis & conturbatus plurimum abscessit, abundabat namq; multis diuitijs & bonis: *cùm audisset autem adolescens verbum; abijt tristis, erat enim habens multas possiones.* vers. 22. illo abeunte dixit Christus Dominus suis discipulis: *facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum*, vers. vigesimo quarto. Sed heus, ô pientissime Domine, quam, quæso, hic iuuenis importunam tibi exposuit petitionem, vt eandem non facias nolisque ad te reuerti? Oh, respondet Saluator noster, adolescens hic diuitijs abundat; vnde quilibet scire debet, diuitias & bona mundi huius aliud non esse nisi laqueos ligantes voluntatem, & progressum impedientes in virtutibus: *impediunt animum.* Dicebat Poëta ille, & sic factum est, quod miser ille adolescens non redierit ad Redemptorem nostrum: *hoc enim dicto* (sic loquitur Sanctus Hieronymus in hunc locum) *ostenditur non difficile esse, sed impossibile. Si enim quo modo Camelus non potest intrare per foramem acus, sic diues non potest intrare in regnum cœlorum, nullus diuitum saluus erit.* Vt igitur diues saluus fieri possit, naturę vires transcendat & superet necesse est; ad hoc tamen singularis requiritur gratia Dei, vnde subiungit Sanctus Hieronymus: *Interrogantibus autem Discipulis, & mirantibus austeritatem dicti, quis ergo saluus fiet? clementiâ suâ Dominus seueritatem sententiæ temperauit dicens: quæ apud homines impossibilia apud Deum possibilia sunt.* Itote ergo iam diuites, sudate, laborate nocte dieque in accumulandis diuitijs.

Num. 6. Progredior vlterius N, & dico, diuitias ita obfuscare animum possessoris, vt rarissimè in vnâ eâdemque personâ simul vnitæ reperiantur virtus & diuitiæ. Dicam clariùs: adeò difficile est diuitem quendam Auarum conseruare conscientiam suam à scelere puram & liberam, vt sit quasi impossibile, hæc est expressa sententia Spiritus sancti Eccles. cap. 11. vers. 10. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.*

Accedamus ad probationem. Iob capite primo, celebraturus Dominus Deus generalia Comitia, conuocauit totum suum parlamentum, cui & intererant Principes & Magnates suæ cœlestis aulæ, & ne deesset quoque, qui fungeretur officio Fiscalis contra homines, ait Sacer textus, illic & præsentem fuisse Satanam: *quâdam autem die, cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan*, uers. 6.

Hisce ita congregatis, cœpit Deus Diabolo proponere sanctitatem Iob eiusque virtutes eximias, dicens: *nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terrâ?* &c. vers. 8. aduertistine ô Satan, sanctitatem charissimi amici mei & serui Iob? explorastine iustitiam eius, quam inuiolabiliter obseruat? notastine magnum illum timorem reuerentialem, quem mihi exhibet? obseruastine in particulari fortitudinem & constantiam eius, quâ animam suam continuò præseruat à peccatis? *nunquid considerasti seruum meum Iob?* vos N imaginari debetis, quod, quantùm Deus lætabatur in deprædicando Iob & enerrãdo laudes eius, tantùm & ipse dæmon contristabatur, imò crepabat in auscultando illas, & tandem cùm non posset vltra tollerare & audire tot eius laudes & encomia, surrexit protestando contra eum, &, vt vnico eum despiceret verbo, respondit: *nónne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* vers. 10. Volebat dicere: ergo non spem abjicio, non animo cado; etenim homo

homo hic diues est & potens, & tu de die in diem multiplicas substantiam eius, ditioremque efficis; quis scit, posset contingere, quòd die quodam pedem offendens caderet. Doctissimus Pineda in c. 1. Iob considerat & admiratur hanc Satanæ oppositionem, quod nimirum dæmon contradicendo & respondendo Deo deprædicanti Prophetæ huius encomia ei apponat simulque commõstret diuitias illius: *quasi contendat* (ait grauissimus ille Pater) *fieri non posse, vt tanta sanctitas, quanta de Iob deprædicatur, cum tantâ diuitiarum copia bene consentiat.* Iudicabat Diabolus esse quasi impossibile, vt in corde alicujus hominis diuitis possit regnare tanta sanctitas & virtus; sic discurrebat ille: non potest crudelior reperiri tyrannus, qui ab animâ Christianâ sanctas & pias exulare faciat cogitationes, quàm superflua cura & nimius affectus auri; ad obscurandam igitur tantam sanctitatem & virtutem Iob non possum allegare melius & efficacius testimonium in contrarium, quàm ipsius diuitias: *nónne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* q. d. Annon auro, argento, alijsque abundat opibus? annon igitur contingere posset, vt facilè prolaberetur in grauia peccata? siquidem diuitiæ communiter solent huiusmodi edere partus, vnde si non cadat, sed conseruet se purum, illæsum & intactum, non modica profectò præstabit; cùm diues ordinariè multas & magnas patiatur difficultates in conseruando se immunem à peccatis.

Num. 7. Quando Magnus Patriarcha Abraham exiuit ex Ægypto, refert Sacer textus, eum prædiuitem & locupletem nimis, inde discessisse: *erat autem diues valde Abraham in possessione auri & argenti.* Genes. cap. 13. vers. 2. Subintrat S. Hieronymus quæst. 4. & interrogat, quomodò possibile fuerit, quòd Abraham vtpote opulentus & diues potuerit exire de Ægypto? *Sed occurrit huic sensui, quod sequitur, quomodo potuerit exiens de Ægypto fuisse diues valde?* quasi voluisset dicere, si Abraham fuisset pauper & inops non mirarer eum reliquisse Ægyptũ vtpotè expressam peccati figuram; sed quod vt diues & bonis onustus temporalibus adhuc recordetur Dei sui, subtilissimorum hominum intellectum id rapit in admirationem, quia vnus & præcipuus effectuum, quos generant diuitiæ, est præcipitare amatores & possessores illarum in varia & innumera vitia.

Notatu digna sunt ad hoc propositum verba illa, quæ adducuntur 2. Paralip. cap. 12. vers. 1. *Cumque roboratum fuisset regnum Roboam & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Isarel cum eo.* Dicere intendit Sacer textus, quod cùm hic infamis Rex videret se prosperum, prædiuitem & amplis affluentem opibus (hoc enim significare volunt verba hæc *roboratum & confortatum*) non diù tardauit despicere & pedibus conculcare legem Dei, extemplò erexit altaria falsorum Deorum cultui Sacra, obtulitque incensa & holocausta: *dereliquit legem Domini.* Hæc est proprietas auarorum diuitum, vt obliuiscantur videlicet legis Dei & deducantur ad eum renegandum.

Et si dicerem vobis, diuitias etiam mediocres & moderatas esse periculosas, nosque inducere ad idololatriam, si ijsdem non rectè riteque vtamur, difficulter mihi haberetis fidem. At veniamus ad probationem. Gen. cap. 28. cùm Iacob fugiens odium & indignationem fratris sui peregrinaretur, habuit nocte quâdam in somno mysteriosam Scalæ visionem, supra quam ascendebant & descendebant Angeli, manè memor fauoris & beneficij à Deo sibi præstiti, solemne fecit Deo votum: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in viâ per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum &c. erit mihi Dominus in Deum.* v. 20. & 21. Num. 8.

Num

Num moderatius magisque mediocre exoptatis desiderium illo? parum deside-rat panis ad manducandum, pauper em petit vestem ad se cooperiendum, & nihilominus, ne in aliquod incurreret idololatrandi periculum, timebat, formidabat; vnde in hunc finem votum emisit Deo, quòd eum agnoscere vellet pro suo Creatore & Domino, non diuitias. Pulcherrimam supra hunc locum S. Hieronymus facit considerationem: *quid dicturus est auarus*, inquit, *si Iacob diuitiarum causâ periculum idolatrandi timeat?* quidnam erit de auaro, qui cunctas cogitationes, totum cor suum reponit in diuitijs, si Iacob adeò sanctus, & Dei amicus timeat ac vereatur incidere in peccatum idololatriæ, mediantibus suis diuitijs, qui tam parcus & moderatus erat in victu & amictu? bene propterea precabatur Deum Sapiens Prouerb, cap. 30. *diuitias ne dederis mihi*, vers. octauo. *ne fortè satiatus illiciar ad negandum*, versic. 9.

Proposito huic & inseruit consideratio Abbatis Paschasij in cap. 6. Matth, suprà verba illa Christi Domini, quando loquens de diuitibus, affectu, quo continuò adhærent pecunijs, idololatrantib. dixit: *Nemo potest duobus Dominis seruire: non potestis Deo seruire & Mammonæ*, vers. 24. *Mammona namque* (ait Paschasius) *Syra interpretatione diuitiæ dicuntur, quibus seruire, Deum negare est.* Idem asserit Hugo Cardinalis in hunc locum.

Num, 9. Supposito ergo, quòd pecunia appellatur à Christo Dominus diuitum, acutissimam quandam auscultate speculationem Drogonis Episcopi Ostiensis, serm. de Sacra Dom. Pass, tom. 2. B. B. V. V. P. P. causam hic inquirit, cur nimirum Iudas proditor laqueum sibi paraturus non tulerit se cum triginta argenteos, quibus vendiderat suum Magistrum; vel cur non proiecerit illos in aliquod sterquilinium, sed in templum? *& proiectis argenteis in templo, recessit, & abiēs laqueo se suspendit*, Matth. cap. 27. vers. 5. Respondit hic magnus Pater & dicit, Iudam animo & affectu semper adhæsisse pecunijs, in tantum, vt illas veluti idolum suum adoraret, & propterea, cùm vellet se laqueo suspendere, fecit sibi scrupulum timuitq; proijcere illas in sterquilinium; vnde decreuit illas proijcere in templum, veluti locum proportionatum Dijs, quos ipse summo honore & veneratione colebat. *Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* *Vide* (inquit Drogo) *quàm magni faciebat illos? non proiecit eos in sterquilinio, sed in templo, nimirum talibus semper diis templum suum deuouerat: auaritia enim simulacrorum seruitus est.* Nec cum minori elegantia loquitur S. Ioannes Chrysostomus in Epistol. ad Ephes. cap. 5. *sicut idololatræ venerantur idola nec ea præ reuerentiâ tangere audent, ita auarus pecunias quasi idolum veneratur, nec eas contingere audet, sed inani tantùm eorum aspectu delectatur.*

Sed quid mirum N. quòd auarus & diues ob nimiam cupiditatem auri idololatrandi ingrediatur fines & terminos? Num. 10. cùm etiam apertè constet, quòd in seipsum etiam sæuiat & crudelis existat; siquidem ad accumulandos thesauros somno se priuat & quiete? mementote N. quod, quando S. Patriarcha Isaac senio confectus dedit benedictionem Esau filio suo, promiserit eidem opum terrenarum affluentiam: *in pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Gen. cap. 27. vers. 40. quod idem est, ac si dixisset ei: cunctarum opum & diuitiarum, quas conspicis, ô fili, tu sis Dominus, auri & argenti quodcumque in se concludit terra, aut producit cœlum, tu sis possessor, tua denique sint omnia bona, quibuscumque abundat mundus; sed audite, quod subiungit: *Viues in gladio*. vers. 40. nimirum, semper stabis euaginato gladio, continuum geres bellum, tibi necessarium erit, promptus sis & paratus

tus ad ineundum certamen & prælium: *in gladio, in gladio viues* Vnum ego hìc propono dubium: quòd Esau cunctis afflueret diuitijs, benedictio hæc ei erat; at quòd toto vitæ suæ tempore esset dimicaturus, præliaturus & gestaturus euaginatum gladium, quòd continuò in domo suâ esset habiturus bellum, ecquæ illa est beatitudo & benedictio? quænam, inquam, benedictio illa & fœlicitas, dum Pater benedicendo filium consignat manibus eius gladium? dicere poterat Esau: quod diuitias concernit, lubens eas accepto; at quod debeam in continuo viuere bello & discordiâ, pro hoc, inquam, maximas tibi refero grates, ego pro me nolo illas. Non, non, heus fili mi, ait Isaac, hæc duo pari ambulant gradu, se inuicem comitantur diuitiæ & gladius: si terrenarum exoptes diuitiarum abundantiam, necesse est, paratus sis ad continuum bellum, promptumque semper manibus gestes euaginatum gladium, vt dimices, contendas tuaque defendas. Appositè quapropter S. Augustinus quem citat Chald. in exposit. Mag. alloquitur diuitem: *diuitias inuenisti? requiem amisisti.* Videmus id, & experimur quotidiè, quòd diuites auari nunquam ferè dormiant, nec quiescant; sed semper attendant accumulandis diuitijs. Veritatem huius peroptimè intellexit Philosophus ille gentilis nomine Crates Thebanus, de quo refert S. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. quòd omnia sua bona, cunctasque diuitias proiecerit in mare, dicens: *abite pessum malæ cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.*

Num. 11. Et parum hoc esset N. si solummodò amitterent requiem, quod peius est, sunt & homicidæ sui ipsorum. Pro veritatis huius probatione inseruiet mihi horrendus & terribilis casus, qui refertur 2. Machab. cap. 14. de milite illo Raxiâ, qui gladio corpus suum transfixit, & magnâ deinde violentiâ è vulnere extrahens intestina, proiecit ea super turbas: inaudita profectò crudelitas. *Et stans supra quandam petram prærupt am, & iam exanguis effectus, complexus intestina sua, vtrisque manibus proiecit super turbas.* v. 46. Totum hoc cernitur in personâ diuitis Auari; ipse enim sibi excauat viscera, eaque in abyssum inferni proijcit. Testem huius audite Ecclesiasticum cap. 10. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vitâ suâ proiecit intima sua,* vers. 10. Vatablus legit conformiter meo proposito: *hic enim viscera quoque sua projicere paratus est lucri causâ.* Ita planè contigit Iudæ proditori, qui motus maledicto pecuniarum desiderio & appetitu, diuendidit Magistrum suum, vnde suum deinde aduertens errorem desperatus abiuit, laqueo se suspendit, crepuit medius, ac omnia viscera eius diffusa sunt per terram: *& suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Actorum cap. 1. vers. 18.

Crudeles etiam & inhumanos sese demonstrant diuites Auari in pauperes, vnde nec deesset aliud, nisi vt eosdem excoriarent, & viuis pellem detraherent. Quemadmodum id etiam insinuat Propheta Iob cap. 22. vers. 6. *nudos spoliasti vestibus.* Demirabitur tamen quispiam hunc loquendi modum Prophetæ, & quis non miraretur ait hìc Origenes? *At qui nudos spoliare poterat?* & respondet: *nudos igitur valde inopes cogitare debemus, qui non alteram habent vestem.* q. d. nudi sunt pauperes, & non nisi pelle vestiuntur, quam nihilominus eisdem diuites de trahere student. Suo id confirmat testimonio Micheas Propheta c. 3. dicens: *pellem eorum desuper excoriauerunt.* vers. 3. Cùm enim diues Auarus videt pauperem non esse soluendo, in obscuros eum detrudit carceres, & fame perire sinit.

Crudelem quoque se exhibet, & sæuit diues Auarus in ipsos etiam mortuos.

Annon recordamini N. crudelitatis, quam exercuit Darius in sepulchrum Semiramidis Vxoris Nini Regis Assyriorum? ille enim lecto sepulchri illius Epitaphio, quod ipsa apposuerat: *Si quis Rex pecuniâ indiget, hoc monumentum diruat.* Aperuit illud, omnia inde eruit, nullo etiam erga ossa illa habito honore & respectu; licet loco auri maximâ cum sui confusione inuenerit hæc Verba: *nisi esses insatiabilis, nunquam sepulchra mortuorum attigisses.* Ita referunt Ælianus de variâ hist. & Plutarchus in Apophtheg.

Num.12. Iam ergo itote vos diuites noctu diuque vos tormentatum in accumulandis diuitijs. Miseria profectò sanguinolentis deploranda lachrymis. Aduertitote seriò nõnisi pondus esse diuitias ad imum vos pertrahens, nec permittens vos conscendere viam ad patriam Paradisi: *pondus graue cel.a petenti.* Non alius superest modus vos ab euidenti hoc liberandi periculo, nisi vt superfluam diuitiarum vos aggrauantium curam & affectum ex corde vestro penitus eradicetis: hoc etenim modo facientes exonerabitis vos, & alleuiabitis, sicque firmiter promitto promptos & expeditos vos euasuros ad currendum imò volandum absque vllo prorsus impedimento ad cœlestem beatitudinem: *Beati pauperes* (ait D. Gregorius in Matth.) *quia ad currendum leues & expediti sunt.* Et S. Bernard. serm. 4. de Aduentu hanc pulchram tradidit nobis sententiam, dum ait, *magna quædam penna est paupertas, quâ tam citò volatur in regnum cœlorum.* Et Seneca magnus ille philosophus moralis ait in suis Epist. *paupertas expedita est & velox ad festinandum.* Vnde postquã S. Petrus dixisset: *ecce nos reliquimus omnia, &c.* Audiuit à Christo Domino sequentia: *tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus,* Ioannis cap. 1. vers. 42. *quasi diceret* (explicat Sanctus Hieronymus ad Exuperantium & in Epist. 34. ad Iulian.) *quia omnibus iam nudus, velocior columbâ volare poteris ad me.* Et deinde concludit S. Doctor: *nudus & leuis ad cœlum euola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.* q. d. Si tu, ô charissime, ad cœlum tendere velis, diuitiarum relinquas graue pondus necesse est, nec alia superest via aut semita ad gloriam æternam. Sic fecit S. Petrus, qui omnia relinquẽdo cãdida quasi colũba euolauit ad cœlos. Elias etiã, ait idem Sanctus, petiturus paradisum reliquit pallium suum, quasi fuisset impedimentum ascensus sui; vnde mirum non est, quòd diuites Auari graui diuitiarum onerati pondere à cœli impediantur ingressu. *Elias* (ait citatus Hieron.) *ad cœlorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo reliquit vestimenta; si verò ad ascensum in cœlum pallium prægrauabat Eliam, quid mirum, si diuites detineant onerantes, quas possident diuitiæ?* Ergo, subiungit Sanctus Bernardus lib. de Consid. ad Eugen. *beatus, qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, & amissa cruciant, & amata inquinant.*

Et quamuis plurimi diuites salui facti sint, & præsertim Abraham, de quo recenset Sacra Scriptura, quòd fuerit omnium ditissimus: *Erat autem diues in possessione auri & argenti,* Genes. cap. 13. vers. 2. Nihilominus S. Petrus Chrysologus sermon 121. & Sanctus Hieronymus lib. 1. Dial. contra Pelag. asserunt tam illum, quàm alios antiqui testamenti Patres nõ sibi sed alijs fuisse diuites, & potiùs posse vocari Dei dispensatores, quàm bonorum horum temporalium possessores. *Abraham fratres*, ait primò Archiepiscopus Rauennat. *non sibi sed pauperibus diues fuit, & opes non habere, sed prorogare gestiuit, magis in sinu pauperis, quàm in horreis suas studuit recondere facultates.* Deinde S. Hieronymus sermocinatur hoc modo: *Abraham & cæteri, quos in veteri testamento legimus diuites ingressos regna cœlorum, non sibi, sed alijs* Num.13.

lijs diuites fuerunt, & dispensatores magis Dei, quàm diuites sunt appellandi. Si igitur, ô Christiane, Deus tibi elargitus est diuitias, esto liberalis & pius in pauperes, succurre eorum necessitati; sic enim post hanc vitam diuitijs gaudebis æternis.

Ecclesia.

DISCVRSVS XV.

De honore & reuerentiâ Ecclesijs alijsq; locis sacris exhibenda, nec non de pœnis & punitionibus diuinis easdem prophanantium.

Num. 1. REGIVS Propheta Dauid sermocinans de honore sacris locis defenrendo in hęc prorumpit verba: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Psalm. 92. vers. 5. Et vt dilucidè intelligamus quāti Deus æstimet hunc honorem, quem templis sacris præcipit exhiberi, obseruate mecum, amabo, pulcherrimum quendam Scripturæ Locum Num. 35. præceperat Deus vice quadam Moysi in antiquâ lege, vt sex secerneret loca refugij ad quæ quicumque delinquentes confugerent in tuto locati, insidiarumque metu & periculo vacui: *de ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt in fugitiuorum auxilia separata,* versic. 6. Dubium mouet Philo Hebræus citatus à glossa Ordin. ad hunc locum: Quam ob causam templum quod sacer erat locus, non eligebatur in locum refugij, & in delinquentium Asylum, quemadmodum hisce nostris temporibus extorres patriâ & delinquentes ad sacra loca confugiunt, vt ibidem in tuto positi effugiant manus violentas iustitiæ; sed destinabantur in refugium delinquentium sex illa oppida? & respondet id ideò factum esse, ne vitijs & sceleribus illorum sacrum prophanaretur templum; *non autem in templis,* ait Philo, *aperiuntur immundis asyla, ne ab immundis inficerentur.* Si igitur Deus antiquis temporibus tantùm Ecclesiæ suæ iussit & voluit deferri respectum; quid non faciet modò in lege Euangelicâ dum plurimos conspicit peccatores ita proteruos & procaces, vt non verecundētur in præsentiâ illius offendere illum & dilectam eius sponsam Ecclesiam prophanare.

Nato Christo Domino Saluatore nostro recenset S. Euangelista Lucas cap. 2. Beatissimam virginem non reperijsse commodum in stabulo locum, vbi eundem reponeret; Vnde *reclinauit eum in præsepeo,* vers. 7. Non miror modò Christum Dominum delegisse sibi pro natiuitatis suæ loco vilissimum stabulum; sed quod me rapit in admirationem est, quòd hanc suam natiuitatem voluerit omnium primò denunciari ipsis pastoribus: *Ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid,* vers. 10. & 11. Annon melius fuisset Natiuitatem Christi primò annunciatam fuisse Simeon & Annæ Prophetissæ tanto desiderio Messiam expectantibus, & videre cupientibus, an fortè hi consolatione hac non tam digni erant veluti Pastores? respon- Num. 2.

det dubio huic magnus Pater Eucherius hom. de Natiuit. Domini & ait: id Deum fecisse zelo ductum honoris domus suæ; solebant enim Pastores illo iuxta morem suum in tugurio illo sæpissimè dimorari & conuenire, & quia natus erat ibidem Saluator mundi, dicens, imò necessarium erat, vt priùs admonerentur ab Angelo de gloriâ & maiestate loci illius, qui ob præsentiam filij Dei non iam prophanus, sed sacer esset locus, ac proinde debitâ cum reuerentiâ illum ingrederentur Pastores: *ea causa esse videtur* (inquit Eucherius) *vt prius Pastoribus hæc verba Angelus nunciaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, in quo puer positus erat.*

Num. 3. Hanc eandem veritatem clarè probatam videmus in Isaiâ Prophetâ cap. 6. refert etenim Seraphinum quendam cœlo descẽdisse purificatum labia sua carbone quodam accenso, quem de altari reuerenter sumpserat non nudâ manu, sed forcipe illic præparato: *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari & tetigit os meum & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*, vers. 6. & 7. Doctissimus Procopius commentaturus in hunc locum quęrit, quâ de causâ ad purificanda labia sancti huius Prophetæ Angelus acceperit carbonem illum accensum non manu sed forcipe? num fortè timebat manus digitorumque exustionem? & hoc non; quia spiritus Angelicus ab igne materiali lædi nequit; quæ igitur fuit illius causa? non alia, inquit, Procopius, nisi honor & reuerentia, quã sacro exhibebat altari, dum ignitum illum carbonem manu non audebat tangere Pulcherrima auscultate præfati Doctoris verba: *Prophetæ purgationi subseruit vnus de Seraphim, qui carbone de altari forcipe accepto, honorem, quem altari exhibet, apertè significat, cùm manu tangere non audet.*

Num. 4. Perlegite S. Euangelistam Ioannem cap. 8. & comperietis verbum diuinum altissimo descendisse cœlo in terram, vt carnem suam grauissimis exponeret cruciatibus & tormentis ab intellectu etiam humano vix imaginabilibus, nihilominus dum Iudæi Christum lapidare volebant, fugit: *tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, Iesus autem abscondit se & exiuit de templo*, vers. 59. Totum hoc factum est, inquit hic Hugo Cardinalis, ne sacrum suum tẽplum hac actione sacrilegâ prophanaretur: *Iesus autem obscondit se, non quod mori non cœperat* inquit citatus Cardinalis, *cùm ad hoc in mundum venerit; sed ne tanto sacrilegio domus illa pollueretur.*

Non frequentatur Ecclesia, asserit sanctus Maximus homil. in vigiliâ Natiuit. Domini, nisi vt fundantur preces in ea, & ideò ab ipsomet Christo Domino domus orationis nuncupatur: *domus mea, domus orationis vacabitur* Matth. 21. vers. 13. Vt hinc intelligeremus, finem principalem, ob quem itur ad Ecclesiam, non esse, vt ibidem tractemus negotia sæcularia, iocis & risibus teramus tempus; sed solùm vt cum Deo agamus, tractemus & loquamur, animarumque nostrarum gratiam sanctificantem & salutem consequamur. Vnde sanctus Propheta Dauid Psalm. 117. vers. 19. *Aperite mihi portas iustitiæ; ingressus in eas confitebor Domino.* Præclarum templi portis, quas intrare nitebatur, affigit titulum, portas nimirum appellat iustificationis & sanctificationis, ibi enim acquiritur animarum sanctificatio. Illas hoc animo subintrabat ipsemet Dauid dum dicebat: *replebimur in bonis domus tuæ*, Psalm. 64. vers. 5. Sed quæ & qualia sunt bona ista, quibus impleri exoptabat Propheta Regius, inquirit hic sanctus Hieronymus? *replebimur*, idem respondet S. Doctor, *sanctificatione templi tui.* q. d. Thesaurus, quem consequimur, quo ditamur, & quo replemur, est sanctificatio. Intramus infirmi, sani & sospites egrediemur; ingredimur cœci, &

ecce Christus nos illuminat; ingredimur claudi & paralytici non tenentes rectam obseruantiæ diuinæ legis viam, & ecce bono muniti proposito, & á Christo Domino sanati eximus, viam præceptorum diuinorum obseruantes. *Ecclesiâ* ait sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 1. in Genesin, *locus quidam est medecina spiritualis, & eos qui huc veniunt, decet ne domum redeant, nisi congrua remedia acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint.*

Num. 5. De respectu & honore Ecclesiæ debito dixit Ecclesiastes cap. 4. vers. 17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Quasi diceret; ambula modestè & cautè, nam, vti discurrit sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 15. in Epist. ad Hebr. intraturus es aulam illam regiam & diuinam; quare sic dispone & dirige gressus tuos, vt habitus tuus, oculus tuus, mores tui, incessus & progressus tuus, omnia denique sint composita & accommodata. Ergo ait Beatus Nicolaus eiusdem sancti Doctoris discipulus parænesi. 2. *Ecclesiam vt cœlum adi, & nihil in eâ aut loquere, aut age, quod terram sapiat.* Talem Deus à te exigit reuerentiam, ad cuius præsentiam omnes tremunt cœlestes Hierarchiæ, *qui adest, affectus intrantium considerans*, dixit sanctus Basilius in Psalm. 28. & ad hanc reflexionem faciendam excitat nos sanctus Ioannes Chrysostomus in illud Isaiæ, *vidi Dominum*, dicens: *non cogitas ipsũ hic adesse inuisibiliter Dominum, qui vniuscuiusque motum metitur & conscientiæ rationem habet?*

Refert Saluianus libr. 3. de prouidentia Dei, laudabilem antiquitus fuisse consuetudinem, nimirùm Ecclesiarum ianuis astitisse quosdam ostiarios, qui personas indignas, & de quibus suspicio esse poterat, quòd reliquos in Ecclesia pietati incumbentes essent perturbaturi aut inquietaturi ab ijsdem expellerent & eliminarent Ecclesijs. Et sanctus Ioannes Chrysostomus recenset, laicos tempore suo non ausos fuisse loqui in Ecclesijs, ac sæpissimè contigisse, quòd parentes & filij è longinquis accedentes regionibus non sibi inuicem locuti fuerunt, quousque diuinum peractum esset officium & extra Ecclesiam venissent. Et subiungit idem S. Doctor in Epist. ad Corinthios, Christianos tunc temporis ex suis dominus fecisse templa, in quibus Deum laudabant, gratiasque ei peragebant in summo silentio. Ast temporibus nostri S. Ecclesiæ commutantur in domus prophanis; siquidem nunc ibidem fiunt conuenticula hominum peruersorum, qui alijs non intendunt nisi iocis, risibus & verbis indecentibus & inhonestis, nunc in hanc, nunc in illam obtutum suum figunt mulierem, pluraque alia Christiano homine indigna agunt, quæ non fierent aliàs in publicis plateis: *apud primos Christianos*, ait os illud aureum, *ipsa domus Ecclesia erant, nunc verò Ecclesia domus fit, imò domo qualibet prophana magis.* Scire nihilominus deberent eiusmodi, esse Dei Ecclesiam: *locus est Angelorum, locus Archangelorum, regia domus Dei & cœlum ipsum.* Ecclesia locus est, vbi Angeli adorant & reuerentur totius vniuersi Dominum, *Ecclesia enim non disceptandi sed discendi locus est.* Ecclesia solùm fabricata est, vt in eâ benedicatur & laudetur Deus, ac populus à ministris illius instruatur in lege & præceptis diuinis. Concludit deinde idem sanctus hom. 5. ad populum: *Sic nos in Ecclesiâ conuenimus non propter hoc solùm, vt illic immoremur, sed vt aliquid magnum lucrati, & spirituale lucrum discedamus.* q. d. à nobis frequentanda est Ecclesia, non solùm vt ibidem simus præsentes corpore, sed vt Deum ter opt. max. laudemus, ac diuina mysteria, quæ ibidem celebrantur, contemplemur, adeoque reuertamur domum contriti corde & spirituale lucrum consecuti.

Sed ô tempora deploranda! quot ho- Num. 6.

R 3 die

die subintrant Ecclesias iustitiâ & gratiâ ornati, & egrediuntur priuati illâ? an fortè Ecclesiæ ad hoc erectæ sunt, vt tu inspicias nunc hanc, nunc illam mulierem, nunc ioceris, nunc rideas, nunc alia perpetres nefanda? illéne locus deputatus est ad offerenda holocausta Diabolo, vbi vnico & vero Deo famulandum? meritò de hoc lamentabatur summoperè Deus per os Ieremiæ cap. 11. vers. 15. *Quid est, quod dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa?* Quasi diceret, quid est, quòd dilectus meus populus Christianus tantas admisit iniquitates & dissolutiones; idque in meâ domo, vbi summa seruanda est cordis mundities? quòd Turcæ, Arabes aut Scythæ nullum Ecclesiæ meæ deferant honorem, mirum non est, fidei enim veræ orbati sunt lumine; ast quòd Christianus, qui verâm mei habet notitiam, tot tantisque à me cumulatus est beneficijs in meâ præsentiâ peccare, & me offendere non erubescat, hoc me rapit in admirationem. Vnde exclamat etiam Sanctus Ioannes Chrysostomus ho. 15. in Epist. ad. Hebræos: *stat Sacerdos Dei orationem offerens cunctorum, tu autem ridens, nihil timens, non contremiscis, non colligis teipsum?*

Num. 7. Imò plurimi inueniuntur studio visitantes templa, vt magis Deum offendere valeant, & vt vtar verbis antiquissimi Tertulliani in Apolog. cap. quinto. *Ad adulteria componenda & lenocinia tractanda.* O deprauatos nostrorum temporum mores! ergóne Ecclesiæ & domus Dei latronum speluncæ sunt, & sensualitatis officinæ? ô temporum horum miseriam vberrimis deplorãdam lachrymis; deplorabat illam S. Cyprianus Epistol. 2. dum dicebat: *inter ipsas leges delinquitur, inter iura peccatur, & innocentia nec illis, vbi defenditur, reseruatur*, quasi diceret: Non te pudet peccare in locis sacris, vbi diuina tradũtur præcepta? *inter iura peccatur*, non erubescis offendere Deum in Ecclesiâ, vbi promulgantur leges diuinæ; *inter ipsas leges delinquitur.* Non verecundaris iniqua componere fœdera in templis, non te pudet sanctitatem & innocentiam istius sacri loci, quæ deperdita illic acquiri solet, prophanare & destruere? *& innocentia nec illis, vbi defenditur, reseruatur?* annon hoc est, tollere & annihilare honorẽ & respectum sacrorum templorum? meritò cum Mathathia Principe Machabæorum dicere possum: *templum eius sicut homo ignobilis*, lib. 1. Machab. cap. secundo, versic. 8. Et verè sicut homo ignobilis, quia non salutatur à transeuntibus; homo veluti ignobilis est & plebeius, quia nihil æstimatur, imò contemnitur ab introeuntibus, quare concludere oportet cum illo, quod dicitur lib. 1. Machab. c. 1. v. 41. *dies festi eius conuersi sunt in luctum, Sabbatha eius in opprobrium.* Frequentare Ecclesias ad spectandam hanc vel illam domicellam, oculos satiare lasciuiâ & mentem impudicitiâ, quid aliud est, N. quàm è sacro Dei tẽplo facere ignominiæ speluncam? *Secundum glorã eius multiplicata est ignominia eius*, vers. 42. Intra Ecclesiam non animo adorandi & honorandi Deum, sed illicitos & vsurarios faciendi contractus, quid aliud est, nisi sacri templi prophanare gloriã & honorem, idque in latronum transformare speluncam, eiusque irridere sanctificationem? *Sabbatha eius in opprobrium conuersa sunt.* Deo vertere tergum in Ecclesijs, attendere lenocinijs inter sacra altaria, quid hoc aliud est, nisi honorem domus Dei transmutare in prostibulum Veneris, & totum destruere respectum sacris debitum locis? *honores eius in nihilum*, vers. 41. Ast tu non considera Deum totâ adornatum regali suâ Maiestate ibidem residere parata tenentem flagella, vt te castiget? creaturæ insensibiles ad Dei tremunt præsentiam in templo: *plena est omnis terra gloriâ eius. Et commota sunt superliminaria cardinum*, dixit Isaias Propheta, cap. 6. vers. 4. & vt vtar verbis D. Hieronymi, lib. 1. com. in cap. 8.

cap. 8. Matth, insensibilia timent & *sentiunt maiestatem creatoris*. Et homo, peccator, vermis vilis, intraturus Ecclesiam non erubescit offendere Deum? væ, væ vobis, grauis enim vobis imminet punitio diuina, attestante ita Apost. 1 ad Cor. 3. v. 17. *Si quis autē templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*. Cui subiungit S. Antonius Archiepiscopus Florentinus. 3. parte sermon. 33 *perdet animam suam ad inferos iudicando*.

Num. 8. Plurima in confirmationem veritatis huius adducere possem exempla, quę ad vitandam nimiam prolixitatem prætermittere cogor. Duo nihilominus solùm recensebo sanè stupenda. Refert Propheta Daniel cap. 5. quòd cùm Rex Balthasar inuitasset ad conuiuium Primates & Principes regni sui, simul ac vxores & concubinas omnes, epularenturque iucundi & hilares laudantes Deos suos aureos & argenteos, prophanantesque sacra illa vasa, quæ asportauerat Rex Nabuchdonosor Pater illius de templo Hierosolymitano: eodem illo tempore apparuerit manus quædam inscribens parrieti aulæ regiæ tremendam hanc sententiam: *Mane Thecel Phares*. Quæ iuxta declarationem & expositionem Danielis eum in finem à Rege timido vocati aliud non indicabant nisi amissionem regni statusque regij diuisionem: *in eadem horâ apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ*, versic. 5 Glossa in hunc locum notat hæc Sacræ Scripturæ verba: *in eâdem horâ*. Et ait: punitionem fuisse repentinam absque intermissione moræ, eò quòd prophanauerint sacra templi vasa: *eâdem horâ dicitur, vt ostendatur manifestè propter quid erat Dei vindicta, scilicet propter contemptum Dei in abusu vasorum sacrorum*.

Secundum exemplum commemorat Sanctus Euangelista Ioannes cap. 2. vbi legitur, quòd cùm Christus Dominus die quodam ingrederetur templum, ac quosdā conspiceret illud prophanantes, proprijs acceperit manibus flagellum, & illo eosdem de templo eiecerit: *& cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo*. vers. 15. Sanctus Vincentius Ferrariensis serm. 3 Dom. Quadrag. causam huius inquirit, cur nimirū Christus Dominus id munus castigandi prophanatores hosce non commiserit alicui Angelo, vel Apostolo, vel alteri cuidam ministro? & respondet id eum fecisse ad declarandam maiorem enormitatem & grauitatem peccati in Ecclesiâ commissi, quod plus cæteris Deus detestatur, punit & castigat, neque sibi satisfactum arbitrabatur, nisi proprijs manibus iustissimam de eo sumpsisset vindictam; *non legitur*, inquit S. Vincentius, *quòd Christus vnquam proprijs manibus peccata correxerit, nisi hic, vbi fecit flagellum de funiculis. Hinc apparet quantum displicetis, qui tangit Ecclesiam sponsam suam*. Num. 8.

Vindictam hanc quam sumit Deus de templi sui prophanatione innuit quoque Proph. Ezech. cap. 8. manifestaturus enim Deus Prophetæ huic iniquissimas abominationes, quas committebat populus, raptum in spiritu conduxit ad templum Hierosolymitanum, eique dixit *fili hominis, putásne vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas quas domus Israël facit hic, vt procul recedam à sanctuario meo*, vers. 6. ecquid, ô Domine, facit populus ille, replicat Propheta, *fode parietem*, ait Deus, versic. 8. & totum videbis. Fodit parietem Propheta ingreditur, & ecce in pariete templi depicta conspicit omnis generis animalia immunda & abominanda, quorum aliqua gradiebantur super terram, alia volabant per aërem, pluraque idola, quibus septuaginta seniores adolebant incensū, visionem hanc demiratur Propheta & ait: taléne, ô Domine, committuntur enormitates in templo tuo? ingredere & perge vlterius, inquit Deus, & videbis alias abominationes pessimas: *& dixit ad*

me: adhuc conuersus videbis abominationes maiores quas isti faciunt. vers. 13. Ingreditur Propheta, & conspicit multitudinem mulierum, quæ sedebant plangentes Adonidem. Intra & progredere vltra, & videbis hisce maiora. Intra Propheta, & quosdam cernit ludibrio exponentes templum Dei, eique vertens tergum: *& introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem & adorabant ad ortum solis.* vers. 16. Et quid tibi videtur, ô Ezechiel, de temeritate & proteruia illorum, qui nullo habito respectu tot horrendas in templo meo committunt abominationes? *certè vidisti fili hominis, nunquid leue est hoc domui Iuda, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate conuersi sunt ad irritandum me? & ecce applicant ramum ad nares suas.* vers. 17. Concludit deinde Deus: *ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor, & cùm clamauerint ad aures meas voce magnâ, non exaudeam eos.* vers. 18. Quia suis sceleribus me coëgerunt ad seuerè illos castigandos.

Num, 10. Et quid arbitramini N.? anne enormitatem hanc tolerabit Deus? non profectò. Audite quapropter regium Prophetam, quid ipse dicat Psalm. 73. vers. 3. *Leua manus tuas in superbias eorum in finem.* q. d. Sceleratis huiusmodi peccatoribus rigidam, ô Domine, inflige pœnam, mitte illos in exterminium, & penitus disperde eos. Et qui sunt illi, ô Propheta Dauid, castigatione digni? illi nimirum sunt, qui in templo tot & tam enormia non erubuerunt patrare scelera: *quanta malignatus est inimicus in sancto? & gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ.* vers. 4. Efficaciam ponderate verbi huius: *malignatus est*, Magna enim pollet emphasi, & idem est ac si diceret: quot & quanta iniqua & Diabolica perpetrarunt opera in sacro templo, dum hoc vtuntur ad offendendum Deũ? & sanè num maior impietas & iniquitas excogitari potest, quàm quòd homines in Ecclesiâ tempore illo, quo diuinum recitatur officium, & sacrosanctum celebratur Missæ sacrificium, nugis attendant, confabultionibus, alijsque indecentibus actionibus? quot sunt, qui visitant Ecclesiam spectaturi hanc vel illam mulierem, quod ob timorem mariti vel parentum non ausi fuerunt facere in proprijs illarum ædibus? *quanta malignatus est inimicus in sancto?* hinc videbis interdum obtutus lasciuos, illinc audies verba turpia & inhonesta, hinc conspicies risus & cachinnos, illinc alios cernes tergum vertentes sanctissimo Sacramento, & plures alias enormitates; quas hîc recensere verecundor, idque: *in medio solemnitatis tuæ.* Legit Hebræus: *in medio templi, in quo agitur solemnitas.* Non sufficiunt eiusmodi peruersis & sceleratis hominibus tot tantaque nunc in hoc, nunc in illo loco commissa scelera, idque cum grauissimâ Dei offensâ & scandalo totius ciuitatis, volunt insuper pro complemento suæ malitiæ & peruersitatis solemnioribus festorum diebus visitare Ecclesias, summâ easdem prophanaturi propteruiâ, ô scelus horrendum! quapropter: *leua manus tuas in superbias eorum.* Castiga illos seuerissimè, ô Domine, juxta illorum demerita.

Et quomodo tu, ô Christiane, qui firmiter credis in tabernaculo illo præsentem esse Deum viuum & verum, qui te ex nihilo creauit, ac pretiosissimo suo redemit sanguine, quique te vnico voluntatis suæ nutu destruere & annihilare posset, ille, inquam, ad cuius præsentiam tremunt Diaboli: *dæmones credunt & contremiscunt.* Iacobi secundo, vers. 19. audes nihilominus in eius præsentiâ enormia adeò perpetrare peccata?

In summam idipsum rapiebat admirationem Prophetam Ieremiam cap. 3. Num, 11.

qua

quapropter ad te peccatorem conuersus dicebat: *fecisti mala & potuisti*, v. 5. q.d. Non ignorabas, quòd præsens esset Deus, teque videret, & nihilominus ausus fuisti eum offendere? *fecisti mala & potuisti.*

Si meretrix illa (cuius mentionem facit sanctus Gregorius Nazianzenus in cap. quod incipit: *plerique narrant*) à lasciuo quodam adolescente vocata, & in ædes illius inducta malum ob finem, in ingressu cubiculi oculos suos defigens in imaginem Polemonis, Philosophi sapientissimi, ob solam imaginis huius repræsentationem stetit attonita, noluitque ulteriùs progredi; sed mutando vitam, veram egit pœnitentiam: quomodò tu, ô Christiane, non compungeris, prauos nō mutas mores, vitā lasciuam & inhonestam, ad conspectum & repræsentationem Christi crucifixi non solùm hac in tabulâ depicti, aut in marmore illo exsculpti (quod tibi sufficere deberet) sed ipsiusmet viui & veri Dei, qui tametsi in omni loco præsens sit, attamen, veluti, ait D. Thomas 1. p. qu. 8, modo magis particulari præsens est in cœlo & in Ecclesiâ.

Diuinam hanc præsentiam recogitabat castissimus ille adolescens Ioseph. Genes. 39 dum impudicæ illi mulieri ad inhonestum eundem actum sollicitanti respōdit: *quomodo ergo possum hoc malū facere, & peccare in Dominum meum?* vers. 9. traducunt Septuaginta: *& peccabo coram Deo?* q. d. quâ ratione ego tam enorme peccatum cōmittere audebo in præsentiâ Dei? væ illis, qui postpositâ hac Dei præsentiâ, Deum summâ temeritate offendere haud curant, nec debitum ei deferunt honorem & respectum, qui infinitæ illius Maiestati in locis præsertim sacris conuenit, & deferendus est.

Num. 12. De errore huiusmodi commisso summè dolebat regius Propheta Dauid Ps. 50 dum recordabatur grauiter se offendisse Deum in ipsius præsentiâ: vnde dicebat: *tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* vers. 6. Hebræus textus habet: *in oculis tuis*, hoc malum patraui. Quem textum Glossa hîc exponens inquit: *non erubui ante te peccare, quem nulla, quamuis abscondita, latent*, quasi diceret Dauid: Ea me, ô Domine, inuasit temeritas & peruicacia, vt in conspectu & præsentiâ tuâ ausus fuerim te offendere: *malum coram te feci* Vnde exclamat Sanctus Petrus Chrysologus Sermone 3. *Sensit Dauid quantum sceleris sit, in ipso Dei peccare conspectu, & ideò clamat: tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Quoties, quoties ô peccator, offendisti Deum tibi præsentem, quoties eum despexisti ac vertisti ei tergum, veluti ille ipsemet conqueritur per os Ieremiæ Prophetæ cap. 2. *Verterunt ad me tergā, & non faciem.* v. 27. Væ tibi, grauis enim tibi imminet punitio diuina, quam non effugies, nisi id exequaris, quod S. Euangelistæ Ioanni semel demandatum fuit Apocal. 11. *Surge, metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.* vers. 1. q.d. abi mensum templum Dei, & omnes, quotquot illud visitant, examina & scrutare, num tantam, quantam locus ille exigit, habeant sanctitatem & animi puritatem. Quapropter sedulò tibi, ô Christiane, inuigilandum est, ne Domum Dei repures veluti domum quandam ordinariam, neq; Deum ter Opt. Max. cuius oculi semper illuc intendunt, offendere præsumas, nisi animam tuam velis à dæmonibus in infernum, æternis ibidem subijciendam tormentis, abduci. Cura igitur, vt eâ, quæ Christianum decet hominem, deuotione & reuerentiâ in Ecclesiâ diuinis assistas officijs. Sic enim faciendo tuarum consequeris remissionem culparum, cœlestique tandem beatificaberis visione Dei in templo illo cœlestis Ierusalem per omnia sæcula sæculorum.

Eucharistia.

DISCVRSVS XVI.

De Venerabili & Sacrosancto Altaris Conuiuio à Christo Domino nostro hominibus præparato.

Num.1. CElebre, sumptuosum & magnificum profectò N. fuit conuiuium illud, quod in sacris litteris legimus institutum à potentissimo illo Rege, cuius regnum ab Indiâ ad fines vsque Æthiopiæ sese extendebat, Assuero, inquam. In summum id rapiebat admirationem omnes ob varietatem, abundantiam, lautitiam & suauitatem ciborum, ob auri argentique copiam, aularum splendidum apparatum, loci amœnitatem, inuitatorum multitudinem, ac denique ob diuturnam temporis durationem, idque ideò, vti optimè notat liber Esther cap. 1. *vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, & magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ.* vers. 4.

Sed ecce, aliud hîc sese mihi offert considerandum conuiuiū, non ab vnius duntaxat mundi patris aut terræ sed totius vniuersi & cœli Monarchâ & Rege paratum & institutum, in quo non terreni, sed cœlestes apponuntur cibi, qui eò lautiores & delicatiores sunt, quò in hoc idem est donum & donator, cibus & illius dator, conuiuium & conuiuator. Ad quod denique non vnius tantùm Ciuitatis, sed totius terrarum orbis nationes & populi inuitati sunt, idque non centum octoginta diebus, *sed vsque ad consummationem sæculi* durabit. Matth. cap. 28. vers. 20. Quàm pretiosus sit in hoc conuiuio cibus, quantam etiam in se continuat suauitatem & dulcedinem ex testimonij Sacræ Scripturæ dilucidè constat.

Et quidem, quod augustissimum Altaris Sacramentum sit sacrum quoddam conuiuium, lautissimæ & sumptuosissimæ epulæ præparatæ à potentissimo Monarchâ & Patre vniuersali omnium nostrûm, vtpotè, perdilectorum suorum & adoptiuorum filiorum, quis est qui dubitat? Siquidem iamdudum id promisit per Isaiam Prophetam cap. 25. vers. 6. *& faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium.* Num.2.
Quem locum plurimi ex sanctis Patribus exponunt de Venerabili altaris Sacramento, vt Cyrillus Alexandrinus in cap. 6. Ioannis. Eusebius Cæsariensis lib. 1. de demonstrat Euch. cap. vlt. Procopius hîc, & alij quamplurimi, per montem illum specialiter intelligentes cœnaculum Sion, vbi fuit institutum, & RegiusPropheta appellauit illud quoque hoc nomine mensæ, quando dixit: *parasti in conspectu meo mensam,* Psalm. 22. vers. 5. Vnde magnus Pater Augustinus tract. 84. in Ioannem explanans verba illa Ecclesiastici Prouerb. cap. 23. vers. 1. *Si sederit ad mensam potentis.* Dixit: *quæ mensa est potentis, nisi vnde sumitur corpus & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis?*

Ast quid ego hîc adduco sententias SS. Patrum in huius cōfirmationem, cùm ipsemet sanctus sanctorum proprio sit locutus ore: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus,* Ioannis cap. 6. vers. 55. Sed quàm opiparè lauteque paparatum sit hoc conuiuinm, facillimè demonstrabo, Si mecum attenderitis ad Num.3.

hoc

hoc nomen conuiuij, quod aliud non significat, nisi omnium bonorum abundantiam & copiam, vt propterea Propheta Isaias præfato loco ad ostendendam talis conuiuij prætiositatem, illud appellauerit: *Conuiuium pinguium medullatorum*, versic. 6. cui & sese adiungit S. Propheta Dauid, dum dixit: *parasti in dulcedine tuâ pauperi Deus* Psal. 67, vers. 11. Non declarando specialiter, quid præparauerit, veluti tam magnum esset bonum, quod in eo comprehenditur, vt verbis exprimi nequeat. Hinc in omnibus Sacræ Sciptura locis, vbi præfiguratur, illud reperietis appellari magnum; ita lib. Genesis cap. 21. de conuiuio Abrahami dicitur: *fecit Abraham grande conuiuium*, vers. 8. De conuiuio Salomonis 3. Reg. cap. 3. scriptum est: *fecit Salomon grande conuiuium*, vers. 15. De conuiuio Regis Assueri lib. Esther capite 1. vers. 4. Fecit *grande conuiuium cunctis Principibus*. Et de Euangelico Lucæ capite 14. similiter dicitur: *homo quidam fecit cœnam magnam* vers. 16. Quæ omnia euidenter ostendunt, nos in hisce sacris epulis consequi totum id, quod desiderare potest cor humanum.

Num. 4. Sed vos mihi dicturos non ignoro, non posse id lautum appellari conuiuium vbi vnus idemque manducatur cibus. Cui facillimè respondeo, tametsi hîc cibus vnus & idem sit, continet nihilominus in se saporem quemcumque desiderabilem. Recordamini illius, quod legitur Exodi cap. 16. nimirum vnum & eundem planè fuisse; cibum illum, quo Deus pluit in deserto ad saturandos filios Israël, qui vera extitit figura huius Sacramenti, conformiter asserunt omnes sancti Patres, & tamen regius Propheta dixit: *cibaria misit eis, in abundantiâ*. Psalm. 77. vers. 25. Idque non immeritò, siquidem cibus ille, quia continebat in se sapores cunctorum ciborum totius mundi, poterat satiare & adimplere eorum desiderium & appetitum, si nullum ex parte illo vescentium positum fuisset obstaculum. Et hæc aliarum rationum vna est, ob quas manna fuit figura sanctissimi Sacramenti, veluti attestatur S. Cyprianus serm. de CœnâDom. *Panis iste Angelorum omne delectamentum habens virtute mirificâ, omnibus, qui dignè & deuotè sumunt, secundum suum desiderium sapit, & magis, quàm manna illud eremi implet, & satiat edentium appetitus, & omnium exuperat dulcedinum voluptates.*

Hinc est, quòd sicut ob miraculosam mannæ pluuiam confusi & attonitu steterunt Hebræi, & nescientes, quid esset, cœperunt dicere: *manhu, quid est hoc?* ita etiam instituto & proposito hoc sanctissimo vitæ pane totus illicò mundus attonitus & admirabundus substitit. Nam si misericors Saluator noster ab Euangelico Propheta Isaiâ cap. 9. vocatus fuit admirabilis, *vocabitur nomen eius admirabilis*, vers. 6. eò quòd omnia sanctissimæ vitæ suæ mysteria fuerint admiratione dignissima, mirabilem profectò sese exhibuit specialiter in hoc venerabili Sacramento, adeò vt iure meritò ei accommodari possint hæc admirationis verba: *Manhu, quid est hoc?* etenim tale est hoc Sacramentum, vt qui attentè illud considerat & contemplatur, non possit non admirari & loqui sæpissimè cordi suo: *quid est hoc?* quod immensa illa Maiestas, quam totus cœli terræque ambitus circumdare nequit, minimæ Spheræ candidæ hostiæ includi velit? *quid hoc est* quòd is, qui inter Choros Angelorum & cœlestium spirituum in cœlo empyreo demoratur, habitare velit in terris cum filijs hominum? *quid est hoc?* quòd iteratâ vice Deus Maiestatis velit venire in mundum, & cibus esse Mortalium? *quid est hoc?* quòd ille, qui est vnius essentiæ cum Patre & Spiritu sancto velit identificari & concorporari homini? Ecquis cibus est hic, qui adeò roborat corda, illuminat intellectus, accendit voluntates, Num. 5.

omnesque animas rapit in stuporem & admirationem? ecquod conuiuium est hoc, ô mi dulcissime Iesu? *Manhu? quid est hoc?*

Num. 6. Et quis ignoret, primam hominum admirationem incepisse ab hoc sanctissimo Sacramento: De Adamo primo viuentiū Patre, dum in Paradiso terrestri demorabatur vicinus arbori vitæ, refert sacer textus: *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* Genes. cap. 2. vers. 21. Aut sicut alia lectio habet: *ecstasin in Adam.* Quasi diceret, ait Sanctus Hieronymus hic, dum Adam in hoc mysterioso somno videret mysterium Incarnationis, qualiter videlicet verbum æternum vestire sese deberet suâ carne & ossibus: *hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne meâ.* Vt eam deinde nobis traderet in cibum in hoc augustissimo Sacramento, tantam exinde hausit admirationem, vt passus fuerit ecstasin: *& immisit Dominus ecstasin in Adam.* Et propterea sancta Mater nostra Ecclesia in oratione festi Corporis Christi tantam admirans Majestatem, titulo hoc, Admirabilis, Deum adorat & deprecatur: *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili, &c.* ipsa tota attonita & rapta in admirationem eum tanquam rem potentosissimam toti mundo manifestat & deprædicat: *O res mirabilis! manducat Dominum seruus, pauper & humilis*, ô quam admirabilis, ô Dominus meus & Deus meus, expositus es in hoc Augustissimo altaris Sacramento! ô quàm prodigiosus es in hoc prodigioso opere manuum tuarum!

Num. 7. Genesis capite quadragesimo secundo, quando fratres sancti Patriarchæ Ioseph inuenerunt pecuniam in ore sacculi inter frumenta, quasi attoniti & obstupefacti steterunt, & præ admiratione vnus dixit alteri: *quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* quodnam est hoc portentum, quodnam prodigium? quænam est isthæc misericordia, quam nobis præstitit Deus? *quidnam hoc est?* & nos (dico ergo) qui sumus Christi fratres: *primogenitus in multis fratribus.* ad Rom. 8. vers. 29. Et inuenimus in medio & intra frumentum electorum non exiguam aliquam pecuniam, sed infinitum Diuitatis thesaurum, cunctasque diuitias, habemusque eum nobis præsentem inquit Ieremias cap. quadragesimo primo, *habemus thesauros frumenti.* An non stupore repleti meliori jure dicere possumus: *quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?*

Hinc Oseas Propheta cap. 3. lynceis considerans oculis, quod ei perspicax subministrabat fides & spiritus Prophetiæ, hac super re admirabundus dixit: *& pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouissimo dierum,* v. 5. Sed clarius exponit locum Diuus Augustinus lib. 18. de Trinit. *Stupebunt super dono, quo reficientur fideles in nouissimo dierum.* quasi voluisset dicere: Caro Messiæ fiet cibus hominis, ô prodigium! ô portentum hactenus inauditum! *Stupebunt super dono, quo reficientur fideles in nouissimo dierum.* Mirabuntur, quia dando nobis carnem suam in cibum & sanguinem in potum tam stupendum nobis elargitus est donum, ut tota sua Omnipotentia maius nobis elargiri nequeat. Vnde idem sanctus Augugustinus tract. 84. in Hippo, in hæc prorupit verba: *dicere audeo, quòd Deus, cùm sit omnipotens, plus dare non potuit, cùm sit sapientissimus, plus dare nesciuit, cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.*

Hoc idem nobis significare voluit Sophonias Propheta cap. 1. vers. 7. dum dicebat: *Silete à facie Domini Dei: quia præparauit Dominus Hostiam.* Quasi vellet dicere: priusquam homo sanctissimum hoc recepisset Sacramentum, si indies & semper postulabat nouam gratiam, nouum fauorem, mirum non est, semper namque supererat, quod ab eo expostulare & petere poterat. Si recepit singulare donum creationis, si videlicet ex nihilo fuit creatus superior & perfe- Num. 8.

ctior

ctior quoad rationem cæteris creaturis irrationabilibus, poterat adhuc à Deo petere beneficium Incarnationis, & hoc obtento, rogare & expostulare adhuc poterat beneficium Redemptionis; ast modò, quia recepit & obtinuit panem hunc cœlestem & Angelicum, in quo tota reperitur Diuinitatis plenitudo, & quantum Deus vmquam dare potest, sileat & linguam compescat, iam famelicæ eius cupiditates & appetitus perfectissimè exsaturati remanent, non jam prodeat deinceps sollicitatum & petitum aliquid: *Silete à facie Domini Dei, quia præparauit Dominus Hostiam.*

Amarissimè plangebat Esau coram a-
Num.9. mantissimo Patre suo Isaac Genesis cap. 27. idque ob amissionem primogenituræ, vnde & supplicabat ei instantissimè, vt & sibi dignaretur elargiri benedictionem. Responsum ei fuit à venerando illo sene, quòd quia principali ditasset benedictione Jacob, nulla superesset alia, quam ei impertiretur: *frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi vltrà quid faciam?* vers. 37. Quasi dixisset, (inquit Abbas Paschasius de Corp. & Sang. Christi capite 21.) peruentum est eò, quò peruenire quis posset, non potest procedi vltrà, hic oportet quiescere, hîc meta est & scopus. *Hoc est apertè dicere: firmaui eum pane Corporis Christi, vino Sanguinis; tibi autem filio vltrà quid faciam?* ita pariter Christus Dominus instituendo hoc diuinissimum Sacramentum fecit totum id, quod omnipotentia eius vmquam potuit, nec vltrà procedi potest, hic positæ sunt columnæ Herculis cum hoc elogio: *non plus vltrà,* Quòd namque factus sit homo, magnus est amor, verum est; at vltrà progredi poterat, vitæ ipsius supererat cursus & tot annorum peregrinatio, & quidem in summis angustijs, miserijs, persecutionibus & doloribus. Magnus & immensus etiam fuit amor, quòd acerbissimam pro nobis subierit mortem cùm effussione pretiosissimi sui sanguinis; maius attamen amoris signum adhuc nobis exhibere poterat. Verùm, quòd seipsum nobis dederit in cibum, signū est amoris maximum, quòd superat omnia, omnium ipsi possibilium meta est & scopus, vltrà procedere nequit: *non plus vltrà.* Ita euidentissimè id prædixit Propheta Isaias cap. 19. Quemadmodum illum interpretantur S. Hieronymus & S. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Isaiam: *in die illâ erit altare Domini in medio terræ Ægypti,* vers. 19. q.d. Inquiunt citati S. Doctores, cùm venerit Messias in Ægyptum huius mundi, erit *Altare Domini iuxta terminum eius.* Diuinæ Omnipotentiæ erectum est altare pro titulo & termino, eò quòd majus hoc opere creare nequeat opus, nec ultra progredi possit: *non plus vltra. Et titulus Domini iuxta terminum eius,* Quibus adiungit S. Cyrillus: *& in medio altaris erit columna terminans Domini, quia in tantâ dispensatione mysterij terminum nauiganti præfixit.*

Imò dico, & veritatem dicam, hoc Num. 10.
sanctissimum Altaris sacramentum esse maius donum cunctis totius mundi diuitijs & thesauris. Pulcherrimum & huic proposito accommodatum adducam cōceptum ex lib. Genes. cap. 28. refert sacer textus ibidem; quòd, dum sanctus Patriarcha Iacob timore perculsus fratris sui Esau fugeret è Palæstinâ, nocte quâdam ingruēte lassus ex itinere somno sese dederit & quieti supra nudam cubans terram; stertenti ita Patriarchæ & arcto sopito somno apparuit Deus dicitque: *terram in quâ dormis tibi dabo & semini tuo, eritque semen tuum quasi puluis terræ,* vers. 13. Adhuc pauxillum nimis hoc est: Aspice Orientem, inspice Occidentem, suspice Meridem, respice Aquilonem, conspice cunctas quatuor mundi partes, harum omnium te constituo Dominum & Possessorem: *Dilataberis ad Orientem & Occidentem & Septentrionem & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo*

cuncta tribus terra, verf. 14. Iacob Mundi totius constitutus Dominus & totus attonitus ac exterrefactus euigilat & dicit: *verè Dominus est in loco isto*, verf. 16. Verè Deus est, qui mihi locutus fuit. Ergo, quia tantam & præclaram adeò mihi, ô Domine, præstitisti gratiam & fauorem, si in hoc meo itinere frustum panis mihi suppeditaueris, perpetuum tibi spondebo seruitutem & obsequium. *Si dederit mihi panem ad vescendum, &c. erit mihi Dominus in Deum*, verf. 20. 21. Mirum sanè & paradoxon quoddam id mihi videtur. Quid, amabo, dicis, ô Iacob? toti dominaris & imperas orbi, & adhuc sollicitus es de frusto panis? credisne visioni? si credis te Dominum fore vniuersæ terræ, non tibi deerit panis. Rupertus Abbas examinans hunc Scripturę locum dicit, sanctum hunc Patriarcham non petijsse quemcumque panem, optimè enim sciebat, sibi veluti magno Principi & Domino nunquam defuturum panem; sed petijsse cœlestem & diuinum illum panem: *panem subinde à Deo postulans haud dubium, quin diuino afflatus spiritu, Christum ipsum in Sacramento Altaris expetebat. De quo dixit: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* Quasi dicere vellet Iacob: quid mihi vtilitatis & commodi inde sperandum est, quòd sim Dominus & Patronus totius mundi, rector & Gubernator vniuersi terrarum orbis? da mihi panem Eucharisticum, hic enim plus valet, quàm omnes mundi delitiæ, & infinitum illas excedit.

Num. 11. Verùm vt transeamus ad maiorem quandam excellentiam, dicam, non dumtaxat ciborum copiam & abundantiam inueniri in hoc diuino conuiuio, sed etiam dulcorem & saporem inexplicabilem; etenim ostensurus eundem regius Propheta, nec minimam illius potuit nobis significare partem, sed dixt solummodo: *gustate & videte, quoniam suauis est Dominus*, Psalm. 33. verf. 9. Idem ferè innuit mellifluus Bernardus sermon. in Cant. dum hâc inebriatus dulcedine dicebat se nescire eandem verbis exprimere: *gustum autem illum nemo exprimere potest, nec etiam ille, qui meretur gustare, sed tantùm dicere valet: gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.*

Suauitatem & dulcorem hunc præfigurarunt Sacrificia antiquæ legis, in lib. Leuit cap. 2. præcipiebatur, vt Sacrificijs, quæ Deo exercituum offerebantur, adhiberetur Sal, & nunquam Mel; *quidquid obtuleris Sacrificij, sale condies*, verf. 13. vt nobis ostenderetur, quòd omnia illa, quę fiebant in antiquâ lege, austeritate & rigore erant plenissimâ, & quòd pro alijs reseruabatur mel diuinæ dulcedinis: hoc ergo tempore (ô nos fœlices & beatos!) offertur Mel & non Sal, habemus namque Deum nostrum non præsentem dumtaxat, sed gustamus etiam illum in dulcissimo melle venerabilis Sacramenti. Quòd autem mel fuerit Symbolum Sacrosanctæ Eucharistiæ, dilucidè id constat ex cantico regalis Prophetæ: *de petrâ melle saturauit eos.* Psalm. 80. verf. 17. quæ verba non verificantur secundùm litteram de aliquo, nusquam enim legitur, quòd Deus simile patrauerit miraculum, & mel scaturire fecerit de petrâ. Quare pręfata verba in mystico sensu accipienda sunt, nec aliud denotant, nisi mel diuinæ dulcedinis & suauitatis huius sanctissimi Sacramenti, quem dulcorem sugimus è viuâ & verâ petrâ Christo, de quo Apostolus 1. Cor. 10. *petra autem erat Christus*, verf. 4.

Et diuinus & sacer hic cibus dulcissimus non solùm est & suauissimus; sed etiam summè vtilis, ipsamet teste veritate: *qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioannis cap. 6. versic. 58. Lactantius Firmianus lib. 3. cap. 1. discurrendo de vnicâ singulari aue, quam vocant Phœnicem, quærit & causam inuestigat, cur nimirum solùm in Oriente reperiatur: insuper, cur natura singularem hanc ei communicauerit virtutem renouandi se ipsam, Num. 12.

ipsam, vt propterea quodammodò euadat immortalis? & vnico responso satisfacit hisce duobus quęsitis & dicit:

Ambrosios libat cœlesti nectare rores.

Non mireris, quòd Phœnix triumphet de tempore, & longæuam adeò ducat vitam, etenim cibus & potus eius aliud non est, nisi ros cœli. Auis igitur hæc diuturnâ & quasi æternâ fruitur vitâ, quia cœlesti se nutrit rore. Quam etiam vitam ijs promittit Christus Redemptor noster, qui se cibant sãctissimo eius corpore, & bibunt pretiosissimum eius sanguinem: *qui manducat hunc panem*, ait ille, *viuet in æternum*. Vnde Doct. Augustinus tract. 26. in Ioannem: *cùm cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant, nec sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit.* O sumptuosum & pretiosum Conuiuium, quod Christus Dominus noster nobis præparauit! O quantam suauitatem & dulcorem adfert ijs, quotquot illud dignè sumunt.

Num. 13. Sed cùm diuinus hic cibus tantæ sit existimationis, pretij, suauitatis & dulcedinis, cur plurimi hodie in mundo reperiuntur, qui tam exiguâ eius afficiuntur fame & desiderio? responsum innuere videtur Ieremias Propheta cap. 13. v. 30. dicens: *omnis homo, qui comederit vnam acerbam, obstupescent dentes eius.* Locum hunc exponit Sanctus Hieronymus, & ait: per vuam acerbam aliud non significari nisi peccatum, quia sicut vua acerba colligitur ante tempus, nec, vt maturescat, permittitur; ita peccatum est voluptas quædam, quâ nimis pręmaturè frui & gaudere volumus in hac vitâ, impatientesque expectare nolumus maturum fructum bonorum cœlestium & fœlicitatis æternæ. Quæ vescitur vuâ acerbâ, in tantum dentes eius hebescunt, vt alium nequeat gustare cibum, & qui sensualibus immergitur voluptatibus adeò interiores animæ illius hebetãt sensus, vt suauitatem & dulcorem illum diuinum gustare non possit. *Peccata sunt vua acerba* (inquit S. Hieronymus) *quibus comedentium dentes obstupescunt, vt non possint suauitatem eius sentire, de quo dicitur: gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.*

Quæ cùm ita sint, quid facis, quicumque ille es, quòd animam tuam non detergas ab hisce terrenarum voluptatum humoribus, neque accendas in te veram famem & ardens desiderium dulcissimi huius conuiuij? vsquequo vana & insipida sequeris conuiuia mundi & carnis? quousque epotabis calicem hunc forinsecus solum deauratum, innumeris verò intrinsecus repletum sordibus, qui licet labia habeat dulci perlinita melle, intus tamen scatet veneno & felle? quamdiu in medio degens porcorum ventrem tuum farcies glandibus? Surge, surge tandem aliquando, memento, quot & quanti demorentur serui in domo Magni huius & æterni Patris tui & Domini, qui Angelorum sese reficiunt pane, & pudore suffundere, quòd in longinquis hæreas regionibus & fame pereas ob tua peccata. Surge tandem, & prosterne te ante dilectissimum Patrem & Dominum tuum prodigi instar filij dicendo: *Pater peccaui in cœlum & corã te, iam nõ sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs.* Lucæ cap. 15. vers. 21. Et ipse te paternis ardentissimæ charitatis suæ brachijs amplexabitur, tibique cibum e conuiuio illo suppeditabit, quod infinita eius misericordia iam dudum præparauit.

O sacrum igitur conuiuium! O miraculosum & prodigiosum Sacramentum, quibus te laudum encomijs hoc die celebrabo? quid dicam? siquidem animarum nostrarum vita es, vulnerum nostrorum medicina, laborum nostrorum respiratio & consolatio, memoriale Iesu Christi, eiusdem amoris testimonium, pretiosissimum testamenti ipsius legatum,

tum, peregrinationis nostræ societas, lætitia & gaudium nostri exilij, carbo ad accendendum in nobis ignem diuini amoris; medium ad recipiendam gratiam, pignus beatitudinis Christianæ: per te anima vnita est suo sponso, per te illuminatur intellectus, excitatur memoria, in amorem accenditur voluntas, oblectatur gustus interior, accrescit deuotio, commouentur pietatis viscera, fontes aperiuntur lachrymarum, obdormiunt passiones, euigilant nostra desideria, fortificatur nostra debilitas, confortatur & animatur, vt tandem possit peruenire ad montem gloriæ, quam Deus concordat omnibus.

Eucharistia.

DISCVRSVS XVII.

De Reuerentiâ & puritate Conscientiæ, quâ cuilibet Christiano accedendum est ad Sacrosanctam Eucharistiam.

Num. 1. SVmmum honorem, profundam reuerentiam & diuinum cultum exhibebat populus Israeliticus pani propositionis, siquidem in mensâ aureâ per manum Sacerdotis collocobatur Exod. cap. 35. & cap. 40. Idque expressa fuit figura, dicunt Origenes in Leuit, & D. Ambrosius in cap. 6 Lucæ, cultûs & honoris, qui debetur mystico & sacramentali pani populi Christiani. Totum id vaticinatus est Cantor cœlestis Paradisi Dauid, dum admirabundus cecinit: *manducauerunt & adorauerũt omnes pingues terræ. In conspectu eius cadent omnes.* Psalm. 21. vers. 30. Sanctus Hieronymus ex Hebræo hîc legit: *curuabũt genua.* Profundissimâ se inclinabunt reuerentiâ, mira res N. in omnibus historijs tum sacris tum prophanis reperimus quidem lautissima & sumptuosa fuisse instituta conuiuia; ast non legimus, cibum à Conuiuis manducatum fuisse adoratum Populus etiam Hebræus manducauit manna Angelorum, & zelosus Dei Propheta Elias subcineritium comedit panem allatum ei ab Angelo; nullus nihilominus vnquam eiusmodi adorauit cibum, non obstante quod sapiebant tales cibi aliquid diuinum, tametsi solùm fuerint materiales & terreni. At Propheta dicit hîc, cibum hunc manducandum simulque adorandum esse, nam cùm in hoc Sacramento per inseparabilem vnionem adsit quoque diuinitas, omnis meritò ratio exigit, vt qui illud sumit & manducat, etiam adoret, ac potentissimi Reges & Monarchæ totius Christianissimi ante illud sese prosternant, profundissimè se inclinent, ac summâ reuerentiâ illud venerentur & adorent: *in conspectu eius cadent omnes.* Explicat Carmelitarum Primas Michaël de Bononia quondam Incognitus: *ipsum orando se prosternentes ad terram, sicut de Magis legitur: & procidentes adorauerunt eum.* Matth. c. 2. vers. 11.

Darius Persarum Rex & Monarcha (veluti referunt historiæ) pugnaturus cum hoste, jussit secum conduci solem ad campum & prælium, vbi præuio tympanorum sono, solemni applausu & jubilo toti eundem exposuit exercitui conspiciendum, non alium in finem, nisi vt cũcti milites humillimè genu flectentes profundâ eundem adorarent reuerentiâ. Num. 2.

Et

Et ecce mysticum solem (ita augustissimum hoc Sacramentum appellat Sanctus Ioannes Chrysostomus lib de sacra.) prefulgidos adeò & viuos è sacrâ illâ hostia euibrantem & emittentem radios, vt oculos non humanos duntaxat obfuscent, sed etiam Angelicos. Ideoque omnes prostrati in terram humillimâ illum adorare debemus reuerentiâ, quemadmodum nos exhortatur Propheta: *in conspectu eius curuabunt genua.*

Num.3. Non incongruè huic proposito inseruiet Seraphinus ille missus à Deo Prophetæ Isaiæ cap.6. vbi aptaturus Dominus Deus labia huius Prophetæ famuli sui ad diuini Verbi prædicationem, mittebat illi quendam Seraphinum, qui Angelicâ quadam cæremoniâ se præsentauit ante altare Sacrificij, & accensum accepit ibidem carbonem, impositurus eumdem ori Prophetæ, at non simplici illum arripuit manu, sed forcipe iampridem ibi præparatâ. *Et volauit ad me unus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum & dixit: ecce tetigi labia tua & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur,* vers. 6. & 7. Prætermitto hîc, quod ait S. Ioan. os illud aureum, quòd nimirum accessurus ad incruentum hoc Altaris Sacrificium, necesse est, sit quidam Seraphinus aut Angelus videlicet ardens charitate & ob omni scelere mundus, volerque de cœlo in terram, & de terrâ in cœlum, nimirum: vt vita illius sit cœlestis non terrena & mundana; transeamus ad aliam & nostro proposito conformem speculationem Euthymij in hunc locũ, qui asserit Seraphinum illum accepisse carbonem forcipe, non quia timebat manus suas adurendas, erat enim spiritus Angelicus, sed propter summam reuerentiam, quam Sacrificij altari exhibebat: *quando Dei jussa* (ait ille) *Seraphim prunam incensam ab Altari sumpsit, non manu, sed forcipe ab illo sumptam fuisse narrat Scriptura. Quid fortasse, ne manum comburreret? Spiritum Angelicum & beatum ignis non lædit, ergo propter altaris sacrificij reuerentiam id factum esse, putandum est; erat enim illud Altare Sacrificij.* Jamdudum ante Euthymium id insinuauit S. Basilius in Isaiam elegantissimis hisce verbis: *quòd Seraphim ille manu propriâ contingere non sit ausus Altare, sed forcipe sit vsus, præfert hoc illum exhibuisse Altari multum honoris ac reuerentiæ.* Recogitate nunc N. quantâ igitur reuerentiâ homini alicui accedendum sit recepturo sanctissimum corpus Saluatoris nostri; si Seraphim quidam adeò reuerenter & cœlesti paradisi cœremoniâ accensam quandam accipiat prunam. Meritò hinc concludit Sanctus Augustinus Serm 58. de tempore: *Angelicâ reuerentiâ opus, cùm ad Altare accedis, Christus enim immolatur & sumitur.* N3

Et si ipsimet Angeli, dum introducens illum Pater æternus in hunc mundum dixit: *& adorent eum omnes Angeli eius.* ad Hebr. cap. 1. vers. 6, tantâ eum tunc adorabant reuerentiâ, & etiamnum hodie sedentem in throno gloriæ suæ ijdem spiritus cum totâ Beatorum coronâ adorant, quomodò ad præsentiam huius sanctissimi Sacramenti, in quo eadem prorsus residet Excellentia & Maiestas diuina, nos non prosternemus in terram eundem profundissimè adorantes. Num.4.

Mirabile factum & æternâ dignum memoriâ refert Valerius Maximus libr. de cultu Deor. de Alexandro Magno. Dum hic sacrificaret Ioui, & inter alia vnus epheborum suorum ante altare sacrificij facem manu teneret accensam, decidit fortuito fauilla quædam supra nudum illius brachium, proprio, is remediare volebat incendio; at Alexander id aduertens reprehendit & increpauit illum, asserens, indecens omninò esse, sacrificantes ante Deos etiam minimum se mouere. Quare præcepit ei, vt immobilis ibidem subsisteret ad finem vsque sacrificij, & si illum aduri contingeret, patien-

patienter ferret pariterque gauderet, sic enim victima sacrificij duplicaretur: *Siste immobilis semper*, inquiebat ille, *donec consumptum fuerit sacrificium ; deuecet enim sacrificantes ante Deos quomodolibet moueri ; quod si te comburi contingat, comburaris, gaudeas, quoniam duplicabitur victima sacrificij.* O reuerentiam hominis Idololatriæ, ait S. Ambros. lib. 3. de Virg. quàm benè hîc edocetur quilibet Christianus astans Altari non falsorum Deorum ; sed veri & viui Dei Creatoris & Saluatoris mundi. Factum & exemplum illud pensiculatè considerent & imitentur præsertim Sacerdotes incruentum & sacrum Missæ Sacrificium offerentes æterno Patri in perpetuam memoriam sacratissimę Passionis dilectissimi filij sui.

Num. 5. Recogitate N in confirmationem huius veritatis genuflexionem & adorationem à Viginti quatuor Senioribus admirabili huic Sacramento exhibitam in Apocal. cap. 5. vbi recenset S. Ioannes se vidisse in alto & sublimi throno sedentem Agnum sanguine conspersum, quem omnes humillimè adorantes corruerunt proni in terram : *& viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.* vers. 14. Ecce expressam figuram honoris & reuerentiæ Augustissimo Eucharistiæ Sacramento debitæ. Thronus est altare, per agnum mysticus intelligitur Agnus Paschalis sanguine tinctus ob memoriam Passionis suæ, per Seniores significantur fideles ; quare omnes in terram prostrati humillimâ Sacrosanctum hoc Sacramentum honorare debemus reuerentiâ, veluti nos instruit S. Mater Ecclesia in Hymno: *tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.*

Num. 6. Reuerentiæ huius exhibitioni adiungenda est puritas, quâ Christianus accedere debet sacrum altare. Et sanè Angelica & sancta debet esse præparatio & dispositio eius, qui se cibare intendit hoc pane Angelorum. Mysterio non vacat, quod legitur Gen. cap. 35. de magno illo Dei amico Sancto Patriarchâ Iacob. Præceperat Deus sancto huic Patriarchæ, vt in gratiarum actionem liberationis suæ, quâ incolumis euasit ex manibus Esau fratris tui, solemne ei offerret sacrificium. Promptissimus erat Iacob, sed ante executionem diuini huius præcepti iuit Domum, tria suis præcepit Domisticis, primum, vt abjicerent Deos alienos quos colebant. Secundum, vt se lauarent. Tertium, vt etiam mutarent vestimenta sua : *locutus est Deus ad Iacob, surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob verò conuocatâ omni Domo suâ ait : abigite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* v. 1. & 2. Sed quis heteroclitus modus agendi Iacob est iste? Annon Sacrificium offerre poterat absque his præuijs actionibus? omninò: non enim ipse, sed Domestici eius adorabant idola, cur igitur præcipit, vt hi se lauent? insuper, cùm ipse Sacrificium offerre debebat, decebat potiùs ipsum se lauare & mutare vestes suas, non illos ; cur ergo vult, vt se lauent & mutent sua vestimenta? non obstupescite ; voluit enim nobis præscribere vniuersalem quandam regulam & methodum, secundum quod recipere debeamus augustissimum hoc Eucharistiæ Sacramentum, in quo filius Dei oblatus est in Sacrificium æterno suo Patri, & quomodò anima Christiana sacrâ synaxi se reficire volens, seipsam suo Creatori sacrificare & offerre debeat.

Primò igitur recepturus dignè Sacrosanctam Eucharistiam debet auferre idola, quæ summè adorat & amat, qualia sunt vitia & peccata ; vnde dicebat Deo sanctus Propheta Dauid Psalm. 138. vers. 24. *Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ æternâ.* Symmachus legit : *Si via idoli in me est.* Probationi veritatis Num. 7.

huius

huius subseruiet sententia illa, quam posteris scriptam reliquit idem Propheta, dum loquens dicebat: *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Psal. 146. v. 9. quodnam sub hisce verbis latet mysterium, petit hîc Cassiodorus? scimus namque prouidentiam Dei se extendere ad omnes, quî ergo dicit Dauid, quòd pulli coruorum solùm enutriantur & sustententur à Deo? magnum est discrimen N. inter coruos & eorum pullos; corui vt sunt instructi pennis & alis, hinc & inde volitant per aërem, & per seipsos venantur & quærunt sibi victum, ac propterea Deus non prouidet illis singulari aliquo modo de victu; ast pulli coruorũ, quia sunt nudi & spoliati plumis & pẽnis & humano destituti auxilio, enutriuntur & aluntur à Deo rore cœlesti: *quia corui ad deuorandum cadauera incumbunt, ideo indigni sunt, vt à Deo peculiari aliquâ prouidentiâ nutriantur, at verò pulli, qui adhuc paternas escas, id est fœtores cadauerum beneficio ætatis ignorant, digni sunt, qui cœlesti rore diuinitus sustententur.* Et huic meo proposito conformiter vult nobis significare, omnes indignos esse ad recipiẽdum hoc diuinum Sacramentum, quotquot coruorum instar se cibant, sustentant & pascunt humanis delitijs & carnis voluptatibus: *qui terrenis voluptatibus pascuntur, indigni sunt, vt pane Eucharistico vescantur,* ait Cassiodorus.

Num. 8. Similiter communicaturi se lauent necesse est *Lauamini:* Sed quali id debet fieri aqua? aquâ lachrymarum, cordis compunctione & dolore. Proposito huic optimè quadrat factum illud, quod legitur in lib. Exod. cap. 16. quod nimirum primitus terra illa deserti rore cœlico cooperiebatur & irrigabatur, in quam debebat descendere manna, quo cibandi erant filij Israël: *cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & manna* Num. cap. 11. versic. 9. alij cum Lirano legunt: *cum ros operuisset faciẽ terræ, descẽdebat manna.* Et in quem finem, quærit doctissimus Abulensis in cap. 16. Num. ros præcedebat manna; respondet, vt manna cadendo immediatè in terram non defœdaretur & macularetur sordibus & puluere terræ; vt nobis hinc significaretur, quòd qui dignè vult recipere manna hoc cœlicum & Angelorum cibum, necesse est, sit purus & mundus, & suam conscientiam lauet rore lachrymarum: *certum est in manna,* (ait cit. Abulensis) *quod Christus est antequam descendat in pectus hominis, si aliquæ sordes criminum hærent, fletus emittatur, vt per contritionem & lachrymas expurgentur.*

Iam etiam intelligemus & penetrabimus causam, cur Christus Redemptor noster aditurus cœnaculum ad instituendam Sacrosanctam Eucharistiam, voluerit primò ibidem adduci quoddam vas aquæ: *ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum,* Lucæ cap. 22. vers. 10. Constitutus deinde in cœnaculo, antequam seipsum traderet Apostolis in cibum, voluit ipsorum lauare pedes. *Surgit à cœnâ & ponit vestimenta sua, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum,* Ioannis cap. 13. vers. 4. & 5. vt nos edoceret, inquit Venerabilis Beda in cap. 12. Lucæ, quod antequam Christianus quilibet sumat corpus & sanguinem Christi, pretioso lachrymarum liquore debeat mundare & purificare animam suam ab omni peccati maculâ quantumuis minimâ. Audite ipsissima verba Bedæ, quę profectò sunt pulcherrima: *hoc fecit Iesus vt summam innocentiam ad sacram Eucharistiam suscipiendam requisitam esse demonstraret.*

Et Sanctus Gregorius Nyssenus ad Olympiad. ponderando verba illa S. Euangelistæ Matthæi cap. 27. qui recenset, Christo Domino iam mortuo & de Cruce deposito Iosephum ab Arimathæâ corpus illius imposuisse sindoni mundæ;

& accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in Sindone mundâ, vers, 59. ait per hoc nobis significari, summam in eo requiri cōscientiæ puritatem, summumque animæ candorem, qui dignè cupit accedere ad hoc Sacramentum: *commonemur*, inquit D. Gregorius Nyssenus, *vt sanctum Domini corpus nos in conscientiâ ponamus mundâ, & in pectore cordeque mundo.*

Num.9. Demum Iacob præcepit suis seruis, vt mutarēt vestimenta sua: *mutate vestimēta vestra*: sed quales nobis sunt mutādæ vestes ad dignè communicandum? vitiorum sunt inueterati habitus, suntq; prauæ ac malæ consuetudines & mores, ita asserente Sancto Apostolo ad Ephesios quarto, versu vigesimo secundo, *Deponite veterem hominem, &c. & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis*, vers. 24.

De Cæsare Augusto refert Suetonius in vita Cæsarum, quòd magnifico & sumptuosissimo parato suis amicis conuiuio inter alia à conuiuis obseruanda voluit etiam, vt omnes, quotquot ijs lautissimis epulis frui desiderarēt spoliarent sese vestibus ordinarijs, & Deorum vestimentis induti ad conuiuium accederent; secus non solum excluderentur à conuiuio, verùm etiam grauissimæ subiacerent pœnæ veluti temerarij & indigni talibus epulis. Magna hæc videtur esse superbia Imperatoris Augusti; at hoc fecit ad innuendum splendorem & magnificentiam istius Conuiuij, ad significandas delitias lautissimarum epularum opiparè paratarum. Verùm nullam prorsus sapit superbiam, dum Christus Saluator noster omnibus præcipit, vt cænaturi in magno illo conuiuio Sacramenti Altaris, veteri sese exuant Adamo & nouo se vestiant, candidâ nimirum veste gratiæ diuinæ, vti id ipsemet Deus innuit per os regij Prophetæ: *ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Psalm. 81. vers. 6. Legit hîc S. Hieronymus: *ego feci vos Deos escâ meâ.* Si igitur illos facit Deos per gratiam, qui dignè eum recipiunt in hoc SS. Sacramento, quâ non veste ornati & superindui debemus? veste profectò immaculatâ, veste purâ, veste candidissimâ & ab omni macula mundâ: *induite nouum hominem*, monet nos S. Apostol. loco sup. cit.

Quando filius prodigus Lucæ 15. famis stimulo agitatus domum repetijt Patris, motus hic compassione nec sufferre valens extremam filij miseriam & calamitatem, cōuersus ad seruos suos dixit: *citò proferte stolam primam*, vers. 22. Num.10.
Quo super facto non parum obstupesco: filius prodigus quasi præ nimiâ fame mox moriebatur, & nihilominus Pater iubet eum vestiri candidâ veste? prudentissimè fecit, ait Tertullianus lib. de præscrip. capite 9. mensa namque, ad quam filius prodigus debebat inuitari & conuiuari, præfigurabat sanctissimum altaris Sacramentum, propterea necesse fuerit, pulcherrimâ & candidâ indueretur veste talis mensę decori correspondente: *vestem pristinam recepit* (dicit Tertullianus) *annulum quoque accipit atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur.*

Et Rex ille Euangelicus, de quo scribit S. Euangelista Matthæus capite 22. quòd splendidam & regalē apparauerit mensam, ad quam & inuitauit infinitam hominum multitudinem, dixit cuidam adolescenti, qui temerariè illam accesserat sine veste nuptiali: *amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* vers. 12. quasi dixisset: vestis, quâ indutus es, non est conformis mensæ, ad quam inuitatus es; vnde conuersus ad seruos suos iussit eum repelli, & detrudi in obscurum quendam carcerem: *tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*, ibidem vers. 13. vt hinc admoneremur, inquit S. Augustinus sermon. 1. de Dedicat. Eccles. quòd si orbati & destituti innocentiæ veste accedamus ad sacratissimam

Domi-

Domini mensam, tanquam indignissimi repellendi, adiudicandi pœnis æternis, & detrudendi in tenebrosum inferni carcerem: *Ecce qualem sententiam* (ait Sanctus Augustinus) *merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id est, ad altare Domini, aut ebriosus, aut odium in corde retinens præsumit accedere.*

Num. 11. Innocens & iusti recordor Iosephi Patriarchæ Genesis cap. 41 dum fuit deductus ad Pharaonem, vt interpretaretur somnium eius, quod nocte præteritâ ei obtigerat. Refert sacer textus, quòd illum totonderint, vestemque, quâ erat indutus, mutauerit; *protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutatâ obtulerunt ei*, vers. 14. Sanctus Augustinus lib. de Genes. ad litt. explanans hunc Scripturæ locum secundùm litteram, ait, meritò fuisse mutata vestimenta Ioseph, non enim decebat, vt compareret coram Rege illâ indutus veste, quam habuit in carcere, eò quòd erat dilacerata & omnino sordida. Meritò etiam seruos Pharaonis totondisse capillos capitis, vt sic decorus, pulcher ac gratiosus prodiret in conspectum Regis. Per Ioseph intelligi potest Christianus, qui diuturno tempore incarceratus fuit catenis alligatus peccati, è quo carcere exiuit beneficio pretiosi sanguinis Agni, & eius meritò conductus fuit ad libertatem gratiæ: modò necessarium est vt accedat supremum illum Regē Christum Dominum & prodeat in conspectum eius; sed *veste mutatâ*; veste, inquā, puritatis & innocentis ac piæ vitæ, & *tonso capite*, deposito, inquam omni rancore, odio & inimicitiâ, prauis repressis & expulsis cogitationibus, veluti nos exhortatur seriò Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Nullus Iudas assistat, nullus auarus, inhumanus, accedat nemo crudelis & immisericors, nemo prorsus immundus: hæc ad communicantes dico, nam tales hæc mensa non suscipit.* Vult igitur hic sanctus Doctor accedentes sacrum altare omni genere virtutum esse adornatos, quodque à cordibus nostris quodcumque expellamus peccatum.

Edic nunc parumper, ô Christiane, quomodò accedis hanc sacrā mensam? si veneris culpâ exutus mortali, ô te fœlicem & beatum! vitam enim recipies; at si accesseris peccatis obnoxius, ô te miserum & infœliciem, mortis namque æternæ reus eris. Nec credas velim; exiguum esse peccatum si receperis hoc augustissimum Sacramentum indignè & constitutus in peccato mortali: siquidem vnū est ègrauissimis peccatis, quæ ab exordio mundi fuerunt commissa, quodque Deus rigorisissimè punit & castigat. Tolerauit pientissimus Redemptor noster furta Iudæ proditoris, supportauit eius murmurationes, habuit etiam patientiam ab illo diuendi tur; at quando proditor ille indignè sumpsit corpus & sanguinem Christi, permisit Saluator noster eundem inuadi à Satanâ, & fieri illius mancipium: *& post buccellam* (ait Sanctus Euangelista Ioannes cap. 13. vers. 27. *tunc introiuit in eum Satanas.* Quod & notauit Abbas Paschasius de corpore & sanguine Christi capite 25. vnde in hæc prorupit verba: *Iudas donec buccellam acciperet, quamuis mente saucius, interdum tamen à Domini bonitate leniter, crebroq; nunc cum alijs, nunc solus monetur, sed postquam indignus mystica præsumpsit, inuasit eum Diabolus, & qui prius nutabat, cùm accepit, continuò foras exiuit.* Num. 12.

Quid igitur faciendum dignè suscepturo hoc sanctissimum Sacramentum? magna debet præcedere præparatio; at qualis hæc erit? quid poterit homo quidam facere ad Christum dignè suscipiendum? Sanctus Paulus Apostolus paucis verbis sed mysterio plenissimis nos instruit, dicens: *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat*, 1. Corinth. 11. vers. 28, q. d. nullus audeat indignè acedere hanc sacram mēsam absque præuia præparatione. Sed Num. 13.

qualis erit hæc præparatio? reuerentia, puritas conscientiæ & vitæ sanctitas necessariò requiritur. *Vitam tuam exactè iudica*, (ait in hunc locum Theodoretus) *conscientiam scrutare & examina, & tunc Dominum suscipe.* Quòd si hanc dispositionem & præparationem præmiserimus, gratiam in præsenti & gloriam in futuro consequemur sæculo.

Eucharistia.

DISCVRSVS XVIII.

De singulari virtute & fortitudine, quam animæ Christianæ communicat Sacrosancta Eucharistia, vt inimicos tum visibiles tum inuisibiles deuincere & superare possit.

Num. 1. PRodigiosa nomina, celebres ac diuinos profectò titulos tribuit Sacra Scriptura sanctissimo altaris Sacramento: appellat illud panem cœli; *Panem cœli dedit eis.* Psal. 77. vers. 24. Cœnam nuptiarum Agni: *beati ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Apocal. 19. vers. 9. Lac concupitum ab infantibus: *quasi modò geniti infantes, lac concupiscite.* 1. Pet. 2. v. 2. Fauum mellis: *comedi fauum cum melle meo.* Cant. 5. v. 1. Medicinam salutiferam: *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Eccles. 43. vers. 24. Arborem vitæ: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Apocalyps. cap. 2. v. 7. Et innumeris alijs decoratur titulis & encomijs; sed quid? mysterióne fortassis hæc omnia vacant nomina? minimè gentium; miros etenim indicant effectus & operationes quas in animâ nostrâ progenerat diuinissimum hocSacramentum. Quibuscunque dignè illud recipientibus est arbor vitæ; est medicina, quia spirituales animæ curat infirmitates; mellis fauus est, quoniam laborem in amorem, & amara conuertit in dulcia; lac est infantium, enutrit namque & alit insipientes; est cœnâ, quæ fit noctu, quia necesse est, sensus noster ducatur præuiâ lucernâ fidei; Cœli panis est, etenim arrha secura est cœlestis gloriæ, quâ perfruentur beati & electi Dei. Hos titulos & encomia sacra attribuit Scriptura Sacrosanctæ Eucharistiæ. Ast huic nostro proposito omninò conformis est titulus ille, quem in figurâ eidem attribuit miles ille Gedeonis, qui sub cineritium videns panem, qui per Madianitarum dimouebatur: & voluebatur exercitum, appellauit illum gladium; *non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Iud. cap. 7. vers. 14.

Num. 2. Numerosissimus & copiosissimus Madianitarum exercitus vicinus Gedeoni sua fixerat castra & tentoria; vnde, quia exiguo is instructus erat milite, summopere sibi timebat; at Deus addens ei animum dixit: surge ô Gedeon, clanculum subintra hostium tuorum castra, omniumque diligentem habe curam & rationem, quæ ibidem explorabis & audies. Abijt Gedeon, auditque militem quendam socio referentem somnium suum ac dicentem: *vidi Somnium, & videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volui, & in crastra Madian descendere. Cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit & terræ funditus coæquauit. Respondit is cui loquebatur Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas,*

Ioas, filij Israël. *Tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius*, vers. 13. & 14. Audiens Gedeon militis huius somnium eiusque interpretationem, bono fuit animo, & ne opportunam hanc negligeret occasionem, redegit ad ordinem trecentos suos milites: *diuisitq; trecentos viros in tres partes & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum*, vers. 16. Sicque aggressus est hostem suũ, & gloriosam inde reportauit victoriam. Voluit Dominus Deus hoc signo pulcherrimam nobis dare figuram huius sanctissimi Sacramenti, quod est verus & viuus panis cœlestis, & vocatur gladius; vt hinc intelligeres, hoc Sacramentum, quod tibi panis est, esse tuis inimicis gladium; tibi hic panis dabit nutrimentum & vitam; inimicis verò tuis instar gladij eripiet omnes vires & robur, ijsque inferet mortem. Nec, est quòd hac super re obstupescas, ait S. Bernard. serm. de assump. Virgin. quia hæc etiam distincta in rebus creatis cõspicitis, siquidem Christus Saluator noster cibus simul est & gladius; cibus, qui confortat, & gladius, qui defendit: *nec quemquam moueat, quod idem verbum dixerim & cibum & gladium, quasi impossibile vel absurdum sit*, quare: *omnia sunt nobis in Deo, & est Deus omnia in nobis*, ait mellifluus Doctor.

Num. 3. Ezech. cap. 4. vocabatur Propheta hic à Domino Deo, vt videret ac perlustraret diuturnum bellum & obsidionem factam circa Ciuitatem Ierusalem, ita illi dicebat Deus: *conuertes faciem tuam ad obsidionem Ierusalem*, vers. 7. Gloriosa, fortis & insuperabilis erat ciuitas Hierosolymitana, muris circumdabatur inexpugnabilibus, turribus prædita erat altissimis, foueis munita erat profundis, strenui & animosi eam custodiebant ciues, fideles erant excubiarum actores, cauti vigiliarum præfecti, vigilantes habebat milites, sollicitos sortiebatur Capitaneos nihilominus obsidebat eam exercitus iã iam ad impugnandum expugnandamque vrbẽ illam paratus. At misericors & benignus Dominus præcepit Prophetæ, vt vrbi in magna adeò cõstitutæ periculo succurreret, ideoque subiungit: *& tu sume tibi frumentum*, versic. 9. q. d. Ecce, quot & quanta belli stratagemata, quot bellica instrumenta, quot milites generosi adhibentur & concitantur ad expugnandam vrbem illam? ad defendendam igitur illam à tam aperto periculo, frumenti cura prouisionem aliquam, & de reliquo noli timere. Frumentum hoc, (ait Origenes hom. 8. in serm.) significat sacratissimum Altaris cibum, ciuitas obsidione cincta est quælibet fidelis anima; inimici illam obsidentes sunt Mundus, Dæmon & Caro. In hoc igitur spirituali prælio adeò sumus fortificati & præmuniti cœlesti hoc Eucharistico frumento vt facillimè deuincere possimus barbaros & crudeles illos inimicos, ideoque Dauid Propheta in spiritu hoc totum præuidens dicebat: *parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me*. Psalm. 22. versic. 5. quem locum de sacrâ Eucharistiâ intelligunt S. Cyrillus Catech. Mystag. S. Cyprianus Epist. 38. Sanctus Ambrosius in Psalm. 35. Paschasius libr. de Corpor. & Sang. Christi, Sanctus Chrysostomus in Psalm. 22. & plures alij.

Solet persæpè generosus belli Dux Num. 4.
pro defensione arcis suæ disponere & ordinare determinatis in locis excubias & vigilias, exstruere & formare aggeres & propugnacula, obambulare campum, confortare debiles, animare socordes & tardos, confirmare intrepidos, cumque hostem paratum videt ad tentandum assultum, inclamat militibus, ad arma, ad arma. Sic Verbum Incarnatum, quod præter reliquos innumeros titulos, quos illi attribuunt sacræ paginæ, condecoratur etiam titulo Ducis & Capitanei Isaiæ cap. 55. *Ecce testem populis dedi eum, Ducem ad Præceptorem gentibus*, versic. 4.

Con-

Continuam cõspicit obsidionem, quâ anima Christiana cingitur, inclamat propterea: ad arma, ad arma, custodite, defendite fortiter & strenuè castrum hoc animæ vestræ. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, miscuit vinum & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis.* Prouerb. cap. 9. vers. 1. & 3. Sapientia videlicet Patris, quæ est Verbum incarnatum, exstruxit Domum, quę est Ecclesia, cum septem columnis, quæ sunt septem Sacramenta; sed qualia erunt arma ad hanc animæ nostræ ciuitatem defendendam à crudeli assultu inimicorum nostrorum tam visibilium quàm inuisibilium? id dicit, dum subiungit: *venite, comedite panem meum & bibete vinum, quod miscui vobis.* Venite, ô fideles, inquit Christus, fruimini corpore & sanguine meo, quæ vobis addent vires & animum ad resistendum hostibus vestris, *Illis verbis* (ait S. Thomas in Opusc. 52.) *nos Dominus ad salutare conuiuium inuitat, in quo præparauit pretiosum cibum, corpus scilicet & sanguinem suum.* Res planè inaudita esset N. si exercitu hostili obsidente arcem aliquam aut castrum Gubernator illius & Capitaneus, loco eius, quòd milites exhortaretur ad arripienda arma, ad decertandum & depugnandum contra hostem, iisdem diceret: heus milites mei generosi, en exercitum inimicorum nobis obuium, parate mensas, hilari animo comedite & bibite. Extraordinaria actio hæc esset & à prudenti & cauto belli Duce prorsus aliena, nec solùm admiratione, sed etiam reprehensione, imò seuerâ digna esset punitione. Hoc (ait Eusebius Emissen. hom. 5. de Pasch.) non solet contingere in mensâ mundanorum, vbi terreni apponũtur cibi; bene quidem in mensâ sacri altaris, vbi manducaturus corpus Christi Domini, & sanguinem eius bibiturus omnem consequitur fortitudinem & robur ad debellandos & superandos hostes. Vnde dixit Sanctus Cyprianus Epist. 54. ad Corn. mensam Eucharisticam esse armamentarium, ex quo sancti Martyres se armârunt contra Tyrannos, quodque illos securos reddebat deuictoria. Quare pariter nos exhortatur dictus sanctus Pater hisce verbis: *quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.*

Stupenda & prodigiosa fuit fortitudo illa adolescentis Dauid 1. Reg. cap. 17, dum omnis expers artis pugnandi non solùm ausus fuit superbo giganti Goliath exprobrare arrogantiam eius; sed etiam illum pugnando aggressus est, & petram eiaculando in frontem eundem præcipitem egit in terram, ac execrabile eius detruncauit caput. Nouistisne N. in cuius virtute mira hæc patrauerit Dauid, tantaque excelluerit fortitudine? non alterius nisi sanctissimi nominis Iesu. Recenset Philo Hebræus lib. de antiquit. Bibl. quod quinque petris, quas Dauid collegerat pugnaturus cum Goliath, inscripserit nomina illustrissimorum & sanctissimorum totius Mundi hominum. Primæ inscripsit nomen Patriarchæ Abraham, secundæ nomen Isaac, tertiæ Iacob, quartæ Moysis, quintæ nomen (vti ait Philo) fortissimi videlicet, Iosue, quod Hebraicè, idem est & significat, ac hoc nomen Iesus. Sed quânam harum quinque arbitramini Dauid profligasse Goliath? primâ, respondebitis & bene, quam accepit ex sua pera pastorali. Ast quædam fuit prima? quando multæ res imponuntur alicui sacco, prima omnium illa extrahenda est, quæ omnium ultima imposita est. Dauid peræ suæ omnium vltimam imposuit petram, cui inscripta erat nomen Iesus, ergo hæc prima fuit, quâ accepit, & quâ vulnerauit caput Gigantis, veluti ipsemet Dauid testatus est dicens: *tu venis ad me cum gladio & hastâ & clypeo, & ego venio ad te in nomine Domini exercituum*, vers. 45. Sed annon Dauid pugnauit petrâ? omnino. Quomodo

modo igitur dicit se pugnaturum in nomini Domini? quia huic petræ inscriptum erat nomen Iesu, adeoque optimè dicebat se dimicare hoc nomine. Verùm candida hæc & limpida petra, cui nomen Iesus sanctissimum inscriptum erat, cuius, amabò, figura est & typus? quid significat? quid repræsentat; sanctissimam Eucharistiam, respondet Hugo Cardinalis in hunc locum; candor petræ repræsentat cādorem & cætera accidentia Hostiæ, nomen significat veram & sacramentalem præsentiam Christi Saluatoris nostri. Peroptimè id, meo iudicio, intellexit Dauid, quia hanc petram imposuit peræ, cui pastores solent alias imponere panem. Vt congressurus cum Gigante Goliath nobis significaret (ait S. Hieronymus hic) quòd, vbi caperet panem ad se nutriendum & cibandum, ibi caperet & vires, robur, fortitudinem, ac arma ad decertandum cum hoste. Quòd si ergo figura solummodò huius sacratissimi Sacramenti fecit Dauid adolescentem victorem & triumpharorem illius arrogantis Gigantis, quid non faciet ipsum verum & reale Sacramentum? omninò nos faciet triumphare de hostibus & inimicis nostris.

Num. 6. Poëtarum referunt fabulæ de quodam Principe, qui habebat clypeum quendam ex lucidissimo crystallo, talisque stupendæ virtutis, vt quoties decertaturus cum hostibus suis illum discooperiebat, toties Clypeus iste euibrauerit instar sagittæ & fulguris præfulgidos & splendentes adeò radios, vt aduersarij eius cunctas amittentes vires, nec se defendere valentes, præcipites fuerint in terram. Sed ecce verum clypeum translucidi & candidissimi crystalli, augustissimum, inquam, altaris Sacramentum quod solâ suâ præsentiâ deterret exanimatque omnes inimicos suos, de quo fortassis intellexit Apostolus Paulus, quod scribit ad Ephes. 9. vers. 16. *in omnibus sumentes scutum fidei.* vti id de venerabili Sacramento intellexit Sanctus Hieronymus 4. lib. 7. quod & explicando verba illa Isaiæ cap. 21. vers. 5. *pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes surgite, Principes, arripite clypeum* acutissimè dixit: *dicitur per Prophetam ad omnes credentes, vt comedētes & bibentes corpus & sanguinem Christi, vertantur in Principes Ecclesiæ, & cum Apostolo audiant: Surgite & arripite clypeum fidei in quo possitis ignita Diaboli jacula extinguere.*

Verus verè hic est clypeus, qui nos victores & triumphatores efficit nostrorum inimicorum. Et si perpulchrum huius exoptetis experimentum, mementote illius, quod fecit sancta Clara Virgo, nam cùm videret Assisum patriam suam occupatam ac miserè deuastatam à perfidis Saracenis, sola ipsa barbaros illos in fugam conuertit. Et quomodo? ostendendo solummodò illis transluci-dum hunc clypeum sanctissimi Sacramenti, vix etenim mœnia ciuitatis ipsa conscenderat & diuinum hunc clypeum feris & barbaris monstrauerat, & ecce perterrefacti & quasi mortui fugam illicò arripuerunt. Sed quid mirum id fecisse realem sanctissimi huius Sacramenti præsentiam, cùm eūdem effectum videamus causatum ab illius figura?

Euidenter id demonstrari potest ex libro Iosue cap 8. deuicerant & profligauerant exercitium filiorum Israel sub Iosue generali belli Duce militantium incolæ ciuitatis Hai. Cumque ferociter illos persequerentur, Iosue (præcipiente ita Deo) in sublime sustulit clypeum suum, & ecce subitò mutata est alea, & Israelitę primitus persecuti dederunt in fugam suos persecutores, occiderunt & mactarunt illos, totamque ciuitatem Hai deuastarunt, & vt nos perciperemus, quantùm profuerit clypeus iste à Iosue in altum eleuatus, notat Scriptura Sacra, quòd nunquam illum demiserit in terram, nisi post obtentam & completam victo- Num. 7.

victoriam. *Iosue verò* (ait sacer textus) *non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai*, vers. 26. Ast in quem finem tantum se defatigabat Iosue Clypeum sustollendo in altum? annon melius fuisset, si gladio decertasset, & pugnasset cum hoste? aut si Clypeo vti volebat, ad quid illum tenebat in altum? potiùs opinione meâ illo vultus aut pectus præmuniendum erat, vt sic hostium retudisset tela& iacula. Non sine mysterio N. hæc contigerunt, figura fuit expressa sanctissimi Sacramenti, quod est verus Clypeus bellicosissimi nostri Ducis Iesu, & diuinus hic Clypeus sublimatur & sustollitur in altum, eò quòd omnes illum reuereri & adorare debeant, & visui solùm expositus suppeditat vires & animum amicis, & fugat omnes inimicos, quod in alio loco indicare volebat regius Propheta, dicens: *exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius.* Psalm. 67. vers. 1. Et iusti quid interea facient? *iusti autem epulentur & exultent in conspectu Dei.* vers. 3. Sicque eadem diuina facies facit epulari iustos, & in fugam conuertit malos. Sed vbi epulabuntur iusti nisi in sacra mensa Altaris coram hoc SS. Sacramento? eadem ergo est facies, quæ & in fugam dat suos inimicos. Audite cœlestis Paradisi Cantorem, id in spiritu præuidentem & canentem: *parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Ps. 22. v. 5. Vehementer me persecuti sunt inimici mei (ait Dauid) sed Dominus meus me defendit, ast quomodò? forte armatorum quorundam copioso exercitu? minimè. sed parando mihi solùm prodigiosam quandam mensam, illam videlicet, in quâ sacratissimus hic distribuitur cibus.

Num. 8. Non caret admiratione, quod contigit Prophetæ Eliç, quem impia persequebatur Regina Iezabel 3. Regum decimo nono, graui Propheta hic oppressus calamitate & indicibili correptus timore coactus fuit capere fugam: *timuit ergo Elias & surgens abijt*, versicul. tertio, & quiescens sub arbore rogauit Deum, vt eum eriperet ex hac vitâ: *cumque veniret, & sederet subter vnam iuniperum petiuit animæ suæ, vt moreretur.* versic. quarto. Vix prostratus iacebat in terrâ & ecce Angelus quidam comparuit, & tangendo eũ dixit: *Surge & comede*, vers. quinto. Surge Elia, nunc non est tempus dormiendi, cape hunc panem, & hilari animo manduca illum, *grandis enim tibi restat via*, versic. 7. Audiens Elias hæc uerba surrexit, & paratum iuxta pedes conspicit panem quendam subcineritium, accipit & comedit illum, & ecce roboratus hoc pane prosecutus est iter suum quadraginta dierum & noctium spatio usque ad mõtem Dei Horeb: *qui cùm surrexisset comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem* Dei *Horeb.* versic. 8. Angelicus Doctor Sanctus Thomas 3. part. quæst. 79. articul. 1. ad 1. panem hunc datum Prophetæ Eliæ vult expressam esse figuram panis Eucharistici, siquidem magnum tribuit robur & vires animæ Christianæ, quamdiu demoratur in hac miseriarum valle, cùm se dignè illius participem facit; vires enim ei addit, potentemque efficit resistendi mundo, Carni, & Dæmoni, eosque superandi. Confirmat idipsum Abbas Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini, ita sermocinatur ille: *hoc quippe cibo ac potu Elias de manu Angeli pastus, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, per quos præsens sæculum designatur, in fortitudine vsque ad montem Dei dicitur peruenisse. Ex quo patenter innuitur, quòd cibus iste manibus Angelicis defertur & refertur, per quem nostra infirmitas releuatur.*

Confirmo hunc meum conceptum Num. 9.
stupendo aliquo facto relato à S. Euangelista Ioanne cap. 18. quod & considerauit idem Abbas Paschasius. Nocte il-

lâ de-

lâ deplorandâ, quando pientiſſimus Saluator noſter hortum adiuit Gethſemani more ſolito fundendi preces gratiâ illicò & perfidus proditor Iudas copioſo militum, qui inſtar rapacium luporum deprædari anhelabant innocentiſſimum Agnum, inſtructus numero illic compa ruit, & poſtquam ficto pacis oſculo prodidiſſet Magiſtrum & Dominum ſuum, confeſtim adfuerunt milites, quaſi rabie & furore agitati ipſum capientes, ligantes & crudeliter tractantes. Quod cùm videret Petrus, audacior factus pro defenſione ſui Magiſtri euaginauit gladium, animo mactandi vnum aut alterum aut ex permiſſione diuinâ Pontificis ſeruo veluti cæteris inſolentiori amputauit auriculam: *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum & percuſſit Ponti ficis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dextram,* verſ. decimo. Cauſam inquirit Abbas Paſchaſius, vnde vir ſenior adeò confectus, veluti erat Petrus, tantam hauſit audaciam, tantam fortitudinem, vt tot hominum armatorum numerum, iuxta opinionem Ruperti Abbatis in Ioannem ſexcentorum attingentium furori ſeſe opponere auſus fuerit? quomodò non timuit, animum non deſpondet? quomodò adeò intrepidus in medium auſus fuit prodire? & optimè reſpondet, audaciam, fortitudinem ac intrepidum illum animum eum hauſiſſe, ex Sacroſanctâ Euchariſtiâ, quam paulò ante receperat in Cœnâ è manibus Chriſti Redemptoris noſtri; vnde mirum non eſt, quòd adeò audacem & intrepidum ſeſe oſtenderit. Auſcultare iam verba illius Patris, ſic habet lib. de corpor. & ſangui. Domini: *non Petri, ſed Chriſti corporis fortitudine in horto admiranda operata ſunt.* Hinc ſanctus Propheta Dauid diuinum hoc Sacramentum appellauit Panem gigantum & hominum fortium, iuxta interpretationem Sancti Hieronymi: *Panem Angelorum manducauit homo. Panem gigantum & fortium,* legit ille, vt edoceremur, magnam ex hoc SS. Sacramento capere animam Chriſtianam fortitudinem.

Meritò igitur dicit Sanctus Ioannes Chryſoſtomus hom. 61. ad populum, nos à menſâ illâ recendentes debere eſſe inſtar leonum ſpirantium ignem ad timorem & pauorem incutiendum ipſiſmet leonibus infernalibus: *tanquam leones ignem ſpirantes ab illâ menſâ recedamus facti Diabolo terribiles.* Sicque armet ſeſe nos impugnaturus Infernus, omnem moueat lapidem Diabolus, congregentur contra nos hoſtes tum viſibiles tum inuiſibiles, nunquam tamen nobis nocere poterunt, ſi forti hac Euchariſtiæ armaturâ præmuniti fuerimus, imò victores euademus è prœlio, & tandem in fine vitæ noſtræ ad cœleſte conducemur Capitolium ad recipiendam immarceſſibilem coronam gloriæ, quam Deus & Dominus noſter per ſuam infinitam miſericordiam omnibus concedere dignetur. Amen. Num. 10.

Eucharistia.

DISCVRSVS XIX.

De spirituali dulcedine, quàm dignè sanctissimum Altaris Sacramentum sumentes percipiunt.

Num. 1. CElebertrimos & magnificos titulos, gloriosa & splendida sibi vsurpant nomina Magnates, Principes ac Monarchæ mundi huius N. historias tum sacras tum prophanas reuoluturi dilucidè id perspiciemus. Nabuchodonosor appellari voluit Rex Regum. Alexander Magnus totius terrarum Orbis Monarcha & Dominus. Demetrius expugnator Vrbiũ & Ciuitatum. Hannibal Regum etiam potentissimorum expugnator. Mithridates restaurator Rerum-publicarum. Cyrus Deorum vindex. Imperator Austriacus Ecclesiæ defensor. Rex Hispaniæ Catholicus. Rex Franciæ Christianissimus. Ast Deus noster, tametsi Rex Regum & Dominus Dominantium, Imperator & supremus Monarcha Angelorum & hominum, non vult aliter nuncupari nisi Dulcis & Suauis, Deus dulcedinis & suauitatis: *Dulcis & rectus Dominus*, Psalm. 24. vers. 8. & vt cunctis innotesceret, quantum Verbum diuinum in hoc sibi complaceret titulo, voluit eundem mediante Sacrâ Scripturâ toti publicari mundo, eiusdem pręcipuum ac primarium præconem & testem esse Serenissimum Regem Israel, vnde & hic dicebat: *quã dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*, Psalm. 118. vers. 103. Dulcis fuit in Incarnatione suâ, in signum cuius desertissimi montes terræ stillarunt ambrosiam & nectar: *in illâ die: stillabunt montes dulcedinem*, Amos cap. 9. vers. 13. Dulcis in suâ natiuitate, de quâ Sanctus Augustinus Serm. de Natiuit. Domini loquitur in hunc modum: *dulcis dies, & verè dulcis, & cunctis pœnitentibus veniam portans*. Dulcis & fuit in acerbissimâ Passione sua, dum ab Hebræis quasi à mordacibus circumdabatur apibus suo eum aculeo pungentibus, veluti ipsemet conquerebatur. Psalmo 117. vers. 12. *circumdederunt me sicut apes*. In quem locum ait Diuus Augustinus: *fecerunt eum nobis in Passione dulciorem, vt gustemus & videamus, quàm suauis est Dominus*. Dulcissimus nihilominus comparet hodiè in hoc augustissimo Altaris Sacramento, eò quòd animæ deuotæ miram dulcedinem, indicibile gaudium, ac delitias inexplicabiles exinde percipiant & experiantur, quæ omnia cùm degustasset Sponsa, tota festiua, læta & in ecstasin rapta dicebat: *comedi fauum cum melle meo*. Cant. 5. vers. 1. aut sicut Septuaginta legunt: *comedi panem cum melle meo*. quem locum Sanctus Ambrosius libr. quinto, de Sacram. cap. tertio, & Gregorius Nazianzenus de venerabili Sacramento intelligunt. Vnde Abbas Paschasius loco sup. cit. sequens translationem 70. Interpretum dixit: *illum panem, qui de cœlo descendit, comedimus, & ideò dicitur: comedi panem cum melle meo, quoniam in illo Diuinitatis dulcedo & humanitas prædicatur*.

Possem hîc dicere N. hanc dulcedinem augustissimi Sacramenti fuisse præfiguratam per librum illum ad comedendum datum Prophetæ Ezechieli: *& factum est in ore meo sicut mel dulce*, Ezech. 3. vers. 9. Num. 2.

Possem

Possem quoque dicere, fuisse adumbratam per mel illud degustatum à Ionathâ, quod sine morâ ei restituit exoptatum oculorum lumen: *intinxit in fauum mellis: & illuminati sunt oculi eius*. 1. Reg. 14. vers. 27. dicere denique possem, fuisse significatam per miraculosam petram, de quâ Propheta regius: *de petrâ* (id est, Christo, vti explanat D. Gregorius) *melle saturauit eos*. Psalm. 80. versic. 17. Placet nihilominus, pulcherrimam eius figuram fuisse fauum mellis à Sampsone adinuentum in faucibus Leonis: *& ecce examē apum in ore leonis erat & fauus mellis*. Iudic. cap. 14. vers. 8. quem locum tametsi Sanctus Hieronymus & Rupertus intelligant de vniuersali gaudio & iubilo ob victoriam, quam Verbum Incarnatum de leone infernali reportauit, licet etiam Sanctus Ambrosius lib. 2. de spirit. eundem intelligat de sapientiâ Christi fortissimi Leonis de tribu Iudâ, hunc nihilominus locum explanat Glossa de sanctissimo Altaris Sacramento. Et ecce solutum iam intricatum illud ænigma ipsiusmet Sampsonis: *de comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*. Iudic. 14. versic. 14. videlicet de forti illo, de quo vaticinatus est Isaias cap. 10. *vocabitur admirabilis, Deus fortis*. De illo, inquam, forti, ad cuius nutum contremiscunt hostes tartarei. De illo forti denique, qui potenter dominatur & imperat ventis & miraculosè sedat maris tempestates, *egressa est dulcedo*, de quo angelicè scripsit Doctor Angelicus Sanctus Thomas Opusc. 57. *per quod spiritualis dulcedo in suo fonte degustatur*. Et sancta Mater Ecclesia. *O quàm suauis est, Domine, spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes*.

Num. 3. Hic fuit ille fauus mellis N. quem Discipuli admirabundi præsentarunt Christo Domino: *at illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis*. Lucæ 24. versic. quo benedictum Saluatorem nostrum denotari testatur D. Gregorius hom. 24 in Euang. hisce verbis: *fauus mellis Christum designare potest, in quo humanitas est veluti cera, mel verò intra ceram est dulcedo Diuinitatis eius*. Confirmat idipsum Sapiens cap. 16. vers. 20. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem Substantiam enim tuam dulcedinem tuam quā in filios habes ostendebas*. Sic illud Petri Apostoli: *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*, 1. Pet. 2. vers. 3. De diuino hoc Sacramento intellexerunt S. Gaudentius serm. de Transfig. Dom. & Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Ioannem. Et propterea S. Cyprianus sermon. de Cœnâ Domini asserit, dulcedinem huius panis longè superare mundanas delitias & dulcedinem huius vitæ amarissimis repletas condimentis: *hic panis omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates*. Idipsum & figurabat Manna, quod conseruabatur in arcâ, iuxta opinionē S. Petri Damiani serm. de Inuent. S. Crucis propter inexplicabilem dulcedinem, quam in se continebat: *hoc profectò puram atque sinceram carnem Redemptoris exprimit, quæ procul dubio dulcedinem perpetuæ Diuinitatis includit*.

Silebo hîc, quod sicut panis melle conditus multum confert ad renouādam humorum superfluitatem, teste Gal. lib. de tuendâ sanit. Ita hic plurimū conducit ad impediendam aut extirpandum animæ indispositionem. Tacito etiam prætereo pede, quod scribit Plinius lib. 2. Hist. natural. c. 16 plurimos pretioso liquore mellis longam protraxiss vitam; vnde interrogatus Pollion à Cęsare Augusto, quomodo in decrepitam vsque ętatem adeò fortis & robustus vixisset, respondit: *intus melle, foris oleo*. Et hoc admirabile Sacramentum nobis prolongat Num. 4.

 vitam,

vitam vti euidenter constat de fortissimo Caleb, quem cæteris viribus & robore præualuisse referunt antiqui Hebræi, eò quòd se cibauerit mannâ, de quo Sacra Scriptura: Exod. 16. versic. 31. *Gustusque eius quasi simila cum melle.* Alt si. lentio præterire nequeo, quod refert Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. quòd sicut apes rubentis auroræ tempore spatiosos circumuolant campos & prata, excerpunt ex lilijs rosisque roscidos liquores, ac mirâ deinde industriâ & artificio fabricant suas in apiario domunculas; Ita Verbum Incarnatum omnem collegit dulcorem, ac quemcũque mellifluum liquorem, & saporem, eumque candido velo accidentiũ Panis Eucharistici inclusit: *Apes* (inquit ille) *ex horto colligunt flores, & posteà quod ex floribus collegerũt fauo dulcissimo persoluunt, sic Christus ex horto mundi huius accepit humanitatem nostram, & dulcissimum fauum mellis reddidit nobis.* Qod & confirmat Sponsa, dum de dulci & pretioso fructu loquens dicebat: *& fructus eius dulcis gutturi meo,* Cant. 2. versic. 3 Fructus nimirum huius cœlestis cibi, inquit Abbas Absalon serm. de Sacra. *O fructus bone, fructus sapidissime omne habẽs delectamentum,* Vnde instar Protei cœlestis mutatur, seseque conformat gustui animarum deuotarum dignè eundem suscipientium, quemadmodum de mannâ & in particulari de melle sacræ testantur paginæ: *gustusque eius quasi simila cum melle.* Exod. 16. *Et in alijs est lignum vitæ* (sic discurrit citat. Abbas) *propter æternitatem, in alijs est vinum propter compunctionem, in alijs est panis propter fortitudinem, & in alijs est manna propter dulcedinem.*

Num. 5. Cesset iam tritum illud Adagium, nec deinceps dicatur: *Amor melle & felle fœcundissimus.* Etenim dulcissimus Iesus Saluator noster in fine vitæ suæ reliquit nobis sub speciebus Sacramẽtalibus dulcissimam carnem suam absque vllâ prorsus amaritudinis & dolorũ mixturâ, teste huius audi Sanctum Ambrosium libro quinto, de Sacrament. capite 3. *vides quòd in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas sit?* Non se extollant & iactent deinceps faui Hyblæi montis apibus & optimo melle, licet abundantissimi, non deprædicetur amplius fictũ falsumque nectar & ambrosia Ethnicorum Deorum; hic enim cibus est cœleste & diuinum nectar, quod Christianum transformat in Deum, teste D. Hieronymo in suo Test, *O esca*, ait ille, *sacratissima, quam verè comedens Deus efficitur.* Non glorientur Maiores nostri, qui, teste Tertulliano lib. 2. contra Marc. infantulis recenter baptizaris dabant lac & mel: *suscepti mellis & lactis concordiam prægustabant.* Siquidem in hoc augustissimo Sacramento animæ fidelium veluti amantes & concordes apes sub lacte accidentium panis degustant mel sanguinis Christi à Sancto Bernardo in Cant. dicti: *amor amorum & dulcedo dulcedinum*, vt proptereà animæ Christianæ dignè se communicanti optimè dici possit: *mel & lac sub linguâ tuâ,* Cant. quarto, versiculo vndecimo.

Et si verum sit, vti verissimum est N. quod legitur de sancto Seraphico Francisco. eum nimirum, dum proferebat sanctissimum nomen Iesus, ob nimiam dulcedinem, quam experiebatur, linxisse labia, vti scribit Sanctus Bonauentura in vitâ eius. Quam amabo cœlestis amoris ecstasim, quem dulcorem Angelicum, quæ suauia & melliflua animæ Christianæ non degustabunt gaudia, quæ sese pascunt dulcissimâ Redemptoris nostri carne. Mel vocatur à Ruperto Abbate in Cant. qui Christum Dominum introducit loquentem Beatissimæ Virgini & dicentem: *fauus tuus ego sum & mel tuum, quia Deus tuus & filius tuus.* Vnde animæ fidelium ob suauem adeò dulcorem dulcissimo cœlestis contemplationis sopiuntur somno: *tanta est enim*

nim dulcedo huius vini, vt sapiat omnes sensus corporis, ait idem Rupertus.

Num. 6. Conuincente argumento huc vsque dicta probari possunt plurimi namque sancti sacrâ sese reficientes Communione ex speciali priuilegio ipsis concesso sensibiliter probarunt, gustarunt & experti sunt sacratissimi huius cibi dulcedinem. Te iam voco in testem, ô felicissime Monache Cisterciensis, qui sacram sumens Eucharistiam per tres continuos dies sensisti in ore tuo saporem mellis. E-dic, ô sancta Virgo Clara, quæ ipso die Epiphaniæ ex dulcedine panis huius diuini in tantum rapta fuisti, vt longo tempore in ecstasi demorata fueris cum amantissimo tuo & cœlesti Sponso. Adsis & tu, ô sancta Catharina S. nêsis, tuo id confirma testimonio, an non rapta fuisti, quia suauissimâ, quam probasti in sacræ sumptione Eucharistiæ, abundabas dulcedine? & vbi relinquo S. Philippum Nerium, qui in sumendo sacrum corpus Domini miram sentiebat dulcedinem? ideoque omnes illos exercebat actus, quos suauissimum quendam degustantes cibum exhibere & facere solent. In sumendo etiam sanguinem Christi tali affectu lambebat sugebatque calicem vt hic quasi ab ore eius inseparabilis visus fuerit, vnde in eodem signa reliquit dentibus eidem impressa. Et vbi manet Beatus Ioannes de Aluerniâ, qui die quodam post missæ celebrationem tantam in animâ suâ sensit dulcedinem, vt tempore ecstasis suæ plurimi eum crediderint esse mortuum. Simile legitur de beato Aloysio Gonzaga è Societate Iesu. Et quid dicam de candidissimo Carmeli Montis lilio, beatâ, inquam Maria Magdalenâ de Pazzi Florentinâ? tantam hæc B. Virgo ex frequenti & ferè quotidianâ sacræ Synaxis refectione delibabat suauitatis dulcedinem, vt inter alia documenta aurea hoc reliquerit; *mallem mori quàm vel semel negligere sacram communionem*.

Tanta est dulcedo huius admirabilis Sacramenti, quæ cœlestem & miram adeò metamorphosim causare potest. O magnam dulcedinem Dei nostri! qui nonnisi dulcis esse nouit. *Dulcis & rectus Dominus.*

Iam quoque capio & intelligo pulcherrimum illum Scripturæ locum Cant. cap. 1. vers. 3. *introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus & latabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Num. 7. Conformiter eundem intellexit Sanctus Ambrosius, dum illum in hunc explicat modum: *qui ad sacram Eucharistiam admittitur, in cellaria sua introducit eum Christus, vbi inenarrabiles consolationes Sancti percipiunt, ibi enim sunt fructus diuersi, ibi sunt bona libamina, ibi mella suauia.* Et Beatus Laurentius Iustinianus libr. de perfectis gradibus cap. 3. scribit animabus iustis dignè communionem accedentibus concedi flumen integrum dulcedinum, hæc sunt ejus verba: *exuberans confertur gratia hoc Sacramentum dignè sumentibus: ex illo enim quadam viuificantis spiritus, & mellifluæ suauitatis demonstratur emanatio, per quam omnis vigor interioris hominis roboratur.*

Et in ijsdem Canticis capite secundo reperio, quòd cœlestis sponsa sponsum Num. 8. suum assimilet pomo: *sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*, vers. 3. Et non sine magno mysterio, inquit hîc Theodoretus, *sponsum appellat pomum, quod quidem & tactu molle, & gustu dulce & odoratu suaue, & aspectu iucundum ac venustum; talis est Dominus noster Saluator & sponsus, qui conuiuio suo sensus omnes nostros explet suauitate.*

Et hæc est causa N. quam an hactenus audiueritis, nescio, Cur Christus Redemptor noster in vltimâ cœnâ ante passionem & mortem suam voluerit communicare seipsum, non quidem ob augmentum gratiæ, illo namque non indigebat; sed vt hanc perciperet dulcedinem. Conformiter loquitur Angelicus Doctor,

Doctor, 3.p.quæst.22. *idcircò Christum se voluisse communicare in Cœna ex suo corpore, non quidem ob augmentum gratiæ, sed vt gustaret talem dulcedinem.*

Et sanè N. quot & quantæ tribulationes aliàs amarissimæ mediante hac dulcedine sapidæ factæ sunt & mellifluum sortitæ sunt saporem? quot amaritudines huius lachrymarum vallis hoc sacro dulci cibo indulcorantur? & quomodo tot tantasque Diaboli tentationes tolerere & superare possemus, nisi eas dulcoraremus mitigaremusque hoc fauo mellis sanctissimæ Eucharistiæ? Quare eleganter asserit D. Dionysius Areopagita de cœlest. Hierarch. *tanta est huius diuini Sacramenti suauitas, vt ineffabiles cœli delitias ex huius diuini Sacramenti delitijs facilè concijci liceat.*

Num.9. Noli conqueri modò, ô peccator, si hac sacrâ te reficiens Synaxi non gustes hanc dulcedinem. Et quomodò vis eam percipere & degustare, si mille scateas peccatis & sceleribus, si non verum excites dolorem & contritionem de tuis peccatis, si non firmum sed vacillans sit tuũ propositum? edic parumper, quàm negligens es in custodiâ oculorum & cordis? quàm mutabilis existis in promissis factis Deo? quantus amicus es propriæ commoditatis & commodi? quantùm desideras satisfacere sensuali tuo appetitui, passionibus & pessimis inclinationibus. *Delicata est diuina consolatio* (ait sanctus Bernardus in Cant.) *& non admittit alienam. Accede igitur* (concludit Beatus Laurentius Iustianianus loco sup. cit.) *& manduca Sacramenta cœlestia, mentis pertracta affectu, vt latente illius merearis saginari dulcedine.*

Num.10. Eia igitur ô cœlestes Angeli, qui æterni semperque durantis estis Aprilis apes, & continuò fruimini dulcedine Diuinitatis Christi; vos qui delitiarum gaudiorumque pernauigatis Oceanum; vos, qui in cœlis hac cœlesti gaudetis ambrosiâ & nectare descendite hodie de altissimo cœlorũ habitaculo, at quid dico, descendite? loquimini ex hoc altari, vbi inuisibiliter totius Vniuersi adoratis Creatorem, narrate huic populo, quanta sit dulcedo Dei in hoc diuinissimo Sacramento, cuius ne quidem minimam partem hac meâ rudi & balbutiente linguâ explicare possum.

Vnde conuersus ad te Creatorem & Redemptorem meum, tuæque diuinæ confisus Misericordiæ clamo cum sancto Augustino l. Solil. *merear Domine omnia amarescere, sed tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo vera, per quã omnia amara dulcorantur.* Amaræ ô dulcissime Jesu, mihi videantur cunctæ delitiæ, voluptates & gaudia mundana; *sed tu solus dulcis appareas animæ meæ.* Tu, inquam, qui es omne bonum meum, vita mea, spes mea, thesaurus meus, & dulcedo mea æterna. Et vos N. qui tanquam amantes apes accessistis huc collectum suauissimam mellis huius dulcedinem, aculeum peccati prorsus deserite, relinquite, & suaui orationis susurro itote de plagâ in plagam Christi Crucifixi libatum dulcorem sanctissimi huius Sacramenti, in quo (vti canit Ecclesia) *recolitur memoria passionis eius*, vt tandem aliquando diuinâ patrocinante gratiâ possitis degustare dulcorem & saporem æternæ gloriæ, quam vobis impertiatur Deus per suam infinitam misericordiam. Amen.

Eucha-

DISCVRSVS XX.

De cœlestibus donis & gratiis, quæ ex augustißimo Altaris Sacramento tanquam è perenni fonte promanant & deriuantur in fideles dignè illud sumentes.

Num. 1. PEREGRINO dulci patriæ stimulato amore molesto sese accingenti itineri nihil æstiuo tempore aurâ solido calidiori, peropportunius euenire, nec optatior suffragari potest fortuna, quàm si in viâ obuium reperiat fontem limpidarum aquarum, quibus sitim suam explere, vires deperditas instaurare, lassumque ex itinere animum refocillare possit. Ad eundem planè modum nobis N. quamdiu in præsentis vitæ exilio miserè peregrinantes spe tandem aliquando attingendi cœlestem Patriam demoramur, optatior sors, fœlicior sors nequiret obtingere, quàm si lassis nobis & defatigatis ob varias multasque, quas patimur, tribulationes & miserias occurreret fons aliquis, iuxta quem quiescentes respirare, sitibundas animas nostras restaurare ac refocillare possumus.

In mundi huius primordio exoptatissimus eiusmodi extitit fons, non nego; fortunato illo tempore cœli terræque Conditor & Rector ob delitias & recreationem hominum pulcherrimum in Paradiso terrestri procreauerat fontem, Genes. cap. 2. & adhuc esset, nisi ob inobedientiam & casum deplorandum Protoparentum nostrorum omnes infœlices posteri summâ cum confessione fuissemus ab eodem expulsi. Ast nunc miseris & calamitosis hisce nostris temporibus, quocumque me verto, aliud (prô dolor!) non reperitur nisi sterile, siccum & infructuosum desertum, vti affirmat Richardus de S. Victore in cap. 3. Cant. O nos igitur miseri & infœlices, quò nos vertemus? quid consilij? quid incipient & facient animæ nostræ? quònam ad explendam sitim suam pergent? quò ibunt? quò tendent? expediétne fortasse eis, vt sitibundæ moriantur, pereantque? astomnem procul pellite timorem & pauorem iucundissimus enim hodiè & lætissimus in medium prodij nuncius significaturus vobis, qualiter Deus misericordiarum nostro compatiens infortunio hîc in terrestri sanctæ Ecclesiæ Paradiso alium nobis substituerit fontem maioris Excellentiæ & virtutis, fontem primò tantò nobilioreem, pretiosiorem & iucundiorem, quantò nobilius est cœlum terrâ, Creator Creaturâ, & hic fons est venerabile Altaris Sacramentum, idque ob duas præcipuas rationes; prima est, quia in illo continetur ipsemet fons omnis bonitatis videlicet Christus Dominus. Secunda deinde est, quia ab eo abundantissimè profluunt omnes diuinorum donorum gratiarumque aquæ.

Superuacaneum iam esset N. si à primo exordirer probaturus Redemptorem Num. 2. nostrum esse cœlestem & diuinum fontem; in quocumque namque statu ille consideratur, pulchrum hoc fontis nomen ei optimè quadrat & conuenit. Cuius vt pateat veritas, si ab æternâ & ineffabili generatione eum contemplemur, comperiemus eundem à fontanâ illâ Deitate (vt cum D. Dionysio Areopagitâ de diuin. Nomin. cap 9. loquar) veluti à viuo procedere

procedere fonte infinitâ replètum sapiētiâ: *fons sapientiæ Verbum Dei*, Eccles. ca. 1. vers. 5. Si eundem tempore Natiuitatis suæ oculis fidei intueamur, videbimus eum, & dum è terrâ illâ beatâ & fœcundâ imò ipso terrestri Paradiso fœcundiori & iucundiori, ex immaculatâ, inquam, Virgine Mariâ Matre eius oritur & nascitur, fontis pulcherrimi induere & repræsentare naturam ad irrigandam aridam & siccam terrā generosissimā vbertimis suarum diuitiarum aquis, veluti Sanctus Ambrosius huic meo proposito conformiter testatur hisce verbis: *quando fons ille in sinu Patris absconditus exiuit de Virginali terrâ sanctâ Mariâ, irrigata fuit terra vniuersa gratiarum abundantiâ, & de sterili fructuosa reddita est.*

Num. 3. Et quid aliud deinde in decursu vitæ suæ nobis repræsentauit nisi abundantissimum infiniti amoris fontem, vt torrente cœlestium suorum thesaurorum immundus mundus lauaretur & restauretur, quemadmodum prædixit Propheta Zacharias capite decimo tertio, versic. primo, *in die illâ erit fons patens domui Dauid*, quod Sanctus Theodoretus intelligit de sanctissimo Sacramento, & dicere volebat Propheta: adueniet fortunatissimum tempus illud, quando nimirum in domo Dauid, quod iuxta explicationem Sancti Hieronymi idem est dicere, an Ecclesiâ, clarissim è à toto conspicietur Orbe Verbum Incarnatum, quod ex mente D. Gregorij hom. 41. in Euangel. in quantum est Deus & sub æternis latet Diuinitatis suæ Arcanis, aliud non est, nisi supremus & perennis fons, sed inuisibilis & absconditus oculis nostris; in quantum deinde eum consideramus indutum & vestitum nostra mortali carne, appellandus est quoque pulcherrimus quidam fons omnis boni sed patens & manifestus toti mundo: *fons quippe occultus* (ait idem Sanctus Gregorius hom. 20. in Euang.) *est vnigenitus Patris, inuisibilis Deus: fons verò patens est idem Deus incarnatus, qui fons patens rectè domus Dauid dicitur, quia ex Dauid genere noster ad nos Redemptor aduenit.* Et Sanctus Bernardus serm. 1. de Natiuit. ita sermocinatur: *fons nobis est Christus, ac proinde lauemur, sicut scriptum est, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris. Quis est fons* (subiungit elaganter Sanctus Augustinus tom. 1. sermon. 92.) *nisi Iesus Christus, cui dicitur: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen?* & deinde concludit: *bonus fons, qui nos de huius vitæ refrigerauit incendiis, & inundatione suâ ariditatem nostri pectoris superauit.*

Sapientem & fortunatam mulierem Samaritanam hîc voco in testimonium, Num. 4.
Ioannis cap. 4. quæ, veluti obseruat S. Ioannes Chrysostomus hom. 33. in Ioannem, cum & sui & Dei oblita iret haustum aquam è celebri illo fonte Iacob, obuia facta Christo Remptori nostro cœlesti & diuo fonti, confestim spreuit & despexit omnem aliam aquam terrenam. *Considera mulieris studium* (sic loquitur os illud aureum) *considera sapientiam: venerat haurienda aqua gratiâ, & cùm verum fontem inuenit, contempsit alterum.* Iure igitur meritissimo augustissimum hoc Sacramentum dicetur fons, eòquòd illi includatur benedictus Saluator noster, fons omnium bonorum cœlestium. Fons perennis est ad explendam animarum nostrarum ardentissimam sitim; ita docuit idem S. Chrysost. vbi suprà, dum post sermonem habitum de hoc diuinissimo Sacramento sub symbolo & figura illius prodigiosi fontis, quem Deus omnipotens in terrestri locauit Paradiso, subiunxit: *ex Paradiso fons scaturiuit, à quo sensibiles fluuij emanarent; à mensâ hac prodiit fons, qui fluuios spirituales diffudit.* Inuitat deinde idem sanctus Doctor omnes & quoscumque fideles, vt si qui ob innatum ardorem humanæ cōcupiscentiæ sitirent, has sese refocillandi causâ biberent aquas cryftallinas, quæ

ex

ex perenni hoc fonte ſcaturiunt : *Si quis æſtuat ad hunc fontem ſe conferat, & re creabitur.* Et S. Auguſtinus tract 109. in Ioannem hiſce nos exhortatur verbis : *ſi non vultis in hac eremo ſitire; ex hoc fonte bibite, quem poſuit Chriſtus in Eccleſiâ, ne deficiatis.*

Num.5. Tranſeamus ad ſecundum punctum dicamuſque Venerabile Sacramentum eſſe dulcem & delicatum fontem, ſiquidem cunctæ diuinarum gratiarum donorumque cœleſtium ex illo dimanant aquæ; quemadmodum ante reliquos omnes id ſignificauit Theodoretus in catenâ trium Patrum, explicans illud Canticorum c. 4. verſ. 10. *pulchriora ſunt vbera tua vino.* Per vbera enim hæc, ait ille, intelliguntur ſacri & ineffabiles fontes Euchariſtici, quos ſancta Mater noſtra Eccleſia quaſi duo vbera & mammillas cunctis fidelibus continuò diſpenſat & ſugenda præbet : *per vbera illa admiranda* (verba ſunt Theodoreti) *& vino præſtantiora, cogita illos ineffabiles Altaris fontes, ex quibus nos alumni pietatis nutrimur.* Idque rationabili ex causâ, ſiqnidem ab ijs vires & robur recipimus, vt contra inſidias & tentationes Diabolicas pugnare poſſimus, teſte Cardinale Petro Damiano Serm. de Euchariſt, dicente : *videat occultus hoſtis Chriſtiani labia Chriſti pudore rubentia, qui mox territus per horreſcat & intra tenebrarum ſuarum latibula paueſcendo diffugiat.* Ab ijs etiam protegimur & defendimur contra horrendos impetus, tela; & jacula ſcelerum & peccatorum noſtrorum, quod eleganter cõteſtatur Propheta Zacharias loco ſup. cit. *erit fons patens domui Dauid & habitantibus Ieruſalem in ablutionẽ peccatorũ.* & poſt illum S. Cyrillus in cap. 6. Ioannis, dicens : *laboras ſuperbiâ? ſume Euchareſtiam, id eſt, Chriſtum ad carnem, imò ad panem ſe humilitatum, & panis hic humilis humilem te faciet. Laboras tentatione libidinis? ſume Chriſtum crucifixum patientiſſimum, hic tibi ſuam patientiam communicabit.* Ab illis inſuper expectamus abrogationem impiæ & crudæ legis appetitus carnalis & concupiſcentiæ, ſicut etiam mundanæ inquietudinis & aduerſitatum, juxta eiuſdem Diui Cyrilli mentem aſſerentis : *ſedat enim, quamdiu in nobis manet Chriſtus, ſæuientium membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationem animi omninò extinguit.* Illorum beneficio deguſtamus dulciſſimas aquas ſpiritualium delitiarum & cœleſtium conſolationum : *illum panem comedimus, qui de cœlo deſcendit, & ideò dicitur : comedi fauum cum melle meo, quoniam in illo diuinitatis & humanitatis dulcedo prædicatur.* Non minori cum elegantiâ diſſeruit Abbas Paſchaſius de Corpore & Sanguine Domini. Et tandem ab ijs ſperamus nos tandem aliquando conſecuturos deſideratum æternæ vitæ præmium : *non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilem vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur :* ait D. Gregorius Nyſſenus in Cant. 3.

Cùm igitur pientiſſimus Saluator noſter in hoc auguſtiſſimo Sacramento realiter exiſtens ſit fons perennis diuinæ gratiæ, loquaci ſilentio eundem ex hoc ſacro Altari audire mihi videor dicentem : ô vos miſerrimos mortales qui in horrido & aſpero exulcerati mũdi huius deſerto peregrinantes, ac longè à beatâ veſtrâ patriâ diſtantes demoramini, adeoque nullum eſt dubium, quin ab ardore mundanorum deſideriorum accenſi, ſitibundi & æſtuantes hæreatis. Vobis ergo neceſſe eſt, me accedatis, ſi à prauis hiſce deſiderijs exuere vos exoptetis. Me, inquam, qui cœleſtium bonorum verus fons dicor & ſum : *ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Ioan. cap. 7. verſ. 37. vero enim verius eſt, mundanorum bonorum aquas eſſe turbulentas & lutoſas, quæ non purificant, ſed defœdant decorem animarum veſtrarum, non explent, ſed magis magiſque accen- Num.6.

dunt augentque sitim: *qui bibit ex aquâ hâc, sitiet iterum.* Ioannis cap. 4. vers. 13. non sic æternorum bonorum gaudiorumque aquæ ex me, vtpotè, perenni fonte scaturientes; hæ namque totam prorsus leuare ac sedare poterunt sitim: *qui biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* loco cit. In hunc nobis loquitur modum Christus verè & realiter præsens in hoc venerabili Sacramento, adeoque summè necessarium est, accedamus illum, si sitim nostram perfectè explere & restinguere desideremus. Interea ipsum ego adibo & sic eum conuersus alloquar: ô cœlestis & diuine fons, qui nec ob siccitatem exarescis, nec ob fœditatem & impuritatem sordescis & deturparis, neque communicando te alijs consumeris, aut minima aquarum tuarum deficit gutta; hisce limpidissimis aquis scelerum nostrorum abluemus maculas, ex hisce, inquam, cœlestibus aquis salutiferum componemus balneum ad incurrabiles animarum nostrarum morbos curandos: dulcissimis tuis intincti aquis illicò dulcorabimus aduersitatum miseriarumque calamitosi mundi huius amaritudinem, & tandem tuâ auxiliante gratiâ ad æternam peruenimus beatitudinem, Amen,

---

Fides & Opera.

DISCVRSVS XXI.

De Excellentiis & Prærogatiuis Fidei Christianæ & Catholicæ, quodque eam necessariò comitari debeant bona opera.

Num. 1. EXcellentiæ ac Prærogatiuæ nostræ sanctæ fidei tot & tantæ sunt, vt lingua humana easdem exprimere nequeat. Hoc solum sufficit, quod sine eâ impossibile est placere Deo, teste Paulo Apostolo: *sine fide impossibile est placere Deo.* ap Hebr. 11. vers. 6. hoc idem confirmat Sanctus Augustinus Serm. 28. de temp. cùm in hunc modum discurrit: *constat neminem ad veram posse peruenire beatitudinem; nisi Deo placeat, & Deum neminem placere posse, nisi per fidem. Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium sine hâc nemo ad filiorum Dei consortium peruenire potest, quia sine ipsâ nec in hoc sæculo quispiam iustificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Idem ex alijs Scripturæ locis & sanctorum Patrum testimonijs probari & roborari posset, nisi materia hæc satis per se clara & euidens esset.

Sed quid est fides? Patres Theologi cum D. Thoma Secunda secundæ q. 23. art. 4. hoc modo illam communiter definiunt; *Fides est habitus, quo non videntes certò & infallibiliter ea omnia credimus, quæ ab Ecclesiâ, Deo reuelante, proponuntur.* Sicque fidei conuenit ineuidentia rerum; sed quòd credantur maiori cum certitudine, quàm si viderentur oculis, aut manibus palparentur.

Perpulchram horum omnium figuram habemus libr. Exod. cap. 20. Num. 2. Montem ascensurus Sinai magnus Legislator Moyses & legem Dei ibidem recepturus promulgauit edictum ex mandato Dei, omni populo, ne quis montem illum accederet. Dei igitur loquente Moysi in summitate montis, terribilia audiebantur tonitrua, multiplicabantur fulgura &

lampades, ac voces & sonitus timore & tremore concutiebant totum populum Israeliticum. Sed audite, amabò, modum loquendi, quo vtitur Spiritus sanctus referendo hoc factum: *cunctus autem populus videbat voces & lampades & sonitum buccinæ.* Videbat voces & sonitum. Voces non videntur oculis, sed auribus percipiuntur, idem de sono asserendum est. Quòd Moyses dixerit, populum vidisse lampades, benè est, & optimè dicitur; at quòd viderit voces & sonitum, non possum capere. Visne scire, ait D. Ambrosius in Lucam cap. 1. cur Spiritus sanctus vtatur hoc loquendi modo è vt intelligas, tibi, qui te profiteris fidelem & Christianum, sic auscultanda esse dogmata fidei à sanctâ Matre nostrâ Ecclesiâ proposita & dictata à Spiritu sancto, ac si ea videres oculis, palpares manibus, imò maiori cum certitudine; *vt non videntes, quæ auribus percipimus, tanquam videntes credamus.*

Num. 3. Et proptereà (vti notauit Sanctus Bernardus Sermon. quarto in Cant.) Sponsus dilectæ suæ sponsę dixit, hæc non minus obscura quàm stupenda, verba: *murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento,* Cant. cap. 1. vers. 11. id est, aureas inaures, seu gemmas auribus appendendas conficiemus tibi. Id tamen à proposito prorsus alienum, nec ei correspondere videtur, quod petierat Sponsa, nimirum: vt ille se manifestaret, & clarè cognoscibilem sese preberet: *indica mihi: vbi pascas, vbi cubes in meridie?* Cant. loco cit. vers. 7. ast ecce mysterium. Dicere volebat Sponsus: desideràsne, ô Sponsa chara, me clarè & intuitiuè cognoscere? conueniens hoc non est, nec fieri potest, nisi primò adhibeas aures, per quas subintrat fides: *fides ex auditu,* ait Apostolus ad Roman. cap. 10. vers. 17. & tunc me cognosces; etenim fides innititur auditui non visui, id namque reseruatur in futuram vsque visam. Vnde D. Augustinus tractatu quadragesimo in Ioannem: *credimus vt cognoscamus, non cognoscimus vt credamus, quid est enim fides, nisi credere quod non vides?*

Hoc idem significare voluit Dauid, quando suo diuino & supernaturali stylo animę fideli dixit: *audi filia, & vide,* Psalm. 44. vers. 11. vt hinc edoceremur, quòd, quamdiu demoramur in hac vitâ, sunt adhibendę aures, videlicet, actus fidei exercendi, & sic in alterâ vitâ videbimus id, quod credimus. Nec minori cum elegantiâ patientissimus Iob conuersus ad Deum dicebat: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te,* Iob cap. 42. vers. 5. q.d. dum morabar, ô Domine, in hac vitâ auribus, id est, mediante fide audiebam, quęcumque mihi dicebas; at nunc alterâ fruens vitâ clarè te intueor & intuitiuè te cognosco: *nunc autem oculus meus vidit te.*

Verùm non pigeat vos N. audire conceptum aliquem huic proposito conformem annatatum hactenus à mellifluo Bernardo Sermon. 26. in Cant. In memoriam reuocate, inquit ille, Centurionem illum qui præsens interfuit morti Redemptoris nostri. Videbat ille filium Dei Cruci affixum, manus pedesque clauis transfixos, conspiciebat etiam caput eius acutissimis coronatum spinis, cernebat illum inter duos latrones suspensum, tamque crudeliter tractatum, vulneratum, insuper & benedictam faciem eius adeò sputis conspurcatam, vt vultum non repræsentaret humanum. Et vbi primò erat decorus & pulcherrimus, quem intueri desiderabant Angeli cœlestes; in atrocissimis illis constitutus doloribus & tormentis adeò deformis deinde factus est, vt meritò dicere potuerit Propheta Isaias cap. 53. vers. 2. *non est species ei, neque decor.* Quapropter Centurio non agnouit eum, nec sciuit esse Filium Dei; ast quamprimum altam audiuit vocem & clamorem eius, quam moriens emisit, confestim confessus est Num. 4.

eum,

eum, & verum cognouit esse Dei Filium *videns, quia sic clamans expirasset ait: verè hic homo filius Dei erat.* Marc. 15. vers. 39. & qui hoc N. videt ipsum veluti immenso Martyrij dolorumque immersum Oceano & quidem viuum; audit deinde eundem iam morti vicinum voce magnâ clamantem, & subitò facit quandam professionem fidei dicendo: *verè hic homo filius Dei erat,* Quod Christus patiatur tormenta & pœnas tanquam Deus, omninò possibile est, at quod moriatur tanquam Deus, impossibile tale est, quod superat omnia impossibilia, & tamen Cēturio Christum viuum patientemque dolores non cognoscit esse Deum, mortuū verò vt talem agnoscit & confitetur: *Verè filius Dei erat.* En mysterium notatum à D. Bernardo, vera fides non ab oculis sed ab auribus manuducitur: *fides ex auditu*, dixit Apostolus. Auditus namque in materiâ fidei securior ac certior est quocumque alio sensu externo, ideoque Centurio tanquam vera ouis gregis Dei mediante visu & ope oculorum non cognoscit ex facie Christum esse filium Dei, sed ex voce, ope & auxilio aurium: audite S. Bernardum: *ex voce agnouit filium Dei & non ex facie; erat enim fortasse ex ouibus illius, quæ vocem eius audiunt: auditus inuenit, quod non visus: oculum species fefellit, auri veritas se infudit; oculus prænunciabat infirmum, oculus fœdum oculus miserum, oculus morte turpissimâ condemnatum. Auri Dei filius, auri formosus innotuit.* Interrogate Centurionem, in quonam teneat conceptu Saluatorem, qualem credat, existimet, iudicetque illum esse, si proprijs velit credere oculis? *oculum species fefellit*, Oculus à miserabili & sputis deturpatâ Redemptoris facie deceptus, potiùs respondebit, illum esse malefactorem & sceleratum, oculus credet eum dignum tali latronum consortio, supplicio Crucis, ac morte ignominiosâ & infami afficiendum iudicabit oculus, quia *oculus prænunciabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissimâ condemnatum.* Ast si responsum ab eodem petatis Centurione iuxta ea, quæ percipit auribus; respondet: *verè filius Dei erat.* Siquidem ex altâ illa voce & clamore, quem Christus in cruce moriens emisit, cognouit eum esse hominem verè diuinum & Deum Incarnatum, secus post tot perpessa tormēta, dolores & pœnas & in extremo mortis agone clamorem adeò magnū haud potuisset edere, & ideò: *verè filius Dei erat.* Nam Clamor ille penetrauit ipsius aures: *fides ex auditu*, & propterea concludit S. Bernardus: *auri Dei filius, auri formosus innotuit.*

Mira & stupenda profectò fuit fides illa, quam ostendit Ludouicus Rex Franciæ, veluti legitur in historiâ S. Dominici part. 1. cap. 19. Magnum Parisijs exhibebatur miraculum in Sacello quodam palatio Regis vicino, nimirum Sacerdote quodam ibidem celebrante Missam & sacram eleuante hostiam apparuit inter sacrificantis manus viuus quidam puerulus miræ & incredibilis pulchritudinis, quæ miraculi ostensio & visio tanto durauit tempore, vt potuerit toti publicari ciuitati, veluti etiam numerosus accurrit populus. Significata & fuit Rigi Christianissimo Ludouico, qui tametsi importunis sollicitaretur precibus celebris huius miraculi videndi causâ, è regia tamen noluit egredi aulâ, imò quoscumque ipsum rogātes hoc expediebat, sinebatque abire responso: Si quispiam sit, qui non credat Deum in sacrâ illâ hostiâ esse præsentē, visum illuc eat, me quod attinet, video illum omni die per fidem. O responsum Christianissimo Rege dignum! Num. 5.

Verùm, vt quis saluetur, sola non sufficit fides, quemadmodum quidam hæretici impium Hæresiarcham Lutherum sequentes temerè ausi fuerunt asserere; sed necessaria sunt etiam bona opera, alias fides erit mortua, teste S. Iacobo Apostolo Num. 6.

stolo cap. 2. vers. 26. *fides sine operibus mortua est.* Conclusio hæc iamdudum probata fuit à D. Thomâ 2. 2. quæst. 23. articul. 4. & à sacro Concilio tridentino sess. 7. cap. 7. confirmata hisce verbis: *Si quis dixerit solâ fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, anathema sit.* Hanc ob causam ab exordio mundi (vti aduertit Sanctus Gregorius Nyssenus in Genes. cap. 1.) noluit Deus in Paradiso terrestri reperiri aliquam arborem infructuosam & sterilem, veluti ex verbis ipsis Adamo dictis colligitur: *ex omni ligno Paradisi comede.* Genes. 2. versic. 16. Ergo ait Sanctus Episcopus Nyssenus, in Ecclesiâ militante per Paradisum terrestrem significatâ omnes homines fructum bonorum operum producant,
Num. 7. necesse est.

Annon occurrit vobis N, quod columba post vniuersale diluuium reuersura ad Arcam contulerit ore ramum oliuæ? *at illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Genes. cap. 8. vers. 11. Sanctus Augustinus tract. 65. in Ioannem vult, hunc ramum oliuæ præter virentia folia habuisse etiam fructus; vt hinc intelligeremus, quòd mysticam cœlestis Paradisi arcam nullus Christianorum, portans dumtaxat folia fidei, ingressurus sit; sed fructus simul ferat bonorum operum, necesse est. *Cùm ergo* (inquit sanctus ille Doctor) *columba esset emissa, attullit ramum oliuæ, sed non solum folia habebat, sed & fructus.* Et concludit deinde idem S. Augustinus vnumquemque nostrûm hunc in modum alloquens: *non sint in te sola folia sint & fructus.* Qui ergo confitetur fidem, & fidei, quam profitetur, conformia non exercet opera, non nisi nomine tenus Christianus est.

Memini me legisse in Plutarcho de vitâ Alexâdri Magni, quòd generosus quidam belli Dux aduertens in exercitu suo adesse militem negligentem & secordem, petierit ab eodem, quod ei nomen esset. Alexandri, respondit ille. Prudens Dux celebre hoc audiens nomen indignatus fuit summoperè, minasque addens indignationi dixit militi: *aut nomen muta, aut gere te vt Alexander.* q. d. cùm percelebri totius orbis Monarchæ, Alexandri videlicet, insigniaris nomine, qui tum animi generositate, tum morum polluit grauitate, ac in omnibus suis actionibus sedulum, prudentem ac optimè sese ostendit compositum, aut cura ipsius imitari virtutes, aut si in hac socordiâ mauis perseuerare, nomini ad minus valedic Alexandri, nam hoc modo viuendo non exiguam Alexandro infers iniuriam. Ad eundem modum & tibi, qui non re ipsâ sed nomine tenus Christianus ea, vitamque traducis homine Christiano indignam, dicere potero: *aut nomen muta, aut gere te vt Christianus,* imitando Christum Redemptorem tuum, quemadmodum fecit Apostolus Paulus, qui propterea omnes ad idem agendum exhortabatur, dum dicebat: *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1 Cor. 11. vers. 1. & S. August. lib. de Doct. Christ. hisce conformia reliquit scripta: *Christiani nomen ille frustrà sortitur, qui Christum minimè imitatur: quid enim prodest tibi vocari, quod non es, & nomen vsurpare alienum? sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt, gere, & meritò tibi nomen Christiani assume.*

Sicque necessaria sunt opera bona, & Num. 8.
absque illis frustrà laborat quilibet homo, qui solâ fide intendit se saluare. Ita affirmat S. Ambrosius in cap. 4. ad Hebr. *Non sufficit fides, sed & debet addi vita fidei condigna; opus est quippe omni volenti cœlum possidere, fidem operibus comitari.*

Annon recordamini illius N. quod legitur in Historiis Romanis? Miles quidam descensurus in arenam cum hoste suo primò adiuit oraculum Mineruę, ab eoque petijt, num victoriam de hoste esset reportaturus; respondit ei oraculum: *hilari animo eas, victoriam consequeris.*

Hæc

Hac ille præmunitus fide prælio se committit, armatus à capite ad pedes vsque manu frustrà gerens clypeum, & gladium dextrâ, prouocatus ab hoste animosus & intrepidus accessit; vehementi fortique cum inimicus excipit ictu. Non repercutit, nec se defendit ille; sed quasi immobilis & de victoriâ securus stabat. Acriùs fortiusque illum tangit & ferit inimicus; non præferit ille, nec minimum se mouet & defendit. Tandem miser hic aduertens se deuictum & superatum ab hoste, sublatis in cœlum oculis, flebili hac exclamat voce: *vbi est Deorum fides? nónne Minerua mihi victoriam promisit?* ast nunc totum experior contrarium, effectus hoc ipsum claré edocet. Cui extemplò responsum fuit: *tu quoque cum Minerua manum admoue; Dij enim facientes adiuuant.* Amice patientiam habe, quòd occumbas, tua est culpa, qui quasi columna stas immobilis; tu quoque teipsum adiuua, defende quantum potes, & Dij tibi non deerunt, sufficientemque suppeditabunt opem & auxilium. Haud aliter & tibi dicam, ô Christiane: fœlix faustumque tuæ salutis id habuisti prognosticon: *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marc. 16. versic. 16. Ast annon vides descendendum tibi esse in arenam, pugnandum, dimicandum cum hostibus etiam fortissimis? *militia est vita hominis super terram.* Iob. c. 7. vers. 1. Quod si igitur manum non admoueris, non exercueris te in virtutibus, pietati, ieiunijs, orationibus alijsque pijs exercitijs non vacaueris, deuictus & superatus ab inimico infernali abibis, nec de Deo, sed de temetipso, qui cooperari & manum admouere noluisti lamentandi causam habebis. Vnde pulchrè S. Iacobus Apostolus cap. 2. vers. 24. dixit: *quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autē non habeat? numquid poterit fides saluare eum?* quasi vellet dicere: nunquam reportabis victoriam, imò ab inimico supportabis, nisi præter clypeum fidei manu gestes gladium bonorum operum. Num. 9.

Talis sit tua fides, ô Christiane, necesse est, si de tuis inimicis triumphare exoptes. Hinc & Paulus Apostolus dicebat: *in omnibus sumentes scutum fidei.* ad Ephes. 6. vers. 16. q. d. Holà, ô fideles, mira adsunt noua, bellum instat, quilibet ergo sese præmuniat scuto fidei, serioque attendat & inuitigilet. Sed heus, ô Paule, inquit hic magnus Pater Origenes, non sic timore concutimur: *Siste Paule mecum cur fidem in scuto collocas?* q. d. quam ob causam fidem potius dicis & vis esse scutum, quam galeam, loricam, cataphractam aut gladium? cupisne scire causam, ait Origines? *qui scuto totum corpus defendere cupit, brachriorum conatu illud in circuitu ducere oportet, sicut imminens inimici gladius vel sagitta postulat.* vult dicere: Quicunque totum suum corpus intendit defendere & conseruare illæsum, necesse est, sciat ludere brachio sagaciter, vertat & obuertat scutum, nunc eleuet nunc demittat, nunc lateri, nunc pectori, nunc cruribus, nunc capiti apponat, opponatque alterius digladiantis ictibus, attemperetque comminantis gladij periculo. In summa intendit significare Apostolus: quemadmodum necessaria est fortitudo brachij, vt quis benè vtatur scuto; ita etiam, vt saluemur fide, vis & robur bonorum operum adhibendum est: *in omnibus sumentes scutum fidei.*

Et fortassis alludebat Apostolus ad vsum & morem Antiquorum relatum è Pierio Valeriano lib. quinto, Hierog. quòd quando antiqui mittebant ad bellum tyrones & nouellos milites solebant eos dimittere armatos & munitos scuto dealbato; idque ideò, vt nimirum illud videntes nulla actione heroicâ signatum & figuratum, omnem adhiberent operam & conatum animosè, fortiter, strenuéque decertandi & triumphandi, è quo deinde certamine eorum clypei signarentur & figurarentur ictibus ac similibus Num. 10.

similibus belli figuris. Sicque hi adolescentes eiusmodi agitati stimulo, vbi conflictus tempore luctam & pugnam cernebant acriorem feruentioremque, ibi omnibus viribus subintrare conabantur viam sternentes strenuâ gladij ventilitione. Ad eundem modum ait Apostolus: cruentum bellum, ô Christiani, præ foribus adesse audio, optimo ergo scuto vos præmunire volo: *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, loco suprà cit. Sed animum aduertite, è prælio isto, quod habemus in hoc mundo, non posse nos redire ad patriam cœlestem scutum gestantes dealbatum, necessariò pugnandum est, & operandum, quia: *fides sine operibus mortua est*. Ac propterea, ô Christiane, ex certamine & stratagemate, quod sancti & electi Dei commiserunt & inierunt hîc in terris, prælij & triumphi signa conspicis in eorum scutis figurata & exsculpta in cœlis; veluti lapides in scuto Sancti Stephani, Crucem in scuto Sancti Petri, gladium in Scuto Sancti Pauli, carbones ignotos & accensos in Scuto Sancti Laurentij, pectines in Scuto Sancti Blasij, rotam præacutis instructam gladijs in Scuto Sanct. Catharinæ, plagas & vulnera in Scuto Sancti Francisci, & sic de alijs; eadem namque fides, quæ in hoc campo terreno est nostrum Scutum, erit corona triumphalis in Paradiso. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. Eia igitur ô Christiane, miles es, concertandum, pugnandum tibi est cum plurimis inimicis: *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum*, ad Ephes. 6. vers. 12. In promptu habes candidum fidei scutum, pugna decerta strenuè, & intrepidum age militem, nam si scuto illo armaueris brachiū tuum in prælio huius mundi, coronaberis in Capitolio Paradisi gloriâ æternâ.

Num. 11. Prouerb. cap. 30. legitur: *stellio manibus nititur & moratur in ædibus Regis*. vers. 28. Glossa legit hîc, veluti & alij ex textu Hebræo traducunt: *aranea*. Ac proinde vult dicere sapiens, quamuis aranea demoretur in palatijs & aulis Principum & Magnatum, vbi multarum reperimus abundantia rerum; non tamen in eo confidit & spem suam reponit; sed proprio labore victum sibi acquirit, integris vigilat sudatq; noctibus ad texendam laboriosam & artificiosam telam suam, quæ est rete, quo victum suum venatur & capit: *aranea manibus nitiur & moratur in ædibus Regis*. Doctissimus Iansenius in hunc locum ait, hunc Scripturæ locum intelligendum esse de homine Christiano, qui tametsi moreretur in quodam regali palatio, vt est sancta Mater nostra Ecclesia prædiues & sanctissimis abundans Sacramentis; non tamen ei dormiendum, sed sudandum & benè operandum est; opera namque bona sunt manus illius, quibus laborare debet, quia simul vnita meritis Christi, ipsum saluabunt; secus si faciat defraudabitur: *monemur enim* (ait Iansenius) *imprimis etiam curare, quæ ad vitam animæ pertinent, idq; dum tempus est parandi cibum & benè operandi*.

Verum plurimi, prô dolor, in mundo hodiè reperiuntur Christiani nominales, qui solâ fide se saluandos fore existimant, nihil boni operantes, at se defraudant, cùm etiam necessaria sunt bona opera, ad quæ Deus respiciens benignum se idipsum exhibet remuneratorem; testem huius clarissimum audite Sanctum Apostolum Paulum: *credere enim oportet accedentem ad Deum*. Hebr. 11. vers. 6. Verum est, necessariam esse fidem ad salutem æternam consequendam, sed *inquirentibus se remunerator erit*. tunc se exhibebit remuneratorem & datorem præmij ęternæ gloriæ, quando is à Christianis inquiretur bonis operibus. Num. 12.

Huic proposito apprimè inseruit quod refert Plutarchus in Apop, de adolescēte

quodam ſtrenui & bellicoſi cuiuſdam militis filio, qui poſt mortem Parentis ob negligentiam bonorumque ſuorum dilapidationem ad extremam redactus miſeriam & inopiam, acceſſit Regem Antigonum, & ante eum proſtratus allocutus eſt eum in hunc modum : Potentiſſime Rex, ſummâ premor egeſtate & penuriâ, adeò vt nec habeam, vnde viuam, quapropter Sacræ tuæ Maieſtati humillimè ſupplicio, ac peto tuum benignitatis&Clementiæ ergo me non tam exhiberi affectum, quàm effectum, ad quem meritò te mouere deberent merita Patris mei, quæ ſanè non ſunt exigua, eò quòd mira & ſtupenda præſtitit in obſequium & ſeruitium ſacrę tuæ Maieſtatis, idque vel maximè exinde patet, quod ſanguinem ſuum fuderit pro defenſione tui Imperij. Merita igitur Patris id à te efflagitant, vt remuneres filium eius. Huic reſpondit prudens & ſapiens Rex, & dixit : *at ego, adoleſcentule, non ob Patris, ſed ob proprias cuiuſque viri virtutes mercedem & munera dare ſoleo.* Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet ei : toto prorſus aberras cœlo & falleris, ſi me præmia filijs largiturum arbitreris ob merita Patris, conſuetudo & mos ille à me penitus exulat, eos namque remunerare ſoleo duntaxat, qui proprio Marte mihi inſeruiunt, deſudant ac laborant in obſequium & ſeruitium meum. Ad eundem modum reſpondet Sanctus Hieronymus homini Chriſtiano, qui ſola fide & in virtute ſanguinis à Chriſto copioſè effuſi ſe ſaluandum fore ſperat, abſque eo, quòd is aliquid ex parte ſuâ agat & operetur : *vnuſquiſque pro operibus ſuis mercedem accipiet, nec poſſunt in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia ſubleuare.* Sanct. Hieronymus Epiſtol. 72.

Num. 13. Sed dicite mihi amabò N. reperitúrne fortaſſis hodie fides in mundo ? mira res & amaris deploranda lachrymis, quòd Turca, Maurus, Scytha firmiùs tametſi falsò, vanè & ſuperſtitiosè credat in impium Mahometum, quàm Chriſtianus aliquis in fonte baptiſmali regeneratus in Deum verum & viuum. Scio vos mihi dicturos : & quid aliud ſunt tot confeſſiones, tot communiones, ac tot alia exercitia ſpiritualia, quæ indies in Eccleſiâ Dei peraguntur, niſi euidenti fidei ſigna, quæ nos omnes Chriſtiani profitemur & facimus ? totum hoc verum eſt, nec id negare poſſum; aſt veriſſimum quoque eſt, omnia hæc bona opera frequentiſſimè etiam fieri ob reſpectum aliquem humanum, aut ex certâ aliqua cæremoniâ, vt propterea optimè aſſerere poſſim, non reperiri fidem in mundo (de illâ loquor fide, quę eſt inſeparabilis comes bonorum operum, ſecus fides illa mortua eſt, teſte S. Iacobo Apoſtolo : *fides ſine operibus mortua eſt*) Veræ namque fidei nulli videntur effectus, imò totum contrarium : ſiquidem, ſi quandoque ſermo fiat de extremo & finali iudicio, aut de pœnis Inferni, pauciſſimi ſunt, qui eiuſmodi minis aperiunt aures. Quare concludere poſſum nullam in mundo eſſe fidem, nam quemadmodum ait D. Gregorius hom. 26. in Euang. *ille veraciter credit, qui exercet operando, quod credit.*

Sicque, vt concludam, N. *fides ſine operibus mortua eſt*; non enim ſufficit ſolum credere, verùm etiam neceſſe eſt operari benè, fides ſola inſufficiens eſt, & vlteriùs neceſſaria ſunt opera. Vnde is dici poterit verus fidelis, qui bona & ſancta exercet opera. Hoc in loco pulcherrimè : nobis inſeruit Propheta Habacuc cap. 2. dum ait : *Iuſtus autem in fide ſuâ viuet.* verſ. 4. Heus Theologe, quomodò intelligendus iſte locus Prophetæ, an fortè ſola ſufficit fides ad ſalutem æternam, nec neceſſaria ſunt bona opera, veluti impiè aſſeruerunt Lutherus & Caluinus ? minimè gentium, hæreſis namque eſt nimis impia & temeraria, damnata in Concilio Tridentino Seſſione 6. cap. 8. & 9. cur igitur dicit Propheta Num. 14.

pheta iustum viuere fide suâ ? responsum & rationem auscultate : communi dicere solemus prouerbio : nobilis iste viuit de illo palatio, de isto agro in hisce consistit vita eius, nimirum : viuit & gaudet illis fructibus & reditibus, qui ex agris & bonis illis immobilibus & stabilibus percipiuntur. Hoc idem vult dicere Propheta Habacuc : *iustus autem in fide suâ viuet* non quòd fides sola sufficiat ipsum conseruare in vitâ, amicitiâ & gratiâ Dei sed quòd instar sumptuosi palatij & spatiosi agri aut campi cum fructibus & reditibus bonorum sanctorumque operum ipsum conseruet & saluet; etenim tametsi iustificatio nostra suum sumat exordium â fide, per opera bona nihilominus acquirit perfectionem suam. Fides igitur & opera exiguntur, vt Christianus remaneat in gratiâ Dei.

Num,15. Annon legistis S. Ioannem Chrysostomum docentem, fidem debere viuificari per opera ? *non quia*, ait ille, *sacrati fontis aquas ingressus, fidelis quispiam esse agnoscitur: sed à moribus, sed ab aspectu, sed ab incessu, à sermone, à comitibus.* Sanctus Chrysostomus homil. 4 in cap. 1. Matth. q. d. Cupisne scire, quisnam verè dicendus sit Chistianus? ille videlicet, qui prædictus est moribus, aspectu, modo incedendi, loquendi, vestiendi, qui comedit, bibit, conuersatur, veluti conuenit bono Christiano; Si tales non sint mores eius, non est verus & bonus Christianus. Si aspectus Christiani est humilis & deuotus; at si superbus est arrogans & toruus, non est bonus Christianus. Si gressus illius diriguntur versus Ecclesiam ad audiendam Missam, concionem & diuinum officium, si libenter loquatur de rebus cœlestibus & diuinis; at qui Domus frequentat aleatorum, scortorum, qui de alijs non loquitur nisi de rebus turpibus, inhonestis & lasciuis, verum Christianum eum pronunciare nequeo. Si vestis Christiani conformatur & proportionatur conditioni suæ & statui: si cibus illius est parcus, sed si vestitus illius superat & transgreditur statum suum, quadragesimale non obseruat ieiunium, attendit gulæ & crapulæ, non est bonus Christianus. Si conuersetur cum personis timoratis pijs & deuotis; ast cuius conuersatio est cum hominibus impijs & sceleratis dici non poterit verus Christianus. Quare D. Augustinus tract. 10. in Ioannem ait : *quomodo Christianus dicetur ille in quo actus Christiani non apparent? Christianus castitatis & integritatis est nomen.* Ergo si, qui castus est, Christianus est : lasciuus non poterit vocari Christianus. Si homo humilis Christianus est: superbus non erit Christianus. Si patiens, innocens & iustus promeretur nomen Christiani; ergo qui non sufferet iniurias & alios ostendit, Christianus dici nequit. Meritò igitur cum D. Apostolo Paulo ad Rom. 4. dicere potero : *exinanita est fides*, versic. 14. Quòd si fides igitur in tantum diminuta & exinanita est inter nos fideles & indies adhuc deficit, vt dixerit Saluator noster Lucæ 18. vers. 8. *filius hominis veniens putas, inueniet fidem in terrâ ?* creditote mihi, nobis necesse esse, precemur Deum ter Optim. Maxim. cum sanctis Apostolis: Domine *adauge nobis fidem.* Lucæ 17. versic. 5. Nimium etenim defecit. Ac propterea à nobis exorandus est Deus, veluti nos instruit Apostolus 2. Corinth. 10. vt illa in nobis adaugeatur & accrescat : *Spem autem habentes crescentis fidei vestræ*, versic. 15. Crescit autem fides nostra, inquit Sanctus Hieronymus explicans hunc locum, excolendo illam consideratione veritatis illius, faciendo frequenter examen, qualiter illam obseruemus. Pone tibi ob oculos mentis tuæ ô Christiane (ait Sanctus Hieronymus) Symbolum Apostolorum, incipe ab initio dicendo: *credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.* Et deinde te ipsum interroga, veluti Saluator Marthan : *credis hoc?* Ioannis cap. 11. vers. 26. credísne quòd sit

Deus, & creauerit propter te cœlum & terram?& si credis hoc, cur igitur viuis, quasi non esset Deus, nec Cœlum aut Paradisus?sequitur: *& in Iesum Christum filium eius Credis hoc?* credis Christum esse filium Dei?si id credis,cur eum instar mancipij tractas & peius? Si Christum credis sub speciebus sacramentalibus verè & realiter contineri, inquit Sanctus Chrysostomus hom.52.ad pop.cur in ipsius præsentiâ maiorem exhibes honorem & reuerentiam effronti illi scorto, quàm Maiestati diuinæ in venerabili altaris Sacramento? perge: *qui conceptus est de spiritu sancto. Credis hoc?* credis Beatissimam Mariam Virginem esse Matrem Dei & semper mansisse inuiolatam Virginem? si id credis, cur lasciuam adeò & immundam traducis vitam? vlteriùs: *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Credis hoc?* si passum credis Christum ad mortem vsque Crucis, vt te saluaret & redimeret quomodo te tuæ salutis causâ mortificare nequis vnico solo ieiunio? progredere: *descendit ad inferos. Credis hoc?* si credis mortuorum esse resurrectionem & locum beatorum, cur non satagis bonis & sanctis tuis operibus illuc peruenire? adde: *inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credis hoc?* si credis hoc iudicium,quomodò igitur adeò temerariè prolaberis in peccata; ac si nunquam huic sistendus esses iudicio? sequitur deinde in Symbolo: *carnis resurrectionem, vitam æternam, Amen. Credis hoc?* ah omninò mihi persuadeo, te non credere æternitatem futuræ vitæ; etenim si crederes, non procrastinares protraheresque pœnitentiam tuam ad senectutem vsque & vltimum vitæ tuæ terminum, quod sanè exiguam euidentissimè in te ostendit esse fidem: quemadmodum loquitur D. Augustinus serm 81.ad fratres in eremo dicens: *satis est alienus à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis exspectat.*

Num.16. Vt igitur fides nostra vigeat, viuat & valeat, necesse est ei coniungantur & opera. Ad hoc propositum memini me legisse de inuictissimo illo belli Duce Demetrio filio Antigoni Regis Macedoniæ, velut etiam refert Cælius Rodiginus lib. 6. quòd copiosissimo instructus exercitu transfretaturus celeberrimum flumen Euphratem ad obsidendam ciuitatem Babyloniæ, vespere quodã in suis tentorijs consultauerit inter cetera cùm tribunis & primoribus exercitus sui de modo, quo præfatam ciuitatem capere & inuadere posset. Declaratâ Regis mente, assurrexit unus è consilio multumq; laudauit præstantiam armorum Babyloniorum dicens: *Babylonica Scuta telorum ictus irrident.* q. d. quemcumque Babylonij irrident hostem, eò quòd fortissimis instructi sunt Scutis & Clypeis, quapropter sua regia Maiestas meo acquiescat consilio, & quærat inuadere & occupare ciuitatem viâ proditionis. Hisce subiunxit Demetrius, cui vtpote nimis generoso neutiquam arridebat illud consilium & modus proditionis, cùm victoriam gladio se obtenturum existimaret, dixitque: *si Scuta Babylonij habent, dexterâ carent,* q. d. mi amice, tametsi Babylonij fortissimis sint præditi Scutis, artis tamen pugnandi & concertandi minime experti sunt: *nunquid ergo Scuta poterunt saluare illos?* Nunc N. an præstantius fortiusque Scutum vnquam reperiri potest illo, quod nobis consignauit æternus & omnipotens Deus, quando in sacro fonte Baptismatis dedimus nomen militiæ eius, obtulimusque nos militare & pugnare sub salutifero ipsius vexillo? quodnam fortius hoc Scuto fidei? de quo ait Apostolus loco suprà citat *in omnibus sumentes Scutum fidei.* Etenim quamuis plurimi hæretici illud in minutissimas tentarint & etiamnum tentent dirumpere partes, illud nihilominus solidum & firmum semper perseuerat & ex ictibus eius viuæ ignis scintillæ exsilire videntur, quæ fidelium magis magisque accendunt corda ad spargendum millies sanguinem

guinem in eius obsequium, vti illius euidens testis est mansuetus Leo Papa sermon. 2. de Ascens. dum inquit: *hanc fidem ascensione Domini erectam & spiritus sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames; non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt.*

Num. 17. Adfaxit Deus, ne de plurimis Christianis verificari possit, quodij, licèt fidei Scuto muniti sint, eò tamen v i nesciant, aut nolint exercere bona opera & quid concludemus de hisce, quòd hac solâ saluentur fide? hoc, inquam, Scuto? nequaquam, respondet Sanctus Iacobus cap. 4. versic, 14. *quid prodest fratres mei, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum?* Quid prodest, inquam, esse munitum Scuto fidei, & nescire ei applicare manum dexteram? quid prodest illi fideli credere, quod sit vnus solus Deus, trinus in Personis, & vnus in essentiâ, si paruipendere hoc misterium, studeat adamare infamem illam pellicem? quid prodest lasciuo credere, sub sacratis panis speciebus latere verum Christi corpus & per concomitantium verum eius sanguinem si, postquam vix venit ad Ecclesiam, hæreticâ quadam præsumptione sanctissimo Sacramento tergum vertat, & non cum exiguo animæ suæ detrimento & proximi scandalo oculos suos statim conijciat in vanam istam mulierem, ac propter creaturam despiciat Creatorem? quid prodest demum credere, in cœlo reperiri vitam quandam beatam ac æternam, quâ fruuntur omnes, quotquot ob amorem Dei voluntariè renunciarunt huius mundi diuitijs, valedixerunt voluptatibus & dilitijs, mundanasque spreuerunt commoditates; si ille perpetuam quasi in hoc mundo acturus vitam non supersedeat ditiores indies accumulare diuitias, rapere bona alterius, non quiescat exsurgere sanguinẽ & sudorem pauperum, non abstineat millenos facere contractus illicitos? num fortè illâ munitus fide abibit in Paradisum? non sic itur ad astra, inquit Thedoretus in Epistol. ad Ephes. 6. cùm alludendo ad verba Diui Iacobi dicit: *quicumque Christi fidelis, si Scuto fidei tantùm tectus, ex hoc bello ad cœlestem triumphum transire sperat, decipitur.* q. d. Quicumque Christi fidelis tegens se hoc Scuto fidei dicendo: Ego sum fidelis, credit se abiturum ex hoc mortali prælio, & in cœlesti Capitolio opinatur æternâ se fore coronandum gloriâ, seipsum prorsus decipit & defraudat, nam simul requiruntur bona & sancta opera: *læua enim cordis* (pergit præfatus Pater) *Scutum fidei amplectens, dextera Christianas operationes exercere debet.* Secus nihil planè ipsi inseruiet Scutum, solâ non saluabitur fide. Quare? quia: *fides sine operibus mortua est.* Bonam ergo concipiamus spem, viuamus in tempore, vt viuamus æternum & sine tempore, vtamur strenuè hoc scuto fidei, conatu brachiorum, ope ac viribus bonorum operum, quod si ita fecerimus; viuam in nobis conseruabimus fidem, consequemurque gratiam diuinam in hac vitâ, & gloriam in futurâ.

Gratitudo.

DISCVRSVS XXII.

De Virtute Gratitudinis & pessimo Vitio Ingratitudinis, quantumque illa placeat, hæc verò displiceat Domino Deo.

Num. 1. INTER alias iniquitates, quæ animam fidelium abominabilem & Deo odibilem reddunt, N. nulla opinione meâ horribilior existit ipsâ ingratitudine; hæc, inquit Sanctus Bernardus sermon. 51. in Cantic. annullat merita, virtutes deprimit, deperdit beneficia: hæc est ventus fontem misericordiæ exsiccans, & abundantissima gratiarum flumina efficit arida. *Ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ingratitudo ventus vrens est, siccans sibi fontem pietatis rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Hinc etiam fit, quòd omnes creaturæ ratione etiam destitutæ illam fugiant, detestentur & euitent. Flumina, quæ terram continuò percurrunt & præterfluunt, immensum maris intrant alueum, vnde primitus suum duxerunt ortum beneficium sibi præstitum quasi agnoscendo, & grates dignas referendo. Arbores & plantæ primò desertæ & incultæ, ne veluti ingratitudinis notâ taxentur ab agricolâ cultæ, reddunt ei fructus in abundantiâ. Et terra communis omnium Mater, ne & ipsa tanquã ingrata corripiatur, de accepto semine debitum suum vberrimè soluit rustico. Quòd si igitur tantam in creaturis insensitiuis videmus & experimus gratitudinem, quam non debent exhibere Christiani Deo vniuersali omnium hominum benefactori? ipse nos de non esse traduxit ad esse, redemit & adhuc conseruat; vt proptereà jure merito dignas teneamur ei referre gratias.

Recenset Pierius Valerianus libr. 24. Hierog. Ethnicos quondam post adeptã victoriam, post peractum victoriæ triũphum ascendisse Capitolium, ibidemque coronas suas triumphales proiecisse ante pedes Iovis. Gratos hoc signo se demonstrare volebant ei, â quo illas meruerunt accipere. Verè nos dicere possumus, coronas quascunque deberi Deo, Ac proptereà Seniores illi, quos vidit Sanct. Ioannes in suâ Apocal. cap. 4. v. 10. *mittebant coronas suas ante thronum,* de nullo se iactantes aut gloriantes; sed solùm honorem tribuentes Deo & vero Domino, quo mediante consecuti erant victoriam. Ita sentit D. Gregorius lib. 22. moral. cap. 5. in hæc prorumpens verba: *Coronas suas ante thronum Domini mittere est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed Auctori, vt illam referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis.* Num. 2.

Et tantùm Deo placet hæc gratitudo, vt ab origine mundi voluerit eam sibi exhibere ab homine. Ad hoc propositum obseruo cum S. Ioanne Chrysost. hom. 14. in Hexam. Deum creasse Protoparentem nostrum Adamum extra Paradisum terrestrem, & deinde à Deo in Paradisum trassatum fuisse, vt frueretur amœnitate & pulchritudine illius loci, & ex discrimine loci, vbi fuit creatus, & alterius, vbi fuit collocatus, ac contemplando fertilitatem vnius, & sterelitatem alterius, pulchritudinem vnius & deformitatem alterius moueretur exinde ad debitas Deo persoluendas grates pro tanto be- Num. 3.

to beneficio accepto. Ast quia ingratum se ostendit,(ne minimam etenim legitur ex ore eius prodijsse gratiarum actionem) summo illo fauore gratiâ & bono subitò priuatus fuit; vt nos hinc addisceremus, quanti Deus æstimet gratiarum actionem pro acceptis beneficiis: *vt ex aspectu*, ait Sanctus Chrysostomus, *& conuersatione multam perciperet voluptatem, prouocareturque ad gratitudinem, intelligens quantus sit affectus beneficijs, cùm nullum adhuc boni specimen tribuisset.*

Num.4. Et aliâ quadam vice Deus deperditurus totum diluuio mundum præcepit Patriarchæ Noë, vt fabricaret arcam, quam ipse cum suâ familiâ & cæteris animalibus mundis intraret & inhabitaret: ita ei loquebatur: *ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena, masculũ & fœminam.* Gen.c.7. vers. 2. Supra hunc locum inquirunt Doctores sacri, num Deus dicendo Noë: *tolles septena & septena*, voluerit, quòd in arcam introducti fuissent septem masculi & septem fœminæ è quacunque animalium specie; an verò in vniuersum fuissent solùm septem ex vtroque sexu. S. Iustinus Martyr quæst.43.ad Orthod. existimat fuisse septem ex vno sexu, & septem ex alio sexu. Sanctus Hieronymus lib.1. aduersus Iouinianum, Caietanus in hunc locum & alij volunt solum fuisse septem ex vtroque sexu. Sed in quem finem? *vt haberet Noë* (inquit Sanctus Hieronymus) *post diluuium, quod de impari numero posset statim Deo offerre.* Voluit Deus à Noë septem in arcam introduci animalia mũda, tres masculos & tres fœminas, & septimum solum, vt post cessationem diluuij Noë recognoscens ex liberatione & exceptione suâ singularem illum fauorem & gratiam sibi præstitam, in signum gratitudinis septimum offerret Deo in Sacrificium: *vt haberet Noë post diluuium, quod de impari numero posset statim Deo offerre.*

Iam quoque causam percipiemus N. cur Hebræi ex Ægypto redituri in patriam suam conduxerint secum innumeram ferè animalium multitudinem, veluti referunt sacræ paginæ Exodi cap.12. versic.38. *profectiq; sunt filij Israël, &c. sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, & oues & armenta & animantia diuersi generis multa nimis*, & nihilominus auidè anhelabant ad carnes, quibus vescebantur in Ægypto: *dixeruntq; filij Israël: vtinam mortui essemus per manum Domini in terrâ Ægyti, quando sedebamus super ollas carnium.* Exod.16. versic.3. D. Augustinus quæst.64. in Exod. summopere hoc super facto obstupescit & dicit: quia Hebræi tantâ flagrabant carnium cupidine & desiderio, cur non mactabant quædam ex animantibus, quę secum ducebant; sic enim suo satisfacere potuissent appetitui; vel an erant tam auari, vt potiùs voluerint perire famei quàm hœdum quendam mactare? minimè, respondet Sanctus Augustinus, id totum fecere bono ducti zelo, gratos namque Deo sese exhibere intendebant pro tot acceptis beneficijs, vnde potiùs volebant perire fame, quàm intermittere oblationem sacrificiorum in gratiarũ actionem, quod commodè non potuissent fecisse, si suæ subuenissent necessitati, suoque satisfecissent appetitui. Audite ipsissima S. August ni verba: *nisi fortè dicatur pepercisse illos pecoribus, ne omnibus deficientibus, etiam sacrificijs necessarijs deessent.* Num.5.

Non absimilis obtigit casus Regio Prophetæ 2. Reg. capite 23. auidè desiderabat ille vice quadam haustum aquę ex cisternâ vrbis Bethlehem vndequaque ab hostibus obsidione cinctæ. Intolerabilem hanc Regis sitim audiunt tres generosi milites & sine morâ animo intrepido per media irruunt hostium castra, cisternam adeunt, & haustâ aquâ ad Regem Dauid reuertuntur. Sed quid? inquit sacer Textus: *noluit bibere, sed libauit eam Domino*

Domino. vers. 16. Cuius rationem adducit Sanct. Hieronymus in 1. par. 11. dicens: *Sacrificauit eam Domino gratias agens, quia tam fortes viros in Israel dederat.* Quod confirmat Ioseph Hebræus lib. 7. Antiq. *Deo libauit gratias agens pro virorum incolumitate.* Sicque sanctus Rex, vt debitas Deo redderet gratias pro tali obtento fauore, præsertim verò, quòd strenuis adeò militibus suum condecorasset exercitum, voluit potiùs extremam pati sitim, quàm bibendo aquam allatam, negligere debitam gratiarum actionem.

Num. 6. Hoc gratitudinis officium adeò gratum & acceptum est Deo, vt etiam rebus insensatis id exhiberi voluerit. Ad probationem obseruat diligenter Doctissimus Abulensis verba illa, quæ Deus semel dixit seruo suo Moysi, cùm præcepit aquas fluminis Nili conuerti in sanguinem: *Dic ad Aaron: tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum &c. vt vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terrâ Ægypti.* Exod. 7. vers. 19. Factum hoc N. non est sine mysterio; siquidem cætera omnia prodigia & miracula patrata fuerunt à Moyse, cur igitur hæc mutatio & conuersio aquarum in sanguinem non committitur etiam Moysi, sed Aaron? rationem illius reddit Abulensis dicens: *quia Moyses fuit saluatus, & extractus de flumine, ideò non debuit manu propriâ percutere flumen conuertendo in sanguinem.* Nato Moyse, vix nutrix illius reperire poterat locum, vbi eum absconderet adeoque eriperet è manibus Regis Pharaonis, qui vitæ eius insidiabatur. Tandem adinuenit fiscellam scripeam pice & bitumine oblinitam, vti refertur Exod. 2 eique imposuit Moysen adhuc infantulum, & deinde fiscellam cum eo exposuit fluuio Nili. Mira res; fluuius ille aliàs rapidissimus & fluctuosus propriæ & natiuæ tumeditatis quasi oblitus non submersit infantem, sed conseruauit illæsum & incolumem. Voluit ergo Deus, vt Moyses hoc beneficium præstitum sibi ab hoc flumine recognosceret, quasi voluisset dicere: minimè decens est, ô Moyses, quòd postquam ab hoc fluuio tam eximium recepisti beneficium & fauorem, eò quòd te illæsum conseruauit & sanum, magnam adeò nunc ei inferas iniuriam conuertendo aquas illius in sanguinem tuis manibus; quapropter: *dic ad Aaron: tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, vt vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terrâ Ægypti,* O misericors & clementissime Deus, si à Moyse tale exigis recognitionis debitum gratumque animum erga insensibile illud elementum, quod non igitur gratitudinis officium à nobis tibi exhibendum est ob immensa illa beneficia, fauores & gratias, quæ nobis indies præstas?

Vnde si homo ingratum sese ei demonstrat, cogitur (si ita dicere libeat) Deus ad id ei improperandum, simulque ponendum ei ob oculos beneficia præstita. Sic fecit quâdam vice ipsis Hebræis Exod. 14. dum eorum oculis obiecit cadauera Ægyptiorum in mari submersa, ita loquitur S. Scriptura: *& viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos.* vers. 31. Ast quam ob causam voluit Deus, vt Ægyptiorum cadauera Hebræorum objicerentur oculis? respondet Doctissimus Oleaster hic, vt perpetuam singularis istius beneficij, quod præstitit eripiendo eos è tyrannide Ægyptiorum, haberent memoriam: *ostendere solet Deus beneficia sua suis, & mala à quibus eos liberauit, vt cognoscant ea, & grati sint. Hac etiam de causâ eis ostendit mortuos Ægyptios, vt viderent, à quibus eos liberauit periculis.* Num. 7.

Hinc etiam fit, vt hominem tot tantisque diuinis ingratum beneficijs seuerissimè castiget Deus. Veritas huius dilucidè Num. 8.

lucidè patebit ex eo, quod iam narrabo. Arctissimâ obsidione cinctus & circumdatus erat Rex Ezechias à Sennacherib, qui quia fortis & bellicosus erat miles, magnū ei incussit terrorem, & eò magis, quo innumerabili militum stipatus erat exercitu. Dum igitur Ezechias in tam euidenti versabatur periculo perdendi & victoriam & vitam, die quodam vocat ad consilium omnes tribunos aliosque militum præfectos, vt circa periculum, quod ei imminebat, mentem suam exponerent. Et ecce inter alios surrexit exercitatissimus quidam & exploratæ virtutis miles, dixitque: potentissime Rex, omnis absit timor & tremor, nos populum Dei electum esse memento, adeoque in eum confidamus necesse est, & abs dubio desideratam reportabimus victoriam. Nec aliter contigit; siquidem nocte sequente misit Deus Angelum qui castra ingressus Sennacherib interfecit centum octoginta quinque millia militum: *factum est igitur in nocte illâ, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* 4. Reg. 19, vers. 35. Magnam hanc ob strangem perterrefactus Sennacherib tergiuersatus est, & illicò dedijt fugā, ac Populus Dei liber euasit & victoriosus. Regi Ezechiæ læto iam & hilari existenti animo ob adeptam victoriam superuenit mortalis aliqua infirmitas, & ecce inclamat Deus Prophetæ Isaiæ dicitque, vt sine mora Regem accederet, significaretque præ foribus iam adesse mortem ipsius, adeoque ad illam se disponeret: *in diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & venit ad eum Isaias filius Amos. Propheta & dixit ei: hoc dicit Dominus Deus, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues,* 4. Reg. 20. vers. 1. Quod audiens Rex adhuc in flore ætatis constitutus, vultum suum conuertit ad parietem & amarissimè cœpit flere: *conuertit faciem suam ad parietem, &c. fleuit fletu magno.* vers. 2. & 3. vnde misericordiâ motus Deus, de nouo vocauit Isaiam, jussitque, vt adiret regem Ezechiam, grataq; hæc ei ferret nuntia, nimirum se velle parcere vitæ eius: *factus est sermo Domini ad eum dicens: reuertere & dic Ezechiæ duci populi mei. Hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui: Audiui orationem tuam & vidi lachrymarum tuā &c. & addam diebus tuis quindecim annos,* vers. 6. Occurrit tempore illo, quod Rex Babyloniæ certior redderetur de recuperatā sanitate Ezechiæ, de qua vt congratularetur ei, amandauit sine morâ Legatos. Festiuo hos Ezechias excedit gaudio, jubilo, & eâ, quâ par est humanitate ac benignitate, insuper omnem suum eis ostendit thesaurum, aurum, argentum, gemmas pretiosas, vnguenta, aromata, totam denique supellectilem quam progenitores eius collegerant: *lætatus est autem in aduentu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis.* vers. 13. Quo super facto summopere indignatus Deus adiecit tertiò vocare Isaiam, & ait illi: accede rursum Ezechiam, & quinam fuerint illi, qui eum inuiserunt, & in quem venerunt finem, interroga: *quid dixerunt viri isti? aut vnde venerunt ad te?* vers. 14. Respondit Ezechias, eos venisse de longinquis regionibus missos à Rege Babyloniæ congratulandi sibi causâ de recuperatâ sanitate, obtentâque victoriâ contra Sennacherib. Subiunxit Propheta, ecquid viderunt in palatio tuo? Ezechias respondit: *omnia, quæcunque sunt in domo mea, viderunt, nihil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis,* vers. 15. Itāne? ait Isaias, & ego significo tibi, cunctas diuitias tuas, quas possides, tandem aliquando transportandas fore in Babyloniam, tuosque posteros exterminio & exilio fore mulctandos: *audi sermonem Domini, ecce dies venient, & auferentur*

rentur omnia, quæ sunt in domo tuâ, & quæ condiderunt Patres tui vsque in diem hanc in Babylonem: non remanebit quidquam ait Dominus. Sed & de filijs tuis, qui egredientur ex te quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. vers. 17. & 18.

Subintrat hîc Sanctus Augustinus de Virg. Sacræ Script. capit. 28. & causam inquirit, ob quam Deum fuerit adeò vehementer indignatus contra Ezechiam; quid vnquam mali fecit bonus ille Rex, quòd grauem adeò promeruerit pœnam? num adeò graue peccatum est, quod potentissimus quidam Rex pompam, diuitias & thesaurum ostendat regni sui externis Principibus? annon in morem id abijt hodie apud modernos Principes & Magnates! annon in simili casu similibus vtuntur curialitatibus & cæremonijs aulicis? Respondet D. Augustinus, Deum iustissimè iratum & indignatum fuisse ob summam illius ingratitudinem; siquidem loco eius, quòd tenebatur reddere grates Deo pro adeptâ victoriâ contra Sennacherib, dum Legatis illis nomine regis Babyloniæ sibi congratulantibus ostendit pompam & armamentarium suum, significabat eisdem se consecutum fuisse victoriam ope & auxilio armorum. Prostratus & genuflexus dicere debebat Legatis illis: ego sum ille, qui graui & periculoso premebar & conflictabar morbo, ego sum ille, cui iuxta cursum & ordinem causarum naturalium moriendum erat; at Deus pius & misericors motus lachrymis meis pristinam mihi restituit sanitatem. Quare vobis significo, hunc & solum Deum à vobis amandum, adorandum & glorificandum esse. Quia verò Ezechias vsurpauit sibi honorem, reuerentiam ac gloriam Deo debitam, & tanto ingratus extitit beneficio & fauori, ideò acerbam adeò pœnam ei minatus est & prædixit Propheta Isaias: *ne de tantâ victoriâ esset elatus* (inquit sanctus Augustinus) *& forsitan etiam gratiarum actione exiguus, in grauissimi languoris morbum incidit.*

Recordor iam etiam punitionis, quâ à Deo fuit mulctatus Samson etiam propter ingratitudinem. Etenim (vt legitur in libro Iudicum cap. 15. dum funibus fortiter ligatus & iam iam manibus hostium tradendus esset, illicò in eum descendit spiritus Dei, quo roboratus disrupit funes, & deinde asini arripuit maxillam, quâ innumerabilium fecit militum stragem, qui eum captiuum duxerant, & reliquos in fugam conuertit: vnde in laudem suæ maxillæ composuit cantionē, quâ fatetur ei deberi victoriæ honorem. *In maxillâ asini, in mandibulâ pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros.* Iud. 15. vers. 16. q. d. infinitas tibi, ô fortis & gloriosa maxilla refero grates, quia te medeante celebrem adeò de inimicis meis reportaui victoriam. Quapropter summopere indignatus fuit Deus in Samsonem ob arrogantiam & superbiam illius, & in pœnam ingratitudinis, quia videlicet non recognouit excellens illud Dei beneficium, ardentissimâ eum afflixit siti, adeò vt eâ se mori arbitratur; vnde exclamando dicebat: *en siti morior*, & siti hâc, vti testatur D. Ambrosius Epistol. 70. ad Vigil. veluti carnifice torquebatur & cogebatur ad agnoscendum suum errorem & ad referendas gratias soli Deo tanquam Victoriæ Authori: *Vtinam quàm fortis in hostes tam moderatus in victoria fuisset. Verùm insolens rerum secundarum animus, qui debuit euentum pugnæ diuino fauori & præsidio deferre, sibi arrogauit dicens: in maxillâ asini deleui mille viros, nec aram statuit Deo, nec hostiam immolauit, sed negligens beneficij, assumptor gloriæ, vt triumphum suum perpetuo consecraret nomini, vocauit locum maxillæ eleuationem.* Num. 9.

O maledictum ingratitudinis vitium, quàm abominabile es & Deo odiosum! Cùm Plato vnâ vice interrogaretur ab vno discipulorum suorum, quis ingrato debere- Num. 10.

deberetur titulus? respondit sapientissimus Philosophus: *canibus peior*. Siquidem canes, tametsi intellectus & rationes expertes, Dominorum suorum recognoscunt beneficia, seruiunt illis custodiẽdo fideliter domum, substantiam & familiam domus ab inimicorum insultu & rapinis; & homo rationis compos, creatus ad similitudinem Dei, redemptusque pretiosissimo eius sanguine non recognoscit Dei beneficia & fauores, nec debitas ei refert gratias, ac propterea bene illi conuenit hic titulus canis: *canibus peior*. Veritatem huius sacræ attestantur paginæ 4. Reg 8. Graui opprimebatur infirmitate Rex Syriæ Benadad, accersit quapropter Hazael fidelissimum suum Principem, eumque mittit ab Eliseo Prophetâ petitum, num pristinam recuperabit sanitatem? Legationem suam exequitur bonus Princeps Hazael, accedit Eliseum, & Regis sui propositâ petitione affirmantium à Propheta accipit responsum: *Vade, dic ei: sanaberis*. Dato hoc responso, inquit Sacer textus, Eliseum conieciſſe deinde oculos suos in Hazael, & interspectandum à capite ad pedes vsque alta emisisse suspiria, eique amarissimas addidisse lachrymas. Præter modum exinde conturbatus Princeps fletus causam exigit à Prophetâ dicens: *quare Dominus meus flet*? vers. 12. ah, si id rescires, replicat Eliseus, non exiguâ & tu afficereris tristitiâ: *quia scio, quæ facturus sis filijs Israël mala: ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides*, vers. 12. Audiens Princeps talem à se exercendam tyrannidem & crudelitatem, totus confusus respondit: *quid enim sum seruus tuus canis*, (*canibus peior*, habet Paraprasis Chaldæa) *vt faciam rem istam magnam*? q. d. num mihi fortassis est cor ipso cane ingratius, vt adeò crudelis & tyrannus sim futurus nam vt veritatem fatear, ingratitudinis vitium etiam ipsa animalia irrationalia abhorrent.

Ingratitudo profectò humana millenos promereretur infernos, si darentur. Et quomodo possibile est, quòd hodie in mundo tot & tanta enormia committantur peccata, vt ea nominatim recensere erubescam, & quidem tali cum proteruiâ & temeritate, ac si non esset Deus? proteruiam istam non mediocriter demiratur Propheta Ieremias cap. 3. & propterea conuertens se ad peccatorem dicebat: *fecisti mala & potuisti*, vers. 5. q. d. offendisti Dominum Deum tuum à quo tot tantisque cumulatus ditatusque fuisti beneficijs, donis & gratijs, idque attentare non verecundatus, sed ausus fuisti?

Castissimo Adolescenti Ioseph Genes. cap. 29. impossibile videbatur offendere Deum, postquam eximia ab eo recepisset beneficia, ideoque consentire noluit impuræ illius pellicis volũtati miris modis eum sollicitantis & tentantis; vnde dicebat illi: *quomodo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum?* D. Ambrosius libr. de Iacob & vitâ beatâ sedulò obseruabat hæc verba: *quomodo possum?* quibus significare intẽdebat, quòd indissolubili beneficiorum catenâ alligatus erat suo Domino, ac propterea impossibile ei videbatur, posse illum offendere: *pulchra ratio* (ait S. Archiepiscopus Mediolanensis) *quòd beneficijs Domini non deberet esse ingratus*. Num. 11.

Hinc Sanctus Policarpus Martyr (vti refert Eusebius lib. 4. Histor. cap. 5.) accusatus apud Herodem Proconsulem, eò quòd sperneret Deorum simulachra; comprehensus & ad illum deductus fuit. Minabatur ille S. Martyri, nisi Christo abrenuntiaret, & idolis sacrificaret, mortem igne alijsque tormentis inferendam. Audite responsum datum importuna tyranni huius petitioni: *octoginta sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam quâ igitur conscientiâ maledicerem & blasphemarem Regem meum qui salutem mihi dedit?* quasi diceret: quomodo possum ego, ô Herodes, abrenunciare Christo meo, si-

quidem octoginta sex annis ei iam seruiui, & nihil mali deprehendi in ipsius personâ, imò infinitis me cumulauit beneficijs, dotauit gratijs? insanum tuum demiror procedendi & discurrendi modum, quod rem ab omni prorsus ratione alienam à me extorquere contendas.

Num.12. Dic, amabo, ô Christiane, quanta tibi Deus præstitit beneficia? si veritatem fateri velis, infinita dicas, necesse est. Quomodo igitur adeò temerariè eum offendere audes? quod Turca quidam, Maurus, Scytha aut similes infidelitatis errori obnoxij illum offendant, mirum non est; ast quòd tu, vtpote Christianus, verò fidei illustratus lumine, qui Christum pretioso suo sanguine te redemisse haud ignoras, eundem offendere audeas, maxima est ingratitndo nullo modo toleranda.

De potentissimo Iulio Cęsare refert Suetonius in vitâ Cæsarum, quòd, dum in Capitolio innumerâ Coniuratorum in mortem ipsius conspirantium vndique septus esset cateruâ, non tam doluerit, quàm, cum coniuratorum horum numero iunctum quoque cerneret proprium filium in mortem eius consentientem, vnde nec potuit refrenare linguam suã, quin proruperit in hæc verba: *& tu quoque fili mi Brute?* & tu etiam meę insidiaris vitæ? mi Christiane, quòd Deum ter Optim. Maxim. & Patrem tuum infideles & gentiles non recognoscant, imò mille modis offendant, non adeò dolet; at quòd Christianus quidam tot tantisque ab eo ditatus beneficijs, ingratus ei existit, actio quædam est æternâ profectò digna punitione.

Num.13. Meritò ergo dixit Seneca Epistol. 52. nimirum ingratitudinem esse vitium adeò enorme & execrabile, vt cunctæ leges nequeant condignum reperire supplicium ad puniendam illam; vnde id remitti debet summo rigori & seueritati diuinę iustitiæ: *ingratitudinis vitio nullam ab humanis legibus pœnam constitutam esse reperimus, quia tanta est eius iniquitas, vt sola Dei iustitia rigidissima relinquatur punienda.*

Hinc & mirum non est, quòd Christus Dominus nequiuerit tolerare maledictum hoc ingratitudinis vitium. Adducit Origenes in cap. 18. Ioannis huic proposito conformem & dignum tali viro conceptum, nempè, dùm Redemptor noster in horto orans dixit æterno suo Patri: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth. 26. vers. 39. opinatur cit. Pater, Christum locutum fuisse de Iudâ, qui, tametsi à Saluatore nostro innumera recepisset beneficia, attamen ingrediebatur hortum tanquam caput & dux perfidorum militium, captiuum illum ducturus & traditurus manibus inimicorum suorum. Vnde quia tantam non potuit sufferre ingratitudinem, dixit: *transeat à me calix iste.* Originis ipsa percipite verba sanè notatu digna: *præter calicem passionis, etiam voluit Iudam transire, cuius ingratitudinem non sustinens dixit: transeat à me calix iste.*

Num.14. Iam etiam intelligemus causam, cur Redemptor mundi loquens de eodemmet Iudâ dixerit: *qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* Ioannis cap. 13. vers. 18. Siquidem calcaneus & pes ille, quem summâ cum humilitate Christus lauit & osculatus est, idem, inquam, ille summæ actu ingratitudinis se mouit ad adeundum & tradendum Redemptorem. Non doleo (volebat dicere Christus) quod Iudæi ex deprauatâ suâ voluntate me offendant, Iudas osculo illo proditorio me tradat; sed quod ingrati pedes illius hisce manibus meis loti currant ad me tradendum, id non parum me affligit, de hoc summopere conqueror. Speculatio hæc est Abbatis Paschasij in cap. 26. Matth. dum ait: *Domine cur vocas peccatum calcanei, si Iudas ore te tradidit & voluntate?* & proposito huic quæsito respődet dicens: *hoc autem fuit, quia ijsdem pedibus, quos*

Christus lauerat, & reuerenter receperat, cum eis Iudas ad tradendum iuerat.

Num. 15. Refert Sanctus Euangelista Ioannes cap. 18. Chistum tempore passionis suæ semper tacuisse, nec minimum aperuisse os suum, veluti etiam prædixerat Isaias Propheta: *sicut ouis coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* cap. 53. vers. 7. Solummodò tunc aperuit os, & conquestus fuit, quando impius ille miles nomine Malchus in præsentiâ Pontificis dedit ei alapam: vnde petijt ab illo: *quid me cædis?* Ioan. 18. vers. 23. & hoc ideò fecit, ait Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 82. in Ioan. cap. 18. vt significaret summam displicentiã, quam hausit ex ingratitudine Malchi, cui in horto Gethsemani paulò ante sanam restituerat auriculam, amputatam ab Apostolo Petro, & nihilominus loco recognitionis tanti beneficij, non erubuit eum percutere adeò temerariè & maximam ei inferre injuriam ac ignominiam. Eia igitur, ô Christiane, fuge abominabile hoc ingratitudinis vitium, ac deinceps Deo, à quo innumera hactenus recepisti, & indies recipis beneficia, gratum exhibe; secus si feceris, grauissimæ non tibi deerunt pœnæ.

Gula & Ieiunium.

DISCVRSVS XXIII

De damno, quod causat gula & crapula, & de vtilitate, quam adfert Ieiunium, ac quâ ratione hoc sanctificare debeamus, vt apud Deum sit meritorium.

Num. 1. POSTQVAM Regius Propheta pœnitentiam egisset de suis peccatis, hilaris totus ac festiuus, quia optatam iam obtinuisset remissionem ac veniam; lætus & iucundus, quia pristinâ gauderet libertate; Psalm. 31. pio ac sancto stimulatus zelo, amore accensus, auideque desiderans, ne in labyrinthum, in quo vndecim mensium spatio ipse hæserat, alius quispiam incideret elongando se à Deo peccato mediante, humillimè hanc à Deo efflagitauit gratiam dicens: *in camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te,* vers. 9. quasi dicere vellet: ah, ô Domine homines illos effrænis & dissolutæ vitæ, qui te non agnoscunt nec reuerentur vti legitimum & absolutum Dominum, rebelles, inquam, illos, qui per peccata sua tibi resistunt, nec debitam tibi præstant obedientiam, edoma & cohibe: *maxillas eorum constringe*, & ori eorum asperum, durum ac ferreum impone frenum, *in camo & freno*, sic enim eos compelces, hoc modo ad te reuertentur, ac debitum tibi exhibebunt obsequium.

Num. 2. Et, vt verum fatear N. homo ob peccata ratione planè orbatur, & fit quoddam animal rationis expers. Ita idem testatur Propheta: *nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus* Psalm. 31. vers. 9. & Psalm. 48. *homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* vers. 13. Et tametsi per quæcumque alia peccata mortalia, quæ committunt homines, veluti irrationalia fiunt animalia, nihilominus dum propriæ obliti præeminentiæ cęterarum respectu creaturarum se dant in præ-

in prædam gulæ & crapulæ, maximè tunc repræsentare videntur creaturam rationis expertem, magísque similes sunt brutis, quàm hominibus, vt propterea Dauid meritò petierit à Deo ori eorum imponi frænum, vt euadant abstinentes, & per consequens se ab offensâ Dei præseruent: *in camo & fræno maxillas eorum constringe*, aut vt legit S. Isidorus in hunc Psalm. *in ieiunio & abstinentiâ*, nam *quemadmodum* (ait D. Augustinus) *equis fræna sunt imponenda, ita corpora nostra ieiunijs, vigilijs & orationibus sunt refrænanda.*

Num.3. Vero verius est, quòd, vbi dominatur gula, ibi ne quidem vmbra virtutis conspicitur, imò omnia quasi vitia & peccata commorantur in corde dedito gulæ & crapulæ; sicuti à contrario abstinentia & ieiunium cuncta exterminat vitia, & nullum ferè est peccatum, cui non se opponat *Corpus bene saginatum, & anima illi immersa procliuis fit ad peccandum, ait Sanctus Basilius hom de Parad.* Nabuchodonosor Rex Danielis cap. 1. quosdam adolescentes nobilis, qui successu temporis sibi suæque inseruirent aulæ, iussit imbui, in quem etiam finem, vt alacriores, aptioresque euaderent, fecit eos lautissimis sustentari cibis è mensâ suâ regiâ allatis. *Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse, vt enutriti tribus annis, posteà starent in conspectu Regis*, versic. 5. Et assignat sacra Scriptura causam, ob quam Daniel cum tribus alijs adolescentibus recusauit cibos regios, & dicit: *ne pollueventur de mensâ Regis*, vers. 8. ne videlicet maculam quandam contraherent vescendo cibis è mensâ regis allatis. Inquirunt hoc in loco sacri Doctores, in quo aut quomodo hi adolescentes comesturi cibos illos regios se commaculassent? Theodoretus & Nicolaus de Lira in hunc locum arbitrantur, fuisse aliqua edulia regiæ mensæ apposita, quæ primò oblata fuerant Deorum simulachris in sacrificium, quæ quia erant lege prohibita, abhorruerunt ea manducare, ast sanctus Ioannes Chrysostomus serm. contra luxum & crap. tom. 5. aliam & nostro proposito non dissonam adducit rationem: dum ait: *quia delicatorum ac suauium ciborum vsus officere poterat integritati mentis & cordis munditiæ.* Refutarunt Daniel & socij eius cibos illos, & meritò, quia erant cibi regales exquisitissimi & opiparè parati, qui poterant illos pertrahere ad peccandum. Nam vti dicebat S. Basilius vbi supra: *Corpus bene saginatum, & anima illi immersa procliuis fit ad peccandum* Ad propterea prudens & prouidus fuit Daniel, quòd eiúsmodi non se exposuerit peccandi periculo, vt nos hinc edoceremur, quòd si corpus nostrum tanquam equum præcipitem non prædomemus fræno abstinentiæ, indubiè ruet in præcipitium. Num.4.

Quid plura? opportuniorem nequit homo nancisci occasionem prolabendi in peccata & vitia etiam enormia, quàm dum gulæ indulget & crapulæ. Ad probationem. Eâdem illâ horâ, quâ præfulgens illud Ecclesiæ iubar S. Ioannes Baptista iniquum cœpit obiurgare Herodem ratione incestus, quem cum publico scandalo committebat cum vxore fratris sui, dicendo: *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Marc. 6. vers. 18. Refert sacer Textus, adulteram Herodiadem, cui summè displicebat hæc veritatis proclamatio, tanto in præcursorem Domini exarsisse odio, vt aliud non exoptarit, nisi eundem tollere è medio, & vitâ priuare, si posset *Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat*, versic. 19. Horrendum mehercule factum N. quòd mulier summâ apud Regem valens gratia, potentissima, à cuius voluntate dependebat dispositio regni, talis denique, quæ cũcto quasi imperabat populo, ne minimùm quidem possit imperare suæ iræ & indignationi in Ioannem pauperem etiam & abiectum eremitam?

mitam? *nec poterat* Credo planè, causam, ob quam diabolicum suum intentum non potuerit mandare executioni, fuisse incommoditatem temporis. Sed quando aderit, amabo: tempus illud opportunum, quænam commoda erit illa occasio, quâ è medio tollendus, occidendus est Sanctus Ioannes Baptista? Audite, vos rogo, S. Euang. Marcum, sic inquit: *& cùm dies opportunus accidisset*, vers. 21. talis nimirum, quo iniquo infamis illius pellicis satisfieret desideria & qualis fuit hic dies? dies fuit iste gulæ & crapulæ, dies, inquã, Conuiuij, quod Herodes cunctis regni sui Primoribus parauerat in infaustæ natiuitatis suæ memoriam: *Herodes natalis sui cœnam fecit Principibus & Tribunis & primis Galileæ*, vers. 21. hic est ille dies ad quæuis patranda scelera aptissimus, Nulla est virtus, sanctitas nulla, cui percit crapula. Hoc idem iampridem

Num. 4. ponderauit Sanctus Petrus Chrysologus sermon. 174. quare exclamat hisce verbis: *Ecce quid pariunt totis noctibus protracta conuiuia; ecce quid generat, quod cum mensurâ emitur, & sine mensurâ bibitur vinum; ecce quò præcipitatur caro, cùm ad luxuriæ facinus voluptatis inflammatur incendijs.* Idem etiam confirmat Sanctus Ambrosius lib. de Virg. dicens: *rapitur ad pœnam propheta, conuiuali tempore perimitur gladio. caput eius affertur in disco, hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.* Sicque, vt quis offendat Deum & omni scelerum maculâ se coinquinet, nullum est opportunius tempus, quàm cùm heluatur & gulæ deditus est. Quare non minus verè quàm eleganter loquitur D. Chrysostomus loco suprà citat. *eum qui viuit in delitijs & ebrietatibus deditus est, & dirumpi inuitum, & sponte necesse est peccare.*

Num. 5. Veritatem hanc peroptimè agnouit Iob; & propterea, dum filij eius epulabantur, prout in more habebant, ipse veluti bonus & pius Pater zelo honoris Dei accensus pro quolibet Deo offerebat sacrificia: *cumque in orbem transijsset dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis*, Iob cap. 1 versic. 6. Perquirit nunc Sanctus Gregorius libr. 1. Mor. capite 4. cur Iob, filijs epulantibus obtulerit Deo sacrificia recommendando illos Deo magno spiritus feruore? & respondet, Iob tanquam prouidum & prudentem Patrem optimè cognouisse, non reperiri occasionem & tempus, quo filij eius maiori indigerent Dei recommendatione, quàm dum conuiuarentur, cùm difficile sit attendere gulæ, & non offendere Deum. *Vir quippe sanctus nouerat, quia celebrari conuiuia sine culpâ vix possunt, nouerat quòd magnâ purgatione diluendæ sunt epulæ vitiorum.* Sicque quoties gulæ aperimus portam, toties intromittimus simul innumera vitia & peccata.

E contrario autem abstinentia seu ieiunium omnia exterminat vitia, nec est peccatum, cui non ponat obstaculum: *qui corporali ieiunio vitia comprimit*, cantat Ecclesia. Optatisne vos N armis præmunire, pugnare intrepidorũ instar militum, vosque defendere ab inimici infernalis assultu? in prædiuite Dei armamentario non reperiuntur arma potentiora fortioraque ipso ieiunio; siquidem si gula Protoparentes nostros post esum vetiti pomi innocentiæ spolliauit vestes ieiunium armatura est, quâ vestitus Christianus sauciori nequit à quocumque etiam hoste. Sanctus Ambrosius lib. de Eliâ & ieiunio cap. 4. discurrit in hunc modum: *gula ergo nudos facit, ieiunia operiunt etiam exutos*, & ideò Dauid hanc sibi curauit armaturam, dum dicebat: *operui in ieiunio animam meam* Psalm 68. & Episcopus Africanus Epist. ad Siricium Pontif. omnes seriò exhortatur, vt hac loricâ ieiunij cataphracti & induti incedant, nisi in cruento duello ab astuto serpente sauciari velint & deuinci: audiamus Prophetã dicentem: *operui in ieiunio animam meam*.

micam. Ergo qui non ieiunat, intectus & nudus est, patet vulneri. Ieiunium igitur confert secum animæ vestem quandam, quâ quispiam indutus nec à leonibus tartareis, nec ab igne infernali lædi & expugnari potest. Hinc & Sanctus Maximus dicebat hom. 4. de ieiunio: *propter quod charissimi, si volumus diabolum superare cum Christo, &c. ab esca quidem vel potu pro viribus temperemus, à vitijs autem totis viribus ieiunemus* Et quis ignorat, inquit Tertulianus, ieiunium esse fortissimum scutum, quo repellitur & superatur inimicus? *ieiunium scutum nostrum, est ad retorquenda iacula diaboli.*

Et vt ipsum experiamur, vosque approberis hoc armorum genus, considerate Danielem in lacu leonum constitutum, de quo Sanctus Basilius Orat. quintâ de ieiunio sermocinatur hoc modo: *Daniel autem vir ille desideriorum, cùm tres hebdomadas panem non comedisset & aquam non bibisset, etiam leones ipsos, in puteum immissus, ieiunare docuit: nam quasi ex lapide, aut are aut aliquâ re solidiore conflatus fuisset, leones ei dentes infigere non poterant. Ita ieiunium corpus illius veluti tinctura quadam ferri firmarat, ac leonibus inuictum reddiderat* O loricam trophæis pulcherrimis & æternâ dignis memoriâ intextam! O eximiam virtutem, quam Deus tribuit ieiunio! quis non amaret inexpugnabilem hanc ieiunij cataphractam à morsibus feri illius Leonis, qui vti inquit Sanctus Petrus 1. Pet. d. *circuit quærens, quem deuoret*, nos defendentem!

Num. 6. Sed exigua hæc sunt; etenim quamuis æs Leonum resistat morsibus ' ast ignem tamen calefit; vtrique verò hosti aduersatur hæc loricâ ieiunij. Miræ & prodigiosæ naturæ ac virtutis est Amiator, è quo prestosus fortisque adeò conficitur & texitur pannus, vt ignis valeat resistere furori. Amiata credo ego fuisse tres illos adolescentes in fornace Babylonicâ Dan, capite 3. & ideo lucidiores inde exierunt beneficio ieiunij. Testabitur idipsum Sanctus Ambrosius libro de Eliâ & ieiunio cap. 7. postquam enim explicauerat naturam huius pretiosi lapidis hisce verbis: *est quadam creatura natura, quam Adamantium vacant, nullo facilis igni consumi: qua imposita focis ignescit, illicò sublata de flammâ tanquam aquarum infusione munda resplendet.* Subiungit: *talia erant Hebræorum puerorum corpora, qua de ieiunio Adamanti transformatâ naturâ, vapore ignis non ad dispendium sui sed ad gratiam mutabantur.* Non consumebat eos flamma, non affligebat ignis, imò splendidiores pulchrioresque illos reddebat, idque beneficio ieiunij, quo veluti veste Amiatinâ vestiti erant, Et ideò tres illi adolescentes cœperunt benedicere & laudare Deum in fornace, Sicque hac induti veste diuinas decantabant laudes.

Homo igitur potentioribus ieiunio non potest se præmunire armis, quibus valeat impugnare Diabolum, veluti attestatur Sanctus Chrysostomus homil. de ieiunio dicens: *ieiunium arma ministrat contra Diabolum*, & S. Ambrosius serm. 15. ait: *Castra nobis sunt nostra ieiunia, qua nos à diabolicâ impugnatione defendũt.* Num. 7. Ieiunium est inexpugnabile propugnaculum, ad quod confugientes protegimus & defendimus nos ab assultu hostis infernalis. Ieiunium est antemurale nostrum, quod euertere nequit Diabolus. Et ideò Eliæ ieiunanti mittebatur è cœlo Angelus ferens ei subcineritium panem & vas aquâ plenum. 3. Reg. 19. Sed quæro, ego, cur non lauta aliqua parabatur ei ab Angelo mensa? respondet acutissimè S. Augustinus sermon. 65. de tempore: *Sciebat Deus Prophetam suum tentantem Diabolum aliter superare non posse, nisi ieiunijs munitum.* Quemadmodum enim miles temeritatis incurreret notam, qui inermis cum armato descenderet in arenam; ita homo temerè ageret, qui ieiunij armis destitus, cum ieiuno decertaret Diabolo Hinc etiam Christus Dominus

minus non permisit se tentari à Diabolo, nisi transacto ieiunio quadraginta dierum & quadraginta noctium, Matthæi capite quartò: quod & ponderauit Sanctus Basilius homil. de laud. ieiun. dicens: *Dominus noster non prius in carne, quam pro nobis assumpserat, Diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communijsset: simul & nos erudiens, vt nosmet aduersus tentatoris conflictus exemplo palæstritarum vngamus & exerceamus.* Et S. Isaac Presb. Antiochenus libr. de Contemp. mund dic. 14. in BB. VV. PP. tom. 5. refert de plurimis Martyribus, quòd ituri ad locum tormentorum & Martyrij nihil penitus comedere volebant, sed sanctum obseruabant ieiunium, quo tanquam fortissimâ armati loricâ animo intrepido ibant ad mortem: *multi Martyres nihil gustabant in die, in quâ coronam Martyrij præstolabantur, sed sicut ad nuptias præparati expectabant occurrere gladio in ieiunio cum hymnis Psalmis & canticis.* Vultisne igitur N. è terrâ animarum vestrarum extirpare omne vitium? ieiunio illam colite & mortificate, & effectus tales experiemini. *Nihil mali nasci potest in homine, qui temperantiam fuerit amplexatus:* dixit Xenophon & Sanctus Petrus Chrysologus subscribit: *ieiunium abscindit vitia, & eradicat crimina,* sermon. 92. non minus eleganter loquitur Sanctus Leo Papa sermon. 8. de ieiunio: *per ieiunium enim & abstinentiam vniuersa vitia destruuntur, & quidquid auaritia sitit, quidquid luxuria concupiscit, huius virtutis soliditate superatur.*

Num. 8. In confirmationem veritatis huius lego in libr. Genes. cap. 39. quòd castissimus adolescens Ioseph iam venditus, conductus ab Ismaelitis in Ægyptum, destinatusque obsequio & officio Putipharis, magnâ ei fidelitate & syncceritate animi inseruiuerit. Huic verò non correspondebat uxor Domini sui Putipharis; siquidem infamis hæc pellex vagos suos oculos in castum subinde conijciens adolescentem, in tantum lasciuo in eum exarsit amore, vt omnibus modis ardentem suæ libidinis æstum in eo quæsierit sopire; vnde non transibat dies, quo eum non molestaret & importunis sollicitaret precibus ad consentiendum inhonesto suo desiderio. *Et mulier molesta erat adolescenti,* ait sacra Scriptura, vers. 10. & ipse fortis & constans recusabat, resistebat. *& ille recusabat stuprum.* vers. 10. Sed quid contigit? impudica hæc mulier ex frequenti, quam semper patiebatur, repulsâ maiori in Ioseph accensa amore, opportunæ inuigilabat temporis occasioni, quâ effræni suæ consuleret libidini. Et ecce die quâdam opportunâ sola solum offendit, violents insolens & proterua injicit in illum manus, pallio eum arripit, trahit, vrget, impellit; quod aduertens sanctus adolescens, & reliquit in manibus eius pallium, & sine morâ intrepidè illi vertit tergum, capit fugam, sicque hos euadit laqueos. *relicto in manu eius pallio, fugit & egressus est foras.* vers. 12.

D. Augustinus Sermon. 230. de temp. præter modum demiratur heroicum hoc factum, & quærit: vnde adolescenti huic tanta animi constantia, vt ita generosè restiterit potentibus adeò mulieris lasciuæ tentationibus, illecebris & lenocinijs? quomodo potuit euadere victor in hoc certamine, è quo paucissimi abierunt victores? causam scire exoptatis? percurrite sacras paginas, ait D. Augustinus, & inuenietis pium & castum hunc adolescentem à primo seruitutis die, quo subintrauit ædes Putipharis, non attendisse & vacasse alijs, nisi mortificationi, ieiunijs & abstinentijs, ac propterea hisce præmunitus victoriæ reportauit palmam de infami illâ muliere. *Nec quidquam aliud nouerat, nisi panem, quo vescebatur,* Gen. 39. vers. 6. Audiamus modò Sancti Augustini verba, profectò stupenda: *Ieiunium ita castissimi Ioseph mentem purgauerat, quod carnem spiritui subjecerat,*

incontinentiæ nebulas disperserat, libidinum ardores mortificauerat, & castitatis verum lumen accenderat.

Num. 9. Verùm, vt transeamus ad sublimiores prærogatiuas & excellentias sacri ieiunij, dicam, illud & esse infallibile signum & indicium, quo hominem innocentem & iustum ab impio, reo & scelerato dignoscere valeamus. Appositum huic nostro proposito ex 2. Regũ cap. 3. auscultate testimonium, annotatum quoque à Doctissimo Abulense q. 35. Occiso Abner à Ioab, tametsi recenter electus Rex Dauid ab hoc patrato scelere omninò innocens extiterit, eum tamen veluti huic consentientem homicidio suspectum habebat populus, toruoque intuebatur vultu. Nec, vt verum fatear, opinio hæc & conjectura populi prorsus temeraria erat, nec malo nitebatur fundamento: siquidem Dauid & Abner diebus præterlapsis fuerant inimici, & Ioab, qui eum occiderat intimus erat regis amicus, regijque exercitus Dux generalissimus. Sed Dauid, ut suam coram populo comprobaret innocentiam, cunctosque certiores redderet, se planè innocentem esse à sanguine eius, nec vnquam huiusmodi consuluisse & multò minus consensisse morti, publicè & coram omni plebe protestatus est dicens: *mundus ego sum, & regnum meum apud Deum vsque in sempiternum à sanguine Abner filij Ner.* vers. 28. manifestauit omnibus Ioab homicidij illius esse reũ, & quia eundem punire non poterat eò quòd seditionem conflare timebat in populo, appellauit ad tribunal Dei, vt hic de ipso sumeret vindictam: *& veniat super caput Ioab, & super omnem domum Patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, &c.* vers. 29. Insuper publicum populo indixit planctum, iussitque, ut vestimenta sua dilacerarent eorumque loco aspero se induerent cilicio, quod nõ nisi magno aliquo & excessiuo instante mœrore & luctu fiebat; *scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner,* vers. 31. nec hisce contentus erat Dauid, ipse namque, quia Rex erat, & huic imperabat populo, comitatus fuit cadauer ad sepulchrum vsque: *porrò Rex Dauid sequebatur feretrum.* vers. 31. quò cùm peruenisset, amarè adeò illachrymauit, vt populum Israeliticum tametsi durum & ferocem commouerit ad collachrymandum: *leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum: Abner fleuit autem & omnis populus.* vers. 32. Demum funeralem habuit sermonem in laudem eius. *Nequaquam, vt mori solent ignaui, mortuus est Abner* vers. Num omnes hos actus iudicabitis esse sufficientia indicia quibus innocentia Dauid comprobari potuisset? insolitis hisce & extraordinarijs doloris amorisque, quo erga Abner ferebatur, signis ipsum sufficienter se iustificasse ac expurgasse videtur. Nullus non dicet, ipsum plenissimum suæ innocentiæ dedisse testimonium: & si Abner proprius ipsius fuisset filius, quid vltra facere potuisset? nihilominus, inquit sacer Textus, populum hisce omnibus non acquieuisse, nec sibi satisfactum crededisse, nec sinistram de Rege suo conceptam suspicionem deposuisse. Pergit vlteriùs spiritus sanctus, & ait, quod appropinquante comestionis horâ, cæterisque omnibus congregatis ad sumendum necessarium corporis nutrimentum, noluit Rex manducare, sed abstinuit fecitque votum solemne, dicens: *hac faciat mihi Deus & hac addat, si ante occasum solis gustauero panem, vel aliud quicquam* vers. 35. absit à me, vt minimum hodie sumam panis bolum. Deus me priuet regno & vitâ, si toto hoc die non ieiunem. Vix hæc protulerat verba, & protinus subiungit Sacra Scriptura: *& cognouit omne vulgus & vniuersus Israel in die illâ, quoniam non actum fuisset à Rege, vt occideretur Abner filius Ner.* vers. 37. Certior igitur factus popu-

populus ex hoc euidenter cognouit, *Dauidem* esse innocentem à morte Abner. Factum profectò stupendum hoc est N. non credunt, nec acquiescunt nudo Regis verbo tametsi infallibili, non sunt contenti vestimentorũ scissione, nec fidẽ habẽt funebri illius orationi & planctui, quamuis illico cunctos ad lachrymas commouerit circumstantes, nullus horum actuum eis satisfacit, nullus eos à prauâ quam de ipso iam pridem conceperant, eripuit suspicione; solum eripuit ieiunium, malam de eo tunc seposuerunt opinionem, cùm illum viderunt ieiunatem: *& cognouit omne vulgus, & vniuersus Israel in die illâ, quoniam non actum fuisset à Rege, vt occideretur Abner. Fuit autem istud* (dicit Abulensis in hunc locum vbi sup.) *nimis efficax ad excludendam opinionem conceptam contra eum de morte Abner.* Vt hinc nobis innotesceret, potiùs contingere posse, quòd Rex quidam suis contradicat verbis & promissis, quàm quòd homo abstinens & ieiunij amicus vel minimam committat culpam.

Num. 10. Non absimile factum legitur 3. Regum cap. 21. cùm impia Regina Iezabel innocentem Naboth decerneret tradere morti, in eum videlicet finem, vt sceleratus Achab maritus suus sine vllâ prorsùs contradictione frueretur optatâ illius vineâ, iussit primitùs promulgari ieiunium, & deinde occidere Naboth: *prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi*, versi. nono. Quæstionem nunc mouet Abulensis in hunc locum, quam ob causam impia hæc mulier ad priuandum vitâ innocentem illum indixerit omnibus totâ illâ die ieiunium & optimè respondet: *ideò iussit, quòd prædicaretur ieiunium prius, ad signi ficandum, quòd aliquam rem magnam facere volebat, & illam non faciebat ex aliquâ passione sed ex magna maturitate & zelo Dei*. Impia hæc Iezabel in peruerso illo iudicio & iniquâ illâ sententiâ, quam proclamari iubebat contra Naboth, innocentem sese ostendere volebat & omni terrenâ passione exulem, quodque mota solummodò zelo Dei id fieri mandaret, ac propterea iussit, vt omnes primò obseruarent ieiunium, quò populus conspiciens Naboth ieiunij tempore condemnatum, non solùm non suspicaretur vllam iniustitiam; sed suam in regni administratione videret innocentiam & synceritatem.

O præclaram ieiunij excellentiam & prærogatiuam! sed, vt progrediamur ad sublimiores conceptus, attentas ad id arrigite aures, quod in laudem eius asserit antiquissimus Tertullianus aduersus Phis. capite 6. homo abstinens & ieiunus fit particeps Similitudinis Dei: *si enim*, inquit ille, *Deus æternus non esuriit, vt testatur per Isaiam, hoc erit tempus quo homo Deo adæquatur, cum sine pabulo viuit.*

Insuper affirmo N. talis virtutis & efficaciæ esse ieiunium, vt & ipsum omnipotentẽ Deum & Cœlum hominis ieiuni faciat quasi obedire voci. Cùm Propheta Elias die quodam conspiceret populum Hebræum impiam & sceleratam traducere vitam, nec tanquam verus Dei Zelotes posset sufferre nimiam hanc populi temeritatem, minatus est ei, dicens: *viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. versicul. 1. & sic verè contigit; tribus namque annis continuis ne quidem minima de cælo decidit gutta aquæ. Sed quod me rapit in admirationem, est, quòd sanctus Dei Prophetæ spondeat hoc se facturum miraculum verborum suorum vi & efficacia. *iuxta oris mei verba* Vnde tantam os eius hausit vim & potentiam, vt ei proferenti præfata verba obtemparauerint cœli? respondet S. Basilius sermon. 1. de ieiunio, os eius virtutem illam contraxisse à ieiunio, dum nimirum Elias latitando in speluncâ quâdam ieiunauit qua- Num. 11.

draginta diebus: *ex eius ore ieiuno vox exiens cœlum populo peccanti tribus annis & ſex menſibus clauſit*; inquit Sanctus Baſilius.

Imò virtus ieiunij mirabilem cauſat metamorphoſin, trãsformat namque vitam humanam in angelicam, hominem in Angelum, teſte Hugone Cardinali in cap 4. Reg. 2. *Semel in die comedere*, ait ille, *quaſi vita angelica eſt, bis, vita humana, pluries, vita iumentina ſiue vita brutorum.* Hinc etiam S. Ioannes Chryſoſtomus ſermon. de ieiun. loquens ieiunanti ait: *non es homo, ſed ferme Angelus; quia Angelus eſt ieiunans & agens feſtum, Domini.*

Num. 12. Et vt iſtius percipiatis veritatem, memoriâ recolite quòd Chriſtus Dominus differens de excellentiâ ſui Præcurſoris S. Ioannis Baptiſtæ ait Lucæ 17. verſ. 27. nimirum quod & de ipſo loquebatur Propheta Malachias cap. 3. verſic. 1. *hic eſt de quo ſcriptum eſt: ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam.* Sed quâ de causâ S. Ioannes Baptiſta exiſtẽs homo appellatur Angelus? Titus Roſtrenſis apud D. Thomam in Caten. aur. illius aſſignat rationem: *Angelum appellat hominem; non quia naturâ eſſet Angelus, homo enim naturaliter erat ſed quia exercebat opus Angeli.* Nam inſtar Angelorum non manducebat, neque bibebat; veluti id atteſtatur Sanctus Euangeliſta Matthæus cap. 11. verſic. 18. *Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens.* Et qui vix comedebat pro corporis ſui ſuſtentatione, hinc non videtur eſſe homo, ſed Angelus, *fermè Angelus, quia Angelus eſt ieiunans.* Ille enim qui ieiunat Angeli potius, quàm hominis repræſentat naturam.

Num. 13. Addit Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 2. de filio prodigo. Ieiunium eſſe tantæ virtutis & efficaciæ, vt tametſi alicui ſuperueniat contra eius voluntatem, medium tamen ſit ad conuertendum illum ad Deum. Quidnam (ait hic ſanctus) filium prodigum, qui totam ſuam diſſipauerat ſubſtantiam ſcortando & crapulando, induxit ad pœnitentiam, reduxit ad Patrem? abs dubio ieiunium, dixit namque: *ego autem hic fame pereo.* Lucæ 15. verſ. 17. En efficacem ieiunij vim & operationem. *Surgam & ibo ad Patrem meum.* verſ. 18. Ecce illum mediante ieiunio conuerſum. Ipſa iam audite Chryſologi verba: *fames reuocat, quem ſaturitas exularat, & ſi tantum præſtitit vel inuita fames, probate quid voluntarium poſſit conferre ieiunium.*

Et Sanctus Baſilius Orat. 2. de ieiunio hæc in laudem ieiunij ſubnectit verba: *Angeli ſunt, qui per ſingulas Eccleſias ieiunantes deſcribunt. Vide, ne propter paruam eduliorum voluptatem damnum incurras, vt ne ab Angelo in numerum deſcribaris.* Quæ gloria, quæ laus, quæ conſolatio erit illa ipſis fidelibus animabus, quæ per manus Angelorum ſeſe conſpicient inſcriptas Sanctorum catalogo? quæ verò ijſdem erit confuſio & pœna, quæ ſe è tot tantorumque Dei ſeruorum numero videbunt excluſas & penitus deletas, idque ob modicas crapulæ delitias. Quapropter ambabus, vt aiunt, manibus amplexamini magnam hanc virtutem, iam, iam incipite (ſi hucuſque ſocordes & negligentes extitiſtis) mandare executioni ſanctum hoc exercitium. Num. 14.

Aſt vnum ſeriò aduertendum eſt, nimirum: ad ieiunium non ſolam ſufficere abſtinentiam à cibis; ſed etiam à peccatis abſtinendum eſſe. *Quid prodeſt tenuari corpus abſtinentiâ* (ſic loquitur D. Hieron. Epiſt. ad Cælantiam) *ſi animus intumeſcit ſuperbiâ? quid vtilitatis habet vinum non bibere, & irâ & odio inebriari? tunc enim præclara eſt abſtinentia corporis, cùm animus ieiunat à vitijs.* Et S. Baſilius Orat. 2. de ieiun. ſcripſit in hunc modum: *verum ieiunium eſt, à vitijs immunem eſſe, continentia linguæ, iræ cohibitio, obtrectationis, mendacij, periurij, ab his abſtinere verum ieiunium eſt.* Et Sanctus Auguſtinus

ſerm. 64.

serm. 64. de temp. sic discurrit: *perfectum & generale ieiunium est, abstinere ab iniquitatibus.* Idipsum confirmat S. Ioannes Chrysostomus hom. 3. ad pop. Antioch. dicens: *honor enim ieiunij non est ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga.*

Et idem sanctus Doctor exponendo causam, ob quã Deus tantã in Niniuitas commotus fuit indignatione, vt etiam Propheta Ionas nõ potuerit sibi persuadere, eum illis fore propitium & placandum, nihilominus, ait, Dominum Deum tametsi iustissimè iratum quamprimùm iustum suum mitigasse furorem & placatum fuisse. Et quam ob causam? fortassis propter ieiunium illorum? aut propter cineres, quibus consperserant capita sua? vel ob aspera, quibus induebãtur, cilicia? neutiquam. Cur igitur? *quia conuersi sunt de viâ suâ malâ: vitæ enim mutatio, Deum barbaris placatum & beneuolum reddidit.* Eiusdem pariter opinionis fuit Theophylactus in cap. 3. Ioannis, vnde ait: *respexit autem Dominus opera ipsorum, ieiunium ipsorum non aspexit, sed opera ipsorum, videlicet bona, quæ fecerunt; proinde ieiunium non fuit per se sufficiens vt Deum redderet propitium & eum placaret, nisi & mores correxissent, & bona opera exhibuissent.* Hoc namque verum & meritorium ieiunium est, quod à nobis Deus exigit. *Non enim* (ait Sanctus Athanasius libr. de Virgin.) *qui à cibis ieiunat, solummodo probè se gerit, sed qui abstinet ab omni opere malo, hoc enim ieiunium censetur,* & Sanctus Bernardus serm. 3. de quadrag. in hunc concludit modum: *ieiunet ergo oculus, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipsa.* Ieiunet igitur oculus, qui venatus est mundi huius Vanitates, deprædatus est vanum & illicitum creaturarum amorem. Ieiunet auris, ne deinceps auscultet murmurationes & detractiones proximorũ. Ieiunet lingua, nec imposterum proximis detrahat aut de ijs murmuret. Ieiunet manus non rapiendo aliorum bona. Ieiunet etiam anima ab omni mortali culpâ; hoc enim modo ieiunantes obtinebimus gratiam diuinam, & tandem gloriam æternam.

Homicidium.

DISCVRSVS XXIV.

De enormi peccato Homicidij, & de pœnis quibus subiacent homicidæ.

Num. 1. QVamuis plurima & quasi innumera extent peccata, quibus impij & scelerati peccatores diuinam offendunt Maiestatẽ, inter præcipua nihilominus, quæ diuinam prouocant iram, Deumque cogunt ad castigandum seuerissimè peccatores, enumeratur quoque homicidium, cuius grauitas ex eo primitus elucet, quòd sit contra dictamen rationis, quo edocemur, ne id faciamus alijs, quod nobis fieri nolumus, quemadmodum senior Tobias docuit iuniorem filium suum, dicens ei: *quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Tob. 4. vers. 16. Id etiam confirmatur ex eo, quod homicidium repugnet naturæ, etenim ipsa duntaxat non sumit de eo vindictam in homines: veluti Melitenses Paulum censuerunt homicidam ob videram, quam è manu eius videbant pendentem; quare dicebant; *vltio non*

finit eum viuere. Actorum. 28. vers. 4. verùm etiam in bestias, quemadmodum apis mordendo hominem moritur, & Salamandria post commissum homicidium transfigit & interficit seipsam.

Quam ob causam nautas tamdiu tar-
Num. 2. dasse opinamini, antequam Jonam è naui proijcerent in mare? veluti legitur Jonæ cap. 1. cur, inquam, tot tamque varia adhibuerunt media, tentarunt modos, quibus se suaque liberarent è naufragij periculo, priusquam Prophetam illum in mare dederunt præcipitem? primò namque miserunt sortem, alleuiarunt nauem, merces & omnia; quibus onerabatur nauis, proiecerunt in mare, & postquam cognouerunt solum & vnicum Jonam præbuisse causam ortæ iam tempestati, adhuc tamen non eum eiecerunt, sed Textus sacer ait: *& remigabant viri vt reuerterentur ad aridam & non valebant; quia mare ibat & intumescebat super eos.* vers. 13. Tandem videntes non posse aliter fieri, præcipitarunt eum in mare, sed cum protestatione dixerunt: *quæsumus Domine, ne pereamus in animâ viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem* vers. 14. Facto hoc inquit sacra Scriptura; *& timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino & vouerunt vota.* vers. 16 & cur hoc? non aliam ob causam, nisi quia solo naturæ lumine ducti summopere abhorrebant hoc execrandum vitium homicidij.

Num. 3. Enormitas & grauitas peccati huius accrescit ex præcepto rigorissimo pœnisque, quas Deus in veteri lege statuit pro homicidis, vt constat ex lib. Exod. cap. 21 vers. 12. sed præcipuè percurrite lib. Leuit. cap. 24. vers. 17. & videbitis prohibitionem homicidij immediatè fuisse positam post blasphemiæ vetationem; vt hinc nobis innotesceret (veluti inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 19. in Gen) tale peccatum maximè esse contra ipsummet Deum, ad cuius imaginem & similitudinem factus est homo, quod & permouit Philonem Hebræum lib. de special. leg. vt homicidio tribuat titulum & nomen Sacrilegij, vocetque illud omnium peccatorum grauissimum. Imò ipsemet Deus cùm Gen cap. 9. vers. 6. illud prohibet, hanc adducit rationem:
ad imaginem quippe Dei factus est homo. Num. 4.

Hinc Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 19 in Gen. cap. 4. causam inuestigat, quodnam inter peccatum protoparentis nostri Adami & Cain fuerit enormius? peccauerat Adam transgrediendo præceptum & legem diuinam, vetitum videlicet edendo domum. Peccauerat & Cain occidendo fratrem suum; at vter enormius admisit peccatum? permagna hæc est difficultas; & videtur primò peccatum Adami fuisse grauius, quia se transfudit in omnes descendentes ab ipso, & peccatum Cain fuit contra vnum solum. Ex pœnâ nihilominus, quam Deus vtrique inflixit, aperte quispiam colligere potest, peccatum Cain fuisse enormius & grauius. Quam igitur pœnam irrogauit Deus Adamo ob inobedientiam? *maledicta terra in opere tuo.* Gen. 3. vers. 17. & quid Cain occidenti innocentem fratrem suum dixit? *maledictus eris super terram.* Gen. 4. vers. 11. Annon videtis, ait D. Chrysostomus, quòd maledictio non ceciderit supra Adamum, sed supra terram ab ipso excolendam? *maledicta terra in opere tuo.* & maledictio data Caino venerit supra propriam eius personam? dum ei dicit: *maledictus eris super terram.* q. d. supra te descendat mea maledictio, qui fuisti homicida, & interfecisti fratrem tuum. Quòd si Deus igitur maiorem in Cain quam in Adam ostenderit indignationem, apertè hinc sequitur peccatũ Cain grauius & enormius fuisse peccato Adami: *Vides maledictionis diuersitatem dilecte?* ait D. Chrysostomus, *ne igitur inconsideranter hinc transeas, sed ex maledicti magnitudine flagitij immanitatem expende. Iam quantò maius peccatum hoc præuaricatione*

atione protoplasti, ex maledictionis varietate scire volenti licet. Illic enim, inquit, maledicta terra in operibus tuis, & in terram effusa est maledictio ostensa sua in hominum cura. Hic verò, quia res perniciosa, facimus iniquum, & inexpiabile flagitium, ipse pœnam luit, & nunc maledictus, inquit, tu de terra.

Num. 5. Verùm de pœnis, quibus subiacent homicidæ, nunc loquamur. Innumera verò de ijs reperietis exempla sacros perlecturi codices. Quia Cain manus suas sanguine defœdauit fratris sui, maledictionem à Deo recepit, eaque fuit continuus timor & terror, quo animus eius dilaniabatur: *omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Genes. cap. 4. vers. 14. dicebat ille. At quid times, ô Cain? non alij nisi parentes tui supersunt, & mundum inhabitant, nullus est qui te persequatur, aut cogitet vindictam de te sumendam. Ah (respondebit vobis Cain) accusat me sanguis ipsiusmet Abel fratris mei continuo clamans de me vindictam, ac propterea timore animus, tremore corpus, & terrore semper concutitur cor meum.

Num. 6. Lamech, qui perfidum occidit Cain errorem que suum agnouit, quam inde recepit pœnam proprio id fatetur ore, dicens: *occidi virum* (videlicet Cain) *in vulnus meum, & ad lescentulum* (qui dux & comes erat venationis suæ) *in liuorem meum.* Genes. 4. vers. 13. ac si diceret, eadem, quam alijs intuli, plagâ meipsum confeci, sauciando Cain meipsum simul consauciaui, cùm sit vero verius, quòd tanquam homicidij reus occidendus sim & ego.

Nec aliam ob causam Rebecca omni conatu studuit Iacob eripere è manibus Esau; sciebat namque, quod si hic occideret fratrem suum, successu temporis perimendus & mactandus esset & ille, vnde dolens & ingemiscens dicebat: *cur vtroque orbabor filio?* Gen. 27. vers. 45. Sententia siquidem iam decisa est: *quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* Gen 9. vers. 6. *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matth. 26. vers 52. Idem etiam nos docuit experientia, quod hi ordinariè violentâ abripiantur morte, teste D. Chrysostomo hom. 27. in Gen. & nonnunquam eodem modo, quo alios necarunt pereunt & illi. Sic immisericors & crudelis ille Pharao qui Hæbræorum infantulos iussit submergi in flumine, extinctus & submersus fuit & ipse in mari rubro. Exod. 14. Impia Iezabel eodem loco, quo Naboth à canibus dilaniari præceperat, discerpta fuit à canibus. 4. Regum 9. Ex rex Dauid quia innocentem interimi iussit Vriam, indicatum ei fuit ex parte Dei per Nathan Prophetam: *Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi & interfecisti eum gladio filiorum Ammom. Quamobrem non recedat gladius de dommo tuâ vsque in sempiternum.* 2. Regum cap. 12. vers. 9. & 10. Vnde Dauid iuxta sententiam ore proprio prolatam: *ouem reddet in quadruplum.* 2. Reg. 12. vers. 6. punitus fuit, nimirum pro vno solo Vria, quatuor soluit filios, nempe infantulum è Bethsabeâ natum, deinde Amnon, posteà Absalon, & tandè Adoniam, & tametsi Dauid subsequenti vitæ suæ tempore in alia prolapsus fuerit peccata, veluti adulterij & superbiæ numerando populum, hæc nihilominus non tanti à Deo æstimata fuerunt, quanti hoc ab ipso patratum homicidium; *excepto sermone Vriæ Hethæi,* 3. Reg. 15. vers. 5.

Verùm annon & summum id vobis videtur esse tormentum, quod & homicidæ in continuo viuant timore? proptereà benè cum Prophetâ regio dicere possint: *peccatum meum contra me est semper.* Psalm. 50. vers. 5. Omnes igitur seriò studeant euitare & fugere hoc enorme peccatum, ne grauium huiusmodi pœnarum rei efficiamur.

Hypocrisis.

DISCVRSVS XXV.

De abominando & infami vitio Hyprocrisis, quanto Deus illud prosequatur odio.

Num. 1. IN summam rapior admirationem, cùm tres illos adolescentes Hebræos auream illam statuam à superbo Rege Nabuchodonosore fabricatam adorare cōstanter renuentes, iussu eiusdem in ardentem Babylonicam fornacem præcipitatos considero. Danielis cap. 3. Videntes hi adolescentes ab incendio se miraculosè ereptos pulcherrimo quodam cantico ad diuinas inuitarunt laudes cunctas Creaturas visibiles & inuisibiles, corporeas & spirituales, magnas & paruas, nobiles & viles siue ratione, siue sensu, siue vitâ, siue puro pollentes esse: Angelos, homines, cœlos, elementa, animalia, plantas, tempora, & innumera alia; ad hunc nihilominus concentum non inuitarunt arcum cœlestem, tametsi in aëre nihil eo producatur admiratione & obseruatione dignius, obtutui nostro gratius, iucundius & pulchrius, & ad cognoscendum tum curiosius, tum obscurius reperiatur nihil; vt propter tot tantaque prodigia in eo contenta more solito Poëtæ fabulando ac fingendo meritò dixerint, illum stuporis & admirationis esse filium: siquidem tot stupendis circumdatus est rebus, nimirum coloribus, figuris, situ, tempore, alijsque in eo causatis. Verum tamen est, quòd omnem ei surripit tollitque æstimationem, minuitque fidem & est, quòd videlicet non sit arcus realis & verus, sed apparens solùm & visus deceptio, & hanc ob causam à præfato trium puerorum cantico exclusus remansit; adeò namque Deus odio habet simulationem, seu mendacem & vanam apparentiam, vt arcum illum cœlestem, quia est vanus mendax & apparens, nullâ ratione inter alias veras & naturales creaturas ad laudes suas prouocatas, recenseri & connumerari velit, quemadmodum id etiam attestatur Sanctus Ambrosius in Epist. dicens: *laudare Deum non meruit arcus ille pulcherrimus, quia fictos habebat colores.* Verùm quid aliud est hypocrisis nisi nuda boni apparentia? Quapropter dumtaxat non displicebit summæ & altissimæ Maiestati diuinæ, verum etiam quammaximè illam Deus detestabitur & abominabitur.

Annon Redemptor noster summo se ostendit habere odio hypocritas, eosque mirum in modum execratur? annon seriò nos exhortatur Matth. c. 6. vers. 16. *nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* & Matth. cap. 22. vers. 18. improperando eis dixit in hunc modum: *quid me tentatis hypocritæ?* & Matth. 23. improperauit eis, quod traditionibus suis non minus grauibus & insupportabilibus quàm superstitiosis, stolidis & indiscretis præcluderent simplicioribus viam ad cœlum, quodque ipsi temerarè transgrediendo legem in causâ essent, vt & alij eandem transgrederentur. Deinde assimilauit eos sepulchris, quæ forinsecus dealbata sunt, intus verò aliud non continent nisi ossa mortuorum & alias immunditias. Denique execratur eos tanquam genimina viperarum, ac veluti pestem ab omnibus vitandam & fugiendam,

dam, nimirum quia essent ruina animarum, dum externam dumtaxat præ se ferre studerent sanctimoniam, vt apud homines laudem consequerentur & æstimationem.

Num. 2. Proposito huic inseruit illud non minus curiosum quàm gratiosum dubium Doctoris Angelici D. Thomæ 3. part. quæst. 39 art. 7. in corp. perquirit ibidem Sanctus hic Doctor, vtrum columba illa, quæ in Iordanis flumine apparuit supra caput Christi Domini Matth. cap. 3. fuerit vera, aut apparens & ficta; & concludit asserens fuisse veram & realē columbam, cuius assignans rationem ait in hunc modum: *quia Spiritus sanctus dicitur Spiritus veritatis, vt patet Ioannis decimo sexto ideo etiam ipse verā columbam formauit, in quâ appareret, licèt nō assumeret ipsā in vnitate personæ*, ac si diceret: quia spiritus sanctus est spiritus veritatis, non poterat, nec debebat subdolè & fradulenter agere, siquidem Deus omnem abhorret & execratur simulationem. Recogitate igitur quantum Deus odio prosequetur illos, qui non nisi fingere & simulare sciunt.

Num. 3. Iam percipio causam promulgationis illius præcepti diuini, Deut. cap 22. vers. 5. *non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœmineâ* Mando, præcipio & volo (inquit Deus per os Moysis legislatoris sui) ne vlla mulier vtatur vestimētis viri, nec vllus vir superinduatur vestibus fœmineis: & reddens rationem eius subiungit: *abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc*, loco citato. Nouistísne, quidnam Dominus Deus hisce innuere voluerit? nimirum tolerare non poterat, quod vir & mulier alios ab ijs, qui essent, se monstrarent, fingerent & simularent. Considerate ergo, quantum ipse abominetur Hypocritas, qui cùm intrinsecus sint pessimi & scelerati, extrinsecus bonitatis sanctitatisque ostentant effigiem.

Eodem libro Deuteron. cap. citato v. 11. fecit Deus ordinationes quasdam circa vestimenta populi Israëlitici, præcepitque, vt nullus vteretur vestibus ex lino lanâque simul contextis, sed aut ex solo lino, vel solâ lanâ: *non indueris vestimento, quod ex lanâ linoq; contextum est.* Quilibet, ait Deus, caueat sibi quàm maximè, ne conficiat sibi vestimentum ex lanâ simul & lino. Quero ego nunc N. quid referebat, aut quæ Deo inferebatur ex hoc iniuria, quòd misera & inops quædam mulier, cui non suppetebat tantùm vel lanæ vel lini, ex quò integra poterat confici vestis, omni meliori modo, quo potuisset, suæ succurrisset necessitati & ex vtraque simul materiâ quandam sibi parasset vestem? ecce mysterium eius, quod etiam innuit Sanctus Gregorius lib. 8. moral. cap. 21. linum, inquit ille, est res lenis, mollis, subtilis & delicata; lana verò est res scabrosa & hirsuta & quius scabredine contegitur mollities & suitas illius: vnde quia displicet Deo hypocrisis, quæ significatur per eiusmodi vestem, ideò mandat, ne quis simili se induat vestimento, secus seuerissimas luet pœnas: *per lanam quippe simplicitas* (dicit D. Gregorius) *per linum verò subtilitas designatur, ea nimirum vestis, quæ ex lana linoq; contexitur, linum interius celat, lanamque in superficie demonstrat.* Concludit deinde S. Pontifex: *vestem ergo ex lanâ linoq; contextam induit, qui in locutione vel actione, quâ utitur intus, subtilitatem malitiæ operit, & simplicitatem foris innocentia ostendit, quia enim sub puritatis imagine deprehēdi caliditas nō valet, quasi sub lana grossitudine linū latet.* ac si diceret: optásne scire, ô Christiane, quis se in induat veste laneâ & lineâ? qui aliud, quàm corde existimat, ore loquitur, qui cùm vitam ducat impiam & Christiano homine indignam, habeatque conscientiam innumeris vitiorum sordibus conspurcatam, extrinsecus tamen sanctum se ostendit ac innocentem, & hanc ob causam vetuit Deus huius-

modi vestium indumenta, quia nequidem vmbram hypocrisis tolerare potest: *non indueris vestimento, quod ex lanâ linoq; contextum est.*

Et quò magis elucescat, quantùm Deus execretur abominandum hoc vitium hypocrisis & simulationis, auscultate id, quod vice quadam dixit per os Sophoniæ Prophetæ: *visitabo* (ait ille) *super principes & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ*, cap. 1. vers. 8. Per hos principes & filios regis indutos veste peregrinâ intelligit Rupertus Abbas homines duplices & simulatores, obseruatque hoc verbum: *visitabo*, in quo consistit robur conceptus huius ac si nimirum diceret Deus: ego visitabo gentem hanc improbam & peruersam, ego, ego in personâ castigabo illos, non mittam Angelum aut alium quendam ministrum meæ iustitiæ vindicatiuæ.

Num, 4. Causam etiam nunc capiemus N. cur Saluator noster vesperi discedens Bethaniâ idque hyemali tempore, vidensque ficum aliud non producentem nisi folia, maledixerit eidem, vnde & confestim arida facta est: *& arefacta est continuò ficulnea.* Matth. 21. vers. 19. Marc. 11. vers. 11. Quâ decausâ maledixit potiùs huic arbori, quàm alicui alteri, præsertim cùm tunc non aderat tempus producendi fructus? dubio huic acutissimè respondet Cæsarius Arelatensis in expositione loci huius dicens: *arbori fici maledixit Dominus, quia simulantium hominum repræsentabat imaginem; intùs enim dulcissimos fructus producendi virtutem retinens, rigida & cinericia in cortice apparet.* ac si vellet dicere hic Doctor: maledixit Deus huic arbori, quia repræsẽtabat impios quosdam & sceleratos homines, qui ei summè displicebant; inter omnes etenim arbores nulla est, quæ aptiùs exprimit figuratque hyprocrisin quàm ficus; siquidẽ truncus & rami eius cooperti videntur esse cinere, & folia illius tactu aspera & rigida sunt. & nihilominus nulla aliarum reperitur arborum, quæ adeò dulces suauesque proferat fructus, quàm ficus; igitur volebat Deus dicere: tantùm detestor hos hypocritas, vt ne quidem vmbram eorum sufferre queam, & ideò *arbori fici maledixit Dominus.*

Eandem ob causam hypocrita assimilari solet cygno: de quo animali refert Plinius libr. vigesimo primo, capite octauo. Idque confirmant naturalium rerum interpretes, quod tametsi candidis contegatur plumis, nigram tamen subtùs habeat carnem & sordidam: *Cygnus candidis plumis indutus nigerrimam habet carnem:* Quocircà Deus in veteri lege lib. Leuit. cap. 11. vers. 18. prohibuit populo Israelitico, ne carnibus vesceretur cygni. Eccur, ô Domine auis adeò decoræ & gratiosæ, quæ albis & candidis instar niuis vestitur plumis, dulcisona etiam ac gratiosa adeò cantillat voce, vt omnes mirificè recreet & oblectet, vetas & prohibes comestionem carnium? non sine mysterio (respondet Origenes hom. in libr. Numer.) voluit Deus; ne vllus comederet carnes cygni, quia hypocrisis symbolum est & expressa figura: *prohibetur inter alia animalia Cygnus Israeli, quî cùm albus sit foris, intùs nigerrimâ carne cooperitur, quia animum sic solent & hypocritæ habere, qui dum castitatem exteriùs prædicāt, intùs autem teterrimâ tabe luxuriæ maculantur.* Qui cygnum considerarel videretque solum secundum extrinsecam corporis apparentiam plumarumque candorem auem iudicaret cæteris amore & honore digniorem; ast tollite plumas illas candidas & carnem sub eis latentem reperietis omninò nigram & sordidam, vt non immeritò nauseam cuilibet pariat. Expressum en habes hypocritæ symbolum: foris hic commonstrat sanctitatem, & intus gestat diabolum incarnatum. Audies alium interdum differentem de castitate Susannæ, constantiâ Sancti Angeli Martyris,

Num. 5.

de contemptu mundi Sancti Alberti, Sancti Francisci, Sancti Dominici, ô quàm candidum foris exhibet colorem! profectò plusquam niueum, at intus videbis animam sordidam, fœtentem ac vitijs repletam. Qui cerneret adolescentem illum totâ die in Ecclesiâ hærentem, diceret confestim, ô qualem ostendit ille foris animi candorem! ô quàm deuotus Christianus ille est; at cygnus est, inquit Origenes, *qui cùm albus sit foris, intùs nigerrimâ carne cooperitur.* Etenim si cor eius inspicere liceret, sordidum planè & vitijs deturpatum deprehenderemus, velut impium & scelestum iudicaremus: *quia animam sic solent & hypocritæ habere, quidam castitatem exterius prædicant, intùs teterrima tabe luxuriæ maculantur.*

Num. 6. Nec alium ob finem Sanctus Gregorius Papa libro septimo mor. ca. duodecimo, Struthionem dixit esse figuram & typum hypocritæ; etenim animal hoc comparat ille accipitri quoad plumas vel alas, non verò quoad volatum; nimio namque carnis pondere prægrauatum vi alarum suarum, ascendere nequit, sed semper decidit in terram, talis est hyprocrita, videturus volare in cœlum fictis & simulatis suæ deuotionis alis; at grauiter terrenorum affectuum pondere pressus trahitur ad imum, præcipitatur in infernum: *Struthio* (ait sanctus ille Ecclesiæ Doctor) *volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet: sic hypocrita cunctis intuentibus imaginem de sue sanctitatis insinuat; sed tenere iam sanctitatis ignorat.*

Vnde dum hanc contemplor varietatem, quam hypocritæ commonstrant suo simulato agendi modo, memoriâ recolo curiosam quandam quæstionem, quam in scholis proponere solent Logici: *Vtrum*, nimirum, *detur ens rationis?* num videlicet intellectus meus possit duas inter se connectere naturas alias inter se incompossibiles, & ex illis facere unam? exempli causâ, animal quoddam, quod sit simul homo & leo, vel hircus & ceruus, quod vocant chimæram. Verùm quid magis participat de ente rationis quàm hypocrita quidam? annon ille est vera chimæra, verum ens rationis? audiatur hac super re Sanctus Hieronymus Epistol. 58. *verè monstruosa res est speciem habere columbinam & mentem caninam, professionem ouinam & intentionem lupinam, intus esse Neronem, & foris apparere Catonem.* Pulchrioremne magisque appositam audistis chimaræ descriptionem? sed audite quoque conclusionem: *ita vt eorum contrarijs, diuersisque naturis novum monstrum nouamque bestiam diceres esse compactam, iuxta illud poëticum:*

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra. Num. 7.

Nec prætermittendus est Dauid Propheta qui Psalm. 11. vers. 2. ait: *labia dolosa in corde locuti sunt.* Transferunt alij ex Textu Hebræo & nostro proposito conformiùs loquuntur: *vidi homines aliud loquentes, aliud corde volentes.* Vidi, inquit regius Propheta, certa quædam monstra duarum naturarum, quæ in corde suo meram fouebant malignitatem, & foris ostendebant sanctitatem. Sanctus Ioannes Chrysostomus in Matth appellauit eos diabolos incarnatos, quia sicut illi *transfigurant se in Angelos lucis* 2. Corinth. 11. vers. 14. ita hi maledicti hypocritæ student se transformare in homines iustos & sanctos, & Sanctus Augustinus lib. 2. de Verb. Dom. tribuit eisdem titulum vulpium simulantium ad prædam paratarum! *repræsentantes figuratam sanctitatem vulpes simulantes ad prædam.* Colluuiem & cloacam peccatorum nominat illos Sanctus Basilius hom. ad Adolesc. quia: *omne peccatum est, velle videri sanctum, cùm ipse sit impius* & de hypocritis locutus est Christus Dominus. Matth c. vigesimo tertio, versu vigesimo quinto: *væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est, calicis*

 & pa-

& paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Martyres diaboli appellat eos S. Athanasius, libr. de simil. nam sicuti Martyres Christi omnia patiuntur propter amorem illius; ita hi plurimas sustinent aduersitates & tribulationes propter diabolum. Pardos nuncupat illos Sanctus Ambrosius in Hexam. quia *varietate coloris motus varios animi sui produnt.* de quibus ait Sanctus Ioannes in Apocal. cap. 13. vers. 2. *similis erat pardo.* Per quem, inquit hic Theodoretus, significatur hypocrita inimicus synceritatis & puritatis conscientiæ. Vnde concludere cogor contra hos maledictos hypocritas dicto illo Sancti Cypriani martyris,, qui Epist. vigesimâ nonâ, scribendo ad quosdam Christianos coætaneos suos, vt illos ad constanter subeundum martyrium animaret, detestabatur mala quorundam Christianorum opera, & de ijs hunc in modum loquebatur: *quo autem nomine hos homines dicam, nescio.*

Num 8. Et quid non fecit hypocritarum omnium antesignanus & Coriphæus Herodes? quid non excogitauit, vt posset inuenire Christum Saluatorem nostrum recenter natum? Matth. cap. 2. adinuenit & ipse fictum quendam deuotionis modum, significauit nimirum Magis, se quoque velle venire adoratum Saluatorem mundi, quandocumque resciret ab eis, vbi inueniretur. Sed quid? dicit Sanctus Gregorius hom. in Euangel. *adorare eum velle se simulat, vt hunc, si inuenire possit, extinguat.* Et Sanctus Fulgentius sermon. 5. de Innocent. ponderans hanc quoque fictam Herodis humilitatem, exclamat: *O calliditas ficta! ô crudelitas impia! ô negotia fraudulenta! sanguis innocentium, quem crudeliter effudisti, attestatur, quid de hoc puero voluisti.* Quot eiusmodi Herodes hodierno die reperiuntur in orbe? videbitis nonnunquam hominem quendam ante altare genuflexum, deuotasque adeò fundentem preces, vt quilibet eum piæ, sanctæ ac inculpatæ vitæ hominem pronunciet, à mundo sequestratum, Deum super omnia amantem, ac beatum denique proclamat. Verùm nouistisne, cur id faciat? vt nimirum maledictâ illam cogitationem, quam iam dudum fouit in corde suo, eò commodiùs exequatur. Aduertens insuper alius scelestus mulierem illam, quam inhonesto prosequitur amore, abdito in loco demorantem, quo impeditur à commodo illius aspectu: quid facit, vt eiusdem vultum facilè spectare ac perlustrare possit? appropinquat altari genuflexus, iunctas exornat manus rosario. Scire desideras, quidnam iste tunc intendat? simulat veluti Herodes se velle Christum adorare, vt eundem de nouo possit occidere, quod non deesset ex parte suâ, si non repugnaret Christi impassibilitati: *adorare eum velle se simulat, vt hunc, si inuenire possit, extinguat.*

Perlegite Psalmum quintum versic. 7. Num. 9. & reperietis Dauid Prophetam discurrentem de peruersis eiusmodi hominibus siue hypocritis hoc modo loquentē: *odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium,* Super quem locum notat & aduertit Origenes, maiori pollere vi & efficacia hoc verbum *perdes*, quam illud aliud *odisti*, vt hinc intelligeremus, quàm vehementer Deus detestetur & odio habeat hos simulatores & hypocritas; siquidem de ijs, qui operantur iniquitatem & committunt alia peccata, dicit Propheta, quòd Deus illos odio prosequatur; at de iis, qui simulant, fingunt, & agunt hypocritam, inquit, Deum illos deperditurum: *perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, subiungit deinde S. Propheta: *virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus*, vers. 8. nimirum non magis abominabitur & odio habebit hominem sanguinis, seu homicidam aliquem, quam illum, qui dolosè loquitur & agit, ac fraude & hypocrisi plenus est. Vbi notat Angelicus Doctor D. Thomas, verbum

hoc,

hoc, *abominabitur*, quod idem denotat ac inexplicabilem quandam abominationem.

Num. 10. Quod si igitur quispiam ex vobis N. hac hypocrisis defœdatus maculâ reperiatur, qui in se superbus, velit se fingere humilem; in se auarus, velit se ostendere liberalem; in se libidinosus, velit se monstrare castum, in se gulæ & crapulæ deditus non nisi de ieiunio & abstinentiâ loquatur; in se inuidiosus apparere cupiat totus amor & charitas, prodeat ille in medium, & ab eo petam cum Sancto Ioanne Chrysostomo homil. 46. in Matth. cur talem se simulet, dum non vult esse bonus: *dicito mihi, ô hypocrita! si bonum est esse bonum, vt quid non vis esse, quod vis apparere? si verò malum est esse malum, vt quid vis esse, quod non vis apparere? nam quod turpe est apparere, turpius est esse: quod autem formosum est apparere, formosius est esse*. Demum concludit S. ille

Num. 9. Ecclesiæ Doctor: *ergo, aut esto, quod appares, aut appare, quod es*. q. d. Aut ergo talem te ostende, qualis es; aut talis esto, qualem te fingis & ostendis; secus tibi prædico, ô hypocrita, quòd præter opinionem tuam mortis illa adueniet hora, quâ strictissimam de operibus tuis Deo redditurus es rationem, qui te talem deprehensurus dignum æternę mortis pœnâ te iudicabit.

Num. 11. Cùm igitur Deus tantùm abhorreat abomineturque pessimum hoc simulationis vitium, omni conatu studeamus illud euitare & fugere, adnitamur deinceps in ore gestare veritatem. Quapropter dicamus cum Prophetâ regio iuxta translationem D. Hieronymi: *vnicum fac cor meum Domine*. Vbi vulgata habet: *lætetur cor meum*. Psalm. 85. vers. 11. q. d. Fac, ô Domine, vt quilibet nostrûm vnum solùm habeat cor. & subiungit deinde Propheta: *vt timeat nomen tuum*. Hi etenim homines duplices, ficti & hypocritæ non timent Deum, & nullam prorsus videntur habere fidem. Quare de illis disserens Ecclesiasticus ait: *Væ duplici corde*, capite secũdo, versiculo decimo quarto, & hi sunt hypocritæ, at væ illis, quia æternas sustinebunt pœnas.

Ad te nunc me conuerto, ô Domine, & dico, num vnquam in corde tuo regnauit duplicitas aut simulatio? non sanè. Et in huius veritatis signum & testimonium permisisti & voluisti, vt corporis tui in cruce pendentis pectus aperiretur lanceâ, ac cunctis hoc modo clarè innotesceret, nullam vnquam in corde tuo fuisse simulationem aut duplicitatem aliquam. Nobis ergo incumbit, vt id à pientissimo Redemptore nostro discamus, habeamusque cor simplex & synцerum, nec simus duplices animo. Id si fecerimus, sole pulchriori illâ fruemur facie Dei, omnibus, quotquot mundi erunt corde, promissâ: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Matthæi quinto, versiculo octauo, cuius vos participes reddere dignetur per suam misericordiam, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Infernus.

DISCVRSVS XXVI.

De sempiternis Inferni pœnis & tormentis.

Num. 1. IN Nunc, peccator, vitam traducito impiam & sceleratam, carnalibus iam indulgeto voluptatibus & concupiscentijs, quantum volueris, immemor iam esto & Dei, & animæ tuæ curandæ salutis, cœlestem insuper gloriam & beatitudinem spernito, toto vitæ tuæ decursu non iam Christianorum sed barbarorum more, ac si nunquam de tuis peruersis & sceleratis operibus rationem Deo redditurus esses, viuito, experieris tandem aliquando, quid egeris, æternis cruciandus flammis & tormentis tibi iam præparatis.

Verùm quî fieri potest, vt te vnâ vice non resoluas mutare vitam tuam, condignamque de tuis sceleribus non agas pœnitentiam, cùm optimè perspectum habeas, te infallibiliter inferni adiudicandum fore pœnis, si obstinatus ex hac vitâ discesseris: num verificabitur de te, quòd animantia ratione destituta in hoc te superent? De leone referunt naturalium rerum scriptores, quòd, tametsi sit animo audax, ferox & terribilis aspectu, viribus potens, qui nec districtos fugiat enses, nec hostium timeat insultus, neque vlli cedat furori; nihilominus ad ignis seu flammæ etiam exiguæ conspectum cadit animo, vires amittit, omnem deponit tumorem & fastum, in venis eius congelascit sanguis, adeò denique pusillanimis fit & fractus animo, vt illicò fugam capiat, & abditissimas quærat cauernas terræ. Ferum, ô peccator, videris repræsentare leonem, audax es in peccando, nullas pertimescis pœnas diuinas, Confessariorum non curas reprehensiones, floccifacis minas Concionatorum, & tanquam temerarius diuinam spernis legem: quod si igitur nec ad æternarum flammarum visum reformides & exhorrescas, peiorem te ipsis brutis ratione orbatis pronunciabo. Ast Deus, qui te, ô Christiane, pretiosissimo Filij sui redemit sanguine, nullo modo vult vt obstinatus remaneas in peccatis tuis; sed memor vitæ impiè & inutiliter transactæ modò, cùm tempus est, descendas ad infernum assiduâ eiusdem consideratione, vt illum post præsentem effugias vitam: *descendãt in infernum viuentes*. Psalm 54. versic. 16. inquit Propheta regius, & Sanctus Bernardus tract. de vita solit. subiungit: *ne decendant morientes*, vt hac consideratione fugiant peccata & vitia vtpotè causas pœnarum infernalium. Num. 2.

Acerbissimas pœnas, cruciatus inexplicabiles, crudelissima tormenta in inferno præparata scio esse peccatoribus, quæ ne quidem sibi imaginari multò minus exprimere quis potest. Et quamuis ferè sint innumeræ pœnæ, ad duo nihilominus capita illas reducunt sacri Doctores: pœna damni vocatur vna, altera pœna sensus; illa consistit in priuatione beatificæ Dei Visionis per totam æternitatem, hæc in perpessione indicibilium dolorum & tormentorum.

Prima igitur pœna damni, quæ est priuatio visionis Dei tam ingens animabus damnatorum adfert tormentum, vt linguâ humanâ explicari nequeat. Absalon extremo cor suum transfigi sentiebat dolore, dum considerabat se priuatum visione

ſione faciei patris ſui D auid; vnde contentus fuit vitam cum morte mutare, dummodo permitteretur ſibi vt videret patris ſui faciem: *obſecro ergo, vt videam faciem regis, quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ; interficiat me.* 2. Reg. 14. verſic. 32. Quòd ſi ergo Abſalon tantã ſibi iudicabat eſſe pœnam, quòd nimirum breui dumtaxat temporis ſpatio viſione frui non poterat faciei patris ſui hominis mortalis, qualem cenſebitis eſſe dolorem animæ damnatæ in perpetuum exulantis à beatificâ Dei viſione? id profectò tormentorum maximum, quod miſeri damnati perpeti debent in inferno, quẽadmodum S. Bruno ſer. de iudicio introducit dãnatos id proprio ore cõfitentes & dicentes: *addantur tormenta tormentis, & pœna pœnis, ſeuiât ſæuius ſæuiſſimi miniſtri, creſcant crudeliſſima flagellorum genera, & Deo non priuemur*, at fruſtra cla-
Num. 2. mant, abſque vlla ſpe lachrymantur, & ſine profectu & commodo lamentantur.

Ex hac priuatione viſionis Dei enaſcitur in animâ triſtitia adeò magna, vt cõprehendi nequeat, eò quòd incomprehenſibile eſt id, quod amittitur. Nec poſſunt damnati hanc ſubterfugere conſiderationem, etenim Deus conſtringit eorum voluntatem & intellectum ad apprehendendum ſummum illud bonũ quod amiſerunt, vt neceſſario doleant. Vnde Sanctus Bernardus Sermon. 8. in Pſ. 90. dicit, quod eam ob cauſam in extremo iudicij die primò iuſtis & ſanctis hæc optata & fœlix dicetur ſententia: *Venite benedicti Patris mei*, Matth. 25. verſ. 34. & deinde dabitur maledictio peccatoribus: *diſcedite à me maledicti.* verſ. 41. *vt acriùs doleant*, inquit mellifluus Doctor, *videntes quid amiſerint.* O miſerrimæ animæ, quomodò ſufferre poteritis priuationem vultus illius pulcherrimi & beatifici? quòmodo tolerare poteritis, quòd in æternum non ſitis viſuri faciem illius, qui vos creauit & pretioſo ſuo redemit ſanguine? omnes creaturæ etiam abiectiſſimæ & viliſſimæ conſequuntur ſuum finem, ob quem ab omnipotenti Deo productæ fuerunt, & vos ſolummodò excluſæ remanebitis à veſtro fine tam ſublimi, tam beato, tamque fœlici, ob quem fuiſtis creatæ, redemptæ & millenis illuſtratæ inſpirationibus? ô dolorem inexplicabilem! ô damnnm indicibile! ô pœnam intolerabilem! & tamen in Num. 4.
omnem illam tolerabitis æternitatem.

Sermocinaturis deinde nobis de pœnâ ſenſus, quæ eſt ignis æternus; ſufficiet, quod ait D. Aug. libr. 21. de ciuit. Dei, hunc nimirum materialem ignem in comparatione æterni & infernalis eſſe veluti ignem depictum, & quia talis eſt, accidit inde, quòd diuinâ virtute calor eius erit diuiſus à ſplendore, veluti docet S. Baſilius ſupra verba illa Pſalm. 28. *vox Domini intercidentis flammam ignis.* verſ. 7. velut Vatablus habet: *vox Domini diuidentis.* vel vt Theodoretus hîc legit: *ſeparantis flammam ignis.* Sicque, Deus omnipotenti ſuâ virtute faciet, vt flamma infernalis ardeat & affligat animas damnatas; ſed non emittat lucem aut ſplendorem, idque in maiorem damnatorum pœnam: *illa vltrix flamma vitiorum habet ardorem, non habet penitus lucem*, inquit Beatus Petrus Damianus Opuſc. 50. cap. 2. & ſi, Deo ita diſponente, contingat, quòd à dicto igne emittatur nonnunquam aliqua ſpecies luminis, id erit in pœnam damnatorum, veluti docet D. Thomas 3. p. quæſt. 97. art. 4. vt mediante illâ luce conſpiciant plura alia, quæ eis maius inferent tormentum. *Nam gehennæ flamma*, ait D. Gregorius libr. 9. moral. cap. 49. *reprobis nequaquam lucet ad conſolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam.* quod confirmat S. Iſidorus lib 1. de ſummo bono ſubſequentibus verbis: *Ignis gehennæ lucebit miſeris ad augmentationem pœnæ, vt videant, vnde doleant, & non ad conſolationem, ne videant, vnde gaudeant.*

Imagi-

Num, 5. Imaginamini vobis N. non reperiri pœnam aliquam in toto mundo, quæ comparari possit infernali, siquidem hæc erit tanquam aliquod compositum seu quinta essentia omnium pænarum & tormentorum, quæ exhibebitur infœlici peccatori gustanda, vt omnia sentiat, & gustet tormentorum genera & species, teste Ieremiâ Propheta cap. 50. vers. 25. *aperuit Dominus thesaurum suum, & pertulit vasa iræ suæ.* Omne fel aspidum, cuncta toxica basiliscorum, omnia venena viperarum vni simul infundentur vasi, vt vnico illa haustu deglutiat peccator: *in vno igne omnia supplicia sentiunt in inferno peccatores*, ait D. Hieronymus Epist. ad Pammach.

Pœnas acerbissimas, insolitos cruciatus & crudelissima tormenta ad alios miserè torquendos, excruciandos & necandos pro varijs temporibus à diuersis Tyrannis, vtpotè hominibus inhumanis & plusquam barbaris legimus fuisse adinuenta, quorum sola memoria ijs, quotquot legunt historias, inducit terrorem, parit admirationem & stuporem in viuentibus, dum considerant, quâ ratione tanta crudelitas tantaque ferocitas mortalium pectora inuadere & occupare potuerit. Et sanè N. cui non incuteret terrorem simul & admirationem crudelitas Abimelech primogenti Gedeonis, qui sola ductus regnandi cupiditate septuaginta suos interemit fratres. Deinde omnes, quotquot reperit in ciuitate Sichem, à quâ ipse primitus eiectus fuerat, occidit, mactauit, ita vt neque infantulis adhuc vagientibus pepercerit; imò quotquot ad templa confugerant in cineres fauillasque redegit, totâque igne absumpta ciuitate Sal in ea dispergi præcepit, Iud. cap. 9. Quis non demiraretur crudelitatem Herodis tot tantosque mactantis innocentes pueros, spreto eorum gemitu & eiulatu? quis non obstupesceret ac miraretur ferum & crudelem animum Phalaridis Tyranni Agrigentini? hic tauro ex ære à Perillo ingenioso artifice fabricato, omnes quos morti adiudicauerat, inclusit, qui subiecto igne mugitum bouis edebant, vt gemitu & planctu humano non moueri posset ad commiserationem, sicque eis miserè eripiebat vitam teste Gellio libro sexto, capite quarto. Huic correspondit crudelitas Schytarum: hi mactatis equis & tauris, viuos, quos primò strictissimè vndique ligauerant, imponebant homines, impositos alebant, & quia miseri in mortuis viuebant, nec nimium se mouere poterant, à vermibus è corruptâ cadauerum carne enatis miserrimè discerpebantur & vorabantur. Maiorem hac excogitauit crudelitatem Maximianus Imperator Romanus; homines viuos hic alligari faciebat corporibus mortuis, ligatis hoc modo vitam tamdiu indulsit, quousque fœtore mortuorum expirarent. Quis enarrare posset ferocitatem impij Tiberij qui nullum prætermisit diem, quo humanum non funderet sanguinem, & sub pœnâ mortis omnibus, quos internecioni dare volebat, præcepit, ne minimum ederent planctum, ac pro solatio homines ex altissimâ quadam ripâ præcipitari iussit in mare, ibidemque lanceis lapidibusque interimi, quis exprimere posset diuersos cruciatus illos, quos ad torquendos necandosque homines adinuenit crudelissimus Nero? quis tormenta explicaret, quæ successor eius excogitauit Caligula qui cunctis Romæ incolis vnicum exoptauit collum vt omnium vnico ictu detruncaret capita? quis recensere valeret martyria, acerbissimasque pœnas, quarum inuentores fuerunt Domitianus, Commodus, Vitellius & Decius Imperatores? omnia hæc & plura alia tormenta, quæ breuitatis causâ hic prætermitto terrorem incutiunt mundo, horrorem ingerunt hominibus, qui solùm eorùm recordantur, audientesque tremore afficiunt. Et cur extremum non incutient nobis timo-

morem & pauorem pœnæ, cruciatus & tormenta inferni: cùm vero verius sit, quòd præfati cruciatus omnes simul iuncti, veluti etiam cuncti, qui anteactis extiterunt sæculis, & qui erunt, comparandi non sint minimo tormento, quod damnatus pati debet in inferno; nam cruciatus mundani sunt momentanei, & infernales æterni? illi affligunt solum corpus, hi corpus simul & animam, & quo excellentior est anima corpore, eò maior & intensior erit dolor. Vnde Deus Deuteron. 32. vers. 23. loquendo de animabus damnatorum dixit: *congregabo super eos mala*, nimirum, veluti explanat hîc Doctissimus Oleaster: *omne genus malorum in eos mittam, non vnum aut aliud.* Erit namque quædam, vt ita dicam, quinta essentia tormentorum, quam patientur damnati in inferno.

Num. 6. Hisce adiungendum est N. quod & præ reliquis admiratione dignum est, quòd, diuinâ ita operante & ordinante iustitiâ, horrendæ illæ pœnæ infernales nunquam habent aut habebunt per totã æternitatem minimum gradum remissionis seu consolationis. Omnes pœnæ tribulationesque præsentis vitæ terminantur hac temporali morte; ast inferno nullus est finis malorum & cruciatuum sustinendorum, nulla pœnæ remissio, nullum remedium pœnitentiæ, misericordiæ spes nulla, nulla sanctorum intercessio, sed semper eadem pœna, & in eodem perseuerabit gradu per omnem æternitatem: *sic ignis ibi consumit* (ait S. Bernardus libro medit. cap. 4.) *vt semper referueat sic tormenta aguntur, vt semper renouentur, ardebunt miseri in igne æterno in æternum.*

Num. 7. Verùm maiori consideratione dignum est, quòd hoc compositum tormentorum, & quinta pœnarum essentia, quam gustare & epotare cogetur peccator, eidem propinabitur à fatalibus suis inimicis, à ministris, qui mirum in modum odio eum prosequuntur, ab infernalibus, inquam, dæmonibus. Refert Cælius Rodig. quòd quidam dictus Ægron occiderit Dædalionem inimicum suum capitalem, & cùm ille ductus esset ad tribunal Iudicis ac de homicidio conuictus, pronunciatâ Iudicis sententiâ traditus fuit potestati filij illius quem occiderat, vt hic occisori inferret mortem, quamcunque vellet. Quare is proprijs manibus reo eruit oculos, deinde *corpus munitatim mutilauit*, inquit Cœlius, in minutissimas nimirũ diuisit partes corpus rei, qui tametsi crudelem pateretur mortem, de nullo alio nihilominus conquerebatur, quàm quòd tormenta illa pateretur à filio inimici sui capitalis: *nil durius in hac morte, quàm ab inimici filio mutilari.* Ed quid dicent peccatores, cùm se vndique circumdatos cõspicient à fatalibus suis hostibus, qui sunt dæmones inferni, & ab illis æternis affici cruciatibus & tormentis? Verte te, ô peccator, in quamcunque velis partem, ne monstra illa horrenda conspicias, vultu nihilominus indignabundo & minaci ipsemet te inuitabit Lucifer & dicet: *Sume calicem vini furoris huius de manu meâ.* Ierem. vigesimo quarto, vers. decimo quinto, Gusta omnia tormentorum genera. *Bibent* (inquit Deus per os Jeremiæ) *& turbabuntur & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos.* loc. cit. vers. decimo sexto. velut alia habet lectio: *à facie inimici, quem ego mittam eis.* Cogentur miseri damnati ad ebibendũ calicem illum iræ diuinæ, sibique rodent viscera: sed dolor addetur dolori & pœna augmentabitur, cùm se affligi conspicient à diabolis hostibus sibi infensissimis, & inter alios dolores, lamentationes & gemitus quos proferent miseri damnati, erit & ille, quem refert & introducit Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. quinquagesima secunda ad pop. *Affligunt nos vndique pœnæ, tormenta certam minantur mortem, & nunquam morimur: transimus ab aquis niuium ad ca-*

ad calorem nimium, & omnia exquisitissima tormentorum genera perpetuâ morte gustamus. Sed quod crudelius nostra dissecat viscera cordis, ab impijs ministris hæc omnia patimur de nostrâ infœlicitate sauissimè gaudentibus.

Num. 8. Hisce iam dictis addatur, quod cùm nulla ibidem adsit euasionis & liberationis spes, duplo maiorem sentient pœnam. Testimonium huius perhibeat infœlix ille diues Epulo, vocem is ad cœlum vsque extollat, miserandâ & lachrymabili voce, vt linguam suam refrigeret aduocet Lazarum, in vanum tamen clamabit, & frustrà sperabit, nam *in inferno nulla est redemptio*, ait Sancta Mater Ecclesia. Et non sine ratione pœna inferni est æterna, quia infinitum & æternum est obiectum nimirum Deus, quem offenderunt damnati, vti docet Albertus Magnus libro primo. Comp. Theol. cap. 37. Est insuper pœna infinita & æterna in pœnam voluntatis obstinatæ, quam in peccando habuerunt damnati, de quibus D. Gregorius 4. moral. itâ discurrit: *iniqui voluissent sine fine viuere, vt si fine potuissent peccare.*

Num. 9. Veritatem hanc docuit quoque Spiritus sanctus per os Dauid Prophetæ: *ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare.* Psalm. 35. vers. decimo tertio. Ac si diceret, peccatores cœlo exules & clarâ visione Dei orbati non potuerunt ampliùs resistere, cognouerunt se in vanum sperasse, ceciderunt quasi formidabile fulgur & tonitru. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*, & vbi, ô sancte Propheta, ceciderunt? in quem locum prolapsi sunt? *ibi ceciderunt. ibi*, non explanat, nec exprimit, vbi & quis sit ille locus, vt hinc edoceremur, non posse eundem linguâ humanâ explanari & declarari.

Ibi, in locum illam ardentissimi sulphuris: *missus est in stagnum ignis & sulphuris.* Apoc. 20. vers. 9.

Ibi, vbi non nisi diaboli morantur, *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius*, Matth. 25. vers. 41.

Ibi, vbi fame vexabuntur caninâ absque saturitate: *famem patientur vt canes*, Psalm. 58. vers. 7.

Ibi, vbi exoptabunt mortem, & non reperietur: *desiderabunt mori; & fugiet mors ab eis.* Apoc. 9. vers. 6.

Ibi. Vbi, ait S. Anselmus in lib. de miser. *vndique erunt angustiæ, hinc peccata accusantia, inde terrens iustitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus Iudex, intus conscientia vrens, foris mundus ardens.*

Ibi, vbi, teste D. Bernardo Serm. de Negot. *videbitur ignis vrens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, malleï percutientes, tenebræ palpabiles confusio peccatorum & horribiles facies dæmonum.*

Ibi, vbi, vt author est D. Gregorius lib. 9. moral. cap. 47. *erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate, &c. Mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.*

In hunc ergo locum: *ceciderunt, qui operantur iniquitatẽ*, absque vlla exceptionis, & ad perpetuam suam confusionem quasi inuidi fratres illius Ioseph Patriarchæ amaris quidem, at infructuosis lachrymis clamabunt & vociferabuntur: *meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos ista tribulatio.* Genes. cap. 42. vers. 21. Quia offendimus pientissimum fratrem nostrum Christum Dominum, nec vocationibus eius dedimus locum, neque diuinis eiusdem inspirationibus correspondere voluimus, imò *peccauimus in fratrem nostrum*, de nouo crucifigentes eum, dum nostris peccatis morti illius cooperati fuimus, ideò meritò hos intolerabiles pati-

patimur dolores, sustinemus tormenta. *Idcirco venit super nos ista tribulatio.*

Num. 10. Miseri & infœlices damnati in hoc demorantes statu: *quærent mortem & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*, Apoc. 9. vers. 6. Auscultate ambobo, quòd dicit D. Gregorius in hunc locum: *quid igitur acerbius, quàm mortem semper desiderare, & non obtinere?* imò quid atrociores ingerit pœnas, quàm semper velle, *quod nunquam erit? cruciatur ergo, & non extinguitur, moritur & viuit, deficit & subsistet, finitur & sine fine est.* O quale tædium & tribulationem habebit infœlix & infortunatus ille in istis pœnis infernalibus, in quibus permanebit absque vlla spe refrigerij, & ad minus absque vlla spe mortis, quâ omnia terminari solent tormenta. Vnde Propheta Isaias loquendo de damnatis prorupit in hæc verba: *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, cap. sexagesimo sexto, versic. vigesimo quarto, & Saluator noster Matth. 25. versic. 41. *discedite à me maledicti in ignem æternum.* Non mille aut centum millia annorum, sed per totam æternitatem. Si alicui damnato dicerem: remanebis in inferno tot millia annorum, quot aquæ guttæ sunt in mari, quot in cœlo stellæ, quot arenæ in littore maris, hisce finitis liberaberis, & saluus euades, fœlicem se reputaret, ac præ gaudio & lætitiâ exultaret, tripudiaret; ast finito hoc annorum numero, de nouo incipiet, ac si nunquam illius factum fuisset principium.

Insuper dico, si post tot & quæuis annorum millia damnatus vnicam solam conseruaret lachrymam in aliquo vase, & hæ lachrymæ simul congregatæ in tantâ essent quantitate, vt totum adimplerent mundum, adhuc tamen nullæ essent respectu æternitatis.

Num. 11. Necessarium igitur est N. vt aliorum damno discamus derelinquere peccatum, & mutare vitam ac mores, si æternas velimus euadere pœnas. Verùm pauci, prô dolor, sunt, qui fidem habent huic pœnarum æternitati, & tametsi credant, vix tamen vllam procurant vitæ mutationem & emendationem. Quid non fecerunt Sancti, quæ non subierunt tormenta, vt æternas effugerent flammas & pœnas? num fortè ad terendum tempus prædicauerunt & promulgarunt Prophetæ tormenta inferni? num fortè iocabantur Apostoli, cùm loquebantur de pœnis infernalibus? an fortè hæ sunt meræ exaggerationes Concionatorum, dum impijs æternitatem comminantur pœnarum? num Redemptorem nostrum, qui candidè, syncerè & velut innocentissimus infans locutus fuit, ludicra & iocos nobis proponere existimatis, dum ob oculos nostros statuit diuitem illum epulonem in inferno clamantem: *crucior in hac flamma?* *an putamus fratres* (ita sermocinatur & exclamat Sanctus Hieronymus Epist. ad Pammach. & Ocean.) *quòd iocando Prophetæ prædicent, ridendo loquantur Apostoli, Christus infantiliter comminetur?* toto profectò aberrat cœlo, qui istius existit opinionis N. *iocinò sunt, vbi supplicia intercedunt.* vbi agitur de pœnis & tormentis. *Si iocondo passi sunt, credantur & iocando locuti*, q. d. Si mortem passi sunt ex ioco, credamus & nos, illos iocosè promulgasse pœnas inferni, ast audite, quod idem sanctus Doctor subiungit: *Isaias serra secatur, Daniel leonibus deputatur, Paulus gladio truncatur, Petrus in cruce Domini exemplo suspenditur, & hoc totum, vt à peccatis & pœnis homines suâ Doctrinâ reuocarent.* Violentam sancti subierunt mortem, vt æternam mortem euaderent, nosque exhortarentur ac cautos efficerent, ne in eandem & pœnas æternas incideremus, & ideò Isaias fuit interfectus, in lacum Leonum præcipitatus fuit Daniel, Paulus plexus capite, Petrus crucifixus, & nihilominus Christiani viuunt absque timore Dei, ac peccatores adhuc tam tepidi & frigidi in exequendis operibus

 bonis?

bonis? ecquid cogitatis? desideratisne fortassis adire infernum & inter ardentissimas gehennæ flammas commorari? at respondebo vobis cum Prophetâ: *quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isaiæ trigesimo tertio, vers. decimo quarto, quis ex vobis sustinere poterit sempiternos illos ardores, flammas illas atrocissimas, tenebras illas horridissimas, illos inextinguibiles carbones, Dæmonum aspectum horrendissimum, rabiosum illum dentium stridorem, frigus illud gelidissimum, fœtorem intollerabilem, sulphureum illum odorem, tremendissimas illas cordis angustias, inexplicabilem illam confusionem, exquisitissimarum pœnarum infinitatē, inauditorum tormentorum æternitatem, immensum denique illum oceanum dolorum, pœnarum ab offenso omnipotenti Deo adinuentarum, illud nunquam, nunquam, nunquam. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* O bone Deus, quomodo non euacuantur ciuitates & oppida, & replentur deserta Anachoretis? quomodò non obstupescunt & attoniti hærent homines?

Num. 12. Diaboli, inquit Sanctus Cyprianus Martyr in Epistol. ad Rog. audientes solùm nominari infernum timent & cōtremiscunt; & tu, ô peccator, qui times ictum apis, vel morsum culicis, nō times illos cruciatus, pœnas & ignem illum semper ardentem? *O mi frater*, (ita loquitur D. Augustinus ad quendam comitem cap. 55. *nunquid ferreæ sunt carnes nostræ, vt non contremiscant, vel etiam sensus noster adamantinus, vt non emollescat ad illa Dei verba: ite maledicti in ignem æternum?* cur igitur non spernis mundi huius illecebras & vanitates, carnis delicias, & momentaneas sensus voluptates? cur non in continuo hæres timore & tremore?

Si esset forum aliquod magna reple- Num. 13.
tum hominum multitudine, quibus reuelatum esset, vnum illorum fulmine è cœlo tangendum & occidendum fore, nec vlli constaret, quisnam ille esset, nec vllo se loco mouere posset, annon quilibet sibi timeret? quæ non preces funderentur ad Deum? quis illorum cogitaret de potu & cibo, taceo de rebus illicitis & inhonestis? & si illâ reuelatione diuinâ & infallibili cunctis promulgaretur, quod fulmine illo quarta pars hominum deperdenda & absumenda esset, annon maiorem cunctis incuteret timorem? & si manifestaretur, omnes, paucis exceptis, occidendos fore, quomodo non trepidarent omnes, quomodo non palpitaret cor eorum? ô stulti filij Adam, quàm stolidi & vecordes estis! quàm exiguo vtimini iudicio! fulmen imminet seuerissimæ Dei iustitiæ, maiorem partem hominum mundi huius tanget & feriet: *multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, Matth. vigesimo, vers. decimo sexto. Et nihilominus non se emendant, non corrigunt errores suos, nec mutāt vitam & agunt pœnitentiam, imò magis magisque offendunt Deum. *Quid horribilius morte? quid iudicio terribilius? nam gehennâ nihil potest intolerabilius cogitari*, inquit Sanctus Bernardus de compunct. cord. capite nono. Si hæc iam dicta nos non moueant, quid ergo nos mouebit? *quid metuet*, (prosequitur idem mellifluus Doctor) *si quis ad ista non trepidat, non*
expauescit, non timore concutitur? Num. 14.

Audite N. mirabilem & stupendum casum, qui successit in ciuitate Iconij, relatum à S. Vincentio sermon. sexto in septem. Erat quidam Decanus, qui non cōtentus pio & religioso illo viuēdi modo, quo viuebat, ad maiorem aspirauit vitæ perfectionem, quare petijt desertum aliquod, & sanctorum, quos ibidem reperiebat, eremitarum vitæ exempla omni conatu studuit imitari, & quia memor illius diuinæ sententiæ: *qui autem*

perse-

perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, Matthæi decimo, versic. vigesimo secundo. Perseuerauit in hac piâ & sanctâ vitâ semel ab eo inceptâ viginti quinque annis, ac posteà piè sancteque obijt eodem videlicet die, quo mortuus est Sanctus Bernardus: & ecce nocte sequenti suo apparuit Episcopo totus coruscans & refulgens lumine, eique dixit: Reuerendissime Domine age pœnitentiam, emenda vitam tuam, & sta in timore, secus æternâ priuaberis gloriâ, & scias velim, quòd heri eodem quo ex hac vitâ discessi, momento, expirauit pariter Sanctus Bernardus, & ante tremendum tribunal cœlestis iudicis comparuerunt triginta millia animarum, quæ eodem tempore corporibus suis & mundo valedixerunt, ego & Bernardus statim obtinuimus cœlestem gloriam & paradisum, tres aliæ venerunt ad purgatorium; reliquæ omnes damnatæ fuerunt ad infernum, & hoc dicto disparuit. Casus hic N. meritò nos instruere & commouere deberet, vt piam & sanctam instituamus vitam, agamusque dignam pœnitentiã, ait sanctus Vincentius, post iam adductũ exemplum. Agite igitur, ô Christiani, recogitate hoc parumper, si de triginta millibus animarum quinque solùm saluæ factæ sunt, quot ergo ex nobis saluabuntur? S. Ioannes Chrysostomus homil. quadragesima, cùm die quodã sermonẽ instituerет ad populum Antiochenum, & hoc idem exaggeraret punctum, prorupit in hæc verba: *Quot esse putatis in hac ciuitate, qui salui fiant? infestum quidem est, quod dicturus sum, vera tamen dicam: non possunt in tot millibus centum inueniri, qui saluantur, quin & de illis dubito.* In vnâ ergo ciuitate, quæ fuit metropolis illius regionis, tam magna, tam famosa & copiosa, vbi nomen Christianorum suam habuit originem, vbi Christiana florebat & triumphabat fides, non promittit S. Chrysostomus centum personas, quæ saluæ fiant; quid ergò erit de nobis hisce peruersis & corruptis temporibus, quibus exiguus imò nullus ferè regnat timor Dei? quibus tot crapulæ, tot vsuræ, tot illiciti contractus, tot blasphemię, tot lasciuiæ videntur? Recogita, ô Christiane, infernum, æternitatem, & tormẽta sempiterna, time & treme, pessimas desere vias, mores muta & vitam, & dignam de peccatis tuis age pœnitentiam, si desideres æternas effugere flammas, & frui cœlesti paradiglo iâ

Inuidia.

DISCVRSVS XXVII.

De diabolico vitio Inuidiæ, & quanta progeneret damna & mala.

Num. 1. SENECA moralis ille Philosophus scribendo vice quâdam suo charissimo Lucillo, postquã eum exhortatus esset, vt animum suum exornaret virtutibus, quascumque sibi conquirere posset, seriò quoque eundem voluit monitum, vt quàm maximè euitaret diabolicum hoc vitium inuidiæ, hæc inter alia ei scribebat verba: *inuidiam fuge, eâ enim nihil sæuius*, ac si diceret magnus hic Philosophus, charissime Lucille, si fortuitò obuium haberes crudele illud inuidiæ monstrum, videndo alios in prosperitate & dignitate constitutos, fuge, deuita illud, & propelle illud à te veluti nociuum

& horrificum monstrum. Et verum fateat N, quamuis varia sint vitiorum monstra, eaque omnia horrorem incutiant, nullum tamen est, quod temerario ausu suam in homines magis exerceat tyrannidem, quàm maledictum hoc vitium inuidiæ, natiuum eius domicilium est pestilens cor Luciferi, vultum præ se fert omninò squalidum, frontem rigidã, elata & truculenta supercilia, oculos habet ignitos, retortas nares, pallida labia, dẽtes leoninos, vipetina vbera, & crudeles ac auidos gerit vngues: tali modo armata est, vt mouendo manum rapiat, mouendo pedem nociuum formet gressum, promendo lac, toxicum præbeat, fremendo dentibus deterreat, mouendo labia cuilibet nauseam pariat, inficiat visu voluendo oculos, erigendo supercilia superba deprimat corda, crispando frontem omnem obtenebret serenitatem, & vt paucis plura complectar, si vultum eius penitiùs inspicias, & à vertice capitis ad plantam pedis vsque bene consideres, totus trepidabis pauore; cogitationes eius spirant non nisi vindictam, intentiones eius in proprium collimant commodum, loquendo venenosos efformat accentus, pestilens est, virulenta est, & toxicum parat in omni motu & actione suâ. O inuidiam, inuidiam! cuius mensæ non nisi veneno serpentes sunt, cibi verò humanæ carnes, cuius aspectus semper toruus, cuius lectus ob aggrauantes cogitationes spinosus est. Vnde cùm apud alios diescit, apud illam inuesperascit, aliorum consolatio est ipsius planctus & desolatio, huius lætitia est ipsius pœna, & pœna huius est, ipsius lætitia, alterius voluptas est ipsius tribulatio, & tribulatio alterius est ipsius voluptas, huius exoptata vota & animi quies est ipsius tormentum, & tormentum huius est ipsius quies & votum plusquam optatum; summa, proximi Oriens est ipsius occidens, & vbi alius opprimitur, ipsa triumphat. O maledicta inuidia, crudelissimum monstrum! meritò igitur exclamat Seneca: *inuidiam fuge, eâ enim nihil sæuius.* Bestia profectò crudelissima est inuidia, eò quòd alterius conspiciendo prosperitatem se consumit & destruit. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 2. pulchrum attribuit inuidioso titulum: *Inuidus* (ait ille) *iustissimus sui ipsius carnifex est.* Et quis de hoc dubitat? ambitiosus nocte dieque sudat vt honores adipiscatur & dignitates. Auarus currit per mare, per terras; sudat & laborat, vt accumulet diuitias. Lasciuus millenis se exponit periculis vt momentaneam aliquam venetur voluptatem, & idem est de alijs vitijs; ast inuidiosus seipsum rodit & discerpit propter bonum alterius; vnde non minus verè quàm eleganter cecinit poëta Horatius lib. 1. Num. 2.
Epist. ad Col.

Inuidus alterius macrescit rebus opimis.

Et propterea Dionysius Tyrannus supplicio affecturus quendam è suis aulicis proditorem, haud potuit maius eidem inferre tormentum, quàm vt eum concitaret ad inuidiam in ipsius æmulum, cui tyrannus omnem præstabat fauorem & gratiam, & hac pœnâ hocque tormentorum genere planè proditorem illum absumpsit & disperdidit, hinc, & ortum est illud prouerbium:

Inuidia Siculi non inuenêre Tyranni
Tormentum maius Num. 3.

Summa hæc pœna repræsentat quendam infernalem cruciatum, iuxta illud Cantic. octauo, vers. sexto. *dura sicut infernus æmulatio.* Cùm rex Dauid persecutionem pateretur ab inimicis suis, cõspiceretque æmulos suos honore & fauore affici à rege Saul exclamauit: *dolores inferni circumdederunt me.* Psalm. decimo septimo, vers. sexto Sãctus Augustinus legit hîc *dolores inuidiæ,* nimirum rabiosi morsus inuidiæ, qui comparantur morsibus infernalibus.

Hinc asserit sanctus Bernardus serm. 50. in Cantic. pluribus è cœlo deturbatis dæ-

tis dæmonibus assignatum fuisse hunc aërem veluti locum suum, in quo morarentur vsque ad extremum iudicij diem, qui locus mediat inter cœlum & terram, & hoc ideò, vt magis magisque inuidiæ torquerentur morsibus, videntes se in medio constitutos inter iustos Paradisi & terræ, inter illos, qui regnant in cœlis triumphantes, & hos, qui meritis & gratiâ ditantur & cumulantur in terris: *Diabolus* (ait mellifluus Doctor) *in pœnam suam locum in aëre isto medium inter cœlum & terram de cœlo cadens sortitus est, vt videat & inuideat, ipsâque inuidiâ torqueatur.*

Num. 4. Immanior & crudelior N. non reperitur carnifex ipsâmet inuidiâ. Ita affirmat Sanctus Zeno serm. de liuore & inuid. dicens, inuidiosum semper deferre in corde suo infernum quendam portabilem, seipsum torquentem & excruciantem, portare insuper secum veram effigiem æternarum pœnarum, quas in obscuris inferni carceribus miseri patiuntur damnati: *fugiamus inuidiam* (ait Sanctus ille) *obstaculum regni cœlorum, viam gehennæ, pignus quoddam pœnæ perpetuæ.* Fugiamus atrocem inuidiæ bestiam tanquam impedimentum cœlestis gloriæ, veluti viam, quæ nos conducit ad infernum, & tanquam pignus æternorum cruciatuum. Sicque inuidiosus & damnatus quoad pœnarum tolerantiam & passionem quasi pares sunt & æquales.

Num. 5. Plurimùm nostro huic proposito inseruiet, quod ait Sanctus Basilius Orat. primâ de hac maledictâ & cœcâ passione, fundatum supra dictum quoddam Sancti Ioannis Apostoli primæ Epistol. cap. quarto, vers. decimo sexto, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* Deus totus charitas est, totus ignis est, & qui tactus & sauciatus est hoc amoris fulmine, dicere potest, strictissimè se esse vnitum Deo, & Deum deinde se vnire ei, qui, illum ex toto diligit corde. Sanctus ergo Basilius ex prætactis verbis eiusmodi nunc conficit argumentum: *Si Deus (vti Ioannes inquit) charitas est, ipsa inuidia dæmon sit, Vt igitur qui charitatem habet, Deum ipsum in se manentem habet, ita qui inuidiam fouet, dæmonom haud dubiè in seipso nutrit atque alit.* Num crudelior infernus maiusque tormentum potest esse, quàm sit dæmon quidam in corde alicuius inuidiosi? Num. 6.

Detestandum vitium est inuidia, eumque, qui illi subiectus est, adeò miserè & crudeliter affligit & torquet, vt, cùm aliorum considerat prosperitatem, subitò impallescat eius vultus, & color totius mutetur aspectus. Hinc est, quòd in sacris litteris hoc maledictum vitium explicetur sub vmbrâ palloris, veluti innuit Sanctus Ioannes in suâ Apocal. cap. decimo sexto, & confirmat deinde conceptum meum Sanctus Cyrillus Alexandrinus in hunc locum. Refert Scriptura Sacra, quòd, dum S. Ioannes contemplaretur successum septem illarum phialarum, audiuerit vocem magnam de templo dicētem septem Angelis ministris iustiæ: *ite & effundite septem phialas iræ Dei,* Apocal. decimo sexto, versiculo primo. Auditâ hac cœlesti voce, ecce Angelus vnus confestim phialam suam, quā manu tenebat, effudit in terram, *& factum est vulnus sæuum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos qui adorauerunt imaginem eius,* loc. citat. versiculo secundo. Dicit ergo Sanctus Cyrillus plagam illam causatam ab Angelo fuisse etiam pallidam: *factum est vulnus sæuum & pallidum,* quod videlicet homines efficiebat pallidos; ast vnde talis ei potētia efficiendi homines pallidos? *vulnus autem hoc* (respondet sanctus ille Doctor) *inuidia generauit: inuidi enim propter tristitiam & mœrorem, quem de alienâ fœlicitate concipiunt, mortis colore induuntur, & dum consumantur tristitiâ, alienis bonis contabescunt.* Num. 7.

Mirabili & stupendâ tigris prædita est pro-

proprietate, quam & obseruarunt naturalium rerum scriptores, eamque referunt Plinius, Pierius Herodotus, Clemens Alexandrinus & alij. Si casu musicum aliquod tigris audit suauiter pulsari instrumentum, crudelior & ferocior euadit, quàm vmquam fuerit, & si per infortunium suum post instrumenti huius pulsationē audiret deinde vocem quandam allicientē homines aut alia animalia, ipsa in seipsam crudelior facta vnguibus seipsam discerperet, dilaniaret & mactaret. Hanc bestialem consuetudinem & proprietatem quasi per hæreditatem sibi acquisiuit inuidiosus; etenim si conspicit aliquem amari ab alijs propter optimas suas, quibus est præditus, dotes & qualitates, intra seipsum ardet subitò irâ & indignatione; Si audit aliū laudari & ipsius extolli merita, totus indignatus fremit dentibus, nunc huc nunc illuc currit & fugit, adeò vt aptè hîc verificetur illius Poëtæ Sanaz. Arcad. dictum

L'inuidia figliuol mio se stessa macera.

Verùm excusatum illum habetote N. quia sicut se habet tigris ad suauem sonum citharæ vel alterius instrumenti musici; ita inuidus ad laudes alterius.

Suo id roborabit testimonio regius Propheta Dauid, qui præclaris laudeque dignis iusti alicuius hominis illectus qualitatibus & meritis, pulchram & insignem quinque vocum composuit cantionem, quam & in ipsius laudem decantauit, vnde in hunc modum incepit psalmum centesimum vndecimum: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*, versic primo. *Potens in terrâ erit semen eius, generatio rectorum benedicetur*, versic secundo. *Gloria & diuitiæ in Domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi*; vers. tertio. *Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius: non commouebitur donec despiciat inimicos suos*, vers. octauo, *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloriâ*, vers. nono. Gratiosissima profectò cantio, quæ meritò omnem deberet incitare hominē ad amandum eum, in cuius honorem fuit composita, qui est homo iustus & timoratus. Verùm, quia semper ferè reperitur inter homines aliqua tigris, ideò prosequitur idem Propheta dicens *peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*, vers. 10. q. d. Homines verò inuidiosi videndo has personas pias & sanctas in tali constitutas prosperitate & fœlicitate, instar tigris in seipsos irâ seuient, & crudeliter se occident: *dentibus suis fremet & peribit*. Legit quidam alius, imò volens huic meo conceptui de tigride applaudere, dicit in hunc modum: *peccator videbit, & ad instar tigridis irascetur.*

Vnde idem Doctor pergit dicendo: *sicut enim illa musico auditu crudelius sæuit & dilaceratur, sic prospero iusti euentu peccator irascetur, & propriam dilacerabit animam.* Num. 9.

Desideratisne videre ex Sacra Scriptura crudelem aliquam tigridem, in medium illam producit grauissimus quidam Author, dum ait: *vultis tigrim videre? inspicite Saulem.* Reuocate in memoriam N gloriosum & celebrem illum triumphum, quo heroicus ille adolescens Dauid deuicto & detrūcato superbo Goliath redijt gloriosus refert S. Scriptura illum triumphum hisce verbis: *cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël cantantes chorosque ducentes in occursum Saul regis in tympanis lætitiæ & in sistris, & præcinebant mulieres ludentes atque dicentes; percussit Saul mille, & Dauid decem millia* 1. Regum capite 18. versic. sexto & septimo. Omnes lætantur, exultant & tripudiant de obtentâ victoriâ, omnibus placet suauis cantionum melodia, cuncti applaudunt dulci & sonoro cantatricum modulamini, suauem hanc Symphoniam approbant omnes, nec vllus reperitur hominum, qui lætitiæ & triumphi

triumphi non ostendat signa. Vna sola tigris inter tot millia hominum odio summo prosequitur nec audire potest canticum illarum mulierum, & loco iubili & lætitiæ attristatur, irascitur, fremit & in seipsam crudelis efficitur: cupitisne scire, qualis sit? inuidiosus Saul: *iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste.* vers. octauo. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illâ & deinceps,* versic. 9. Obstupescit summopere hac super actione suprà citatus Doctor commentando in hunc locum, & alloquendo Saulem, dicit hoc modo: *cur Saul irasceris, & laus patriæ Saluatoris tibi displicet?* cur nimirum eius tibi displicent laudes, qui te tuamque ab hostium eripuet captiuitate patriam? *lætare bone vir* (pergit idem Author) *auditione cantantium mulierum; nonne vides vt leuiter chordas sonoras percutiunt, quàm pulchrè pedes mouent? debent hæc omnia lætitiam parere, non crudelitatem, & tu irasceris?* concludit deinde; *iam cum tigride nobis est sermo, non cum homine, & qui tigris inuidiâ euaserat, mores illius imitabatur in cantu fœminarum.* Maiori namque non potest affici pœnâ inuidiosus, quàm cùm conspicit proximum suum laudari & honorari. Num. 9.

Num. 10. Quam ob causam dixit Seneca prout refert Hugo Cardinalis in Psalm. quadragesimo tertio: *vtinam inuidi vbique oculos haberent, vt omnium fœlicitate torquerentur,* q. d. vtinam omnes inuidiosi essent Argi & vndique essent oculati, vt aliorum prosperitatem, honorem & gloriam ritè conspicere valerent, hac enim ratione crudelissima paterentur tormenta, subirent dolores quàm maximos, quia cuiuslibet alterius fœlicitas illis est acutus gladius & lancea, quâ ipsorum sauciantur animæ, & quò plures prosperos intuetur proximorum successus, eò pluribus punguntur spinis, transfiguntur lanceis, & vlnerantur sagittis. Quare maledictam & rabiosam passionem meritò S. Zeno sup. cit appellauit: *viam gehennæ & pignus pœnæ perpetuæ.* Concludamus igitur N. maius in hac vitâ non extare tormentum, quàm quod patitur inuidiosus.

Num. 11. Hinc etiam fit, quòd inuidi proprijs animabus miseram inferant mortem, & propterea à veritate non aberrauit Sapiens in suis Prouerbijs cap. 14. vers. 30. dicens: *putredo ossium inuidia,* vbi legit Hebræus: *mors ossium inuidia.* & alij: *mors animæ inuidia.* Pace fruatur homo & quiete quantumcunque voluerit; at si per infortunium voluntatis suæ portam reliquerit apertam, & subintrare permiserit maledictam hanc inuidiæ bestiam, non tam hæc ponit pedem, capitque possessionem in corde, quin illicò animam dabit internecioni. Quemadmodum de viperâ referunt rerum naturalium Scriptores, quæ non potest parere, quin simul moriatur: nam viperæ, materno adhuc inclusæ vterò, morsu suo venenoso matris perfringunt & dilacerant ventrem, sicque horum generatio est illius corruptio, & vbi partus incipit vitam, ibi Mater principiat mortem. Ad eundem planè modum agit inuidia, quæ veluti venenata vipera propriam interimit matrem, vt illa habeat vitam, idque innuere volebat Sapiens: *mors animæ inuidia.* Et quamquam omnibus peccatis proprium est spiritualem inferre mortem animæ, attamen id speciatim verificari potest de inuidiâ, quod videlicet mors sit animæ, cùm sit peccatum propriũ Lucifero, qui à principio rebellionis suæ inuidus fuit fœlicitati hominum, quos à Deo conspexit euectos aut extollendos ad cœlestem gloriam. Pereleganter hunc meum conceptum confirmat Diuus Augustinus sermon. 83. de tempore; dum aliud non adducit simile quàm illud de viperâ, vt modum ostendat, quo animam occidit inuidia. *Sicut aiunt* (inquit Diuus Augustinus) *viperas dilacerato ipso materno vtero nasci, ita*

quo concepta sunt, ita & inuidia natura illam ipsam animam, quâ concepta est, consumit & perdit. Inuidia N. vbi animæ cuiusdam capit possessionem, voluntatis ipsius disrumpit & dilacerat consensum, animam interimit & gratiâ priuat: *mors animæ inuidia.*

O crudele monstrum! ô pestiferam bestiam! ô furiam infernalem inuidiam ipsis feris sæuiorem & crudeliorem! quisnam erat ille stimulus, quo agitabantur pectora fratrum Ioseph, cùm hūc è medio tollere concluserant, nisi inuidia? Genes. 37. Quis ignis erat iste, qui viuum adurebat cor Aman, dum non honorabatur à Mardochæo, nisi inuidia? Esther cap. 3. Qualis malignus spiritus linguam mouit Aaron ad murmurandū de Moyse ratione familiaritatis contractæ cum Deo nisi inuidia? Numer. 12. Quæ furia inuasit Cain, vt innocentem occideret fratrem suum, cuius sacrificium acceptauerat Deus, nisi inuidia? *quis dubites immane vitium esse inuidiam?* dixit D. Ambrosius in Lucam. sed exigua hæc sunt, quæ dixi: inuidia peor & crudelior est ferocissimis quibuscunque bestijs.

Num. 12. Expertus idipsum fuit Daniel in Domo Nabuchodonosoris regis, à quo ob somniorum interpretationem in magnâ habitus fuit æstimatione & honore; sed ab hisce honoribus ortum suum habuit tragœdia; prodijt namque in medium inuidia, & conspiciens S. Prophetam ad sublimes euectum honores concitauit in eum aulicos regis, qui cōfestim cogitare cœperunt, quomodò illum è medio tollerent: post plurima iniqua excogitata media irritosque conatus demum persuaserunt regi, vt eum præcipitaret in lacum Leonum. Nec id sufficiebat rabiosæ illorum fami, quam ab aliquot diebus in miserum conceperant Danielem, insuper & Leones diuturnâ affecerunt inediâ, vt eâ stimulati vnico momento eundem discerperent & deuorarent. Amarissimis rex lachrymis comitatus est innocentem adolescentem ad lacum, ponderoso os laci cooperuit lapide, & proprio illum obsignauit sigillo: *allatusque est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit rex annulo suo.* Danielis capite sexto, vers. decimo septimo. Nec eo contentus fuit rex, vnde ordinauit idem fieri ab accusatoribus eius: *& annulo optimatum suorum.* Ast quæro ego hîc, in quem finem fecit rex obsignari os laci? quid peius misero Danieli obtingere poterat, quàm vt poneretur in medio voracium & rabiosorum Leonum? respondet Sacra Scriptura, id à rege ordinatum fuisse: *ne quid fieret contra Danielem.* Voluit abs dubio significare iuxta mentem Sancti Gregorij Nazianceni Orat. 9. Noui peroptimè hunc Prophetam esse virum sanctum, scio ipsum inter medios constitutum Leones à suo Deo fore liberandum; ast videntes fortassis inimici eius illæsum conseruari à Leonum dentibus, quod ex iussu & ordinatione Dei non audent facere crudelissimæ bestiæ, id facient inimici illius ferâ stimulati inuidiâ, qui, cùm sint ipsis immaniores ferocioresque Leonibus, interficient eum. Tollatur igitur, inquit rex, huiusmodi occasio, regio meo obsignetur sigillo os laci: *ne quid fieret contra Danielem*, abs dubio namque à feris liberabitur Leonibus. *Magis timuit* (inquit sanctus ille Episcopus) *ferocitatem aulicorum hominum malorum, quàm ferocitatem bestiarum.* Quod & confirmauit S. Hieronymus in hunc locum dicens: *obsignauit annulo suo lapidem, quo os laci claudebatur, ne quid contra Danielem moliantur inimici: credidit enim eum Dei potentia, & qui de Leonibus securus est, de hominibus pertimescit; obsignat autem & annulo optimatum suorum, ne quid suspicionis contra eos habere videatur.* Idem & attestatur Theodoretus in hunc locum. Et experientia euidens veritati huic perhibet testimonium: etenim iam vidi-

vidimus, quòd quem crudelitas hominum aperto mortis exposuerat periculo, illum tutum & liberum dimiserat feritas leonum, à quibus non nisi pietatem & mansuetudinem expertus fuit, & ne quidem ipsum tetigerunt.

Num. 13. Verum ergo est & plusquàm verum N. maledictum hoc inuidiæ vitium esse adeò magnum & enorme vt hominem faciat omniũ peccatorum Epilogum, veluti id contestatur Sãctus Ioannes Chrysostomus homil. 4 in Matth. dicens: *tale malum est inuidia, vt nulla vnquam malignitas peior inueniri queat.* Oculos suos vice quâdam aperuit Propheta Daniel, & quatuor vidit facies ferocium animalium, quatuor vtpote grauissimorum peccatorum figuras: prima facies similis videbatur cuidam leænæ, secunda vrso, tertia pardo, & quarta non habebat, cui assimilaretur: *videbã in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*, Danielis septimo, vers. secundo, *& quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se*, vers. tertio, *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ, &c.* vers. quarto, *& ecce bestia alia similis vrso*, vers. quinto, *Post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi auis*, vers. sexto, *Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis & fortis nimis*, vers. 7. Stupenda profectò hæc est visio N. etenim tres priores bestiæ quandam participant similitudinem cum alijs animalibus, solùm de quartâ dicitur, quòd non haberet, cui assimilaretur; sed quòd esset terribilis, mirabilis & supra modum fortis. Magnum sanè mysterium hîc latet: dicit namque glossa in hunc locum: tres priores bestias, quæ assimilantur alijs animalibus, significare tres peccatorum species, nimirum luxuriam, gulam & acediam, vel superbiam, auaritiam & irã: quarta deinde bestia sine nomine, quia est expressæ inuidiæ figura, quæ est Epilogus quidam omnium peccatorum, nihil habet, cui comparetur. *Per quartam bestiam* (hæc sunt ipsamet glossæ verba) *significatur malitia æmulatorum, & ideò nõ dicitur, quæ bestia sit in speciali, eò quòd æmulatorum malitia non potest vno nominé, vel etiam pluribus explicari.* Et sic inuidiosi appellari possunt canes, veluti eos nominauit Dauid: *circumdederunt me canes multi.* Psalm. vigesimo primo, versic. decimo septimo, aut nuncupari possunt tauri indomiti, vti idem Propheta ait: *tauri pingues obsederunt me.* Psalm. citat. vers. decimo tertio. Viperæ insuper vocari possunt, quemadmodum eos vocabat tali nomine Sanctus Ioannes Baptista præcursor Christi: *genimina viperarum.* Lucæ 3. vers. 7.

Num. 14. Verùm si dicerem inuidos peiores esse ipso diabolo, non aberrarem. Ita asserit Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 3. in 1. ad Corinth. dum in hęc prorumpit verba: *inuidet Satanas, sed hominibus, socijs iam nemini, tu verò homo cùm sis, & hominibus inuides, odium aduersus genus naturamque communem exerces, quod nec Satan quidem fecit.*

Euidentem huius rei probationem habemus in Sacrâ Scripturâ. Cùm diabolus vice quâdam cerneret actiones Christi Redemptoris nostri plusquam humanas, motus & concitatus inuidiæ stimulis cogitabat eundem è summitate templi præcipitare & interimere, & quibus medijs vsus fuit? num fortè illum proprijs tentauit præcipitare manibus? nullatenus. Quid ergo fecit? apparentibus & vero-similibus rationibus conatus fuit ei persuadere dixitque in hunc modum: *si filius Dei es, mitte te deorsum.* Matth. 4. v. 6. eadẽ planè diabolica cogitatio aliâ quâdam vice inuasit Iudæos, eâdem moti inuidiâ pręcipitare intendebant Saluatorem mundi, & quo modo aut medio id eos exequi voluisse opinamini? rationibus fortassis aut persuasionibus, velut fecit diabolus? non sanè, sed sicut recenset S. Euangelista Lucas cap. 4. vers. 20. &

duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Proprijs manibus eum præcipitẽ è monte agere volebant. Ita aduertit venerabilis Beda, & ante ipsum Sanctus Ambrosius in hunc locum dicens: *est peior magistro discipulorum hæreditas, ille verbo Dominum tentat, hi facto; iste dicit: mitte te deorsum, illi adoriuntur, vt mittant.* Verò igitur verius est, inuidiosos peiores esse diabolo, ita conclusit venerabilis Beda: *peiores ergo diabolo.*

Num. 15. Denique N. tam malum est hoc vitium inuidiæ, vt neque Angelus (vt ita loquar) possit ei resistere; veritatem huius clarè ostendam ex Sacrâ Scripturâ, 1. Reg. 29. audite; Prophetam Dauid persequebatur die quodam Rex Saul, huius vt ille cederet indignationi, transfugit ad regem Achis, qui agnoscẽs bonitatem & synceritatem Dauid humanissimè eum excepit. Sed quid contigit? post aliquod temporis spatium videntes principes & satrapæ regni illius Dauid humanissimè lauteque à rege Achis exceptum, stimulati inuidiâ cœperunt eũdem persequi, insinuaruntque regi, vt Dauid ab aulâ suâ amoueret; quare rex coactè consentiens inuidæ eorum voluntati, Dauid ad se accersiri fecit, eique dixit: *Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo, & exitus tuus & introitus tuus mecum est in castris, & non inueni in te quidquam mali ex die, quâ venisti ad me vsque in diem hanc: sed Satrapis non places.* loc. cit. vers. 6. q. d. Satrapæ in aulâ meâ demorantes inuident tuis virtutibus & heroicis gestis ac factis; quare patientiam habe & abhinc ocyssimè recede: *reuertere ergo, & vade in pace.* vers. 7. Mirum factum N. Dauid opinione & iudicio regis Achis bonus & iustus est, & quasi quidam Angelus Dei, & nihilominus vt satisfaciat inuidis suis aulicis, coactus fuit dimittere Dauid cum suis: videte igitur, quàm enorme sit hoc vitium? omninò mihi persuadeo, quod si S. Franciscus rediuiuus surgeret à mortuis, & ad præsentem rediret vitam, tametsi permagnâ effulgeat sanctitate, haberent nihilominus inuidiosi, aut saltem reperirent quæ in eo culparent, eumque cunctis redderent odiosum, & vt ab omnibus tanquam homo infamis & pessimæ vitæ æstimaretur, allaborarent.

Num. 16. Sed quæ hucusque in contemptum pessimæ huius feræ inuidiæ adduxi, nulla sunt: ipsa vix ingressa hunc mundum suo venenato aspectu & visu nostrum protoparentem interfecit Adamum, & consequenter mortẽ intulit toti humano generi: *inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Sap. 2. vers. 24. imò non eo contenta fuit, sicut enim ob illam condemnatus fuit ad mortem Adam, ita ob maledictam hanc inuidiam mors insidias struxit innocentiæ secundi Adami Saluatoris nostri; nam cùm Iudæi præclara & mira viderent à Christo Domino patrari opera & miracula, confestim eum insecuti sunt rabiosorum instar canum, vt illum morti & internecioni traderent, moti inuidiâ dicentes: *quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Ioan. 11. vers. 47.

Num. 17. Fingunt Astrologi, vti refert Clemens Alexand. lib. 2. Strom. quòd diebus canicularibus sole existente in signo Leonis videantur siccari flores, impallescere frondes, arefieri herbæ, omnesque languescere plantæ, maximè verò canes rabie agitari præ nimiâ caloris molestiâ. Sic quoties Christus Dominus nobiscum conuersando in hoc mundo demonstrabat signa Leonis, effectus, inquam, amoris in genus humanum, toties semper inuidiâ discerpebantur Iudæi, sicque toti mundo exhibebant veluti canes rabie exagitatos. Vnde vice quâdam, dum *infremuit spiritu.* Ioan. 11. vers. 33. demonstrare volens, quòd in hoc miraculo fortissimum ageret Leonem, motusque-

que precibus Marthæ & Magdalenæ vitam reſtitueret mortuo Lazaro, Iudæi præ nimiâ inuidiâ occaſionem arripuerunt non ſolùm occidendi Lazarum, quia: *multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.* loco cit. verſ. 45. verùm etiam interficiendi innocentiſſimum agnum Redemptorem noſtrum: *ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* lo cit. verſ. 53.

Eia igitur, ô Chriſtiane, cùm tot & tanta progeneret mala ac damna inuidia, cur diſturbaris & affligeris ob proximi tui proſperitatem eodem illo inuidiæ actu mortem inferens animæ tuæ? quæ maior excogitari poteſt crudelitas, quàm vt homo ſeruituti & tyrannidi ſeſe ſubjiciat vitij adeò beſtialis, quod illum in vitâ die noctéque torquet & excruciat, & torquebit poſt mortem in omnem æternitatem in inferno ſimul cum inuidiæ patre Lucifero? Deſine ergo inuidere proximo tuo ob terrenam illam proſperitatem, fac te æmulum ſanctorum & electorum in cœlis, aſpira ad cœleſtem illam patriam nouam incipiendo vitam, tui ipſius miſerere iuxta dictum illud Eccleſiaſtici: *miſerere animæ tuæ placens Deo.* cap. 30. verſ. 24.

S. Ioſeph.

DISCVRSVS XXVIII.

De Sanctitate, Virtutibus & prærogatiuis S. Ioſeph, Sponſi glorioſæ Mariæ Virginis & Patris adoptiui Christi Domini.

Num. 1 EX percelebri & glorioſâ illâ filiorum multitudine, quos permagnus Patriarcha Iacob hoc in mundo procreauerat, vnus fuit inter alios nuncupatus Ioſeph, qui cùm moraretur in Ægypto, ac Prophetico pollens ſpiritu interpretatus fuiſſet ſomnia regis Pharaonis de ſeptem illis vaccis macilentis & tot alijs pinguibus & craſſis, de ſeptem inſuper ſpicis plenis, & tot alijs tenuibus & vento vrente percuſſis, ad maximos ab eodem rege euectus fuit honores & dignitatis gradus; etenim rex Pharao cenſens eum hominem potiùs cœleſtem quàm terrenum, in ſignum honoris & reuerentiæ, quam ei deferebat, proprio è digitis ſuis detracto annulo Interpretatoris ornauit manus, pretioſam auream que collo eius appoſuit catenam, veſtiuit ipſum purpurâ & byſſo, currum triumphalem eundem conſcendere, ac præuio tubarum tympanorumque clangore & ſonitu per totam ciuitatem conduci fecit, ſicque à toto populo ipſum voluit honorari, ac demum ſuam ei tradidit authoritatem & dominium ſupra omnes regni prouincias: *dixitque Pharao ad Ioſeph: ecce, conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu ſuâ, & dedit eum in manu eius: veſtiuitq; eum ſtolâ byſſinâ, & collo torquem auream circumpoſuit, fecitq; eum aſcendere ſuper currum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Ægypti.* Genes. cap. 41. verſ. 41. 42. 43. Num. 2

Pulcherrimam huius figuræ tradit expoſitionem Sanctus Bernardus ſermõ. 2. ſuper miſſus. Per Ioſeph namque intelligit Sponſum Mariæ Virginis longè nobilio-

biliorem & illustriorem ipso Ioseph filio Patriarchæ Iacob. Ille interpretatus est somnia Pharaonis, & huic data fuit gratia cognoscendi diuina mysteria; illius manus gestarunt annulum Pharaonis, & huius manus portarunt Christum Dominum Dei filium; illius collum pretiosâ torque fuit circumdatū, & huius collum sanctissimâ pueruli Redemptoris nostri amplexata sunt brachia instar catenæ plusquam aureæ; ille vestitus fuit purpurâ & bysso, hic sanctificante gratiâ; ille super triumphalem positus currum adoratus fuit ab omni populo, & hic adoratur & honoratur & ab omnibus Angelis in cœlo, & à cunctis hominibus in terrâ; ille fuit Vicarius Generalis regis Pharaonis, & supra omnes obtinuit potestatis plenitudinem, & hic fuit sponsus Mariæ Virginis, & Pater adoptiuus Christi, ac propterea potestatis habuit plenitudinem, quia: *erat subtitus illis.* Luc. 2. vers. 51.

Num. 3. Verùm quam honoris celsitudinem & gloriam sibi acquisiuit ex eo, quòd fuit Sponsus præcelsæ Matris Dei? Angelicus Doctor D. Thomas 1. part. quęst 45. art. 6. ad 6. asserit dignitatem Matris Dei esse dignitatem quasi infinitatem, & subiūgit deinde, tria in hoc mundo, quæ nequeunt fieri maiora, à Deo producta esse, nimirum: Humanitatem Christi, quia hypostaticè vnita est Verbo diuino: lumen gloriæ, quia terminatur ad obiectum infinitum: esse patrem Dei, quæ est dignitas infinita quia non potest esse Mater maioris & excellentioris Filij. Exinde nunc argumētamini & colligite dignitatem S. Iosephi, siquidem Deus non potuit ei assignare maiorem aut excellentiorem Sponsam, quàm fuit Mater maximi Filij Redemptoris nostri.

Viri illi, qui à Moyse missi fuerant ad explorandam terram promissionis, redeuntes *absciderunt palmitem cum vuâ suâ, quem portauerunt in veste.* Num. 13. vers. 24. eamque ostendentes duci exercitus sui dixerunt: *venimus in terram ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest*, vers. 28. ac si voluissent dicere: vultísne videre, quam benignis ac fauorabilibus hæc terra dotata sit cœli influxibus? inspicite fructus, quos producit. Idem pariter de S. Iosepho dicere possumus desideratísne cognoscere, qualis fuerit S. Ioseph? *ex hac Sponsâ cognosci potest.* Ecce, gloriosæ Virgini Deique Matri Mariæ datus fuit in sponsum: etenim Deus ter Optimus Maximus iustissimum iuxta & sanctissimum, qui in toto terrarum orbe reperiri poterat, perquisiuit hominem, nec meliorem, sanctiorem, iustioremque ipso reperit.

Et ad hoc propositum dicam, id, quod quondam dixit Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 11 de laud. Gorg. qui laudaturus Sponsum Gorgoniæ Sororis suæ, quæ omni virtutum genere adornata fuit, postquam illum plurimùm commendasset, in medio orationis suæ cursu parumper subsistens dixit: optatísne scire, qualis fuerit ille vir? memento cum fuisse sponsum Gorgoniæ: *vultis vno verbo virum describam? Vir illius erat* (videlicet Gorgoniæ) *nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit:* In hunc modum dicam ego N. vultísne cognoscere bonitatem, sanctitatem & perfectionem Sancti Iosephi? desideratísne scire, quibus apud Deum excelluerit meritis? quàm gratus, quàm acceptus fuerit Deo propter optimos ipsius mores, piam & sanctam eius vitam? memores estote, illum fuisse sponsum Mariæ Virginis, in huius consortio & societate semper vixisse, omnis virtutis & sanctitatis fuisse exemplū & speculum: *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus.* Matth. 1. vers. 19. Num. 4.

At quæ priuilegia, qui honores concessi fuēre Sancto Iosepho illo eodem momento, quo electus fuit in sponsum Mariæ Virginis? talia nimirum priuilegia N. vt iure merito potuerit dicere: *venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ.*

illâ. Sap. 7. vers. 11. Omnes diuitiæ, honores & prærogatiuæ subintrarunt domum meam, cùm Virgo sanctissima facta est sponsa mea. Et fortassis deerant diuitiæ Mariæ Virgini? de ipsâ ait Spiritus sanctus: *multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Prouerb. 31. vers. 29.

Num. 5. Ex hisce iam colligo, S. Iosephum magnam cùm Mariâ Sponsâ suâ habuisse conuenientiam & similitudinem: etenim si illa fuit de stirpe regali, de eâdē quoque stirpe fuit & Sanctus Ioseph. Maria fuit Virgo, & S. Ioseph pariter Virgo fuit, vti id attestantur Angelicus Doctor Diuus Thomas 3. part. quæst. 28. articul. 3. in respons. ad 5. Sanctus Hieronymus contra Heluid. & alij, nam à principio vsque ad finem vitæ suæ se obstrinxit voto castitatis & puritatis virginalis; & propter eà Spiritus Sanctus discurrendo de Verbo incarnato dixit Cant. 2. versic. 16 *qui pascitur inter lilia*, videlicet inter Ioseph & Mariam, veluti hunc locum exponit Rupertus Abbas, qui ambo erant Virgines: *qui pascitur inter lilia. Quænam sunt lilia* (inquit ille) *nisi amicus dilectus Ioseph & Maria dulcis mater, cui dicitur, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Verè ambo lilia pro virginalibus nuptijs & cohabitatione castissima, inter huiusmodi lilia pascitur dilectus.*

Num. 6. Et quidem omninò decens erat, vt Deus ter Optim. Maxim. Mariæ Virgini daturus sponsum, hominem reperiret iustum & sanctum: etenim si ad regendum populum suum inuenit hominem secundùm cor suum, videlicet Dauid: *inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum.* Actor. 13. vers. 22. Similem Deo, inquantum creatura assimilari potest Creatori suo. Cogitate igitur, annon Sponsus Mariæ Virgini debebat esse homo secundùm cor Dei, siquidem ei communicaturus erat secreta cordis sui & mysterium Incarnationis, & sic totam visitans & perquirens Palæstinam tandem inuenit Ioseph hominem iustum & sanctum: *Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus.* Ita asserit Sanctus Bernardus homil. 2. super missus, vbi explicando Sanctum Euangel. Matth. discurrit hoc modo: *Prorsus, inquam, filius Dauid non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione, quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundùm cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum.* Et paulò ante dicebat: *non est dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph cui mater desponsata est Saluatoris. Fidelis, inquam, seruus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium: solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidissimum.* Num. 7.

Neque hic est finis prærogatiuarum & excellentiarum S. Iosephi; alia siquidem satis stupenda adhuc sese mihi offert, & est hæc, quòd videlicet ob eximiam vitæ suæ sanctitatem assumptus fuerit in Patrem adoptiuum ipsiusmet filij Dei. Pulcherrima sanè fuerunt ea laudum encomia, quibus celebris ille Orator (vti refert Sabellus) deprædicauit excellentiam Philippi regis Macedoniæ: etenim cùm aduerteret Orator ille, nimiâ laudum regis copiâ plus se reddi sterilem quàm fœcundum, conuersus tandem ad potentissimum Monarcham dixit: tacebo, ô Philippe, magnificentiam & gloriam tuam, præteribo illustrissimam tuā stirpem & prosapiam, è quâ descendisti, silebo regna illa amplissima tibi subiecta, silentij tenebris inuoluam, quòd totum imperio tuo subiugaueris orbem, nihil dicam de palmis, trophæis & triumphis quos de profligatis inimicis tuis reportasti, solùm in supremam laudem tuam: *hoc vnum dixisse sufficiat, filium te habere Alexandrum.* O gloriose & sanctissime Patriarcha Ioseph, sanctitas vitæ tuæ, integritas morum, virtutum excellentia, perfectio gratiarum, meritorum tuorum multitudo, bonorum exemplorum co-

pia, altitudo reuelationum, & quamplurimæ aliæ tuæ qualitates plus diuinæ quàm humanæ quamcumque sterilem linguam bene fœcundare & vberare potuerunt, veluti vberem tot tantisque calamis subministrarunt scribendi materiam; ast, dum considero vnicam illam excellentiam ac prærogatiuam cæteris maiorem, ad quam te Deus euexit & sublimauit, assumendo te in Patrem adoptiuum Filij sui vnigeniti & Redemptoris nostri, cogor cum toto exclamare mundo in tui honorem & gloriam: *hoc vnum dixisse sufficiat, filium te habere Deum.*

Num..8 Plurimi sanctorum Patrum asserunt & præsertim Sanctus Anselmus in Epistol. 5. ad Galat. S. Gregorius Papa lib. 28. moral, cap. 2. S. Hieronymus in Epist. 5. ad Galat. S. Iustinus Martyr quæst, 142. S. Dionysius Areop. cap. 4. cœlest. Hierarch. & S. August. lib. 3. de Trinit. cap. vlt. Deum ipsummet in personâ non apparuisse nec locutum fuisse quondam nunc Abraho, nunc Iacob, nunc Isaac, & alijs vicibus Moysi; sed fuisse Angelum quendam, qui veluti Dei minister assumebat sibi illum titulum diuinum: *Angeli omnes* (ait Iustinus Martyr) *qui Dei locum obtinere iussi sunt, & hominibus locuti sunt, Dei etiam appellati sunt nomine, vt is, qui cum Iacob & Moyse locutus est*, adeoque Dei titulo honorabantur Angeli, dum apparebant tanquam ministri Dei & dicebant: *ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Matth. 22. vers. 33. Exod. 3. vers. 6. ast quando in flumine Iordanis hæc fuit audita vox: *hic est filius meus dilectus*, Math. 17. versic. 5. noluit vt vllus Angelus gloriari possit se esse Patrem Christi Domini; sed sicut ait S. Euangelista: *& ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus.* Nam Deus ratione huius tituli est zelosus supra modum, nec vlli viventi creaturæ vult illum communicare, solum illum tribuit Sancto Ioseph, & ideò appellatus est Pater adoptiuus filij Dei: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Lucæ 2. vers. 48. & vt tali maiora ei fuerunt exhibita seruitia & obsequia in terris, quàm ipsimet Deo in cœlis, Deo namque in cœlis obediunt & seruiũt creaturæ: *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, Daniel. 7. versic. 10. ast Ioseph in terris seruiuit & obediuit ipsemet Christus Dominus, qui simul erat verus Deus & homo: *& erat subditus illi*, Luc. 2. vers. 51. Num, 9.

Quia igitur, ô gloriosissime Ioseph, tã altum conscendisti dignitatis gradum, cuncti iam electi in cœlis tibi meritò cedere possunt, siquidem concertando de prærogatiuis & excellentijs longè eos & multis præcellis ac superas parasangis, & videtur mihi N. inter sanctos & electos paradisi cœlestis oriri sanctam quandam concertationem, quis eorum pluribus gaudeat meritis. Et hîc comparere videtur S. Ioannes Baptista, qui se agnum Dei digito monstrasse gloriatur: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Ioan. 1. vers. 29. at gloriosior illic comparet Ioseph, quia ipsum frequentissimè brachijs suis amplexatus est & portauit. Subintrat quoque hanc sanctam concertationem S. Euangelista Ioannes, & gloriatur se recepisse fauorem illum, quòd super pectus Christi Saluatoris nostri recubuerit: *qui & recubuit in cœnâ super pectus eius*, Ioan. 21. vers. 20. ast plus gloriabitur S. Ioseph eò quòd sępissimè ipsummet Christum supra pectus suum tenuerit, & in sinu suo reposuerit. Prodit & dicit S. Thomas Apostol. digito suo se tetigisse apertum Christi latus; Plus gloriabitur S. Ioseph, quia nõ semel sed plerumque sanctissimum Saluatoris tetigit corpusculum. Exultat & tripudiat Maria Magdalenâ, quòd sacros Domini pedes osculata fuerit; maiori exultat gaudio Ioseph, qui non pedes dumtaxat, sed Christi corpus subinde osculatus est. Lætus & triumphans in medium prodit Sanctus Petrus Apostolus, gaudetque se electum

lectum esse in pastorem gregis Christi; ast victor & hic euadit Sanctus Ioseph, quia assumptus est in custodem & nutritorem ipsiusmet Christi, Summa, cuncti lætantur & exultant Sancti, quòd animæ illorum in patriâ illâ æternâ & cœlesti pulcherrimâ illâ fruantur facie Dei: at supra omnes gaudet & tripudiat Sanctus Ioseph, siquidem secundùm animam & corpus simul (vti volunt Sanctus Bernardinus Senensis & glossa Ord. cit. à Gersone de Ioseph.) visione fruitur diuinæ essentiæ.

Num. 10. O mira & rara Sancti Iosephi merita, quæ totus admiratur orbis! obstupescit & miratur quilibet & meritò merita & inuictum animum illustrissimi Capitanei Iosue, in admirationem vnusquisque rapitur ob magnam, in quâ fuit apud Deum, æstimationem, ad illius namque imperium illicò sol substitit integro die: *Sol contra Gabaon ne mouearis.* Iosuæ cap. 10. vers. 12. *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei,* loco citato vers. 13, obediuit Deus precanti Capitaneo: *obediente Domino voci hominis,* loco citato vers. 14. O gloriose Patriarcha Ioseph, vnâ tantùm vice paruit Deus præcepto vnius hominis; at quoties tibi obediuit pientissimus Saluator noster dulcissimus & verus ille sol iustitiæ, de quo ait Propheta: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ,* Malach. cap. 4. vers. 2. Tibi enim veluti filius paruit, & sæpissimè diuinum illum iustitiæ solem ad beneplacitum tuum à suo cursu retardasti & stare fecisti, cùm tibi obediebat promptissimè: *& erat subditus illis.* Lucæ 2. vers. 51.

Innumerabilia Deus præstitit beneficia Patriarchæ Abrahamo, veluti refert S. Scriptura & præsertim Gen. cap. 12. magnificauit nimirum & multiplicauit ipsius prosapiam, promisit se fore illius vbique protectorem, circumcisionis ei tradidit legem in remedium originalis culpæ, quâ mediante lege homines reconciliabantur Deo. Ex speciali Dei fauore sæpissimè ille loquebatur Angelis, interdum etiam Deus abditissima ei reuelauit cordis sui secreta, & vt plura paucis complectar, talia ipsi exhibita fuere beneficia & fauores, vt Iudæi summo illum prosecuti fuerint honore, seque fœlicissimos æstimauerint, se suam ab ipso traxisse originem; cedat ille nihilominus nostro Iosepho vtpotè sponso illius, quæ peperit Christum Saluatorem omnium, & Patri adoptiuo Redemptoris nostri, qui fuit ei obedientissimus: *& erat subditus illis.* Num. 11.

Et si Moyses ex eo, quod locutus est Angelo quadraginta dierum spatio, tanto circumdatus fuit splendore, vt filij Israel illius non potuerint intueri vultum, nisi cooperta velo facie. Exod. 34. quantò magis id dicendum est de gratijs & meritis, quibus abundauit S. Ioseph, qui non Angelis, non hominibus, non quadraginta dierum spatio, sed Verbo diuino locutus fuit, idque plurium annorum spatio, quantò magis mirificus ab ipsius vultu debuit prodire fulgor & splendor.

Et si sanctus ille senex Simeon accipiendo vnâ duntaxat vice puerulum Iesum inter brachia sua summo honoris titulo condecoratus, iustusque ac timoratus nuncupatus fuit à Spiritu sancto, Lucæ 2. vers. 25. quantò magis à nobis extollendus Sanctus Ioseph, dicendusque est iustus & timoratus, qui non semel, sed mille & mille vicibus, imò continuò nocte dieque eum tenebat inter brachia, ad placitum suum ipsum apprehendebat, amplexabatur, blandè palpabat, osculabatur. Quoties sanctissimus puerulus dormitauit inter brachia & in sinu S. Ioseph? quoties sanctus hic senex in dormiendo inclinauit faciem suã supra benedictum Christi vultum? ô fortunatam faciem! ô fœlicissimum sinum! ô beata brachia, quæ tot tantosque ab Incarnato

carnato Verbo recepistis fauores! credo, ô sanctissime Patriarcha, quód sicut Simeon præ nimiâ cordis lætitiâ & consolatione desiderabat animam egredi è corpore dicens: *Nunc dimittis seruum, tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* Lucæ 2. vers. 29. 30. Ita tu quoque, nisi Deus te conseruasset & sustentasset, præ maximâ consolatione & cordis exultatione mille vicibus, vt ita loquar, mortuus fuisset.

Num. 12. Et si Sponsus semel dilectam suam Rponsam dumtaxat aspiciendo cor suum sensit sauciatum, vnde dixit: *vulnerasti cor meum Soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cant. 4. vers. 9. quo non amoris fulmine vulnereve sauciatum fuisse opinamini cor sanctissimi ac castissimi Patriarchæ nostri, dum non semel, sed centies, imò millies in singulos dies intuebatur sanctam ac perdilectam suam Sponsam Mariam, iuxta & dulcissimum filiũm suum Iesum?

Si beatus Ruffinus S. Francisci socius (veluti legitur in vitâ huius lib. 2. cap. 8) quia semel vidit gloriosam Virginem filium suum in brachijs gestantem, intermoriebatur quasi præ nimio cordis iubilo; quid non factum fuisse existimabitis de S. Ioseph in continuâ illa, quâ dignatus fuit, visione Iesu & Mariæ? abs dubio cor eius iam amore lãguidum toties amoris transfigebatur sagittis, quoties oculi eius & puerili Iesu mutuo sibi obuiabãnt aspectu, & ille infinito huius vultus splendore non solùm illuminatus fuit, verùm etiam præ maximâ, quam inde hausit, dulcedine & lætitiâ re uixit.

Num. 13. Quid dicam vlterius? miror, quomodò tanto potuerit superuiuere tempore, & non intermortuus fuerit præ summo gaudio, dum se á puerulo Iesu audit vocari Patrem *O quantâ dulcedine audiebat Ioseph balbutientem puerum vocare Patrem* ait Sanctus Bernardinus Senensis serm. de S. Ioseph. Si Sponsa audiendo Sponsum suum loquentem quasi animo concideri, & cor suum senserit liquefieri præ nimiâ dulcedine, ac dixerit: *anima mea liquefacta est, vt locutus est.* Cant. 5. v. 6. O Deum immortalem! quomodo non liquefactum est cor Sancti Iosephi præ nimiâ verborum suauitate & dulcedine, quam percepit ex puerili familitati discursu & conuersatione?

S. Franciscus & deuotissima Clara, vt Author est Sanctus Bernardinus in vita Sancti Francisci, diuino taliter inflammati fuerunt amore, vt circũstantes existimarint totum ardere monasterium. Quid tu, ô sanctissime Ioseph, non faciebas, dum suaues familiaresque conferebas sermones cum amantissimâ sponsâ tua & ipsomet Deo incarnato? quando dulcissimus Iesus sublimia tibi aperuit arcana & mysteria cœli? quid cogitabas, dum sponsam tuam & perdilectum eius filium suauiter inter se colloquentes conspiciebas? quando media nocte ipsam in terrâ prostratam videbas & pijs feruentibusque vacantem precibus? omninò mihi persuadeo, & te surrexisse è lecto, prostrauisse in terram, orasse, cœlestibusque te pauisse consolationibus.

Tot tantisque refulgens meritis & virtutibus Sanctus Ioseph aduentante horâ obitus sui plus laborans amore quàm dolore, sicut semper condecoratus fuit comitatu & societate Iesu & Mariæ, ita hac præsertim occasione indicibili horum consolatione & obsequijs ditatus, hæc, vti pié credendum est, suo dulcissimo dixit Iesu: lætus & diuinâ nunc repletus consolatione, ô charissime fili & Domine, ex præsenti hac discedo vitâ, noui peroptimé ac certus sum aduentum tuum te acceleraturum ad me & relinquos omnes Patres in limbo te expectantes saluandos, cui pientissimum Iesum hæc respondisse ac dixisse credo: ito nunc perdilecte Pater, ito animosè, & fœlicia hæc sanctis illis Patribus ferto nouâ, Num. 14.

nouâ, discedito, ô anima benedicta. Sicque inter brachia Iesu & Mariæ Sponsæ suæ fœlicissimè obijt, & beata illa anima à sanctis Angelis deportata fuit in sinum magni Patriarchæ Abraham.

Benedicta es, & millies benedicta ô sancta & gloriosa Anima, & à duris præsentis vitæ laqueis soluta, & ab obscuro corporis ergastulo libera hodie gaudes & frueris in cœlis æternâ illâ requie & sempiterno gaudio & iubilo. Dum fœlicissimum tuum considero statum, gaudeo & exulto, dum contemplor sanctitatem tuam, confundor, dum oculos mentis meæ in immensum tuum figo splendorem, obfuscor. Certus sum & euidenter cognosco, quod, si omnia membra mea verterentur in linguas, nec minimam tamen virtutum tuarum partem recensere valerem. Extollat te ac deprædicet cœlum, quod tuâ exornatum est præsentiâ. Honoret te, ac veneretur terra, quæ tuis abundat exemplis & gloriosis irrigatur virtutibus. Celebrent & proclament tua laudum encomia Angeli, qui optimè tuas recognoscunt & admirantur virtutes. Magnificet te tua charissima sponsa, quæ ex continuâ conuersatione optimè nouit, quæ tibi debeantur laudes. Encomia igitur mutabo in orationes, laudes in humiles transferam præces: Succurre ergo, ô benedicta Anima nostris miserijs, noui peroptimè, quòd possis, cum sis Pater ipsiusmet potentiæ, nec possis non velle, quia sponsus es Matris clementiæ. Accende, te supplex rogo corda nostra in amorem clementissimi Iesu filij tui; fac, vt tuas imitando virtutes tecum simul gaudere possimus æternâ illâ & cœlesti beatitudine per omnia sæcula sæculorum.

Iudicium Extremum.

DISCVRSVS XXIX.

Iudicium Extremum tremendum erit, quia Deus seuerus Iudex puniet peccatores sine misericordiâ.

Num. 1. POstquam antiqui nautæ plurium mensium annorumque spatio immensum pernauigassent oceanum, ac vltimos opinione suâ attigissent terminos & fines mundi, duas eo in loco erexeruut columnas, in signum euidens nullum mortalium, vti existimabant, posse nauigio præfixos à se transilire terminos, quare hæc dictis columnis apposuerunt verba: *non plus vltrà*: ac si voluissent dicere: vos, qui desiderio nouas perlustrandi orbis prouincias & regiones trahimini, hoc in extremo littore gradum sistite, nil enim aliud superest perlustrandum. Verum ignorantiam horum naturam ipsamet superauit & comprobauit experientia; fuerunt namque qui vltra progressi sunt, nouas terræ partes nouosque adinuenerunt mundos, ac in ijsdem columnis pulchriora hæc & veriora subscriserunt verba: *plus vltrà*. Ad eundem modum, postquam mundi huius sapientes & Philosophi gentiles vela expandissent intellectus sui, cogitatione totum peragrassent, orbem, ac quidquid subest solis aspectui, perlustrassent; cuncta contemplati sũt mala, calamitates & miserias, quibus humana subiacet natura, ac pro vlti-

mo fine & termino miseriarum calamita tumque non habuerunt aliud, quod ponerent, nisi feram & diram mortem; vnde vnanimis omnium fuit vox & sententia ista: *Vltimum omnium terribilium est mors.* Aristoteles l. 1. mor. c. 6. ast cœcitatem Philosophorũ horum gẽtilium superauit perspicuitas veritatis catholicæ & sacri Euangelij, quod nobis euidenter declarat ostenditque suauem ac dulcem fore mortem, si in eâ cunctæ miseriæ suum sortirentur finem ac terminum, ast peiora adhuc supersunt, remaneat adhuc: *plus vltrà.* Siquidem non solum, *statutum est hominibus semel mori:* ad Hebr. 9. vers. 27. (hucusque solùm conspexit & peruenit gentilis, credendo aliam non superesse miseriam) sed *plus vltrá,* subiungit Apostolus Paulus; etenim non solum est mors, sed, *post hoc iudicium.* loc. cit. post mortem horrendum ac tremendum superest iudicium; hæc sanè extrema infœlicitas est, quæ nos plus affliget & torquebit, hoc est omnium malorum terribilium terribilissimum, omnium miseriarum hic est miserrimus finis, quod nimirum post hanc temporalem & breuem vitam comparere debeamus ante illud formidabile tribunal Dei seuerissimi Iudicis, ad strictissimam de nostris operibus reddendam rationem: *omnes enim nos* (clamat sonora illa Spiritus sancti tuba) *manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum,* 2. Corinth. cap. 5. vers. 10. Dum sanctus Hieronymus hoc duntaxat meditabatur iudicium toto tremebat corpore, quare dicebat: *quoties diem iudicij considero toto corpore contremisco: siue enim comedam siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper videtur illa tuba terribilis insonare auribus meis: surgite mortui, venite ad iudicium.*

Num. 2. Et ecce N. discrimen inter duos aduentus, tametsi eiusdem personæ, nempe Christi Domini: in primo venit vt pauper & sub humanâ & fragili carne absconditus: *& Verbum caro factum est.* Ioan. cap. 1. vers. 14. in secundo veniet manifestus, magnifico & regali insidens throno: *in sede Maiestatis suæ.* Matth. 19. vers. 28. In primo apparuit veluti puerulus innocens fascijs inuolutus: *paruulus natus est nobis.* Isa. 9. vers. 6. in secundo comparebit tanquam iudex aspectu terribilis: *inde venturus est iudicare, viuos & mortuos* Symbol. Apost. in primo venit mediâ nocte præsente quiete silentij filiâ: *cùm enim quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet.* Sap. 18. vers. 14. in secundo videbitur in meridie, astante strepitu timoris patre: *dies iræ, dies illa, quantus tremor est futurus, quando Iudex est venturus.* S. M. Ecclesia. In primo præcursor fuit quidam Angelus: *missus est Angelus Gabriel à Deo.* Luc. 1. vers. 16. in secundo præcursor erit ignis: *Ignis ante ipsum præcedet,* Psam. 96. vers. 3. In primo suauiter cantarunt linguæ angelicæ: *Gloria in altissimis Deo.* Luc. 2. vers. 14. in secundo ignis audientur linguæ odioso strepitantes susurro: *inflammabit in circuitu inimicos eius.* Psalm. & v. cit. in primo manifestauit se inermem & nudum: *pannis eum inuoluit.* Luc. 2. vers. 7. in secundo mira omnipotentiæ suæ ostendet prodigia: *cum potestate magnâ.* Luc. 21. vers. 27. In primo apparuit humili & abiectâ vestitus humanitate, nam: *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* ad Philippens. 2. vers. 7. in secundo regiâ amictus erit Maiestatis togâ: *& Maiestate.* Luc. 21. vers. 27. In primo paucis sese manifestauit pastoribus & Magis: *Pastores loquebantur ad inuicem, transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est.* Luc. 2. vers. 15 *videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria Matre eius,* Matth. 2. vers. 10. 11. In

secundo videbitur ab omnibus: *videbunt filium hominis venientem in nubibus*, Matth. 24. verſ. 30. In primo deſcendit in terram, vt à peccatis redimeret delinquentes: *vt nos redimeret ab omni iniquitate* ad Titum 2. verſ. 14. In ſecundo inareſcet terra, dum caſtigabuntur peccatores: *areſcentibus hominibus præ timore* Luc. 21. verſ. 26. in primo nimius amor illum induxit ad deſcenſum è cœlis: *propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos Deus*. ad Epheſ. 2. v. 4. In ſecundo exceſſiuo rigore puniet ingratos: *reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem*. ad Roman. 1. verſ. 18. O ſeuerum iudicium!

Num. 3. Et quis non timeret N. dum conſideraret Deum Patrem noſtrum, aliàs clementiſſimũ, in tremendo iudicij die ſolitam non exhibiturum deinceps peccatoribus miſericordiam, ſed vindictam, quemadmodum inquit Propheta regius Pſalm. 93. verſ. 1. *Deus vltionum Dominus*. Non erit dies ille cui cum S. M. Eccleſia dici poterit: *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*. Sed Deus talis, cui iam proprium erit vindicare, veluti idem prædixit Propheta: *iudicabit orbem terrarum in iuſtitiâ*. Pſalm. 97. verſ. 9. *Nam*, ſicut ait Theodoretus in hunc locum, *prior quidem aduentus multam habuit miſericordiam, ſecundus verò iuſtitiam habebit*.

Magna igitur eſt illorum ſtultitia & vecordia, qui non benè dignoſcentes naturam diuinam fingunt & imaginantur ſibi Deum aliquem omninò placabilem & benignum, & terrenis immerſi delicijs, ſepulti in vitijs, & obſtinati in peccatis ſemper viuunt, ac ſi nunquam futurus eſſet dies ille, quo iuſtiſſimus Deus terribilia hominibus ob oculos ſtatuet furoris & indignationis ſuæ ſigna: *in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Pſalmo trigeſimo primo, verſu ſexto, dixit Propheta Dauid, & vocauit diem iudicij diluvium multarum aquarum, iuxta mentem Origenis, vt nobis ſignificaret, fuiſſe antehàc diluvium paucarum aquarum: *neceſſarium eſt aliud fuiſſe diluvium aquarum paucarũ*, inquit Origenes in Gen. quod aliud non fuit, niſi quando cataractæ cœli fuerunt apertæ, & quadraginta diebus & noctibus pluit ſuper terram, & vbique facta eſt aquarum inundatio, Illud, inquam, diluvium, quando extumidæ aquæ ad tantam excreuerunt altitudinem, vt altiſſimos tranſcenderint mõtes. Illud denique diluvium, quando ſub aquis iacuit ſepultum totum genus humanum, paucis illis exceptis, quos arca Noë liberauerat.

Hoc eſt diluvium illud, quod in comparatione alterius diluvij, extremi nimirum iudicij, dicitur diluvium paucarum aquarum.

Et vt clariùs percipiatis illud fuiſſe diluvium paucarum aquarum; ecce enim, vnã nequiuit eradicare oliuæ arborem, vti obſeruat ipſemet Origenes homil. in Geneſ. idque aſſerit non ſine myſterio factum: *vt innueret vigere adhuc miſericordiam in filios Adæ, oliuam viridem miſit Noë in arcam*. vt demõſtraret Deus, quod in illo diluvio fuiſſet adhuc miſericors, miſericordiæ namq; ſymbolũ eſt Oliua; at id extremo iudicij die aquæ iræ diuinæ euellent & eradicabunt penitùs Oliuam miſericordiæ, adeò, vt ne quidem eius remaneat veſtigium: *at* (dicit Origenes) *in diluvio aquarum multarum corruet, & non vigebit miſericordia, dicente Propheta; mentietur opus oliuæ*, Habac. cap. 3. verſ. 17.

Num. 4. Vanâ itaque ſuâ ſpe deluſi peccatores obtinendi miſericordiam ſuo damno probabunt iram ſeueri Iudicis. Perpulchrè id atteſtatur Sponſa in ſuis Cãticis, dum ait: *duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli*. Cantic. 4. verſ. 5. ac ſi diceret: chariſſime Sponſe, vbera tua, id eſt, miſericordiæ tuæ habẽt ſe cum peccatoribus, ſicut duo hinnuli capreæ.

in quem locum ait D. Gregorius Nyssenus, peccatores per hinnulos illos præfiguratos, quamdiu hac præsenti fruuntur vitâ, semper adhærere mammis seu vberibus diuinæ misericordię semper exsugunt lac diuinæ clementiæ: *ita* (inquit magnus Nyssenus) *inhærēt vberibus misericordiæ, vt hinnulos vbera sugentes illos dixerit Sponsa.* Sed quousque lactabantur & enutrientur hisce vberibus? quamdiu illos diuina expectabit clementia? *vsque dum* (pergit idem S. Doctor:) *aduenientе futuri iudicij die auulsos ab vberibus se cognoscent*, quia tunc amplius non erit tempus misericordiæ & clementiæ, sed vindictæ & punitionis.

Num. 5 De Ruminâ Deâ naturæ fabulantur Poëtæ, ipsam, veluti etiam refert S. August lib. 4. de ciuit. Dei capite vndecimo, ab Ethnicis fuisse depictam sub figurâ humanâ; sed à capite ad plantam pedis vsque vndique fuisse repletam vberibus, iisque adhæsisse Leones, vrsos, pardos, elephātes & quam plurima alia animalia; ast ex speciali fauore homini, quē suaui fouebat brachiorum amplexu, præbuisse dulcem lactis liquorem. Cùm verò hæc Dea à lactentibus nimium exhauriretur & vexaretur, indignabunda subitò fascijs vbera cingebat & tegebat, vt lac deinceps è mammis exsugere non possent. Et ecce miram metamorphosin, omnes namque illicò naturales suas amittebant vires & debilitabātur, ac præsertim homo imbecillis, languidus viribusque planè destitutus iacebat in terrâ. Ad eundem modum & non aliter omnipotens Deus verus naturæ author, primus vitæ dator & pientissima omnium viuentium mater (etenim in sacris literis secundum interpretationem Oleastri dicetur Deus vberum) agit cum hominibus, dum auelluntur ab vberibus eius: exsugere possunt, quamdiu viuunt, è mammis eius abundantem diuinæ misericordiæ & benignitatis liquorem, ille ipsemet id fatetur per os Isaiæ cap. sexagesimo sexto, versic. duodecimo: *ad vbera portabimini.* Sed ô stragem crudelem & horrendam! in extremo iudicij die indignatus ob peccata hominum mammas suæ misericordiæ & clementiæ quasi fascijs stringet & cooperiet, sicque languebunt cuncti mortales, & in terris sine viribus iacebūt, teste ipsomet Redemptore nostro: *Arescentibus hominibus præ timore.* Lucæ 21. vers. 16.

Num. 6. Creditote N. totum id ei monstratum fuisse, qui de sacro Dominici pectoris fonte sacra epotauit dogmata, generosæ nimirum illi Aquilæ S. Euangelistæ Ioanni in suâ mysticâ Apocalypsi, vbi recenset se vidisse supremum hunc Iudicem regali & magnifico insidentē throno, prædiuite adornatum vestimento, & circa mamillas aureâ cinctum fasciâ: *& conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podêre & præcinctum ad mamillas zono aurea.* Apoc capite primo, versic. Decimo tertio. Hugo Cardinalis in hunc locum dicit, S. Euangelistam voluisse nobis significare, quòd Christus Dominus in hac vitâ est veluti misericors & benigna Mater hominum, & vt talis nos amplexatur benignè & suauiter, nobisque exhibet sugendum lac misericordiæ suæ, sed quid? in extremo die iudicij nō erit ampliùs mater benigna, sed seuerus Iudex, & proptereà comparebit præ se ferens quidem mammillas tanquam expressum Symbolum diuinæ clementiæ iuxta opinionem S. Bernardi in Cantic. sed strictissimè ligatas & cinctas cingulo iustitiæ, conformiter ait Propheta Isaias: *& erit iustitia cingulum lumborum eius*, capite vndecimo, versic quinto. Illo namque die peccator non poterit sugere lac diuinæ misericordiæ, cùm tunc aderit tempus vindictæ & punitionis.

Num. 7. Imò audeo dicere, quòd tu peccator in die iudicij non habebis maiorem ipsâ Dei misericordiâ inimicum; etenim si

per impossibile brachium diuinæ iustitię defatigaretur, nec posset vltrà castigare iniquos peccatores, tanta esset & tam acerba horum strages, vt ipsamet Dei misericordia tunc resumeret arma, ac vices suppleret iustitiæ. Insuper affirmo ipsammet misericordiam futurā sustentaculo & auxilio Iustitiæ diuinæ, vt magis magisque puniat peccatores, & ne deficiat in puniendo illos. Non meus est
Num. 6. hic conceptus, audite Prophetam Isaiā: *Saluauit sibi brach um suum, & iustitia eius ipsa confirmauit eum.* cap. 59. versic. 16. Septuaginta legunt: *vltus est eos brachio suo* diuinæ videlicet iustitiæ, & quid vlterius? *& misericordia ipsa fulciuit eū, ne ab incepto desisteret.* Traducit Pagnimus conformiter ad hoc meum propositum: *& misericordia ipsa fulciet brachium mihi, ne desistat ab opere incepto.* Illa misericordia, quæ nunc diuinæ iustitiæ retrahit impeditque brachium, ne disperdat peccatores, illa, inqnam, vires subministrabit vindictæ in tremendo die iudicij.

Et hoc idem insinuare voluit S. Euāgelista Ioannes in suā Apocalypsi, quādo differēdo de extremo iudicio & deū alloquendo dixit: *quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es,* Apocalypsi cap. 15. vers. 4. q. d. magnum ac formidabile nimis est, ô Deus meus, iudicium tuum, quis nō timebit excelsam & diuinam Maiestatem tuam? *quia solus pius es.* Meo calculo mirabilis & extraordinarius est modus iste loquendi, potiùs opinione meâ dicere debebat: *quia solus iustus es.* Ast ecce mysterium. Significare nobis intendebat dilectus discipulus, quod ipsamet diuina pietas & misericordia in extremo iudicij die bellum mouebit contra peccatorem,
Num. 7. eumque condemnabit æternæ mortis æternique supplicij & pænæ infernalis: nam sicut ait Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 39. in Euang *quantò enim ad misericordiam promptior Dominus fuit, tantò erit vindicta eius acerbior.*

Seueri iudicij huius mentionem quoque faciet S. Propheta Dauid, cum dicit: *misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Psam. 100. versic. 1. q. d. semper, ô Domine, per magnæ tuæ recordabor misericordiæ ac tremendi tui iudicij. Supra hunc locum acutissimè notauit Sanctus Augustinus & dixit: *non sine causâ dictum est: misericordiam & iudicium, non autem iudicium & misericordiam, quia modò tempus est misericordiæ, futurum autem tempus iudicij.* Non sine magno mysterio (ait Sanctus ille Doctor) Dauid mentionem facit primò misericordiæ & posteà iudicij, vt nimirum edoceamur nunc adesse tempus misericordiæ; & quod proximè subsequetur, esse tempus rigoris & tremoris: & non solùm excecebit misericordiam, sed quod magis timendm est, summum iustitiæ rigorem. De famoso & percelebri belli Duce Leonide, qui plus ingeniò quàm viribus pollebar, referunt Historiæ Romanæ, quòd hostem aggressurus rubeo se induerit vestimento, idemque præceperit fieri à militibus suis. Et cùm eius à Leonide expeteret curiosè causam amicornm eius charissimus; quidam videlicet hoc inusitato induere vellet stratagemate, sapienter respondit Leonides: *vt cùm aspersi fuerint sanguine inimicorum,* (nimirum milites) *non timeant* ac si diceret: volo vt in hunc modum vestiantur mei milites, vt cùm descenderint in arenam cum hoste, nullo modo deterreantur, sed inuictо & generoso animo aggrediantnr inimicum ac more imperterritorū elephantum inuadant & profligant hostium agmina, qui viso sanguine in maiorem accenduntur furorem & nouas acquirunt vires. Ecquis non credit N. hoc idem facturum nouellum illum Leonidem in extremo iudicij die supremum videlicet Iudicē? Interroga cœlestem illum Secretarium S. Ioannem, & dicet tibi non absimile à se visum fuisse stragatema in suâ Apocalypsi:

Num. 8.

lypsi: *& vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, & cum iustitiâ iudicat & pugnat*, cap. 19. vers. 11. & vestitus erat veste aspersâ sanguine, versic. 13. En expressam eius figuram (ait quidam Doctor modernus) quod accidet in die iudicij, si quidē æternus ille Iudex ne minimùm quidem ad compassionem & misericordiam flectetur horrendam videndo stragem illam peccatorum, qui per omnem æternitatem tartareas subibūt flammas.

Num. 9. Vindictæ huius Vaticinator extitit quoque Isaias, qui hanc proposuit Deo quæstionem: *quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* cap. 63. versic. 2. q. d. Inuictissime Heros, edic, amabo, quam ob causam in Hierusalem, vtpote visione pacis, rubeo compares indutus vestimento, figurâ nimirum expressâ furoris & indignationis? *quare rubrum est indumentum tuum?* Huic Prophetæ interrogationi respondit Deus: *calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimēta mea, & omnia indumenta mea inquinaui*, ac si vellet dicere: visne scire, cur rubrum sit vestimentum meum? quia peccatores mittam in exterminium, quâ de causâ omnes aduocabit cœli incolas, & dicet: huc, huc adsitis, ô strenui mei milites, irruite in hostium copias, profligate ac prosternite peccatores, in eosque effundite furorē & indignationem vestram. Et ecce Sancti in cœlis vnanimi lætabuntur consensu ac triumphabunt de tormentis damnatorum, non commouebuntur ad commiserationem, nec minimo perfundētur terrore videntes tanti sanguinis profusionem, imò manus suas in eo lauabunt: *lætabitur iustus* (ait Dauid Propheta) *cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Psalm. quinquagesimo septimo versic. vndecimo, quem locum de reprobis intelligit Sanctus Hilarius. O diem horrendum & tremendum!

Plinius lib. 3. cap. 19. recenset, quòd quondam tempore vindemiæ omnes vuę collectæ torculari imponebantur à vinitore, deinde illud ascendebat Dominus vineæ cùm omnibus socijs vindemiatoribus, & vt aliquâ mētis incunditate hunc subleuarent laborem, ille, qui erat caput, incipiebat cantare, quem cantum, dictū Elesma, omnes deinde prosequebantur. Num. 10. Non aliter eueniet in extremo die iudicij, post maturatas peccatorum vuas, imponentur illi torculari diuinæ iustitiæ, & Deus Sanctorum suorum stipatus consortio supra illos saltabit. O quàm miseri erunt peccatores positi sub pedibus diuinæ iustitiæ! & quis non compateretur eis, fiet namque cruenta & sanguinea strages ac torrens quidam sanguinis. O miseriam deplorandam! & Deus cantabit illud Elesma, nimirum cantum illum Ieremiæ cap. vigesimo quinto versic. trigesimo. *Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeuma quasi calcantium concinetur aduersus omnes habitatores terræ.* Et cantando conuertet se ad Sanctos suos dicetque eis: *venite & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* Joël. cap. tertio, versic. decimo tertio. Venite & conculcate mecum has maledictas obstinatorum peccatorum vuas, ipsorum rancor erit recreatio vestra, ipsorum eiulatus, querelæ & lamentationes audientur à vobis tanquam resonantes citharæ, veluti tinnientia & optimè concordata cymbala. Vide glossam interlin. & Liran. in hunc locum. O horrorem! ô tremorē! cuius clariori explicationi cor & pectus adamantinum verè esset necessarium.

Et meritò sanè in tremendo illo die se demonstrabit Deus adeò seuerum; peccatores namque, dum poterant, recusabant ipsius misericordiæ pietatisque officia & auxilia, quapropter in vanum deinde sperabunt obtinere misericordiam. Num. 11.

In hac duntaxat vitâ vero aliquo pœnitentiæ actu, vnico ex intimo corde emisso suspirio facillimè quis obtinere potest peccatorum commissorum, tametsi grauissimorum, veniam. Ac proptereà ait Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 2. Cor. 6. vers. 2. Tunc verò misericordia conuertetur in iustitiam, benignitas in crudelitatem, compassio in furorem, amor in indignationem. *Tantò magna* (inquit D. Gregorius Papa lib. 18. moral. cap. 5.) *tunc exercetur seueritas, quantò nunc maior misericordia prorogatur, & districtè tunc iudicium non correctis exerit, qui pietatem nunc delinquentibus patienter impendit.*

Num. 12. Horribilem pœnam, crudele tormentorum genus refert sacer Textus 2. Regum cap. 12. ac tale quidem, vt ipsimet Nerones, Diocletiani, imò nec ipse Phalaris Agrigentinus tyrannus, qui bouem ex ære fabricauit, cui reus inclusus subiecto igne mugitum edebat bouis, non ausus fuerit similia executioni mandare. Omnem admouebat lapidem mansuetus rex Dauid, vt captiuum duceret populum regis Ammon, adeoque se vindicaret de damno & iniuriâ legatis suis primò illatâ. Quapropter illum persecutus est, vicit & captiuum duxit, & pœna, quam ei inflixit, narratur in Sacra Scriptura hisce verbis: *populum quoque eius adducens serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta diuisitq; cultris, & traduxit in typo laterum* loco cit. vers. 31. quid vobis videtur N. de hac pœnâ adeò rigorosâ? num existimassetis vnquam Dauid adeò ferocis & crudelis fuisse animi? ergòne verum est regem illum tam benignum, tam mansuetum, qui in coronatione suâ & primâ regni possessione generalem publicari fecit amnestiam, manus suas defœdasse aliorum sanguine, pœnamque execuritum fuisse non duntaxat inauditam, sed ne quidem ab intellectu creato excogitatam? & vbi reliquit illam benignitatem & mansuetudinem, de quâ gloriari aliàs solebat: *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius?* Ps. centesimo tigesimo primo, v. primo. Ah. N. Deus vos liberet & saluos conseruet ab indignatione vnius hominis mansueti.

Vnde S. Joan. in suâ Apocal. cap. 14. omnibus, quotquot sequebantur famosam illam meretricem, & adorabant bestiam, suprà quam sedebat, minabatur & dicebat: *Cruciabatur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum & ante conspectum Agni.* versic. 10. Rupertus Abbas in hoc facto ponderat modum castigandi, & dicit S. Ioannem non solùm minari, adoratorē bestiæ castigandum esse igne & sulphure, sed adiungere vlteriùs: *in conspectu Angelorum sanctorum.* Nec hoc contentum esse, sed dicere adhuc: *& ante conspectum Agni.* Iudicem ipsum appellando Agnum: *in conspectu Angelorum sanctorum* (verba sunt Ruperti) *nec iste contentus addidit adhuc: ante conspectum Agni Iudicem ipsum appellauit Agnum,* nimirum vt maior & rigorosior esset peccatorum pœna: & huius reddens rationem subiungit: *quia quò suauior, eò formidabilior erit.*

Num. 13. Quid faciendum N. aduenietne tandem hic dies? omninò, erítne horribilis? quis dubitat? eritne adeò acerbus & amarus? de hoc nullum prorsus est dubium. Cur igitur pergimus in viâ perditionis, & peccatis peccata addimus? cur adeò duri & obstinati remanemus, & impiæ ac sceleratæ vitæ nostræ non imponimus finem? *si extimescitis hunc diem* (ita vos monet S. Ioannes Chrysostomus hom. 19. in Matth.) *seriò extimescite, & si extimescitis seriò, conuertimini ad Dominum verâ pœnitentiâ.*

Iudicium Extremum.

DISCVRSVS XXX.

De horrendo timore, quo perfundentur peccatores in extremo die iudicij, cùm videbunt iratam Iudicis faciem.

Num. 1. SAnctus Paulus Apostolus die quodam sermonem habiturus ad Corinthios de tremendo iudicio (quia optimè nouerat, quàm formidabile futurum sit) ne illos exterreret, breuissimam hanc composuit concionem hoc modo dicens: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque porpria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ.* 2. Cor. 5. vers. 10. Ac si diceret: sciendum vobis est, ô dilectissimi, nos tandem aliquando sistendos tribunali Christi ad reddendam rationem de operibus nostris tùm bonis tùm malis. Hic intermittere nequeo, quin dicam: ô sancte Apostole, vbinam modò sunt tropi, figuræ, amplificationesque rhetorices, quibus aliàs vtebaris in discursibus tuis? num solitæ oblitus es eloquentiæ? ecqui in materiâ adeò necessariâ & vtili eiusmodi Laconicâ vteris breuitate? Nullius protsus oblitus fuit, respondet Sanctus Chrysostomus, cuius est hic conceptus, sed paucissimis his vtitur verbis, ne deterreret illos, qui eum tantâ auscultabant auiditate, cùm optimè sciret, quàm ingentem timorem & horrorem similes discursus causare soleant in cordibus humanis. Etenim discurrente ipso aliâ quâdam vice de futuro iudicio coram præside Felice, cœpit hic contremiscere & ferè animi deliquium passus fuit, tantus illum inuasit timor & pauor, veluti attestatur sacer Textus dicens: *disputante autem illo* (nimirum Sancto Paulo) *de iustitiâ & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix respondit,* Actorum 24. vers. 25. Supra quem locum dixit Isidorus Clarius: *cernis, vt futuri iudicij memoria ac mentio etiam gentilem vitam perterrefaciat.* Sicque Apostolus magnâ cum discretione & prudentiâ de tali materiâ succinctum sermonem habuit ad Corinthios. *quoniam paulus,* inquit D. Chris. *non volebat illos rursum affligere, non diutius hæsit in sermone illo: sed paucis, vt dixit, vnusquisque reportabit, quæ fecit, statim prætercurrit.*

Vnde factum est, Marcum Aurelium Imperatorem & legem ciuilem præcepisse sub pœna perpetui exilij, ne vllus loqueretur de extremo iudicio, huiusmodi namque sermones magnum terrorem & iudicialem formidinem humanis incutiebat cordibus, itá, ô Domini Iurisperiti, repetietis lib. 4. leg. *Si quis ff. huiusmodi homines in insulam relegentur.* at nos obseruantes diuinam legem differemus de tali materiâ, & cum Sancto Petro Apostolo dicemus: *præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Actorum 10. vers. 42. Faxit Deus, vt homines calamitosis hisce temporibus timerent & trepidarent, cúm audiũt nominari iudicium, nec starent tanquã stolidi ac insensibiles, quasi res hæc illos non concerneret.

Patientissimus propheta Iob, qui ab ipsomet diuinæ veritatis ore fuit canonizatus & proclamatus homo simplex, rectus ac timens Deum, dum considararet tremendum illum diem, eo tempore, Num. 2.

quo

quo supremus Iudex dijudicaturus est totum mundum terribilem Præ seferens aspectum, elegit potiùs esse in inferno, quàm terribilem & iratam eius intueri faciem, vnde dicebat: *quis mihi hoc tribuat, vt inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* Iob 14. vers. 13. Supra hunc locum D. Gregorius lib. 13. moral. cap. vit. hanc facit considerationem: si Iob etiam iustus & quasi gloriæ æternæ securus tantùm timebat & formidabat, quantò magis nobis peccatoribus timendum est, qui Deum æternum illum iudicem toties multisque modis offendimus: *perpendamus quantâ debemus formidine*, inquit sanctus ille Pontifex, *venturum iudicium semper expauescere, quando & ille, qui à iudice laudatus est, adhuc de retributione iudicij in suis vocibus securus non est.*

Finxit Seneca in quadam tragœdiâ de Hercule, quòd, dum esset iratus & furibundus, ad ipsum conductus fuerit filius eius, quem adeò terribili & horrifico ille aspexit vultu, vt miser infans præ improuiso timore extemplò expirauerit. *Perijt tremefactus infans aspectu Patris*, Fabula hæc est N. & figmentum poëticum; ast veritas catholica est, quòd facies Christi seueri iudicis peccatorum oculis apparebit adeò terribilis & horrenda, vt ad solum illius aspectum hi animi passuri sint deliquium ob nimium timorem. Iamdudum conceptum hunc innuit Propheta Habacuc cap. 3. vers. 6. *aspexit & dissoluit gentes.*

Num. 3. Sumptuosissimum rex Balthasar parauerat conuiuium præcipuis Babyloniæ Satrapis & regni sui primatibus; cùm ergo delicijs & vanitatibus mundi huius attenderet & diuinæ oblitus omnipotentiæ falsos coleret adoraretque Deos, ecce è muro prodijt manus Vtpote iræ diuinæ instrumentum, & duobus solum adhibitis digitis hanc parieti tremēdam inscripsit sententiam: *Mane, Thechel, Phares.* Daniel. c. 5. v. 25. quod scriptum aliud nō significabat, nisi regni amissionem, & status diuisionem. Et ecce Balthasar visâ hac scriptoris manu totus tremēs & perterrefactus expalluit: *tunc facies regis commutata est.* Daniel. loc. citat. versic 6. Ex hisce iam infert magnus Theodoretus Orat. 5. in Danielem, si Balthasar visis dumtaxat tribus digitis inscribentibus pareti præfata verba tanto cōcussus fuit timore, quo non concutietur timore peccator videndo iratam supremi iudicis faciem condemnantis ipsum æternæ mortis & supplicij.

Et S. Ioannes Euangelista, qui propter Num. 4. eminentiam sanctitatis suæ, & puritatem virginalē promeruit vocari filius Mariæ Virginis & dilectus Christi discipulus, videndo vice quâdam in spiritu terrorem extremi iudicij, præ timore ferè mortuus fuisset, nisi Deus animum eius releuasset aliquo solatio dicens ei: noli timere dilecte discipule, nihil enim tibi est cum hoc iudicio: *& cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus, & posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere.* Apocal. cap. 1. vers. 17.

De sancto Cypriano Martyre legitur, quòd dum iret ad locum supplicij, & lictor iamiam esset eundem secuti percussurus, summopere timuerit ac contremuerit considerando extremum hoc iudicium, quare dicebat: *Væ mihi, cùm venerit iudicium tuum, cui menti dicam: cade super me. & cui colli, operi me.* Et tamen mortem hanc patiebatur propter amorem Christi Redemptoris sui, eratque quasi securus de cœlesti beatitudine.

Et beatus Laurentius Iustinianus, qui (vti legitur in vitâ ipsius) continuò ferè lachrymabatur, magnoque Dei pollebat Spiritu, discurrendo cum suis amicis dicere solebat: *quid agam fratres, quid agam, cùm ad Iudicem ducar?*

Maiora dicam, ipsimet Angeli paradisi Num. 5. die illo formidabili præ magno timore contremiscent. Ita glossa ordinaria explanat locum illum S. Euangel. Lucæ

Cap.21. vers. 26. *virtutes cœlorum mouebuntur. Id est, Angelicæ potestates trement aduentum Iudicis.*

Ast quid dixi Angelos timore & tremore fore perfundendos? ipsæ etiam creaturę insẽsibiles præ nimio dumtaxat horrore in die illâ habebunt vitam & sensum. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. Ita asserit Sanctus Hieronymus explicãdo verba illa Ioëlis Prophetæ: *Sol & luna obtenebrati sunt*.ca. 3. versic. 15. *quia furorem Iudicis aspicere non audebunt.* Si ergo Angeli cœlestes & creaturæ insensibiles contremiscent die illâ, considerate modò, quali concutietur horrore peccator.

Si protoparens noster Adamus suprà modum sibi timuit ad vocem Dei vocantis ipsum ad reddendam rationem de vnico solo inobedientiæ peccato; quid dicent peccatores, qui innumera patrarunt scelera, audituri vocem Domini non vocantis illos ad gloriam, sed propulsantis eos in infernum, dicendo: *discedite à me maledicti in ignem æternum*? Matth. vigesimo quinto, versu quadrag. primo.

Si Herodes, vt audiuit Redemptorem nostrum natum in stabulo iacentem, algentem & trementem, plurimùm turbatus fuit cum omnibus suis asseclis: *audiẽs autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illò.* Matth. 2. vers. 3. quid ergo faciet miser peccator (ait D. Augustinus sermon. 30. de tempore) conspiciendo Christum sedentem in throno maiestatis & iudicantem viuos & mortuos? *quid erit tribunal iudicantis, quando superbos reges cuna terrebat infantis?*

Si milites in horo audientes benignam Christi vocem: *quem quæritis? ego sum.* Ioann. 18. vers. 4. & 5. adeò exterriti fuerunt, vt ceciderint retrorsum: *abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.* loc. cit. vers. 6. quid non facient damnati percepturi tremendam illam vocem maledicentem illis & propulsantem eos à facie Christi? *quid iudicaturus faciet* (inquit D. Augustinus tract. 112. in Ioann.) *qui iudicandus hoc fecit? quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?*

Si Paulus Apostolus, vt placabilem & mansuetam percepit hanc vocem ad beatitudinem ipsum allicientem & vocantem: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* Actor. 9. vers. 5. cecidit quasi exanimis & mortuus in terram: *tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* vers. 6. quæ non angustiæ inuadent peccatores? quibus ipsamet Dei Maiestas non blandiens, sed puniens; non vitæ promittens præmia, sed mortis pronuncians sententiam, non visu affabilis, sed terribilis ac plena indignatione & furore dicet: Ego sum Iesus Nazarenus ille, quem tantâ ingratitudine offendistis, tantâ temeritate & peruicaciâ blasphemastis, & quia noluistis me agnoscere tanquam Iesum Nazarenum & animarũ vestrarum Redemptorem, agnoscite me modò veluti Iudicem seuerum in vos iustissimè exacerbatum, ac propterea: *discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. vers. 41. Quis poterit sustinere pondus vocis adeò formidabilis? *qui clementem Dominum ferre non possunt* (ita loquitur Eusebius Emissenus hom. 4. de Symb.) *iratum ferent? qui ad pœnitentiam reuocantem perhorrescunt, terroribus omnia replentem poterunt sustinere?*

Num, 6. De quodam Monacho recenset Magister vitæ spiritualis Ioannes Climacus grad. 6. quòd morti vicinus raptus fuit in ecstasin, viditque rigorem & seueritatem extremi diei iudicij, quem omnes expectamus; cumque ex speciali Dei dispensatione ad se deinde redijsset, vt vitam emendaret anteactam, dicit hic Sanctus, omnes religiosos ibi præsentes ab eo enixè rogatos fuisse, vt cellæ alicui ipsum includerent, ac cellæ ostium muro aliquo munirent; cui inclusus remansit duodecim annorum spatio, & exinde nunquam egressus est solo pane & purâ

purâ contentus aquâ. Quamdiu insuper hoc in loco morabatur continuas fudit lachrymas, ad vnum & eundem semper respexit locum seriò illa reuoluens animo, quæ prius in raptu viderat. Morte iam instante & destructo ostio monachi deserti illius ingressi sunt cellam ac instanter ipsum deprecati sunt, vt loco valedictionis pia & consolatoria quædam eis relinqueret monita; quibus non aliud dixit nisi hoc solum: veritatem dicam vobis, ô Patres religiosi, si homines seriò recogitarent, quàm terribilis esset extremus dies iudicij, nunquam auderent offendere Deũ. Totam hanc historiam enarrat Ioannes Climacus veluti oculatus testis.

Num. 7 Verùm vt veritatem & ego fatear N. parum hoc esset, si non adesset extremus horror videntis iratam seueri Iudicis faciem: *tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & maiestate.* Lucæ vigesimo primo, vers. vigesimo septimo. De Xerxe famosissimo rege legitur in theatro vitæ humanæ tom. primo, lib. sexto. quod innumerabili militum exercitu obuiam iturus hostibus suis, regalibus indutus vestimentis ac tãto Maiestatis ornatus splendore in medium prodierit, vt omnium, quotquot illum aspexerant, vultus in pallorem commutati fuerint: insoliti huius palloris causam curiosus Xerxes cognoscere desiderans, dixit militibus suis: *vt quid pallescitis commilitones mei?* cui responderunt illi: *insolita quadam Imperatoris maiestas est in causa,* insolita illa vestimentorum forma, iratusque aspectus ille, quem tua Maiestas præ se fert hodie, id causauit. Non aliter continget in extremo iudicij die: cùm enim angelicæ Hierarchiæ videbũt Christum seuerum iudicem venientem cum magna potestate & Maiestate crudelem peccatorum facturum stragem, timebunt & trepidabunt illi, & quid erit de impijs & obstinatis peccatoribus? Oh insolitus ille aspectus, quem cunctis exhibebit, indicibilem in illis causabit horrorem; vnde, vt inquit Sanctus Vincentius Ferrariensis Serm. 1. in Dom. Aduent. potiùs mallent tempore isto atrocissimas inferni sustinere pœnas, quàm intueri faciem terribilem æterni Iudicis: *tunc eligerent peccatores potiùs ad infernum duci pro eo tempore, quàm Deum ità videre.* Hoc idem iamdudùm primitiùs dixerat Sanctus Hieronymus in Matth. *damnatis melius esset sustinere inferni pœnas, quàm Domini præsentiam iudicantis.* Num. 8.

Assuerum regem die quodam visitatum iuerat regina Esther, cumque ipsum in regio ac splendido throno sedentem cerneret, tanto cor reginæ perculsũ fuit pauore, vt quasi mortua proruerit in terram. Ita legitur in libr. Esther cap. 15. vers. 9. & 10. *ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, vbi ille residebat super solium regni sui indutus vestibus regijs, auroque fulgens & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. Cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput.* Resumptis deinde viribus & spiritu, reddensque sui terroris rationem dixit regi: *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.* vers. 16. Si igitur regina Esther adeò timuit cuiusdam terreni regis regio insidentis throno iratam inspicere faciem; quid igitur in tremendo illo iudicio dicet an ma peccatrix nõ regina, sed serua, videndo non Assuerum, sed totius orbis Creatorem; non in forma Angeli, sed seueri Iudicis: non sereno sed conturbato vultu? ah tota ipsius expallescet facies. *Arescentibus hominibus præ timore.*

Manue, Pater Sampsonis, videndo quendam Angelum promittentem filium, illicò cecidit in terram, ac tali correptus est timore, vt dixerit: *Morte moriemur, quia vidimus Deum,* Iud cap. 13. vers. 22.

Num. 6.

verſ. 22. ex quo in hunc modum argumentatur Origenes: *quomodò ferre poterunt aſpectum iudicantis, qui perferre non poſſunt Angeli conſolantis?*

Num. 9. Non obſtupeſcite igitur N. quod Magdalena, cùm Chriſtum reperit in domo Phariſæi, ſteterit retrò ſecus pedes & non ante faciem eius: *ſtans retrò ſecus pedes eius.* Luc. 7. verſ. 38. etenim quamuis dolens & contrita accederet, attamen commiſſa recogitans ſcelera nō fuit auſa intueri diuinam illam faciem. Et Publicanus: *nolebat nec oculos ad cœlum leuare.* Lucæ 18. verſ. 13. O peccatores infœlices, quid de vobis erit in tremendo illo die, qui ſiſtemini ante oculos Dei viuas ignis emittentes ſcintillas, quod maius vobis erit tormentū, quàm ipſemet infernus? eccur non timetis & trepidatis? cur impiè vitam tranſactam non emendatis? cur ita ſtolidè & quietè remanetis in lectis peccatorum ſtertentes, ac ſi vos non concernerent iſta? imminent vobis tot & tam grauia pericula, & nihiloominus non conamini ea euitare? væ vobis.

Num. 10. Intellexiſtis iam ſæpenumerò nauigationem & fugam Ionæ Prophetæ in Tharſis, quod nimirum in alto conſtitutus mari, tametſi magna exorta eſſet tempeſtas & millenæ periclitarentur naues, ipſe tamen alto ſepultus ſopore in vtramque ſtertebat aurem: *Ionas deſcendit ad interiora nauis, & dormiebat ſopore graui,* cap. 1. verſ. 5. Omnibus durante hac tempeſtate in naui ſedulò laborantibus, alio tenente clauum, vela contrahente alio, alio exonerante nauim mercibus, anchoram eijciente alio, alijs arripientibus tabulas ad ſe ſaluandos, omnibus denique in ſummo vitæ periculo conſtitutis, ſuſpirantibus & amarè plangentibus, Ionas vſquequaque dormiebat, ſtertebat: *dormiebat ſopore graui,* & quãuis ei gubernator nauis dixerit: *quid tu ſopore deprimeris? ſurge, inuoca Deum tuum,* verſ. 6. Stulte & inſipiens: nos in aperto ſubmerſionis verſamus periculo; & tu dormis in vtramuis aurem? ſurge, ora Deum tuum, implora ipſius opem & auxilium: *Si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus,* verſ. 6. Ionas nihilominus hæc floeci faciens: *dormiebat ſopore graui.*

O ſomnolenta anima, edic: num turbulentior & ferocior ventus ac ſæuior tempeſtas excogitari poteſt extremo iudicio, quando videbimus ſolem & lunā obtenebrari? & tu in tā graui ſtertis periculo & ſecurè quieſcis inter mundi delicias *ſurge, ſurge* de ſomno peccati, deplora vitia tua, recurre ad Deum, ad pœnitentiam: *inuoca Deum tuum* Aſt aduerto, ô peccator, Ionâ te peiorem eſſe ſiquidem bene conſpicis immenſum hoc mundi mare turbulentis agitari ventis, tot tantiſque videlicet peccatorum occaſionibus vt vix ſit vllus, qui non ſummè periclitetur, & patiatur naufragium ſalutis. & tu nihilominus ſopore deprimeris, imò aperto te exponis periculo? Quid agis adoleſcens diſſolute, qui malorum non euitas conuerſationes, nunc hos, nunc illos obambulas vicos & plateas periculoſas & minùs decentes? annon vides animæ tuæ nauim tentationum agitatam procellis mox allidendam ſyrtibus & ſcopulis ac proinde te ſubmerſionis incurrere periculū? Hos ſcopulos tot tantique religoſi in naui militãtis Eccleſiæ timent & formidant? vndede hunc in finem relictis cunctis mundi illecebris & vanitatibus ſecuriſſimū petierunt religionis portum, cuncti propriæ inuigilant animæ ſaluti exorantes & placantes Deum nunc Sacrificijs, nunc matutinis offlcijs, nunc ieiunijs, nunc diſciplinis, nunc alijs, quamplurimis mortificationibus, omnes tamē de ſalute ſuâ hærent anxij & dubij? & tu, qui ſecvrè dormis & ſtertis in fundo nauis, id eſt in ſentinâ ſcelerum tuorum, ſperas adhuc te fore ſaluandum; quale de te pronunciabo prognoſticon? dicam tibi, at non

Num. 11.

non sine lachrymarum effusione: quia ergo peccasti cum Ionâ, qui à nautis excitatus è somno, aduertens tandem sui causâ procellam illam ortam fuisse tempestatē, desperans ea propter de salute suâ dixit nautis: *Tollite me, & proijcite in mare.* Ioan. 1. versic. 12. Audi, audi, Num. 11. tu pariter, ô peccator, in extremo vitæ tuæ momento, quando conscientiam tuam, vndequaque grauatam & onustā senties peccatorum pondere, videbis & turbulentas maris vndas & mortis pericula, quæ magis magisque semper augebuntur, & diffidens planè te fore saluandum clamabis cum Ionâ, *tollite me & proijcite in mare.* Nullum iam superest tempus confitendi & incumbendi saluti meæ actum nunc est de me, sum perditus, sum damnatus, Modò igitur dum tempus est, aperi oculos tuos, ne eosdē instar talpæ deinde aperire cogaris, cùm nihil tibi proderit: *nolite misericordiæ tempora perdere*(exclamat S. Chrisostsmus hom. 31. in Euang. *nolite accepta remedia dissimulare, ante supplicium de supplicio cogitate.*

Ah Christiane, quid cogitas? quomodo audes adhuc offendere Dominum Num. 12. Deum tuum? cur non mutas & corrigis vitam tuam? ad quid tardas condignam de tuis peccatis agere pœnitentiam? ego, quod me attinet, affirmo eum, cuius cordi hæc non hærebunt impressa verba, tandem aliquando incursurum reprobationis sententiam. Pœnitentiam ergo agito de commissis peccatis tuis, ex toto corde à Deo ueniam petito? sic enim præueniendo extremum iudicium, non habebis tunc, vnde timeas. Quapropter & D. Augustinus libr. de verâ & falsâ pœnitent. pulchram hanc & proposito nostro conformem posteris reliquit sententiam: *peccator peccata sua defleat, & futurum iudicium per pœnitentiam præueniat.*

Iudicium Extremum.

DISCVRSVS XXXI.

De regoroso examine nostrorum operum, quod Deus seuerissimus Iudex instituet: Et de confusione, quam peccatores subibunt, dum percipient peccata sua toti manifestari mundo.

Num. 1. ET ecce N, iam tandem abuenit tempus, quo Deus seuerus Iudex deferet iustis laborum suorum præmia, castigabit verò iniustos & malos, præcipiet cuidam Angelo, vt horribililem inflando tubam totum mundum conuocet ante diuinum tribunal, quemadmodum sancta Mater nostra cantat Ecclesia:

Tuba mirum spargens sonum.
Per sepulchra regionum
Coget omnes ante thronum.

Vnde sine morâ animæ denuò vnientur corporibus suis, & resuscitabūtur ad vitam: *In momento, in ictu oculi, in nouissimâ tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* 1. Corinth 15. vers. 52. Iudicium hoc instituetur in valle Iosaphat, vti Deus innuit per os Ioëlis Prophetæ: *Congregabo omnes gentes & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi,* Ioël, 3. vers. 2. Intereà aperientur omnium conscientiarum libri, ibique conspicientur omnia opera bona & mala, & de omni & quâcumque

re exactiſſima ratio reddenda erit coram tribunali ſeueri ac iuſti Iudicis Dei, & iuxta ea, quæ reperientur in libris illis ſcripta, iudicabuntur.

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde mundus iudicetur.

Proſequitur eadem S.M Eccleſia, idque deſumpſit ex S. Ioanne Euangel. qui in ſua Apoc. cap. 20. verſic 12. ait: *& libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Et hi libri, ait D. Ambroſius in Pſalm. primũ pœnitent. ſunt noſtræ conſcientiæ, quæ cuiuſlibet continent culpas & peccata, libri ſunt, non atramento, ſed nigro & ſordido peccatorum colore ſcripti: *libri aperti ſunt*, ait ille Doctor, *non vtique atramento ſcripti, ſed veſtigijs delictorum & flagitiorum inquinamentis: a perientur libri conſcientiæ tuæ, aperientur libri cordis tui, culpa noſtra recitabitur.* Et S. Ephrem Syrus lib. de pœnit. cap. quinto, paria habet: *formidabilis*, ait ille, *libri aperientur, in quibus ſcripta ſunt opera noſtra, & actus & verba, & quæcumque egimus in hac vitâ: nec ſolum actus, ſed & cogitationes & intentiones cordis ſcriptæ erunt.*

Num. 2. Manifeſtabuntur igitur in tremendo illo iudicij die omnia, quæ in hoc mundo patrata fuerunt, peccata etiam ſecretiſſima, omnes inſuper occultiſſimæ cordis noſtri cogitationes, ac tam rigoroſum erit hoc examen, quàm exacta exercetur anatomia à perito quodam Anatomico, qui omnes humani corporis partes etiam minutiſſima diſſecat & reſecat. Cùm exercenda eſt anatomia, altiorem quendam conſcendit locum Anatomicus paratum tenens manu cultrum acutiſſimum, congregatiſque diſcipulis ſuis aliiſque ſpectatoribus incipit appoſiti cadaueris diſſecare pellẽ, deinde progreditur ad carnem, poſteà ad cartilaginem, ab hiſce ad muſculos, tandem proſcindit arterias, penetrat & examinat omnes partes internas, demum pergit ad examen & diſſectionem cordis, & ſupra ſingulas corporis partes prolixum format diſcurſum.

Similem ecce N. perfectum Anatomicum Chriſtum, videlicet, Redemptorem noſtrum, qui iuſtitiæ ſuæ apprehendit cultrum ex vtrâque parte acutum: *& de ore eius gladius vtrâque parte acutus exibat.* Apocalypſi primo, verſ. decimo ſexto, quo non diſſimilem exercet anatomiam, ac primò incipit à capite, & examinat cogitationes hominis tùm ambitioſas, tùm laſciuas; deinde procedit ad aures, quæ non niſi verba inhoneſta, murmurationes, detractiones auſcultarunt; pergit vlterius ad oculos, qui ſuo laſciuo aſpectu nunc hanc, nunc illam contemplati fuêre mulierem; linguam inſuper examinat quæ temerario auſu proximorum læſit honorem, manus: quæ non fecêre aliud, niſi ludere chartis aleiſque, rapere, furari, &c. pedes, qui omnia frequentarunt loca, ſolùm exceptis Eccleſijs, vbi homo animæ ſuæ curare debuerat ſalutem: *& veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Iob decimo tertio, verſ. vigeſimo ſeptimo. Septuaginta transferunt: *vſque ad radices pedum meorum perueniſti.* Et Sanctus Auguſtinus conformiter huic propoſito ſic loquitur: *nec ſolùm intentionem, ſed radicis eius medullam intimam diſertiſſimâ tuæ lucis veritate colligis, numeras & intueris, conſignas, vt reddas vnicuique non ſolùm ſecundum opera & intentionem; ſed etiam ſecundum ipſam interiorem abſconditam medullam radicis, de quâ procedit intentio operantis.* libr. ſoliloq. cap. 18.

Quid plura? progreditur prudentiſſimus noſter Anatomicus diſſecare pellem & aperire carnem pectoris: & ecce cuilibet manifeſtabit & palã faciet cordis illius iram odium & rancorem, æſtuantes libidinis flammas, exacerbatum illum in proximos animum. Procedet vlteriùs de pelle ad partes internas, ſicque àteperet:

O pec-

ô peccator, quomodo mortificasti carnem tuam? qui fuerunt tui mores? quam duxisti vitam? examinabit denique & & inuestigabit omnium hominum mores, actiones totamque vitam: *tunc* (ait Ephrem Syrus sermon. de pœnit.) *& reges, & principes, & diuites, & pauperes, pusilli & magni interrogabuntur de operibus proprijs.*

Num.3. Aduocabat vice quadam Deus Prophetam Ezechielem, præcipiebatque ei, vt acuto accepto cultro abraderet capillos & barbæ & capitis: *sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum & duces per caput tuum per barbam tuam.* Ezech. quinto, versu primo. Abrasos capillos iubet deinde Deus diuidi in tres partes, è quibus vnam mandat comburi, alteram minutissimè dissecari, & tertiam dispergi per ventum & aërem: *& assumes tibi stateram ponderis & diuides eos. Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis iuxta completionē dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam disperges in ventum,* loc. citat. versic. 2. & post hoc, ô Domine, quid ages? quid incipies? quid agam, quæris? *gladium nudabo post eos.* loc. cit. euaginabo nimirum gladium iustitiæ meæ, & illo eos persequar. Capilli iuxta expositionem Sancti Bernardi Sermon. 72. in Cantic. & Hugonis Card. in caput quintum Apocalypsi. sunt Symbolum minimarum cogitationum, peccatorum venialium & defectuum exigui momenti, hos Deus accuratissimè examinabit, vt deinde iuxta vuiuscuiusque demerita puniat & castiget.

Num.4. Et per os Prophetæ Sophoniæ dixit Deus: *Scrutabor Ierusalem in lucernis.* Sophon. primo, versu duodecimo. Ac si diceret: ego omni, quâ potero, diligentiâ inquiram & perscrutabor omnes angulos ciuitatis Ierusalem, animæ videlicet, vt videam omnes defectus & errores contra diuinam meam Maiestatem commissos: *Sed quid in Babylone tutum,* (inquit Sanctus Bernardus sermon. 55 in Cantic.) *si in Ierusalem manet scrutinium?* q. d. Quid facies, ô Domine, intra Babyloniam vrbem inhabitatam à perfidis & sceleratis hominibus, si intra Ierusalem, quam ciuitatem inhabitant homines iusti & sancti, tam diligens & accuratum instituis scrutinium? quid incipies cum conscientia impiorum & rebellium, si tam districtè ac rigorosè iudicabis opera bonorum? *tunc Christus* (pergit idem mellifluus Doctor) *omnes animæ & conscientiæ angulos scrutaturus veniet veluti lucernæ lumine admoto, ne uel minimum peccatum latere possit, iuxta illud: Scrutabor Ierusalem in lucernis.* Quod si igitur Deus iudicabit illos, qui indies recitarunt diuinum officium, frequentarunt missas, Conciones, Confraternitates earumque processiones, vt videat, quâ id fecerint intentione; quid igitur fiet de adulteris, homicidis & detractoribus? & si iudicabit illum, qui plurimas elargitus est eleëmosynas, vt omnibus manifestetur, num aliqua mixtura vanæ gloriæ interuenerit; quid fiet de avaro qui pecunias suas alijs tradidit ad vsuram?

Verùm quid dico de grauioribus peccatis? iudicabit insuper & scrutabitur Num. 5. cogitationes tuas peccaminosas, quas subitò repressisti, & de ijsdem tibi incumbit strictissimam reddere rationem, audite Prophetam Iob cap. 14. vers. 16. *Tu quidem gressus meos dinumerasti* Traducunt septuaginta: *si quis inuitus errauit, adnotasti.* Idque Deus nobis significare voluit per os regii Prophetæ: *cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo,* Psalm. 74. vers. 3. *Terribile verbum* (inquit Hugo Card. supra hunc locum) *quòd non tantum peccata iudicabit, sed & iustitias bona scilicet opera examinabit.* Non dicit ipsum iudicaturum iniustitias, adulteria, homicidia, sed opera bona iustorum; & ideò, vbi nos legimus: *Ego iustitias iudicabo,* Legunt alij ex textu Hebræ-

bræo: *Ego recta iudicabo.* Vnde sanctus Bernardus sermon. 54. in Cantic. *Quid faciet de iniustis iudicijs, qui ipsas quoque iustitias iudicabit?* & concludit deinde: *verendum est, ne subtili examine multæ nostræ iustitiæ, quæ non putabantur, peccata appareant, dicente Domino: cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

Num. 6. Magnum mihi incutit terrorem, quod vice quadam (vti refert Speculum exemplorum) mortuus aliquis respondit amico suo interroganti illum de statu suo: *nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Tribus vicibus respondit amico suo magna emittens suspiria, ac deinde subdidit: *Nemo credit, quàm districtè iudicet Deus, & quàm seuerè puniat.*

O quomodo timebat tremebatque sanctus Iob, dum considerabat se sistendum fore supremo Iudici, ab eoque actiones suas rigorosissimè examinandas, ideoque dicebat: *quid enim faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus, & cùm quæsierit; quid respondebo illi?* Iob 31. vers. 14. Quòd si iustus, rectus ac simplex Iob tantùm timuit diem iudicij, quomodo non nihil timendum est? quomodo vos, ô peccatores, non formidare debetis? quid uos respondebitis? ô infœlices, in quantâ tunc constituti confusione! quomodo abibitis conuicti & desperati, qui non poteritis iudicanti & interroganti de omnibus reddere rationem, neque de tempore inutiliter consumpto, neque de operibus, multò minùs de cogitationibus; Quid facietis, quibus nulla superest spes salutis, auxilium & refugium? veluti aduertit quoque Sanctus Bernardus sermon. 54. in Cantic. *Arctæ enim & strictæ nunc erunt viæ omnium peccatorum, quando non poterunt negare, non appellare, non fugere, non impetrare veniam, non habere refugium.* O miserum & deplorandum statum, in quo tunc constitutus homo!

Num. 7. Talem & non alium fore statum hominis in extremo iudicij die prædixit & comminatus est etiam Deus per os Nahum Prophetæ dicens: *Reuelabo pudenda tua in facie tuâ, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Et proijciam super te abominationes, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum,* cap. 3. versic. 5. & 6. Chaldæus legit: *Patefaciam confusionem sceleris tui in vultum tuum, teque reddam execrandum, & ponam te fœdissimum oculis omnium videntium.* Septuaginta tradunt: *Discooperiam posteriora tua super faciem tuam.* Peccata tua quæ flocci fecisti, nihil æstimasti & post tergum posuisti, præsente toto mundo palam fient: *vt quomodo immunda es, sic immunda iudiceris,* explanat Sanctus Hieronymus in locum citatum Nahum Prophetæ.

Et per os Prophetæ Dauid idem comminatur Deus peccatori & dicit: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Psalm. 49. vers. 21. Sanctus Ambrosius legit: *Statuam contra faciem tuam peccata tua.* Toti mundo, ait Deus, manifestabo scelera tua, quod erit maior pœna & tormentum peccatoribus, inquit D. Basilius Orat. de iudicio, & in Ps. trigesimũ tertiũ, quàm cùm erunt damnati ad æternas inferni flammas: *Plus torquentur iniqui peccatorum pudore in extremo iudicio, cùm illis ante oculos fuerint proposita peccatorum maculosæ sordes, quàm cùm fuerint igni æterno traditi.*

Hæc cogitatio, nimirum quod singulorum peccata hominum toti orbi manifestanda erunt, permagnum Sanctis incutiebat pauorem. Magnus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus lib. medit. cap. 4. dicebat: *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot millibus Angelorum patebunt vniuersa scelera mea; non solùm actuum, sed etiam cogitationum simulque locutionum.* Et Sanctus Bernardus in hunc modum differebat: *Omnibus populis nudabuntur tunc, & cunctis agminibus patebunt vniuersa scelera mea, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum.* Num. 8.

tationum & locutionum. Idem hoc innuit S. Ioannes Chrysostomus homil. 48. ad pop. hisce verbis: *quid ergo tunc faciemus, cùm in medium coram mundo cuncta promentur in theatro tam claro & illustribus & nobis notis & incognotis cuncta spectantibus?* & S. Ephrem Syrus oculis amarè lacrymantibus dicere solebat: *contremiscit cor meum, & renes mei resoluuntur, quotiescumque cogito, quòd reuelanda sint cogitationes & sermones, atq; actus nostri in die iudicij*, ita ille lib. de vera pœnit.

Verum terribiliora auscultate, quæ intrepida etiam corda perfringunt, & trepidare faciunt, Non solum tunc peccata in confuso patebunt, exempli gratiâ, quòd mulier quædam tanquam adultera proclamabitur: minimè gentium? verùm etiam omnia peccata sigillatim proponentur, quot & quanta, nimirum, commiserit; cum quibus; quo loco, quo tempore, quo modo & medio. Dico insuper: toti manifestabitur orbi, per quod ostiū & per quam fenestram mulier intromiserit adulterum in domum suam, & quibus modis quibusque medijs quæsitum illum iuerit. Non est meus hic conceptus, sed S. Basilij libro de vera virginit. *Non confuse aut summatim in iudicio peccata nostra cernentur, sed singula per partes, vt se habent, velut in pictura videbuntur scilicet, quando adulterans à lecto surrexerit, quibus passibus incedens vsus est, quo habitu, quâ ex parte irrumpens alienam vxorem violauerit, & quo etiam ordine mulier viro se subtraxerit.*

Præter confusionem, quâ suffundentur peccatores videndo & audiendo peccatorum suorum promulgationem, videbunt etiam dæmones in medium prodeuntes, accusantes illos, extorquentesque a Deo executionem iustitiæ, iuxta illud Apoc. c. 11. v. 10. *quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Vnde dicit Sanctus Augustinus sermon. contra Iudæos & Arrianos quòd diabolus sine morâ comparebit ante tribunal Dei singula peccata nostra temerario ausu nobis improperaturus: *præsto erit diabolus ante tribunal Christi & recitabit verba professionis nostræ & obijciet nobis in faciem omnia, quæcumque fecimus, in quâ die, in quâ horâ peccauimus, & quid facere debuimus, & dicet: æquissime Iudex, iudica hunc meum esse per culpam, qui tuus esse noluit per gratiam: tuus per naturam meus per malitiā: tuus ob passionem, meus ob suasiones, tibi inobediens, mihi obediens; qui tecum noluit habere vitam, iudica, vt mecum habeat gehennam.* O quàm sagaces accusatores erunt dæmones, inquit D. Augustinus, qui summâ cum temeritate querelas & rationes in medium adducent, vt conuincant peccatores & reos, & ijsdem adiudicentur infernalibus pœnis & tormentis? vnde dicent: verum est, ô æterne Deus, te non minus misericordem ac iustum esse? ast non est tempus ampliùs miserendi, non iam misericordiæ patet aditus, iustitiæ iam cedat misericordia, quapropter adiudica sceleratum hunc peccatorem perpetuis inferni tormentis, ecquæ namque illa esset iustitia quâ ego tam nobilis, tam excellens creatura ob vnicum solum superbiæ peccatum damnatus essem ad atrocissimas inferni pœnas sustinendas; & hic peccator qui non vnicū solùm, sed millena commisit scelera, liber pronunciaretur ac impunitus transiret? Ego vnicum solum instans, hic verò sat longum habuit tempus se conuertendi; ego vnicum peccatum superbiæ, & hic innumera blasphemiæ, murmurationis, detractiōis, superbiæ, lasciuiæ, &c. patrauit peccata. Quomodo tua diuina Maiestas tolerabit, vt peccator adeò impius & sceleratus transeat impunitus? *æquissime Iudex, iudica hunc meum esse per culpam, qui tuus esse noluit per gratiam.* Condemna ergo hunc nefarium & scelestum peccatorem, qui tātâ cum peruicaciâ te offendit, peccata

peccatis indies adiecit, pronuncia sententiam, vt eadem, quæ ego patior, æterna sustineat supplicia: etenim tametsi eum creaueris, vt tecum frueretur æternâ illâ gloriâ, nihilominus tuâ abusus est benignitate & misericordiâ, inobediens fuit tuis præceptis, ad nutum verò obediuit mihi & promptissimè ideoque iustum & æquum est, vt mecum æternæ adiudicetur morti, qui tecum gaudere noluit æternâ vitâ. *Qui tecum noluit habere vitam, iudica, vt mecum habeat gehennam.*

Num. 11. Maiora, magisque tremenda enarrat Sanctus Cyprianus libro de opere eleëmos. quando diabolus diuino iam adstabit tribunali, conspicietque peccatorem spreuisse & honorem Dei & salutem animæ suæ, totus arrogans & superbus in hæc prorumpet verba: *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & crucis redemi, sed nec regnum cœleste illis promitto, nec ad paradisum restitutâ immortalitate denuò reuoco & tamen vsque ad lassitudinem multam mihi in viâ iniquitatis seruierunt, consilijs meis acquieuerunt. Nonne ergo iustum est, ut in eandem mecum sortem descendant?* & concludit deinde Sanct. Cryprianus & ait: *quid ad hæc respondebimus fratres?* hanc eandem quæstionem proposuit os illud aureum S. Chrysost. in Psalm. 111. cùm dixit: *quibus ergo oculis Christum cernemus? ô quanta augustiæ erunt tunc reprobis,* (exclamat D. Gregorius Papa hom. 19. in Euang.) *si respiciunt sursum, tunc vident iudicem iratum? si deorsum, tunc vident infernum eis præparatum? si ad dexterâ, tunc vident congregationem bonorum, à quâ debent separri? si ad sinistram, tunc vident multiplicationem dæmonum, cum quibus æternaliter debent cruciari.* Quapropter Sanctus Anselmus lib. de similitudinib. alloquendo peccatorem exclamat: *Heu miser peccator, sic deprehensus quò fugies? latere erit impossibile, apparere intollerabile?*

O miseri & infœlices peccatores, tunc primùm cognoscetis cum æternâ vestrâ confusione, quàm grauiter aberraueritis præbendo consensum diabolicis suggestionibus, non corrigendo vitam pessimè transactam, nec de peccatis vestris condignam agendo pœnitentiam tempore debito & congruo, O quàm magna erit confusio vestra, cùm vos dæmonibus vndeque circumdatos cõspicietis, qui contra vos vigebunt & clamabunt vindictam, & tanquam diuinæ iustitiæ ministri prompti & parati astabunt ad tartarea illa habitacula vos adducturi.

Accrescit hæc peccatorum confusio ex eo, quòd mala opera & enormia peccata commissa contra illos tot erunt quoque testimonia, quemadmodum innuit Ieremias Propheta: *Arguet te malitia tua & auersio tua increpabit te*, cap. 2. versic. 19. Et Sanctus Bernardus libro de Consider. ad Eugen. auream hanc posteris reliquit sententiam: *in illo iudicio stabunt omnia peccata contra infœlices peccatores, dicentia: tu nos egisti, opera tua sumus, iam non te deseremus, sed tecum ad iudicium pergemus.*

Ast non est mirum (inquit Sanctus) Gregorius Papa lib. 8. moral. capite 15. Num. 12. peccatores magno perfundendos esse timore & tremore, id enim causabunt peccata eorum. Sed quod iusti & electi pro certo sciant se æternis adiudicandos supplicijs, nisi Deus eisdem compatiatur, & aliqualem ostendat misericordiam, id summo stupore & admiratione dignum est: *perituros se absque ambiguitate sciunt* (ait Sanctus Pontifex) *si remotâ pietate iudicentur.* Addit insuper Sanctus Gregorius, quòd iusti timebunt non solùm ob peccata, quæ à semetipsis fuisse commissa ignorant; sed etiam ob virtutes, in quibus se exercuerunt: *hoc ipsum quod iustè videmur viuere culpa est. si vitam nostram ille iudicat, hãc apud se diuina misericordia non excusat.*

Ideò

Ideò D. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 13. exoraturus Deum pro salute S. Monicæ Matris suæ dicebat: *Sancta erat Mater mea, deuota erat, ieiunijs & orationibus instabat, sed væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ, clementiâ, pietate discutias eam, quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inueniri indulgentiæ.* Nam, vt repetit D. Gregorius libro vigesimo quarto moral. cap. septimo, *neque hoc, quod laudabiliter gessimus, sine aliquo reatu nostro est, si remotâ pietate iudicemur.*

Num. 13. Hanc veritatem insinuare quoque voluit Sanctus Petrus Apostolus, quando dixit: *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* 1. Petr. 4. vers. 18. In quem locum ita discurrit D. Hieronymus lib. contra Pelag. *Certè iustus est, qui in die iudicij vix saluatur; Saluaretur autem facilè; si nihil haberet maculæ. Ergo iustus est in eo, quod floret multis virtutibus & vix saluatur in eo, quod in quibusdam indiget misericordiâ Dei.* Quod & confirmauit Sanctus Isidorus lib. 1. sentent. 1. de iudicio dicens: *Ad districti examen iudicis, nec iustitia iusti secura est, nisi pietate diuinâ à Deo iustificante iustificetur.* Quid mirum igitur N. quòd iusti & serui Dei horâ mortis suæ timebant & tremebant? siquidē peroptimè nouerant; quā seuerus futurus esset iudex, & quā rigorosum instaret examen. Ita lego de S. Hilarione Abbate discipulo magni Monachorum Patriarchæ S. Antonij, qui cùm esset octoginta annorum, constitutus in agone mortis cæpit timere & pauere, addens nihilominus sibi animū dicebat: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annus seruisti Christo, & mortem times?* hæc pronuncians verba animam reddidit Deo Creatori suo. Stupendum sanè factum N. quòd Sanctus ille vitam agens adeò strictam & rigorosam, qui ferè toto vitæ suæ tempore horridum inhabitauit desertum, asperum illum saccum, quo nudam contexit carnem, nunquam mutauit & lauit, qui vnâ dumtaxat vice, idque post occasum solis de die manducabat, & quibus vescebatur cibis? paucis admodum ficubus & herbis; sitim deinde sedabat purâ aquâ, suprà nudam cubabat terram, & quidem in cellâ augustâ, vt teste D. Hieronymo in vita Hilar. apud Metap. potiùs sepulchro mortuorū quàm viuorum habitationi similis fuerit, summopetè nihilominus timuit contremuitque. Vndenam ei tantus timor? optatisne id scire? ex continuâ consideratione extremi iudicij ac rigorosi examinis, quod Deus instituet de operibus nostris.

Eodem perfusus fuit timore Sanctus Bernardus qui de inter. domo capite 35. hanc de semetipso proferebat sententiā: *viuere erubesco, quia parum proficio, mori timeo, quia non sum paratus.* Et si vir talis sanctitatis id dicebat, quid dicemus nos peccatores? Si serui Dei in magno rigore & asperitate vitæ viuentes tantùm timuerunt in agone cōstituti, quos ne minimùm arguebat conscientia; qualem timorem & amaritudinem ergo sentient mortis suæ horâ impij & mundani, qui fuerunt in mundo quasi sentina quædam vitiorum, addideruntque semper peccata peccatis, iniquitates iniquitatibus, abominationes abominationibus, & quidem cum maximo scandalo proximorum & contemptu Dei? eequî possibile est, quòd tu, ô peccator, possis ridere, cùm cogitas coram supremi Iudicis tribunali tibi reddendam esse rationem de cunctis tuis operibus, dictis & cogitationibus? *coram cœli & terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, & tu rides?* dixit (vti legitur in Vitis Patrum) cuidam adolescenti ridenti quidam ex sanctis Patribus. Et propterea Sanctus Bernardus considerando terrorem huius iudicij lib. de Consid. ad Eugen. capite vigesimo secundo solebat dicere: *Firmum est mihi propositum nunquam ridendi, quousque au-* Num. 14.

 diero

diam ex ore Dei illa verba : venite benedicti Patris mei; neque flere desistam, donec liber sim ab illâ sententiâ: ite maledicti in ignem æternum. Ergo dilectissimi N. *cum metu & tremore* (verbis vtor Apostoli ad Philipp. secundo versu duodecimo (*vestram salutem operamini.* Id feceritis, securos, vos reddo, in extremo iudicij die prædulcia hæc vos audituros verba : *venite benedicti Patris mei.* Matth. vigesimo quinto versu trigesimo quarto quod vobis concedat Deus, &c.

Iudicium Extremum.

DISCVRSVS XXXII.

De tremendâ æternæ damnationis sententiâ, quam supremus Iudex in die iudicij promulgabit contra peccatores.

Num. 1. VIuat, tripudiet ac nepotetur iuxta genium suum peccator cum impijs & stolidis apud Prophetam Iob dicentibus, Deum actionum humanarum nullam habere curam, suâ siquidem in cœlis fruitur gloriâ, nec ea, quæ in inferiori hoc peraguntur mundo, considerat : *nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Iob cap. 22. vers. 14. Flocci-faciat indignationem Dei, credatque nunquam se redditurum rationem de vitâ impiè translactâ, velut dixit Dauid: *propter quid irritauit impius Deum ? dixit enim in corde suo, non requiret.* Psalm. 9. vers. 13. Addat peccata peccatis, nec diuinam putet offensam; naturæ instinctum sequatur more brutorum, delicijs & voluptatibus indulgeat; veniet, veniet tandem aliquando dies illa, quâ tremendus comparebit Iudex Christus Dominus, vt ab eo exquirat rationem omnium, tum malorum tum bonorum operum. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* dixit Apostolus 2. Corint. 5. vers. 10. Talis erit hæc dies, quâ patebit porta iustitiæ, claudetur misericordiæ illa erit dies, quâ æternus peccatorum eiulatus, dolor & calamitates celebrabunt suas primitias; dies, in quâ mœstissima & qualis ab initio mundi nunquam visa fuit, exhibebitur tragœdia; etenim obtenebrabuntur duo mundi luminaria Sol & Luna, ne tragicum hoc & triste videatur spectaculum : *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Matth. 24. vers. 29. & creaturæ abdita, quibus se abscondant, inquirent loca; solùm peccator nullum reperiet effugium, quæret tenebras, at ipsius causâ splendescent; inquiret abyssos, sed propter ipsum complanabuntur; quæret mortem, ast nullam inueniet, cumque non poterit effugere mala, cogetur comparare ante tribunal Dei, vbi post rigorosum examen quod Christus Dominus seuerus Iudex instituet de operibus vniuscuiusque, procedetur ad finalem sententiam, & priusquam hæc promulgabitur, ad augendos peccatorum dolores idque in pœnam illorum Christus supremus Iudex monstrabit eis sua sanctissima vulnera, vt magis magisque illos conuincat & confundat. In hunc modum loquitur D. Augustinus lib. de

Symb.ad Cath, *Inimicis vulnera demonstraturus est sua, vt conuincens eos dicat: ecce hominem quē crucifixistis; videtis vulnera, quæ infixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? quando per vos & ptopter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Et Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. de Cruce & lat. huic nostro proposito conformia profert: *Tunc ostendit vulnera, crucemque demonstrabit, vt ostendat illum esse, qui fuerat crucifixus.* Et S. Cyprianus declarans sermon. de Ascens. verba illa Act. Apost. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* cap. 1. vers. 11. dixit: *Sic veniet Iudex cum eisdem vulnerum & plagarum in latere, manibus pedibusque impressis vestigijs.* Et Angelicus Doctor D. Thomas in cap. 15. existimat, quod in valle Iosaphat sita inter montem Oliveti & Calvariæ, è regione ciuitatis Ierusalem (veluti affirmat Sanctus Hieronymus in descrip. terræ sanctæ) in qua altissima redemptionis nostræ contigerunt mysteria, ideò instituendum est extremum iudicium, vt cunctis innotescat, quàm iustissimè condemnabuntur peccatores, qui noluerunt summum illud recognoscere beneficium. Cuilibet ergò peccatori, vti vult Angelicus Doctor, dicet Christus æternus Iudex: ô ingrate peccator, aperi tandem oculos & vide: num cognoscis ciuitatem illam? annon illa est Ierusalem, vbi tot & tanta tui causâ passus fui? annon conspicis vicos & plateas illas, ista palatia & tribunalia? vbi triginta trium annorum spatio & continuò absque ullâ prorsus requie aliud non feci quàm sudare, laborare, concionari & pati ob amorem tui? Vidésne, ô anima peccatrix palatium illud principis Sacerdotum? vbi conspiratunt in meam mortem? Cernísque hortum illum? vbi offerendo preces æterno Patri meo, copiosissimè sudaui sanguinem, in eodem loco fui captus & tamquam latro ductus ad Caipham. Quia dixi veritatem, inflicta fuit mihi alapa à milite. En præaltum illud Herodis palatium: Vbi mecum egerunt tanquam cum homine fatuo & mentis impote. Vidésne in prætorio Pilati columnam illam? ei fui alligatus & dirissimè cæsus & flagellatus, insuper imposita fuit capiti meo corona pungentissimis spinis intertexta, & deinde ita pessimè tractatus, cæsus & vulneratus totius populi exhibitus fui conspectui. Annon conspicis plateas vrbis Hierosolymitanæ, quæ in hanc vsque horam meo sunt tinctæ sanguine? Ecce quoque saxum illud, supra quod cecidi ob nimiam debilitatem onustus, graui crucis pondere. Oculos tandem conijce in montem Caluariæ, vbi in medio duorum latronum crucifixus fui, & summopere sitiens felle & aceto potatus, nec hoc contenti fuêre perfidi illi Hebræi, insuper pectus meum dirâ aperuerunt lanceâ. Ah peccator impiè, tot tantisque beneficijs correspondere, ne ingratus esse, debebas.

Quid igitur, ô peccator, tunc cogitabis? quis tibi erit animus? quid respondebis? ad quem confugies? cuius implorabis opem? speráſne fortassis aliquem è Sanctis Aduocatum tuum pro te intercessurum apud Deum, eo modo, quo Moyses fauit & patrocinatus fuit Hebræis, quos Deus penitus destruere statuerat, idque fecisset: *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Psalm. centesimo quinto, versu vigesimo tertio. At vana est hæc tua spes; ô peccator, ita tibi insinuat Deus per os Ieremiæ dicentis: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* capit. decimo quinto, versu primo. Nihil ergò te iuuare poterunt Sancti, nec veniam impetrare apud Deum, adeoque vana erit omninò spes tua: *Spes autem impiorum peribit.* ait Spiritus sanctus Prouerb. cap. decimo, vers. su vigesimo octavo. Num. 28.

Imò neque sancti Patroni tui, qui prom-

prompte in præsenti vitâ pro te impetrarunt gratiam, vllam tecum prorsus habebunt compassionem, quia se conformabunt sententiæ Iudicis Christi D.N. non mea sed D. Gregorij hæc est sententia, qui homil. trigesima nona in Evangel. Lucæ ca. decimo sexto, ponderando verba illa, quæ respondit Abraham diuiti epuloni petenti vnâ aquæ guttam: *Inter nos & vos magnum Chaos firmatum est, vt hi, qui volunt hinc ad nos transire, non possint* Luc. 16. vers. 26. hanc mouet difficultatem: *qui in beatitudinis sorte suscepti sunt, quo pacto dicitur, quia transire ad eos, qui in inferno cruciantur, volunt?* q. d. potest bene contingere, quòd damnati anhelent ad paradisum; nec de hoc vllum est dubium; ast quomodo potest esse, quòd confirmati in gratiâ velint transire ad infernum, tametsi non possint; *vt hi, qui volunt ad vos transire, non possint.* Et respondet sanctus Pontifex, transitum illum, quem sancti faciunt, intelligendum esse quoad affectum misericordiæ, quem sibi innatum habent, quo vellent illos miseros liberare; at effectu non possunt, quia taliter sunt vniti voluntati diuinæ, vt ne minimum quidem compatiantur eisdem: *transire iustorum ad afflictos atque in tormentis positos est, mente ire per misericordiam, eosque velle liberari; sed qui volunt, transire non possunt, quia iustorum animæ quamuis in sua natura bonitate misericordiam habeant, tamen tunc Auctoris sui iustitiæ coniunctæ tanta rectitudine constringuntur, vt nulla in reprobos compassione moueantur. Ipsi quippe Iudici concordant, cui inhærent, & eis, quos eripere non possunt, nec ex misericordiâ condescendunt.* Et tunc N. adimplebitur dictum regij Prophetæ? *absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* Ps. 140. versic 6. nimirum, iudices peccatorum, qui sunt sancti Apostoli, de quibus dixit Christus: *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Matth. 19. vers. 28. Absorpti erunt & vniti petræ, quæ est Christus 1. Corinth. 10. versic. 4. *Absorpti planè sunt* (ait Sanctus Bernardus sermon. 7. in Psalm. Qui habitat.) *in affectum iustitiæ & petræ soliditatem, cui iuncti sunt imitantes.* Sicque Apostoli & alij Sancti taliter absorpti erunt in affectum divinæ iustitiæ, vt nequeant commisereri miseris & infortunatis peccatoribus; vnde in duritie imitabuntur durissimam petram cordis Christi seueri Iudicis. Pergit deinde Sanctus Bernardus & dicit: *tunc putásne flexibile quippiam inueniendum in iudicibus iunctis petræ?*

In confirmationem veritatis huius adducam N. duo pulcherrima loca ex Sacrâ Scripturâ ponderata etiam à D. Gregorio Magno: vnus est de nuptijs illis, Matth. 22. quas accessit quidam non habens vestem nuptialem, vnde ob eam causam turpiter ab illis reiectus fuit. Num 3. Quod factum mirum videtur D. Gregorio; etenim tempore nuptiarum solent ordinariè concedi gratiæ cunctis illas frequentantibus, & si interdum committatur aliquid reprehensione dignũ, omnes conuiuæ id excusare nituntur, curantque vt delinquenti condonetur; nihilominus inter tot conuiuas nullus fuit, qui minimum locutus fuisset in fauorem istius miseri hominis. Ad eundem modum continget in die iudicij, quando nuptiæ celebrabuntur iustorum & seruorum Dei, nulla ibi vigebit misericordia, pietas nulla, nec intercessio Sanctorum in fauorem peccatorum nuptiali destitutorum veste puritatis & vitæ innocentiæ. *Vide* (ait D. Gregorius) *non indutum veste nuptiali expulsum, & neminem pro illo intercedentem.*

Alter locus ponderatus á D. Gregorio hom. 14. in Evangel. est de quinque Virginibus prudentibus Matth. 25. quæ lucernas habebant ardentes, & vasa plena oleo, & de olijs quinque fatuis, quia nullam sibi fecerunt olei provisionem. adeoque cùm viderent lampades suas paulatim extinguendas, accesserunt virgines

gines prudentes, eiſque dixerunt: *date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* loc. cit. verſ. 8. Addit ſacer Euangeliſta, prudentes nullatenus voluiſſe annuere & ſuffragari votis & petitioni fatuarum Virginum. Aſt quid eis obfuiſſet aut damni intuliſſet (ait Magnus Gregorius) ſi pauxillum olei communicaſſent miſeris & egentibus fatuis, maximè cùm illæ vaſa habebant oleo repleta & lucernas accenſas? Reſpondet S. Pontifex id non ſine myſterio contigiſſe; vaſa ſiquidem repleta oleo ſignificant merita Sanctorum. Hoc igitur facto edocemur, quòd nullus Sanctorum, quantumcunque cœleſtibus abundet meritis & gratijs, intercedet apud Deũ, eumq; exorabit pro peccatoribus: *ne fortè non ſufficiat nobis & vobis. Reſpice quinque Virgines excluſas* (inquit Magnus Pontifex) *& æquales, pro ipſis non deprecantes.* Ah peccator time & contremiſce, vnus Angelus Martyr, vnus Albertus, vnus Franciſcus, vna Agatha, vna Lucia, vna Thereſia, aliĳque innumerabiles Sancti exiſtimant & iudicant tot tantaque non ſibi ſufficere merita, quibus in tremendo illo iudicio ſalui & liberi euadant, & tu, qui vix ullo præditus es merito, imò plurima habes demerita, non timebis, non formidabis? *timentes peccatores in illâ die* (ita noſtro propoſito conformiter ſermocinatur ſanctus Chryſoſtomus hom. 52. in cap. 25. Matth.) *ad Sanctos dicturi ſunt: date nobis de oleo veſtro, hoc eſt, vos Sancti, qui habetis opera larga iuſtitiæ ſufficientia vobis, non ſolùm ad euadendam pœnam, ſed etiam ad gloriam conſequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum veſtrorum, id eſt, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum, quia iuſtitia veſtra ſufficiens eſt & vos glorificare & nos excuſare.* Verùm huiuſmodi petitioni peccatorum reſpondebitur: *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* Matth. 25. verſ. 9. Quæ verba explicans idem S. Chryſoſtomus dicit: *Oſtendit in his verbis, quòd ita futurum eſt terribile iudicium illud, vt nulla innocentia ſibi confidat. Tantus enim timor tunc erit omnium etiam Sanctorum, vt nemo ſperet ſe iuſtum inueniendum, ſed adhuc timeat, ne fortè reus exiſtat.* Idem hoc aſſeruit Cæſarius Arelatenſis in hunc locum, dicens: *Tantus terror erit in die iudicĳ, vt etiam illi, qui oleum miſericordiæ ſe intelligunt abundantius præparaſſe, metuant, ne eis poſſit ad omnia peccata redimenda ſufficere.*

Num. 3. Et quamvis hæc Sanctorum auerſio & indignatio in peccatores magna iiſdem futura ſit pœna, maius tamen percipient tormentum, cùm eodem die Beatiſſimam Mariam Virginem conſpicient tanquam Matrem pietatis ſæpiùs inuocatam; ipſam verò non iam gratiam, ſed vindictam & pœnam pro illis petentem & efflagitantem; hoc, inquam, maiorem eis infert cruciatum & pœnam. Non mea hæc eſt ſententia, ſed D. Auguſtini, qui ſermon. ad fratres in eremo ita loquitur: *Cauendum eſt, ne ante illud terribile tribunal vacui vel denudati appareamus. Non enim Sancti tunc nobis ſubuenient, quia tempus non erit miſerendi & miſericordiam impetrandi, & iam fugiet à ianua paradiſi Maria. Omnes enim contra peccatores tunc erunt.* Clariùs differit B. Thomas de Villâ-nouâ lumen & ſplendor Auguſtinianæ Religionis & Archiepiſcopus Valentinus ſermon. 2. de iudicio: *Non ibi precandi locus, nullus vobis interceſſor aſſiſtet, qui pro vobis verbum loquatur, non Beata Virgo, non Angelus, non Apoſtolus propitiabitur pereunti.* Et Sanctus Ephrem Syrus ſerm. de vita Relig. concludit hiſce verbis: *Illic miſericordiſſimus ille Abraham immitis & immiſericors reperietur, & qui pro Sodomis, vt ſalvarentur, fuerat deprecatus ille vel pro vno peccatore non ſupplicabit.*

Sancti quoque Angeli pro cuſtodiâ animarum noſtrarum deputati, qui tot tantiſ-

tantisque bonis inspirationibus in præsenti vitâ nos alliciunt & deducunt in viam æternæ beatitudinis & à multis grauissimisque nos defendunt periculis, nobis, vtporè æternæ damnationis reis, testimonium ferent, nisi modò illorum acquiescamus sanctis consilijs, pareamus inspirationibus. Testatur idipsum Sanctus Chrysostomus homil. 10. in Matth. dicens: *Tunc Angeli aderunt cum imperio testificantes, quantùm ipsi ministrauerunt à Deo missi.* Nec minori cum diligentiâ ante ipsum P. Origenes in has eripuit voces: *Vnusquisque Angelorum in iudicio aderit, producens illos, quibus præfuit, qui testimonium perhibebit, quot annis circa eum laborauerit ad bonum instigando, sed ille monita spreuit.*

Num. 5. Accrescent peccatoribus tormenta; siquidem priusquam in die iudicij iustissimus Iudex contra illos pronuntiabit sententiam, affabili ac læto vultu ad dexteram vocabit iustos & sanctos, inuitabitque illos vt secum cœlestibus illis fruantur delicijs ab æterno eisdem præparatis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matth. 25. v. 34. Id miseros affliget peccatores & summoperè illos torquebit, vti mellifluus attestatur Bernardus serm. in Psalm. *Qui habitat.* dicens: *Prius benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti deijciantur in caminum ignis æterni, vt videlicet acriùs doleant, videntes, quid amiserint.*

Vnde si Christus Dominus vultu tam affabili & benigno vocabit ad dexteram suam iustos, quo furore & indignatione existimatis eundem à facie suâ propulsaturum & relegaturum esse reprobos in perpetuum inferni exilium? hoc vnicum sufficiat, quod ait Eusebius Cæsariensis in Epist. ad Rom. quòd reprobi videntes Deum iustissimũ Iudicem furore & indignatione accensum tantũ eisdem incutiet pauorem & formidinem, vt nisi essent vestiti immortalitate, de nouo moreren-tur: *Tantus terror* (inquit Eusebius) *inuadet in illâ die malos, cùm viderint Iudicem sententiam proferentem, vt nisi essent immortales effecti, iterùm morerentur.* Et Sanctus Augustinus sermon. 120. de tempore, scribit hoc modo: *maius tormentum malũ erit, furorem vultus diuini tolerare, quàm cruciatus infernales perpeti.*

Promulgabit demum Christus Saluator & Iudex noster contra peccatores tremendam æternæ mortis sententiam dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Matth. 25. vers. 41. O æternitatam! te recogitantes meritò trepidare deberent non homines dumtaxat, sed durissima etiam saxa. Adeò tremenda est huius memoria, vt ipsimet dæmones, tametsi sciant se æternis excruciandos flammis, sufferre tamen nequeant audientes eius fieri mentionem. Et propterea S. Mater Ecclesia afflata Spiritu sancto in exorcismis, quibus vtitur contra obsessos à dæmone, solet addere orationi pro conclusione hæc verba: *per eum, qui venturus est iudicare sæculum per ignem;* ad quarum efficacissimarum vocum prolationẽ subitò discedunt dæmones; nil aliud enim magis exhorrent & formidant quàm extremum iudicium, quod subsequitur pœnarum æternitas: *O si dæmones audire velles* (dicit Sanctus Cyprianus in Epistolâ quâdam, quam scribit ad Demetrianum Christianorum hostem infensissimum) *& audire, quando à nobis adiurantur & torquentur spiritualibus flagris & verborum tormentis, de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humanâ, & potestate diuinâ flagella & verbera sentientes venturum Iudicem confitentur.* Num. 6.

O *æternum*, (dicam ego hodie obeiusmodi memoriam totus factus attonitus) exulare facis peccatores à facie Dei, in quam Angeli paradisi desiderant prospicere! O *æternum*, absynthium es, quo quævis vitæ huius dulcedo amarescit. O Num. 7.

æternum

æternum, fundator sacrarum religionum, inuentor speluncarum à pœnitentibus inhabitatarum, mater ieiuniorum & lachrymarum! *O æternum*, lapides S. Stephano fecisti dulces, craticulam S. Laurentio suauem, rotas S. Catharinæ leues, nudam & duram terram S. Carolo Borromæo mollem lectum, ollas ebulliente oleo & pice repletas Sanctis Martyribus aquas refrigerantes! *O æternum*, te recogitans continuò S. Hieronymus petrâ percutiebat pectus suum! *O æternum* gemmeâ denudasti & priuasti coronâ caput Caroli quinti, illius, inquam, Imperatoris, qui tot regna & prouincias suo subiugauerat imperio, eumque in angustâ & pauperem cellam relegasti ad ducendam vitam solitariam. *O æternum*, te nobis recogitantibus amaritudines tribulationum & calamitatum dulces fieri deberent! *O æternum* te serio reuoluens animo S. Augustinus citat. à gloss. Deum enixè rogabat: *hic vre, hic seca, vt in æternum parcas*! *O æternnm*, demum, ne ie probarent damnati, contenti essent iuxta communem consensum sacrorum Doctorum, (si hanc à Deo possent obtinere gratiam in die iudicij) vt minima formica post tot millenos annos quâlibet vice tantùm ex oceano epotaret aquæ, quanto huic animalculo sufficeret, ac tunc liberi euaderent ab atrocissimis inferni pœnis, quando hæc formica post tot millia millium annorum totum tam etsi in exhaustum ebibisset oceanũ, quia tandem aliquando adhuc sperarent finẽ tormentorum. Ast, ô miseriam! contra hos cecinit & optimè conclusit poëta quidam in carmine de inferno?

Vscite di speranza uoi ch'enterate,

Vera namque & dilucida est illa Iudicis sententia: *discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Num. 9. Pro coronide omnium infernalium tormentorum adiungatur hoc vnicum, veluti cætera omnia transcendens, nimirum; quòd damnati per totam æternitatem priuati erunt beatifica Dei visione, Dum Scriptura Sacra 4. Regum 24. enarrat omnes calamitates & punitiones diuinas, quas perpessus est populus Hebræus, tandem in medium allatura omnium maximam: dixit: *Irascebatur enim Dominus contra Ierusalem & contra Iudam, donec peoijceret eos à facie suâ*, versiculo vigesimo, Hoc enim erat malorum summum & maximum, quod illis infligere poterat.

Actor. 20. quando Paulus Apostolus discessit ab insulá Maltæ, omnes, quotquot ipsum deducebant ad nauim, amarissimè fleuerunt, ita ut vix daretur consolationi locus: *Magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum*, vers. 37. Ast quod maximè eos affligebat, fuit, quod nimirum, vti audierant ex ore Apostoli, non essent eum ampliùs conspecturi: *Dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non essent visuri*, vers. 38. Quòd si ergo priuatio visionis Apostoli, quem nihilominus in alterâ vitâ videre poterant, tantum afflixit Melitensium corda; quo non torquebuntur dolore & pœnâ miseri damnati, cùm experientur se per totam æternitatem priuatos visione non vnius hominis; sed ipsiusmet Dei viui & ueri? maximè verò eos affliget consideratio, quòd nimirum tam immenso & summo bono priuati sint ob exiguam & momentaneam voluptatem.

De Lysimacho rege refert Plutarchus part. 1. mor. quòd cum hostili cingeretur exercitu, tandem se dederit in potestatem hostis sui ob maximam, quam patiebatur sitim, & dum ei in vase quodam limpidissima ad bibendum exhiberetur aqua, prorupit in hæc verba: *Dij boni! quàm ob breuem voluptatem regnum amisi, ex ex rege me seruum effece.* Sed hic consolari se poterat, quia coactus fuit, vt se tradiderit potestati hostium suorum, nisi voluisset perdere vitam non explendo sitim. Num. 8.

Sed quam consolationem habebit peccator, qui pro exiguo vase aquæ, pro minimâ & momentanea voluptate & delectatione, pro vno deliberato voluntatis actu perdit cœlum, summum illud bonum ipsummet Deum? vnde dicere poterit eum Lysimacho: *Deus bone, quam ob breuem voluptatem regnum amisi, & ex rege me seruum effeci* Ergó ne ob momentaneam delectationem, ob exiguam voluptatem de filio Dei factus sum mancipium diaboli? ab æternâ, ad quam destinatus eram, fœlicitate cecidi in perpetuam miseriam? O infœlices & amaras mundi delicias? ad quem non miserum me reduxistis statum?

Num. 10. O dolores? O qualia tormenta erunt ista; *illum ergo diem, fratres charissimi tota intentione cogitate*, (ita nos exhortatur Sanctus Gregorius Papa homil. 1. in Euangel.) *vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite*. Et si hæc verba cordibus verbis impressa non hæreant, nec moueant: *quibus Verbis te curabo?* (verba sunt D. Basilij homil. 7. in discen. (*Quomodo loquar? regnum Dei non curas, gehennam non imes quam animæ tuæ medicinam idoneam inueniam? si enim horribilia non metuis, clara insuper & pulchra despicis, disputamus cum corde lapideo*. Estne possibile, ô Christiane; quod cor tuum non emolliant prædulcia illa verba Christi Saluatoris & & Iudicis æterni dicturi Sāctis & iustis: *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum*? & hæc alia, quæ dicet reprobis, non te deterreāt: *discedite à me maledicti in ignem æternum*? hanc cordis humani duritiem summopere demirabatur Sāctus Ambrosius serm. 80. & propterea dicebat: *annunciamus vobis regni cœlestis gaudia, & minimè corda vestra motu quodam alacritatis exultāt prædicamus triste iudicium, & sensus: vestri ad pœnitentiam in lacrymas non prorumpunt infidelitatis genus est, in diuinis rebus, nec gaudere prosperis? nec flere contrarijs*. Hinc S. Joan. Chrys. hom 15. in Matth. & lib. 1. de r p. cap. 1. refert de gentilibus, illos solitos esse dicere: Christianos vel esse mendaces, vel omninò fatuos & stultos; nam vel credunt hoc, quod dicunt, vel non credunt? si id non credunt, sunt mendaces, quia protestantur se id credere. Si verò id verè credunt, stulti sunt, siquidem adeò dissolutè & impiè viuunt more brutorum ratione carentium, ac si nunquam rationem reddituri essent de vitâ præteritâ. Concludit deinde sanctus ille Doctor, non esse mirum, quòd gentiles non moueantur audientes horrorem extremi iudicij; sed mirum esse & summopere stupendum quòd nos Christiani, qui firmiter credimus venturum esse Iudicem Christum, Dominum totum dijudicaturum orbem, & nihilominus ita liberè sine curâ & sine timore Dei viuimus: *Incredulos ijs non commoueri non miror, sed nos qui credimus, maximè obstupescendum est, vt ita viuamus*.

Finio hunc meum discursum N. verbis illis Sancti Hippolyti Martyris lib. de Cont. mund. *Audistis, quàm horrendum iudicium?* Scio vos mihi dicturos: omninò, Pater scimus. Vobis ergo dicam: *De eo solliciti cogitemus quotidie, hoc diu noctuq; meditemur, in domibus, in plateis, in Ecclesijs, ne in horrendo illo iudicio? in quo nulla est personarum acceptio, abiecti & tristes adstemus condemnati* Modò, dum tempus est satagamus iratum placare Iudicem; in die namque iudicij placari non potest. Ita affirmat Sanctus Gregorius lib. 14. moral. cap. 30. dum ait: *Iudex supremus ante iudicium placari potest, in iudicio non potest*. Num. 11.

DISCVRSVS XXXIII.

Non debemus malè iudicare nostros proximos; plerumque etenim fallimur & decipimur.

Num. 1. GRAVIS attamen, antiquus & communis est morbus temerarij iudicij, quo præsertim laborant, qui nimis creduli sunt, aut facilè ducuntur vanis indicijs & fallacibus coniecturis, ij namque facilè proferunt sententiam contra proximum suum, iudicant eius actiones tanquã malas & defectuosas, tametsi in rei veritate tales non sint. Exempla in Scripturâ sacrâ passim habebimus obuia.

Anna mulier Elcanæ dum esset sterilis, & venisset in Silo, supplicabat Deo instanter & solito ardentiùs, vt ipsam ab eiusmodi liberaret opprobrio, & ecce ad motionem labiorum exteriorumque corporis gestuum sinistrè iudicata fuit
Num. 2. ab Heli in has temerarias voces erumpente: *Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.* 1. Regum. 1. vers. 14. At Deus, qui intuetur cor, exaudiuit preces eius, & fœcundando eam prole celeberrimâ, nimirum Samuele, toti patefacit orbi, Annam non impetu vini sed fiduciâ in Deum fuisse agitatam.

2. Regum cap. 10. amandauerat rex Dauid quosdam è seruis suis ad regem Ammonitarum, vt condolerent eidem de obitu Patris sui; hic verò suasu & consilio principum suorum credebat & iudicabat illos non accessisse condolendi, sed regnum & patriam illam explorandi causâ. Quapropter ignominiâ summâ obsequium à Rege Dauid præstitum recompensare cogitauit: *Tulit itaque Hanon seruos Dauid*, (ait sacer textus) *rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias vsque ad nates & dimisit eos*, versic. 4. Ast diuina non longè abfuit punitio, breui namque temporis spatio Rex ille Ammonitarum, & diadema & regnum perdidit.

Patientissimum Prophetam Iob (vti legitur hoc lib, cap. 4.) orbatum & diuitijs & filijs, ad extremas redactum calamitates, afflictum, plagisque vndique vulneratum, temerè iudicabant amici esse peccatorem & iniustum & tametsi nihil eis constet de manifesto aliquo ab eo admisso crimine; non tamẽ eundem excusant ab occultis delictis, vnde pertinaciter iudicant tot tantasque, quas patiebatur, calamitates eidem à Deo fuisse inflictas in pœnam suorum peccatorum, & nihilominus, quemadmodum Dominus Deus proposuit illum diabolo tamquam exemplar & speculum patientiæ, ita ipse se talem exhibuit in sufferendis doloribus & tribulationibus, ut propterea à Deo eximijs ditatus fuerit præmijs & honoribus.

Huiusmodi peruersis & temerarijs iudicijs scatent Sacræ Scripturæ codices. Num. 3.
Simon Pharisæus, postquam vidit pientissimum Saluatorem nostrum à peccatrice tangi muliere, non æstimauit eundem tanquam Prophetam, imò scandalizatus remansit, non aduertens id euidentissimum fuisse amoris, fidei ac veræ pœnitentiæ signum. Luc. 7. Iudas etiam Iscariot. extremâ deuictus auaritiâ murmurat intra seipsum, iudicatque, vnguẽtum sparsum suprà pedes Christi, si ap-

plicatum fuisset pauperum necessitati & indigentiæ maiorem attulisset vtilitatem. Mat. 14. Et quot & quantos ipsemet Redemptor noster, dum curabat morbos, expellebat dæmones; in hæc temeraria audiuit prorumpentes iudicia: *Non est hic homo à Deo qui sabbatum non custodit.* Ioan. 9 vers. 16. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Luc. 11. vers. 15.

Num. 12. Sed ad quid tantùm immoror accumulandis exemplis? vbi attendere deberent homines (quod abs dubio fieret cum magno eorum commodo) propriarum actionum examini & iudicio, ibi maiori ex parte, & quidem cum extremo ipsorum damno insudant iudicio & discussioni actuum alienorum, & tales scire deberent ad iudicandum absque errore & decidendam veram alicuius rei sententiam opus esse longo examine, exactissimâ quâdam diligentiâ in perscrutandis indicijs, necessarium etiam esse, vt quis semper oculos habeat apertos, habeatque rationem temporis, loci & personarum, & dicat huic nostro proposito accommodata illa Apostoli verba: *Nisi videro & tetigero, non credam.* Ioann. 20. vers. 25. instar animalium primitus monstratorum Prophetæ Ezechieli ca. 1. versicul. 18. deinde S. Ioanni Apoc. 4. vers. 8. habeat quis corpus oculis vndique repletum, necesse est. Imò neque oculus sæpissimè sufficiens est, cùm & ipse facilè decipi possit. Ecce enim ipsimet Apostoli, tametsi Christo essent familiarissimi, eumque optimè nouissent, videntes nihilominus cum nocte ambulantem supra mare: *putauerunt phantasma esse*, Marc. 6. vers. 49. Decipitur Iudas vnus è duodecim Patriarchis existimando nurum suam, quæ sedebat in biuio facie obuelata, quandam esse meretricem, cuius erroris & deceptionis testimonium deinde dederunt filii ab ipso progeniti, Genes. capit. 38. Cæco currebat populus impetu ad mortis sententiam, imò ad lapides iaciendos in Susannam, quia duo senes quasi testes oculati eandem accusauerant, allegantes pro maiori probatione, quòd sola horto inclusa remansisset; examinato nihilominus & æquiori ponderato bilance hoc negotio à Prophetâ Daniele viro vtpote Spiritu Dei ducto; non solùm detecta, verùm & castigata fuit extrema horum senum malitia. Dan. cap 13.

Non tam facilè igitur proximorum actiones iudicandæ sunt, sed res maturo iudicio trutinanda est. Idipsum ab exordio mundi Deus nos suo docuit exemplo: peccauerat primus homo transgrediendo præceptum diuinum, vetitum nimirum comedendo pomum, aderat illicò Deus commissũ castigaturus peccatum; ast primitùs eundem ad se aduocans dicebat: Adam, Adam: *vbi es?* Gen. cap. 3. vers. 9. cur non seruasti præceptum, quod tibi tradidi? doctissimus Abulensis in hunc locum quæst. 647. causam inuestigat, cur videlicet Deus, priusquàm condemnaret Adamum, eundem interrogauerit, examinaritque de peccato commisso, ac voluerit rei veritatem ex proprio ipsius expiscari ore; cùm tamen Deus omnium rerum perfectissimam habeat notitiam, vt propterea aliud non superfuerit, nisi vt castigasset illum absque prævio examine. Cur igitur noluit hoc facere? respondet magnus ille Doctor & ait: *hoc fuit ad instruendum nos, qualiter in causis procedamus; nam si Deus, qui omnia nouit, voluit ad puniendum adhuc habere confessionem delinquentis, quantò magis hoc facere debent homines, qui decipi possunt.* Num. 4.

Genesis cap. 18. stupendum quoque reperio factum & conforme huic nostro proposito. Postquam Deus conspexisset fœtorem peccatorum Sodomæ & Gomorrhæ ascendisse in cœlum vsque, vocauit Abraham, dixitque ei: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis* Num. 5.

Gen. loc. cit. verſ. 20. q.d. benè aduerto, ô Abraham, peſſimam iſtorum hominum vitam. quare ob enormia illorum peccata cogor ad caſtigandos illos, ideoque *deſcendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* verſ. 21. Obſtupeſcit hoc ſuper facto Sanctus Gregorius libro 19. moralium capite 23. dicitque: quomodo, ô Domine? annon tu ille es, cui omnes res creatæ & creandæ ſunt præſentes? cur ergo dicis, te velle primò deſcendere, videre ac ſcrutari iſtius negotij ſtatum? & reſpondet Sanctus ille Doctor, id feciſſe Deum: *vt nobis exemplum proponat. ne mala hominum antè præſumamus credere, quàm probare.* Ne ſimus adeò faciles ad ferendum iudicium de proximorum noſtrorum actionibus, niſi primò ipſam veritatem quaſi manibus palpemus.

Num. 6. Aliud mihi nunc occurrit exemplum N. ex nouo teſtamento, quod meritò quemcunque fidelem ad eius imitationem allicere deberet. Inchoaturus pientiſſimus Saluator noſter amariſſimam paſſionem ſuam, ad quam iam dudum ſummoperè anhelauerat, cunctis in cœnâ congregatis Diſcipulis dixit: *vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Matth. 26. verſ. 21. Audito hoc conturbati ſunt & obſtupuerunt omnes, ac quilibet cœpit dicere Redemptori noſtro: *numquid ego ſum Domine?* verſ. 22. qui videlicet te traditurus ſum? & ecce Christus Dominus dedit illis ſignum dicens: *qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* verſ. 23. & refert Sacer Textus, quod eodẽ illo tempore Iudas proditor manum ſuam extenderit in paropſidem; Petrus nihilominus manifeſtum hoc aduertens ſignum non iudicat illum eſſe proditorem Chriſti, vnde petebat: *quis eſt, de quo dicit?* Ioan. 13. verſ. 24. O Petre, annon audiuiſti ex Magiſtro tuo, illum proditorem eſſe Chriſti, qui intingit manum in paropſide, & idipſum à Iudâ fieri conſpicis, quid ergo petis adhuc, & non iudicas potiùs illum eſſe talem? reſpondet eleganter Sanctus Auguſtinus in hunc locum & ait: *Signum vidit, peccatum non credidit, quia diſcipulus eſt Chriſti.* Quamuis Petrus apertum viderit ſignum, noluit tamen credere, & cauſa huius eſt, quia eſt diſcipulus Chriſti, cui proprium eſt, nec minimum ſuſpicari malum de proximo. & ea, quorum non agnoſcit reum ſemetipſũ, neque iudicare & exiſtimare de alijs perſonis.

Num. 7. Imò Beatus Laurentius Iuſtinianus de triumph. Chriſti agon. cap. 5. hoc idem ponderans factum non cum minori elegantiâ in hæc prorupit verba: *Innocentes Apoſtoli cùm eſſent & ſancti, nil mali de proditore cogitare ſunt auſi.* Et concludit deinde: *Quod nefas à ſe alienum non ignorabant, hoc condiſcipulo adſcribere verebantur.* Ac ſi dixiſſet: innocentiſſimæ, & ſanctæ vitæ erant Apoſtoli & ab enormi ſcelere hoc immunes, & ideò nihil mali ſuſpicati ſunt, aut ſiniſtrum de Iudâ formarunt conceptum, nec, quia omnes diſcipulos cenſebant probos & fideles, auſi fuerunt iudicare Iudã enorme adeò commiſiſſe delictum, ac proinde noluerunt eum tali notabili infamiâ afficere, qui ab hoc peccato longé aberant; *Quod nefas à ſe alienum non ignorabant, hoc condiſcipulo adſcribere verebantur.*

Num. 8. Perlegite Librum Iudicum cap. 6. & admirabile, quod & propoſito noſtro inſeruit, reperietis factum. captiuus tenebatur populus Hebræus, cumque die quodam miros ſubirent labores, & ſudarent ſimul cum famoſiſſimo duce Gedeone, apparuit huic Angelus quidam de cœlis in hũc ipſum ſalutans modũ: *Dominus tecum virorum fortiſſime.* verſ. 12. Sed prudens audite Gedeonis reſponſum, & obſtupeſcite. Dixerat ei Angelus: *Dominus tecum,* Et ipſe proponit Angelo argumentum quoddam, & dicit: *Si Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt*

runt nos hæc omnia? verſ.13. Cur nimirum, tot tantiſque ſubiecti ſumus miſerijs & calamitatibus? Nouiſtiſne, inquit Theodoretus in hunc locum, cur Gedeon reſpõderit hoc modo; vt videlicet edoceamur, ipſum tam bonam de ſuis proximis habuiſſe opinionem, vt eos iudicaret planè innocentes & iuſtos, veluti ipſe erat: *enimuerò* (ait ille) *conſuetudo eſt boni animi & innocentis, vt etiam alios ab iniquitate procul eſſe credat, à quâ ſe nouerit eſſe immunem.*

Geneſ. cap. 26. amore capiebatur rex
Num.8. Abimelech pulcherrimę Rebeccæ, quam & matrimonio ſibi iungere deſiderabat; noluit tamen tametſi gentilis alienam ducere vxorem iuxta præceptum Dei, quod plurimi tranſgrediuntur Chriſtiani; quare petit ab Iſaac, qui ſe illi comitem adiunxerat, vt, num eſſet eius maritus vel frater, ediceret: *Qui cùm interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſuâ, reſpondit ſoror mea eſt.* loc. citat. verſic.7. Poſt aliquot dies Abimelech obambulando in porticu Regij ſui palatij vidit Iſaac, familiariùs, ac decebat fratrem & ſororem, conuerſantem cum Rebecca: *Proſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantẽ cum Rebecca vxore ſuâ* verſ. 8. quapropter ſine morâ eum aceerſiri fecit, dixitque: *perſpicuum eſt, quòd vxor tua ſit, cur mentitus es, eam ſororem tuam eſſe?* verſ. 9. q.d. non potes negare, Rebeccam eſſe vxorem tuam, manifeſta ſiquidem conſpexi ſigna & indicia, cur ergo ſubticuiſti veritatẽ? Præterire hîc nequeo, quin obſtupeſcam & dicam: ô Abimelech quid loqueris? an non magis expetit improperare Iſaac, id, quod fecit, quàm quod dixit: tanquam fratrem & ſororem eos habeto, cùm iam vt tales ſecoram omnibus proclamarint, & caſtigato illos veluti inceſtuoſos, ſi id quod conſpexiſti, eſt ſuffſciens indicium, nec hæres dubius de facto. O dictum magnanimi profectò regis! hoc ipſo, quòd rex ille neſciebat iudicare malè de proximo ſuo, apertè euincitur & colligitur cordis ipſius bonitas, vti ait Lippomannus in hunc locum. *Regis notatur hîc probitas, quòd non iudicabat inceſtum.* Aſt quid feciſſet hoc in caſu prauus & malignus animus? abs dubio factum illud accepiſſet pro inceſtu, iocum pro opere patrato, nec aliter credidiſſet, at dixerat prius Iſaac, eum eſſe fratrem illius. Num. 10.

Hinc ſanctus Auguſtinus dignam tanto viro ſententiam & noſtro propoſito conſonam ſcripſit ſerm. 102. de tempore dicens, *Maxima pars generis humani indiſcreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata eſſe probatur,* Infirmitas hæc eſt, quâ cuncti paſſim laborant. Grauiſſimũ denique peccatum eſt, quod plurimum Dei irritat patientiam; ille etenim, qui proximum ſuum temerariè iudicat, Dei iuriſdictionem ſibi vſurpare nititur, cùm ſoli Deo conueniat intueri, perſcrutari & iudicare intentionem cordis humani.

Recenſet Chriſtus Saluator noſter Lucæ 18. duos ad fundendas orationes aſcendiſſe templum, vnum Phariſæum, Publicanum alterum; Phariſæus totus arrogans & tumidus acceſſit altare, & cùm peccatoris inſtar humiliare ſe debebat, inſuperbiuit tantum, vt maiora ſibi aſſcripſerit merita, maioremque ſanctitatem, quàm cæteris Sanctis: *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* verſ.11. q.d. Ego non furor, nullum committo adulteriũ, non occido, nulli etiam facio iniuſtitiam, nec ſum talis, qualis eſt hic publicanus, qui tot tantorumque ſuffuſus rubore peccatorum, oculos ſuos vix audet erigere ad cœlum. Subintrat hîc modò S. Dorotheus Doct. 6. dicitque, quòd, quamuis Deus habuerit magnam patientiam auſcultando arrogantes & ſuperbas illas acclamationes & laudum propriarum encomia, quæ de ſemetipſo deprædicabat Phariſæus; attamen dum gloriabatur, quòd non eſſet talis, qualis publicanus,

tunc

tunc Deus omnem suam (vt ita dicam) deperdidit patientiam, nec id vltra sufferre potuit, *velut etiam hic Publicanus, neque ex hoc* (ait Sanctus Dorotheus) *iudicatus à Domino est, neque quod dixerit: vt cæteri homines; sed ob hoc, quia ad publicanum conuersus: neque, inquit, vt hic publicanus. Tunc enim iudicatus est, tunc actum est eius væ.* At cur Deus, postquam summã illam temerarij Pharisæi tolerasset arrogantiã & vanãgloriam, dixissetq; Pharisæus, quòd non esset veluti publicanus, tunc indignatus fuit in eum, ac per sententiam irreuocabilem eundem condemnauit? Respondet præfatus Sãctus Pater, ac dicit: *iudicauit enim ipsam personam, dispositionem mentis, & vt breuiter dicam omnem ipsius vitam.* Causa, cur Deus superbum hunc Pharisæum ad æterna damnauit supplicia et pœnas, est, quia vsurpauit sibi iurisdictionem diuinam iudicando intentionem seu internum cor Publicani: *iudicauit enim dispositionẽ mẽtis.* Voluit mittere facẽ quandã in messem supremi Domini & Iudicis, quod est iudicare cordis intentionem, & quia hoc fecit, ideò ait Sanctus Dorotheus illum æternis adiudicatum fuisse pœnis: *Tunc iudicatus est, tunc actum est eius væ.* Siquidem graue adeò peccatum est temerariè iudicare nostros proximos, vt ille, qui committit hoc peccatum, æternis videatur esse dignus supplicijs.

Num. 10.

Num. 11. Grauitas peccati huius optimè etiam cognoscetur ex discursu quodam S. Ambrosij in Psalm. 118. qui dicit, quod peccatum hoc positum in vnâ bilance & ponderatum cum quocumque alio peccato erit idem, ac si poneremus in vnâ bilance culmum etiam leuissimum, & in aliâ ponderosam aliquam trabem. Percurrite caput 6. S. Euangel. Lucæ, & reperietis, Christum Dominum vice quâdam reprehendisse fæcem quandam hominum hypocritarum, qui non proprijs, sed aliorum hominum inuigilabãt & attendebant defectibus, vnde dixit eis: *hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui,* vers. 42. S. Dorotheus Doct. 6. quæstionem hic exsuscitat, quodnam sit peccatum illud ponderosæ trabi assimilatum, quænam insuper culpa illa debili & delicata comparata festucæ: & respondet dicens: *Comparauit Christus festucam peccato, iudicium autem trabi.* Eadem enim et etenim differentia, quæ est inter trabem & festucam, est inter iudicium temerarium & alia peccata: *excedit, inquam, omne peccatum iudicium temerarium;* subiungit Sanctus Dorotheus; iudicium namque temerarium videtur excedere & superare reliqua omnia peccata in vnum congregata pondere & grauitate suâ.

Num. 12. Ergo ô Christiane, à temerario iudicio prorsus abstinendum est, proximi tui dicta & facta interpretanda sunt in bonã partem: & si interdum nimis fortasse euidentem aduertas commissum errorem, nec eum interpretari possis nisi in malam partem, intentionem ad minus excusa; vel primitiuam istius peccati causam & originem, dic fuisse prauam, quà vsus est societatem. Vel si alia non adsit excusans causa, excusa fragilitatem, considerando eum esse hominem fragilem, veluti tu es. Ita prudenter nobis consulit, S. Bernardus serm. 10. in Cantic. dicens: *Caue alienæ conuersationis esse aut curiosus explorator aut temerarius Iudex. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnem omninò dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: vehemens fuit nimis tentatio,* Præterquam quòd proprij ab vnoquoque inspiciendi essent defectus, qui sæpissimè grauiores sunt magisque scandalosi erroribus & defectibus a proximo commissis, & hisce comparantur, veluti trabs festucæ, iuxta illud Saluatoris nostri: *Vides festucã in oculo fratris tui trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Lucæ cap. 9. vers. 14.

DISCVRSVS XXXIV.

De vi & efficacia Lachrymarum, quodque non ob aliam causam fundi debeant, nisi ob iniurias & offensas Deo illatas.

Num. 1. QVÆ lingua N. sufficienter explanare poterit vim & efficaciam Lachrymârum? hæ primitus diuinam placant iram. Ita legitur lib. Ezechielis cap. 4. vbi Deus die quodam vocauit ad se hunc Prophetam, eique dixit: *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem*, vers. 1. prætereà: *Ordinabis aduersus eam obsidionẽ, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro*, vers. 2. Quibus verbis magnum significatur mysterium, quod & seriò notandum est; dicit namque Nicolaus Liranus in hunc locum, laterem illum, quem Deo ita iubẽte capere debebat Propheta, non fuisse coctum, sed crudum: *Sume tibi laterem, scilicet crudum.* Ast in quem finem? Omnes figuras in eo delineatas & designatas deleri & tolli posse pauxillo aquæ nullus est qui dubitat. Ah peccator, peccator, prouocasti contra te iustitiam Dei permultis grauibusque sceleribus tuis, adeò, ut iam iam in te tentare conetur crudelem aliquem & ferocem assultum ad deuastandam & funditus delendam mysticam illam rebellis animæ tuæ ciuitatem. Parati, ecce, sunt cuspidati iræ diuinæ gladij: Optásne hanc effugere obsidionem? ad lachrymas, ad lachrymas, charissime; nam lachrymæ diuinam placabunt iustitiam, planctus soluet huiusmodi obsidionem, nec vnquam permittet animæ tuæ deleri & deuastari ciuitatem. Lachrymæ denique cunctas in hoc latere crudo abolebunt & obliterabunt iustissimæ indignationis diuinæ figuras & delineationes: *Igitur Ierusalem obsessa* (ait quidam modernus Doctor in hunc locum) *est anima posita in peccato, contra quã omnes diuinæ iustitiæ munitiones diriguntur. Verùm hæc omnia in latere non decocto, sed crudo, qui facilè aquâ dissoluitur, describuntur, Vt intelligamus omnes diuinæ iræ munitiones aduersus peccatores dispositas, pœnitentiæ lachrymis posse dissolui.*

Verùm auscultate magis stupenda, Num. 2.
Non solùm lachrymæ à nobis profusæ ob illatas Deo iniurias æquissimam eiusdem placant indignationem; sed etiam diuinam (vt ita loquar) obstringunt misericordiam, vt veniam nobis elargiatur & ignoscat. Proposito huic inseruit, quod dicitur Isaiæ cap. 1. vers. 16. vbi Deus peccatoribus loquitur hoc modo: *Lauamini, mundi estote.* Quem locum sic explanat Liranus: *Lauamini à peccatorum maculis lachrymis contritionis. Et venite & arguite me dicit Dominus.* vers. 18. ac si diceret: Lugete & amaras excutite lachrymas, ò peccatores, ob multiplicia vestra peccata & scelera, & polliceor vobis, me subitò omnia remissurum vobis, & si per impossibile non starem promissis, accusare me poteritis ingratitudinis coram tribunali iustitiæ meæ: *& venite, accusate me tanquam ingratum ante tribunal iustitiæ meæ, si non respexero lachrymas vestras.* Ita illum Scripturæ locum expendũt Paraphrasis Chaldæa & Gloss. Interlin. hic vt innotescat nobis, Deo adeò gratas esse lachrymas peccatoris cuius-

cuiusuis contriti, vt sit quasi obligatus, si ita loqui libeat, solitam nobis exhibere pietatem & misericordiam, nostrasque remittere culpas.

Num. 3. Sed quid mirum N. tantæ lachrymas apud Deum esse efficaciæ & potentiæ, cùm satis dilucidè constet, illas, quotiescumque è cordis verè contriti emittuntur oculis, potentissimos esse Aduocatos ante tribunal Dei? nunquam in se alicuius causæ susceperunt defensionem, quin semper vicerint. Sanctus Bernardus in libro, quem composuit de gradibus humilitatis, grad. 12. expendendo verba illa S. Apostoli Ioannis Epist. 1. cap. 5. vers. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* Obstupescit summoperè de hoc modo loquendi Apostoli, ex quo colligi videtur, reperiri aliquod genus pecccati, cuius nequit in hac vita impetrari remissio. Ergo, inquit ille, datur in hoc mundo peccatum aliquod, quod pœnitentiâ deleri nequit? Ah, respondet Sanctus Bernardus, notate diligenter; *Non dixit Apostolus, non ploret quis, sed non oret, quia si ploras, obtinebis efficacior enim coram Deo est lachryma quàm lingua, & plus fletibus, quàm orationibus flectitur:* Sit Christianus quidam obnoxius peccato quantumcunque graui, oratio bona est & proficua; ast lachryma, quodcumque quis desiderat, impetrat; siquidem apud Deum hæc efficacior & potentior est ipsâ linguâ, & Deus magis mouetur ad exercendam misericordiam effusione lachrymarum, quàm precum. Hanc suam sententiam confirmat mellifluus Doctor dicendo: *Audio Petrum flentem amarè, non audio orantem, quia lachryma amare flectit omnipotentem* Quid fecit Petrus post patratum peccatum? fleuit *amarè*, Matth. 26. vers. 75. sciebat namque, quod lachryma deuinceret & expugnaret cor diuinum, obtineretque à Deo, quæcumque optaret. Ita attestatur Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 13. ad pop. *Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulauerit, accepit.*

Lachrymæ, ait idem S. Doctor, sunt veluti Spongia plena aquarum, quâ ex libro, cui peccata à nobis patrata inscripta sunt, penitus delere & extinguere, conscientiâ nostram maculis & sordibus peccatorum defœdatam veluti chartam candidam, mundam, Deoque gratam efficere, nec non veniam ac remissionem scelerum nostrorum obtinere valemus: *peccata tua* (sic loquitur os illud aureum homil. 2. in Psalm. 50.) *in libro scripta sunt, spongia autem instar sunt lachrymæ tuæ: lachrymas mitte, & obliterantur; lachrymas funde, & purus ille liber inuenitur. Magna lachrymarum vis est.* Num. 4.

Tanta insuper lachrymæ pollent vi & efficaciâ, vt etiam in inferno restinguant voraces illas flammas. Paradoxum id vobis videtur N consonum tamen est catholicæ veritati & Sacræ Scripturæ, Psalm. 83. ait Propheta: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum in loco, quem posuit.* vers. 6. 7 Vbi eleganter paraphrastes Chaldæus cit. à Geneb. in hunc locum traducit, & conformiter legit huic nostro proposito: *peccatores pertranseuntes in inferno flentes fletu, sicut fontem ponent illud.* O mirabilem lachrymarum potentiam, exclamat S. Petrus Chrysologus serm. 39. *O quanta vis lachrymarum! rigant cœlum, terram diluunt extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuinâ promulgatione sententiam.* Esne in statu peccati mortalis? ergo certissimum est, quòd *secundum præsentem iustitiam*, dicunt sacri Theologi, lis damnatus; nam si tunc (quod Deus auertat) morereris, descenderes ad infernum, & ex hac præmissâ hæc quoque elicitur conclusio: dum committis peccatum mortale, proprijs humeris tot defers inuitos lapides, quot tibi suffi- Num. 5.

ciunt ad perpetuum in inferno fabricandum domicilium, in quo per totam æternitatẽ à ministris tartareis torqueberis, nullus de hoc dubitat. post commissum peccatum doles, pœnitentiam agis, Christum crucifixum accedis, defles ibidem peccata tua, veniam expostulas? ô te felicem! ô terque quaterque beatam animam tuam! vivus namque cogitatione descendis in infernum, considerando tot tantisque sceleribus & peccatis tuis aliud non deberi nisi ignem infernalem, tormẽta & cruciatus perpetuos. Quemlibet proptereà exhortabatur regius propheta, vt cogitatione indies adiret infernum. *Descendant in infernum viventes*, Psalm. 54. vers. 16. hac enim ratione fabricabis fontem quendam copiosarum aquarum, quibus extinguentur voracissimæ illæ & æternæ flammæ, & qui primitus inimicus existebas, amicus Dei euades: *peccatores pertranseuntes in inferno flentes fletu, sicut fontem ponent illud:* etenim, vt asserit S. Augustinus serm. 19. ad frat. in eremo: *omnes aquæ non extinguerent vnam scintillam in inferno; sed vna lachryma, si de puro & contrito corde processerit, totum ignem inferni extinguit.*

Num. 6. Dignus consideratione est ille casus, qui contigit in Babyloniâ; recensetur Dan. cap. 3. quòd horrendæ illæ ex ardente fornace erumpentes flammæ cunctos adstantes ministros & milites viuos absumpserint & in cineres fauillasque redegerint; nihil tamen prorsus nocuerint regi, nec minimùm eum læserint: dum propiùs accessit ad ostium fornacis ignis ardentis curiosè spectaturus illæsos tres pueros; idque rex ausus fuit facere (dicit S. Joan. Chrysostomus hom. de tribus pueris) non regiæ dignitatis suæ beneficio, sed quia de facto illo doluit & plangere cœpit, vnde hoc antidoto præmunitus liber à nociuis euasit flammis, nec ignis ardentis formidauit fornacem; *non pertimescebat flammas comburentes, qu. isecum ferebat lachrymas ipsas extinguentes.*

Tam magna profectò est potentia & vis lachrymarum, vt Deus quasi videatur (licitum sit mihi ita loqui) impotẽs ad resistẽdum ei. Postquã significasset Ionas Propheta Niniuitis futuram ciuitatis destructionẽ & ruinã *egressus est de ciuitate, & sedit contra Orientem ciuitatis, & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbrâ*, insuper petijt à Deo, vt, ne is argueretur tanquam mendax Propheta, hoc ipsum, quod per eum populo promulgari fecerat, exequeretur, quippe dubitabat & timebat Deum fore illis propitium. Ionæ cap. 4. Subintrat hîc S. Ephrem Syrus hom. de Ionâ, obseruatque has preces Ionæ, quibus Deum sollicitabat, vt executioni mandaret sententiam iam primò proclamatam contra Niniuitas, ac dicit Deum non sine fundamento fuisse rogatum à Ionâ: *Timebat enim Ionas aspiciens eorum lachrymas, vndequod ciuitati euenturum erat animaduertebat.* Obseruabat nimirum eo in loco, quo morabatur, quid faciebant Niniuitæ, aduertebatque omnes pessimam, quam duxerant, deplorare vitam & scelera sua, & quia efficaciam nouerat lachrymarum, quanti videlicet eas Deus æstimat, quantumque illæ valeant apud Deum pro peccatorum impetrandâ remissione, ideò exorabat Deum, vt iuxta promissa illos castigaret: ast nihil effecit precibus suis, etenim quamprimum lachrimæ profluxerunt ex oculis Niniuitarum, statim Deus aboleuit sententiam destructionis ciuitatis, cuncta illis remisit peccata, eosque in pristinam recepit gratiam. Num. 7.

Hinc cùm Propheta Isaias considera- Num. 8.
ret grauissimas Dei punitiones, quibus populum suum propter demerita affligebat, amarè plorabat & nomine omnium dicebat: *Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Isai. 64. vers. 6. Et hoc, ô Domine,

mine obtigit nobis, quia in totâ hac hominum multitudine non reperitur quispiam, qui se abstinet à malo, & fugit peccatum; etenim si talis inueniretur, in antiquo etiã fœlicitatis ac prosperitatis adhuc constituti essemus statu. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te* vers. 7. Sed quisnam ille esset è populo Hebræorum, qui tantâ præditus esset fortitudine, vt diuinam sedaret indignationẽ ac tot tantisque malis & calamitatibus mederetur? vnicus solus, qui pauxillum dumtaxat fudisset lachrymarum, asserit in hunc locum Hugo Cardinalis: *Non est, qui teneat te propter lachrymarum copiosam effusionem, lachrymæ enim tenet & cogit Deum.* Ac si voluisset dicere: si ingrauescentibus hisce calamitatibus, quibus subiacebat populus ille, persona aliqua plorasset & lachrymas quasdam sparsisset, certum est Deum non euaginasse furoris & indignationis gladium in populum; etenim lachrymæ ligassent (vt ita loquar) taliter manus Dei, vt non potuisset populum punire, imò coegissent Deum ad remissionem & veniam peccatorum ei concedendam. *Lachryma enim tenet & cogit Deum.*

4. Regum cap. 20. indignatus summoperè Deus Ezechiæ regi, decreuerat eundem priuare vitâ, hunc in finem grauissimam illi immisit infirmitatem, fecitque Num. 9. significari amara noua mortis iamiam subsecuturæ, quæ cũ percepisset Rex, illicò, vt refert sacer textus, erupit in lachrymas & planxit amarè: *fleuit itaque Ezechias fletu magno.* vers. 3. quid contigit posteà? discessurus à Rege Isaias nondum palatij regij attigerat portam, & ecce vocatur à Deo, qui præcipit prophetę, vt reuertatur ad regem, annuncietque ei se iam placatum & propitiũ factum illi, eamque, quam in eum conceperat, deposuisse indignationem, mortis reuocasse sententiam, pristinam restituisse sanitatem, ac quindecim alios adhuc annos addidisse vitæ eius: *antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: hæc dicit Dominus Deus Dauid patris mei: audiui orationem tuam & vidi lachrymas tuas. Et ecce sanaui te,* vers. 4. 5. Subintrat hic doctissimus Oleaster, ac petit à Deo: *quare, ô Domine, non sinis Prophetam exire, domum suam intrare, & postmodum mittas eum, saltem ne vanus aut deludens videaris?* Interrogationi huic introducit Oleaster Deum respondentem hoc modo: *Plorat & eiulat, & quomodo possum ab eo postulata differre?* Ac si diceret Deus: non aliter profectò, ac modò dicebas, fieri deberet; ast quia plorat, & lachrymæ, quas emittit, me cogunt ad reddendam ei sanitatem vitamque prolongandam quindecim annis, diutiùs ne quidem vnico momento pręstolari nequeo: *plorat & eiulat, & quomodo possum postulata differre?* O stupendam lachrymarum potentiam!

Verum pulcherrimum alium quendã audire conceptum de lachrymarum excellentiâ. Num. 10. Quamuis varia ac diuersa fuerint motiva, quibus Deus ad descendendũ è cœlo in terrã & ad assumendã naturam humanam promotus fuit; vnum tamen, quod præ cæteris demirandum est, adducit S. Bernardinus Senensis de dignit. animæ art. 2. cap. 1. dicens: *Quia Deus plorare non potest assumpsit humanam naturam, vt plorare posset.* Quia Deus essentialiter est beatus, non poterat propriè plangere, ideò descendit in terram, carnem assumpsit humanam, ac se fecit hominem passibilem, vt posset plãgere. Quid magis in laudem fletus dici posset? lingua humana N. non est sufficiens enarrare potentiam, prodigia & prerogatiuas lachrymarum propter peccata effusarum. S. Petrus Chrysologus sermon. 93. appellat eas cibum Dei, Sanctus Bernardus sermon. 28. in Cant. vocat illas vinum Angelorum, S. Hieronymus nuncupat illas oculorum voces, sũt cibus Dei, siquidem Regius cantabat

Propheta: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*; Psalm. 55. vers. 9. Sunt vinum Angelorum, nam: *gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. vers. 7. Sunt voces oculorum, quia oculus est os animæ, oris huius labia sunt palpebræ, horum labiorum lingua est papilla, & huius linguæ voces sunt lachrymæ: ideoque dicebat Ieremias: *Neque taceat pupilla oculi tui.* Thren. cap. 2. vers. 18. adhuc lachrymæ secundum Gregorium Nazianzen. orat. 11. sunt *peccati diluuium & mundi expiamentum.* iuxta S. Isidorum libro 1. cap. 2. *apud Deum pro baptismo reputantur.* Secundum D. Augustinum serm. de passione, *lachryma est passionis Christi Vicaria.* Excellēs & celebre fuit encomium lachrymarum, cùm vocantur diluuium, quo delentur & extinguuntur peccata; celebrior laus, dum appellantur baptismus; ast omnia superat præconia laudum, cùm passionis Christi nuncupatur Vicaria, quod idem est dicere: lachrymæ tantam habent potestatem & efficaciam, quantam pretiosissimus Christi sanguis ad expungenda & delenda totius mundi peccata, ad extinguendum ignem inferni. O *quanta vis lachrymarum* exclamat supp. cit. Petrus Chrysologus: *rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuinâ promulgatione sententiam.* quid plura? vna lachryma se solâ est sufficiens vt eâ tanquam digno pretio comparari possit æterna gloria, imò fabricari queat quidam paradisus. Audite S. Abbatem Petrum Cellensem lib. de panib. cap. 12. *Lachryma aut paradisum inuenit, aut paradisum facit.*

Num 11. O fœlices! ô terque quaterque beatæ lachrymæ, quæ tantâ vigetis virtute & efficaciâ apud Deum, pro nobis, contra diabolum & infernum, quis laudum vestrarum encomia dignè recenseri poterit? vos Deo estis gloria, Angelis lætitia, hominibus salus, & dæmonibus tormentum, & quis vestras referet prærogatiuas? vos estis extraordinarij legati nostrarum necessitatum & indigentiæ, scelerum nostrorum Aduocati, ac fidelissimi affectuum nostrorum Secretarij. Et quis vestra sufficienter enumerabit prodigia? vos estis non stillæ, sed stellæ; stellæ quidem; at cadentes: cadentes non de alio cœlo, nisi de contrito, humiliato & mitigato vultu. Vos estis Theriaca diuina, etenim originem trahitis à veneno peccati, & eiusdem met peccati verum estis antidotum, vos estis pretiosæ margaritæ, ornamentum sponsarum Christi, virtute caloris solis æterni productæ in conchylijs oculorum, ortus & principium vestrum est amarum mare doloris; ast cùm occultos guttatim perlabimini cordis meatus, in prædulces conuertimini fontes amoris. vos estis filiæ tristitiæ, sed veræ matres lætitiæ, fructus vester producitur in terris; at gustus vester satiatur in cœlis.

Cum igitur tanta & tam magna lachrymarum sit vis & potentia, & inæstimabile quoque sit earum pretium, meritò quæuis expostulat ratio, vt effundantur, non quidem propter res caducas & transitorias; sed patrata scelera, ob offensam Dei summi illius boni, ob salutē nostrarum animarum; dilucidè siquidem constat, id summè Deo displicere, si ob alium expendantur finem, quod facilè colligere possumus ex prohibitione factâ afflictæ Viduæ Naim, cui, dum mœrēs ac mortua potiùs quàm viua defunctum comitaretur vnicum filium, obuiam factus Saluator noster altâ locutus est voce: ô mulier, quænam sunt isthæc lamenta? Siste lachrymas, cohibe planctum: mulier, *noli flere.* Luc. 7. vers. 13. vnde, vt eandem consolaretur, resuscitauit filium eius & viuum ei consignauit, adeoque vitam reddidit pro lachrymis, animam donauit pro planctu; etenim quamuis Christus Redemptor noster compateretur afflictæ viduæ ratione Num. 2.

tione filij in flore ætatis emortui, noluit tamen, vtpote nimius lachrymarum zelator, tanti ab ipso æstimatum thesaurũ abundãter adeò expendi propter corpus quoddam fœtidum & vermibus corruptum; vnde plus propter lachrymas quàm ob defunctum commotus fuit ad misericordiam & compassionem, quemadmodũ pulchrè obseruat & notat S. Euangelista dicens: *misericordiâ motus*, non quidem, *super illum*, sed *super eam*, quæ largas & copiosas fundebat lachrymas.

Num. 13. Nec mirum est, Saluatorem nostrum se ostendere adeò zelosum ratione profusionis nostrarum lachrymarum ob res caducas & terrenas, sed maiori dignum est admiratione, quod sit etiam zelosissimus, ne illæ profundantur ob amissionem eius, quo dignius & excellentius nihil in toto reperitur orbe, nimirum ob ipsammet Christi Domini absentiam & abitum, idque tale opus, talisque laudabilis actus est, vt laude digniorem vix exercere valeat anima in gratiâ Dei constituta. Manifestè idipsum patuit, quãdo ab Hebræis pessimè tractatus, vulneratus, diris vndique cæsus & læsus flagellis ac graui oneratus pondere crucis pretiosum eius copiosius è vulneribus extorquentis sanguinem montẽ ascendit Caluariæ, vbi deuotis quibusdam mulieribus mortem & amissionem præsentiæ eius deplorantibus, obuiam factus maiorem habuit curam profusionis lachrymarum & planctus illarum, quàm proprij, quem vndique spargebat, sanguinis. Insuper quasi propriæ amissio præsentiæ nullius res esset considerationis reprehendens illas dixit: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me.* Luc. 23. vers. 28. q. d. quid facitis, ô filiæ Ierusalem? cur plangitis? sistite, amabo, lachrymas, nec lachrymas tanto dignas pretio mei causâ nolite effundere; siquidem videbantur ei omnes expensæ frustratoriæ, si ob aliam quantumcumque pretiosam rem fiant, quàm propter propria nostra peccata & deperditionem præsentiæ eius non corporalis, sed spiritualis nimirum gratiæ; & proptereà statim subiunxit: *Sed super vos ipsas flete*, loc. cita deflebant etenim discessum & abitum eius corporalem, non spiritualem.

Clariùs etiam dicta confirmans audite argumentum, cùm pientissimus Saluator noster die quodam ad prandium inuitaretur à prædiuite quodam Pharisæo, veluti refertur Lucæ 7. Accessit eum ocyus Maria Magdalena in domo Pharisæi discumbentem, & *lachrymis cæpit rigare pedes eius*, vers. 38. Nihilominus tot ei emittenti lachrymas non legitur Christum dixisse: cessa ô mulier, aut siste, amabo, planctum Magdalena, aut noli flere, ô tristis & mœsta mulier; ast postquam eadem mulier peccatrix ipsum amisisset quoad præsentiam corporalem, cùm ab impijs nimirum Iudæis crucifixus fuit, mortuus & sepultus, imò è sepulchro sublatus; stabat ipsa iuxta monumentũ tota mœsta & afflicta amarissimas fundens lachrymas, teste S. Euang. Ioan. *Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans*, cap. 20. vers. 11. Quo planctu permotus benignus Redemptor subitò ei transmisit duos Angelos formâ humanâ & candidis indutos vestibus, ac stupore repletos, qui causam fletus ab eâ exquirerent: *mulier quid ploras?* vers. 13. Post cœlestes hos nuncios accurrit insuper ipsemet Saluator noster sub specie hortulani, & planctum eius demirans eadem replicauit verba: *Mulier quid ploras?* Vbi cogor exclamare & dicere: ô benignissime Domine Deus & Redemptor animæ meæ, ad quid tanta admiratio? summam & infinitam in te nescio esse sapientiam, cui nihil occultum est & absconditum, & tu videndo hanc domicellam plorantem adhuc petis: *quid ploras?* num fortè quid inusitatũ est in eâ, quòd lachrymetur? erantne fortassis primę vices, ô Domine, quòd in tuâ præsentiâ ploret? *quid ploras?* num fortè friuolam Num. 14.

habuit

habuit lamentandi rationem, quæ te vt-p otè rem omnium pretiosissimam perdiderat? petisne, ô mi dulcissime Iesu, *quid ploras?* ab vnâ discipulâ, quæ perdilectum suum amiserat Magistrum? interrogásne, *quid ploras?* ex nouellâ quadâm sponsâ, quæ percharum suum perdiderat sponsum? & si obstupescis modò, ô Domine, petendo ab illâ, *quid ploras?* quæ desideratam tuam perdidit præsentiam, cur non obstupuisti quoque in conuiuio parato tibi à Pharisæo, vbi amariores vberioresque ipsa effudit lachrymas? aliud profectò huic facto responderi nequit, ait D. Augustinus serm. 10 ad frat. in eremo, nisi quòd Deus, quia est zelosus tanti thesauri amator, magnum, nostro modo loquendi, sentiat dolorem, quando seruos suos propter res caducas & transitorias lachrymari aduertit, & non propter peccatum duntaxat, quod est amissio, seu priuatio diuinæ gratiæ; quapropter amittat homo quodcunque illud sit, etiam ipsam corporalem Christi præsentiam, vti Magdalena, non vult tamen Deus, vt ploremus & expendamus lachrymas, nisi quia ipsum offendimus, & spiritualem amisimus præsentiam, seu gratiam Dei, ac propterea reliquit Mariam Magdalenam plorare in conuiuio, nec vllâ ratione ei prohibuit, quia deplorabat peccata sua & offensam Dei, quam peccando inhonestè incurrerat; & è contrario illam reprehendit iuxta sepulchrum suum, nec reliquit ipsam ibidem plorare.

Num. 15. Ex hisce iam colligo, quòd lachrimæ non effusæ propter offensam Dei aut salutem animæ nostræ sint inutiles, nec vt suo tempore à Deo remunerentur, inscribantur libro rationario, veluti dicebat Dauid Propheta: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Psalm. sup. cit. vel vt alij legunt: *in rationario tuo.* Refert S. Scriptura Gen. cap. 5. Quod postquam Adam vixisset centum triginta annis, generarit Seth: *vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth* vers. 3 translatio 70. Interpretum dicit, Adam vixisse ducentis & triginta annis: *vixit Adam triginta ducentos annos, & genuit ad figuram suam, & vocauit nomen eius Seth,* Mirum sanè N. vulgata dicit, Adam vixisse centum & triginta annis, & 70. Interpret. dicunt ducentos & triginta annos; cur ergo in aliâ lectione tolluntur ei centum anni? Liranus in hunc locum refert S. Methodium Martyrem dicentem: protoparentem nostrum centum annis continuis planxisse mortem filij sui Abel occisi à Cain, adeoque hos centum annos non computari inter dies vitæ eius; illas namque lachrymas fudit propter rem temporalem & transitoriam, cùm potiùs spargendæ erant propter peccatum eius & Dei offensam Vnde optimè dixit Petrus Cellensis apud B. Laurent. Iustinianum de orat. cap. 7. *Inanes sunt lachrymæ, quas damnum vel incommodum extorquet temporale.* Et concludit deinde: *Flendum solummodo est aut pro amisso paradiso, aut pro commisso peccato.*

S. Ioannes Chrysostomus hom. 32. in Num. 16.
c. 6. Matth. auream suam quoque aptauit pennam ad idem probandum, & pulchrè obseruat quod Christus Dominus ad vitam reuocaturus filiam principis Synagogæ, repulerit à se turbam plorantem: *& dùm venisset Iesus* (ait S. Matthæus cap. 6. vers. 23.) *in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: recedite.* Qui summopere sibi complacet in peccatorum lachrymis, non vult illos esse præsentes miraculo? qui deplorât mortuam, quid mirum? vult etenim, vt plangamus mortem animæ, non corporis: *is qui lachrymis peccatorum delectatur* (ait S. ille Doctor.) *rejicit lachrymantes pro mortuo, & ad illorum præsentiam non vult suscitare defunctum, quo doceat lachrymas soli morti*

peccati constituere, morti enim corporis nihil prosunt, cùm tantùm animam mortuam ad vitam reducant.

Num, 17. Et ipsemet mundi Saluator hisce conformiter sermocinatus est Matth. 5. vers. 5. *Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur.* Vbi dicit Glossa ordin. hanc beatitudinem illis promitti, qui propria vel aliena deplorant peccata, *Beati, qui lugent pro suis vel alienis peccatis.* & ideò inquit S. Augustinus serm. 11. ad frat. in eremo, quòd, quando sacrosancta Virgo cruci astans, plangebat mortem Christi filij sui vnigeniti simul quoque deplorauerit peccata Christum Dominum actualiter crucifigentium, vt nos edoceret, quòd quamuis lachrymas illas benè & meritò expendisset pro morte Redemptoris nostri, huic tamen gratiores illas fore credebat B. Virgo, si funderentur quoque pro peccatis Iudæorum cruci illum affigentium, & quia ipsa erat innocentissima, nec vllum habebat peccatum, plangebat peccata aliorum: *Maria Mater Domini* (inquit S. Augustinus) *dum iuxta crucem staret, non sua peccata flebat, quæ nullum peccatum habebat; flebat non tantùm filij passionem, sed & Iudæorum damnationem.*

Num. 18. Et quamquam de Christo Domino legatur in sacro Euangelio, duabus eum planxisse vicibus; vnâ planctu prophetico defleuit, nimirum destructionem & ruinam ciuitatis Ierusalem, Lucæ 19. quæ debebat fieri mediantibus Tito & Vespasiano, veluti in hunc locum exponunt sacri expositores & præsertim Sanctus Gregorius Papa hom. 39. in Euang. aliâ vice fleuit ex compassione mortui sui amici Lazari iuxta S. Euang. *& lachrymatus est Iesus.* Ioann. cap. 11. vers. 25. nihilominus quòd Saluator mundi fleuerit primâ vice, hoc ideò contigisse dicunt SS. PP. Cyrillus, Beda & Theophylactus hic, quia præuidebat destructionem præfatæ ciuitatis, nimirum miseros & incredulos illos homines morituros esse non solùm morte temporali, sed etiam æternâ, eò quòd nollent se conuertere & eum agnoscere pro vero Messiâ & filio Dei, qui tot & tam manifesta iam dederat signa, patrauerat miracula, quod deinde mortem planxit Lazari, id ideò fecit, inquit D. Augustinus tract. 49. in Ioann. quia dicta mors præfigurabat obstinationem peccatoris iam mortui & priuati gratiâ Dei, quæ est vita spiritualis animæ, veluti peccatum est mors animæ.

Denique dicit Sanctus Chrysostomus hom. 5. ad pop. plorandum & effundendas esse lachrymas propter offensâ illatam Deo, aut propter damnum animæ, non verò propter commodum aliquod mundanum, quia præterquam quod hæ lachrymæ Deo displiceant, sunt etiam omninò frustratoriæ & nullius valoris: Num. 19. *cur fundis lachrymas in vanum?* (sic loquitur hic S. Doctor) *mortuus est filius, plorasti? sic: reuixit? non. Infirmus fuisti? lachrymatus es? sic: sanitatem accepisti? non.* Et posteà concludit: *peccasti? Deum offendisti? sic: lachrymatus es? sic: sanasti? Deum placasti? equidem. Plora ergo & lachrymas funde* q. d. ad quid ploras, ô homo & sine fructu? compertum habes, ob mortem filij tui te indesinenter fleuisse & vberes sat effudisse lachrymas, cum tamen non propterea resuscitatum esse. Nouisti insuper, idem te fecisse propter naufragium tuarum facultatum & diuitiarum, nihil tamen inde te recuperasse. Idem quoque fecisti ad obtinendam pristinam corporis sanitatem, & nihil prorsus tibi profuit. Ast vix planxisti infirmitatem animæ tuæ ac ostensam Dei, & confestim illam liberasti & diuinam placasti indignationem. Ergo ob hunc solum finem & non ob alium vberrimè & amarè plangendum & plorandum est, cùm lachrymæ pro salute animarum fusæ, & sparsæ, sint plurimùm & solùm vtiles ac proficuæ. Num. 20.

Meritò igitur S. Augustinus sup.

cit, exhortatur nos ad continuò deplorandа peccata nostra, vt eorum obtineamus veniam & remissionem: *Exhibeamus animæ nostræ*, inquit ille, *quod alij exhibent carni alienæ.* Plangamus nimirum mortem animarum nostrarum eodem planè modo, quo parentes filiorum suorum corporalem plangunt mortem; hoc enim modo illæ de morte culpæ resurgent ad vitam gratiæ. Et dum Sanctus Augustinus plurimos conspiceret hac in re negligentes eiusdemque exutos curâ, subiungit: *Sunt in te Christiane viscera compassionis, quibus ploras corpus, à quo recessit anima, & non ploras animam, à quâ recessit Deus?* Ac si diceret: haud quaquam tolerandum, vt Christianus quidam, qui lachrymarum cognoscit valorem & efficaciam, illas effundat ob mortem parentis vel amici, & non ob animam iam peccato emortuam, quam virtute lachrymarum illicò ad vitam resuscitare potest gratiæ. Nec minori cum eloquentiâ & in huius veritatis confirmationem dixit S. Chrysostomus hom. 5. ad pop. dicens: *Tristitia nobis data est, vt doleamus non de morte, aut aliâ re, sed tantùm de peccato; ibi enim solùm vtilis est tristitia cùm alibi sit inutilis: nec enim dolendo possum mortuũ, aut rem amissam reuocare & recipere, sed tantùm gratiam peccato amissam delendo ac pœnitendo possum recuperare. Hic ergo tantùm vtilis est dolor* Quod sedulò adnotauit magnus ille Dei seruus & Ecclesiæ Doctor Sanctus Augustinus lib. I. confess. cap. 13. vbi summopere doluit ratione quarundem lachrymarum, quas ante conuersionem suam legendo libros Æneidos ex teneritudine quâdam compassiuâ sparserat ob mortem Didonis vnicè adamantis Æneam; doluit ergo vehementer, quod illas non impenderit propriæ animæ saluti, & offensæ Dei, quem peccatis suis ad iracundiam prouocarat; hæc sunt verba eius æternâ memoriâ digna: *Oblitus errorum meorum plorabam Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem, cùm intereà meipsum in his à te morientem, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante seipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te?* quibus verbis nos admonet præfatus Sanctus, quem ob finem fundendæ sint lachrymæ, & ob quam causam dumtaxat plorare debeamus.

Hæc igitur est dignitas & excellentia hæ sunt prærogatiuæ lachrymarum quas si ad amussim ponderarent & verè considerarent homines, intelligerent profectò, quàm beati essent illi, qui lugent, nec lachrymas suas darent & mutarent pro omnibus totius mundi diuitijs & delitijs. Sciret namque debent, & de eo nullum est dubium, omnem mœstitiam & tristitiam huius vitæ & lachrymarum vallis commutandam esse in lætitiam & omnem planctum in risum. Quare in cœlesti Ierusalem Deus ita cunctas ab oculis seruorum suorum deterget lachrymas: vt ne minimum quidem earum appareat signum & vestigium, teste D. Apost. Ioanne in suâ Apocal. cap. 7. vers. 17. *& absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Quod Deus vobis per suam concedat bonitatem & gratiam, Amen. Num. 21.

Maria Magdalena.

DISCVRSVS XXXV.

De miraculosa & stupenda Sanctæ Mariæ Magdalenæ conuersione.

ILLA mulier, quæ in florido & viridi Aprili annorum suorum & pulchritudinis, quam magni æsti-
Num. I. mat & ostentat fœmineus sexus, rebus omnibus circumfluens & suprà modũ fastuosa nihil planè cedebat Græcæ Helenæ venustati & decori: illa, quæ tanquam vanum amoris simulachrũ copiosam componendorum versuum subministrabat materiam insanientibus amasijs: illa, quæ ijsdem modò inconstantem & volubilem, modò benignam, modò indignabundam, modò affabilem, modò elatam & superbam, modò ridentem, modò lachrymabundam sese exhibebat & ostentabat in tragicâ illâ scenâ vrbis Hierosolymitanæ, illa, inquam: *erat in ciuitate peccatrix*, Luc. 7. v. 37. quis credidisset, quòd è tam misero & infœlici statu ad tantum surrexisset felicitatis & sanctitatis gradum, ac nitidum adeò euasisset pœnitentiæ exemplar? ô beatam conversionem! ô sanctam mutationem! *hæc mutatio dexteræ excelsi*, Ps. 76. vers. 13. de lasciuia ecce resurgit, & diuini amoris flagrans incendio plusquã Ætna feruentes euaporat charitatis flammas, ac enormium peccatorum suffusa pudore ante pedes Creatoris & Saluatoris sui se prouoluit, hic se inclinat, hic præstolatur auidè remissionem & veniam, nec discedit inde, donec audiat: *Fides tua te saluam fecit: vade in pace*, Luc. 8, vers. 50.

Et si expressiùs ac lucidiùs vobis repræsentare velitis Magdalenam in statu vanitatis suæ, vt eò clariùs illam deinde introspicere valeatis in statu pœnitentiæ auscultare id, quod de ipsa recenset Sanctus Vincentius Ferrariensis sermon. de Maria Magdalena, Vixit illa duodecim circiter annis mundi immersa vanitatibus, priusquam eam ex miserando illo damnationis statu clementissimus Deus ad se reuocaret; quare menti eius caliginosæ & peccatis obtenebratæ radium quendam immisit lucis ac cognitionis vitæ in vitijs enutritæ, & ecce confestim se conuertit. *Vt cognouit*, se esse odiosam toti orbi & vrbi. *Vt cognouit*, quod suam diffamasset stirpem & prosapiam. *Vt cognouit*, quòd huic & illi peccandi dedisset occasionem, *Vt cognovit*, scandalum, nimirum datum subditis suis *Vt cognouit*, repulsas videlicet, quas in ipsâ reluctante toties passæ fuerunt diuinæ inspirationes, *Vt cognouit*, se ob tam enormia peccata destinatam esse ad perpetua inferni subeunda tormenta, *Vt cognouit*, breuitatem mundanarum voluptatum, *Vt cognouit*, denique, se esse odiosam & inimicam Deo, intra seipsam dicebat? ah Magdalena! ah misera peccatrix! ecce quomodo Dei Creatoris tui planè immemor in putridâ vsque huc iacuisti scelerum cloacâ ah capilli! qui inferni & dæmonum hactenus fuistis retia ad illaqueandas millenas incautorum amasiorum animas, per chari deinceps mihi eritis laquei crucifixi Redemptoris mei pedibus memet alligaturi. Ah vagi & vani oculi, qui ignitas hactenus euibrastis amoris prophani sagittas, iam iam transformabo vos in copiosa lachrymarum flumenta. Ah os mendax, quod toties impudici amoris, lasci-

laſciuorumq́ue & inhoneſtorum verborum extitiſti receptaculum, diſpone te nunc ad deuotos deinceps concinendos Pſalmos, præpara te ad alta eiaculanda ſuſpiria, Et vos, ô manus meæ; quæ aureis iam fuiſtis adornatę annulis & gemmis, poſthac promptæ paratæq́; eritis ad vſurpanda dura flagella & diſciplinas. Caro mea, quæ tam delicatè & tenerè hucuſque à me fuiſti enutrita, dolores, cruciatus ac paſſiones, tuæ impoſterum erunt epulæ & nutrimentum. Veſtes meæ, quæ tam pompoſas & faſtuoſas vos in publicis oſtentaſtis plateis: vos Ieſu Chriſti deinceps cooperietis pauperes.

Et ne hiſce diutiùs immorer, tranſibo
Num. 3. ad ſtupendam eius conuerſionẽ. Cœleſti ergo ſauciata amore, neglectâ & deſpectâ comâ capitis, plangens & plorans accepit vas alabaſtri pretioſi, propriâ ocyùs egreditur domo, & quemuis ſibi obuium interrogat, num dilectum animæ ſuæ ſponſum vidiſſet. *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Cant. 3. verſic. 3. q.d. eia ex intimis cordis mei vos rogo viſceribus, vt, ſi me quærente dilectum meum per vicos & plateas has ciuitatis, vobis is obuius fieret, indicetis ei à miſerâ quadam eum inquiri peccatrice, cuius cor diuini amoris vulneratum eſt iaculo: *adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Cant. 5. verſ. 8. Et ecce non diu abfuit nuncius noua ferẽs, Chriſtum dilectum eius morari in domo Simonis Phariſæi. Nullam Magdalena interponit moram, adproperat, & feſtina domum accedit Phariſæi, quam cùm ante fores conſpexiſſent quidam famuli veſtibus peregrinis & inſolitis indutam, dixerunt; & quorſum, ô Domina, pergis hoc tempore? & quem tam præproperè quæris? Quæro, reſpondit illa, hominem quendam triginta circiter annorum; vultu decorum, inceſſu grauem & modeſtum, viſu affabilem & gratioſum, opere potentem, ſtaturâ proportionatum; patriâ Nazarenum, cuius capilli auricomi, & cui nomen eſt Ieſus. Ah Domina (reſponderunt iſti) aberras fortaſſis, & malè informata eſt; etenim hac in domo adeſt quidẽ conuiua aliquis; aſt pauper, abiectus & miſer homo eſt, qui nudis incedit pedibus, pauperis inſtar indutus eſt veſtimentis, ieiunijs ſe affligit & pœnitentijs, integris vigilat noctibus in orationibus, & talem, vti compertum habeo, non quæris. Imò, replicauit Magdalena, hunc quæro, hunc deſidero, hunc peto, iſta enim omnia non niſi mei causâ & amore facit: nudis incedit pedibus, quia me deperditam quærit ouem; ieiunat, & propter me ieiunat. quæ delicias ſemper quæſiui in cibo & potu; in deſertis habitat, idq́ue in mei fauorem & gratiam, quæ nimis diſſoluta vixi in palatijs & aulis magnatum; vili & abiecto eſt indutus veſtimento mei cauſa, quæ nimiam oſtentaui pompam & faſtum in veſtibus; orat & preces fundit continuas, non ob alium finem, niſi vt æternum Patrem ſuum mihi reddat propitiũ & placatum aliàs in me iuſtiſſimè iratum. Replicarunt iſti: ecquid ergo petis ab hoc homine? ille non agit aliud niſi illuminare cœcos, ſanare febricitantes, mundare leproſos, & mortuis reſtituere vitam, at tu pulchra es, ſana, proſperitate & diuitijs affluens, & potens, & quid tibi huiuſmodi opus eſt homine? imò eapropter illum inquiro, reſpondet Magdalena, quia ſi illuminat cœcos, mulier ſum ego omnium obcæcatiſſima, quæ duodecim annorum ſpatio animæ meæ haud inſpexi & aduerti miſeriam mortiſq́ue æternę pericula; ſi reſanat febricitantes, & quæ febris reperitur malignior meâ? quippe me conſumpſit ad intimam vſque gratiæ medullam; & ſi mundat leproſos, quæ maior eſt lepra peccato meo? Si reſuſcitat mortuos, maiori ac periculoſiori non ſubiacet anima morti, velut mea. Nunciate igitur, vos rogo, illi, quandam hîc

adesse cœcam, quæ lucem exoptat; febricitantẽ, quæ sanitatem efflagitat; leprosam, quæ petit mundari, mortuam, quæ desiderat vitam: *Vt nuncietis ei quia amore langueo.* O efficaciam diuinæ gratiæ! Quantum vales in pectore alicuius animæ! O fœlicem & fortunatam Magdalenam! & quomodo tam subitò diuinis correspondisti inspirationibus? *Vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisæi.* Luc. 7. vers. 37. piè sanctèque impudens & temeraria Magdalena vt conspexit periculum, in quo erat constituta, noluit diutius trahere moram, absque vllâ salutis suæ verecundiâ, anxia solum iuit quæsitum medicum, à quo sperabat salutem.

Num. 4. Eodem planè modo, quo Philonides Syracusanus suo quæsiuit medelam & Medicum morbo, de quo refert Manutius in suis Apophteg. quòd innumeris pene subiectus doloribus & morbis nauseã creabat non dumtaxat notis & amicis, verùm etiam consanguineis. Vna nihilominibus è sororibus eius mota compassione consulit ei, vt adiret Medicum Menecratem, patriotam suum, in curandis morbis non minùs fœlicem & fortunatum, quàm artis medicæ gnarum & expertum. Non surdo cecinit soror, sed statim paruit ille, & quæsitum abit medicum, auditque illum esse conuiuam cuiusdã è primatibus ciuitatis; quare sũmo propriæ salutis illectus desiderio, importunus quidẽ cõuiuio, sed opportunus beneficio, ipsũ accessit medicũ; vnde dicit Manutius *eius aduetus iræ & fremitus in principibus causa fuit, sed in Menecrate propriæ gloriæ cupido summi gaudij & delectationis.* At infirmus excusando se dicebat: *parcite, quæso, parcite grauiter laboranti, nemo scit, quòd acriter laboro.*

Num. 5. Immersa hærebat peccatrix Magdalena carnalium sordibus voluptatum, adeò vt nouis indies subiaceret animæ infirmitatibus. Vnde dicere poterat cum Propheta regio: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Psalm. 37. vers. 4. Sicque publicata per ciuitatem fama contagiosi eius morbi, dicit S. Euangelista, quòd *erat in ciuitate peccatrix.* Idque intolerabilem causabat nauseam Marthæ sorori eius, quæ propterea persæpè exoptabat ipsam videre sanam; vnde quadam vice dixit ei (vti piè credit & meditatur S. Vincentius Ferrar. sermon. 6. Dom. Q.) in ciuitate Hierosolymitana reperiri cœlestem quendam medicum, qui ad curandos omnis generis morbos & infirmitates venisset in mundum. Vix Medici huius audierat deprædicari virtutes & scientias Magdalena, & ecce salutis propriæ stimulata cupiditate, & illam in domo Simonis Pharisæi morari audiens: *Vt cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi,* inquisitũ eum iuit ocyssimè. Fortunata hîc comparet infirma, cuius aduentus magnam Redemptori nostro, qui ob salutem peccatorum in mundum venerat, attulit lætitiam & gaudiũ; ast alijs conuiuis indignationem & rancorem; vnde contrita peccatrix desiderans sese excusare, non quidem verbis (id enim non permittebant cordis dolores) sed lachrymis dicebat: parce, quæso, & compatere mihi, ô Simon, & vos reliqui Domini mei, namq; morbi grauitate vehementer opprimor & torqueor: *vidistis* (ait D. Augustinus lib. 50. homil. 23.) *mulierem in ciuitate famosam, mala vtique fama, quæ erat peccatrix non inuitatam irruisse conuiuio, vbi suus medicus recumbebat & quæsisse piâ impudentiâ sanitatem, irruens quasi importuna conuiuio, opportuna beneficio.* Non enim diu differẽdæ sunt diuinæ inspirationes: *nouerat etenim* (vtpotè efficaci & præueniente Dei gratia illustrata) *quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse, ad quem venerat, sciebat* Et ideò: *vt cognouit, quod accubuisset, in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.*

Num. 6. Vel dicamus cum S. Hieronymo, quod, postquam peccatrix Magdalena

tanto dormitasset tempore in lecto peccati auditâ hac voce, de quâ S. Apostolus Paulus ad Ephes. 5. vers. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Illicò è profundissimo quasi excitata somno mẽtis aperit oculos, propriam intuetur ingratitudinem & Dei misericordiam, quam eò vsque expectauerat. Vnde intra seipsam confusa timet, tremit, suspirat, erubescit, expallet, congelatur, ardet, mutat mentem & animum, ac deinde illuc reuertitur, quò amica vox eam aduocat, & ocyùs se sistit ibidem: *voce salutari expergefacta, festinauit ad vocem vocantis amicè.* Ait S. Hieronymus.

Aut dicamus cum S. Ambrosio in Luc. quòd, quia Magdalena iamdudum in tenebris peccatorum ambulauerat, iuxta Prophetam dicentem: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, Psalm. 81. vers. 5. Quamprimum scintillantem illam vidit lucem, quæ: *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioann. 1. versic. 9. Auidè mediante hoc lumine desiderabat aspicere lumen diuinæ misericordiæ, vnde clamabat cum Dauid rege: *Dominus illuminatio mea & salus mea.* Psalm. 26. vers. 1. *in tenebris concupiscentiæ posita, cœlestis luminis vocatione illustrata, ad lumen se contulit misericordiæ salutaris.* Dixit S. Ambrosius.

Vel dicamus cum S. Gregorio homil. 23. in Euangel. quòd, quia Christus Redemptor noster erat magnes: *petra autem erat Christus*, 1. Corint. 10. vers. 4. Et cor Magdalenę vilissimum metallum & ferreum, hoc ipso, quòd Saluatori nostro appropinquare cœpit, amoris vocationisque cœlestis vinculis à Christo vero vtique magnete pertractam fuisse censendum est. *In funiculis Adam traham eos.* Oseæ. cap. 11. vers. 4. *In vinculis Christi, ipse intus eam traxit per misericordiam qui foris per mansuetudinem suscepit.* Inquit S. Gregorius.

Num. 7. Vel dicamus cũ magno Patre Origene hom. 20. in Lucam. Quòd, quia Christus Dominus venerat in mundum veluti potentissimus & generalis Dux militiæ Chrystianæ ad expugnanda & prosternenda dura obstinatorum hominũ corda: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Isai. 55. vers. 4. Cùm videret fortissimum hoc Magdalenæ castellum fundatum, stabilitum ac firmatũ suprà carnales voluptates & delicias, instar sagacissimi vrbium & arciũ expugnatoris cuniculos sub illo agere cœpit, ac tantum effodit terreni carnalisque affectus, vt, postquam supposuisset ignem diuinæ vocationis: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me* Thren. 1. vers. 13. Subitò animata & superba illa turris Babyloniæ fuerit diruta, dueastata, & solo humilitatis æquata: *Cecidit Babylon illa magna.* Apocal. cap. 14. vers. 8. *Vi latentis ignis ad cor peccatricis deueniens, illicò ruit Babylon magna in ciuitate famosâ.* Ait Origenes.

Sicque vocata & illuminata â Christo- Num. 8.
accipit alabastrum pretiosi vnguẽti, & vt accessit ac introiuit domum Pharisæi coram cunctis conuiuis se prosternit ante Saluatoris pedes, humillimè rogans veniam & misericordiam. *Stans retro secus pedes eius*, Lucæ 7. vers. 38. ac tacitè dicere videbatur iuxta opinionẽ S. Paulini, Epist. 4. ad Seuerum: Scio ô Domine, nullum à te cordis contriti sperni ac despici holocaustum.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non despiciens, Psalm. 50. vers. 16. Huc accessi, vt memetipsam tibi offeram in holocaustum & sacrificium, rogo, digneris illud acceptare. Anima mea erit ipsa victima, capilli funes; culter, quo mactabitur, erit dolor, lachrymæ sanguis, vngentum hoc erit incensum, amor ignis, ac sacrosancti tui pedes erunt altare: *Stans retrò secus pedes eius. Ad pedes Christi cucurrit* (ait Sanctus Paulinus) *atque ipsos sibi sacrarium altare constituit, in quibus libauit fletu, litauit vnguento, sacrificabit & affectu*

fectus

fectu; sacrificium enim Deo spiritus contribulatus.

Et ecce N. Magdalena, quæ primitus
Num. 9. Deo erat rebellis, seipsam offerendo in sacrificiũ, artificioso quodam modo pacem deinde iniuit cum Deo. Ad hoc propositum obseruo antiquum quendam Græcorum ritum, seu cæremoniã: refert namque Egesippus de excidio vrbis Ierusalẽ, in foro maiori Peloponnesi duo fuisse exstructa templa, vnum consecratum verecundiæ, humilitati alterum, nec vlli ad templum humilitatis patuisse transitum & aditum, nisi per templum pudoris, seu verecundiæ, post templa illa erectam stetisse statuã manu tenentem scutum, cui non sine singulari mysterio insculptæ erant hę tres literæ R. T. P. quę significabãt: Restituit te populus. Quando igitur rebellis quidam erat reconciliandus populo & rursum admittendus ad ciuitatem, hanc, ostenso primitus ab eo doloris & pœnitudinis signo, obseruabant ceremoniam: processionaliter ipsum conducebant à portâ ciuitatis ad templum verecundiæ in signum verecundiæ & pudoris, quem ratione delicti errorisq; à se commissi habebat. Deinde transibat ad temqlum humilitatis, vbi confitebatur peccatum & errorem suũ, petebat humillimè veniam ac remissionem, & tandem lauabat manus suas in signum internæ puritatis; abhinc deinde pergebat ad statuam, quæ totam repræsentabat rempublicam, & postquam genibus flexis illius exosculatus esset pedes nomine omnium ciuium, in signum reconciliationis dicebant ei: *Restituit te populus*, ac si dicere voluissent: iam ô rebellis, pristino es restitutus statui, & numero rursum asscriptus ciuium.

O perelegantem ritum & cæremoniã & peccatrici Magdalenæ appositam & præsenti proposito accommodam! quia enim Deo ob grauissima peccata, quæ patrauerat, rebellis extiterat, ac proinde eidem reconcilianda erat, videre ipsam mihi videor conduci ad templum verecundiæ & pudoris, quando, vt ait Sanctus Euangelista: *Stans retrò*, videlicet erubuit comparere in conspectu Christi Domini, quem tot tantisque offenderat peccatis; & deduci ad templum humilitatis, cùm nimirum ipsam prorstatam conspicio ante pedes Saluatoris: *Secus pedes eius*. Insuper ipsam se lauantem cernere mihi videor, & maculas peccatorum expiantem in fonte lachrymarum: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius*. Luc. 7. vers. 38. tandem conduci ad statuam pientissimi Iesu, cui has litteras videmus esse insculptas, R. T. P. nimirum: *Remittuntur tibi peccata*, Iam es admissa ad cœlestem ciuitatem Ierusalem, nunc adscripta es numero supernorum ciuium. O stupendam conuenientiam? ô miram analogiam inter vsum antiquorum Græcorum, & ea quæ contigerunt in persona pœnitentis Magdalenæ?

Verùm non caret mysterio N. quòd Num. 10.
seipsam in sacrificium oblatura Deo stet retrò iuxta pedes Saluatoris: *Stans retrò secus pedes eius*. Ouis Christi erat Magdalena; ast deperdita & à rectâ aberrans iustitiæ semitâ, viam tenebat perditionis æternæ, vt propterea bene cum Prophetâ dicere potuerit: *erraui sicut ouis, quæ periit*. Psalm. 118. vers. 176. quapropter veram modò quærebat inire viam, quæ conducit ad cœlum, videlicet Christum Dominnm, qui de seipso inquit: *Ego sum via*. Ioan. cap. 14, vers. 6. vt verè cum Propheta Iob posset dicere: *vestigia eius secutus est pes meus*. Iob. 23, vers. 11. *accessit igitur* (hic loquitur D. Augustinus tract. 7. in Ioan.) *non ad caput, sed ad pedes eius, & quæ diu malè ambulauerat, vestigia recta quærebat*. Et S. Petrus Chrysologus serm. 93. hanc perpulchram & proposito huic accommodam reliquit nobis sententiam? *Stans retrò, vt Christi vestigiis innixa percurreret viam vitæ, quæ per viam concurrerat mortis*. Stat retrò secus pedes Domini Magdalena; nouerat.

etenim illum non agere, quemadmodũ principes mundi huius, qui non remittunt debitum, nisi primò videant pecuniarum summam, sed quòd oculis clausis condonet omnia peccatoribus, veluti dicebat Propheta regalis: *auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*. Psalm. 50. vers. 11 vbi S. Gregorius in explicat. Psalm. pœnitet. sic ait: *à peccatis Domine, non à me peccatore, obliuiscere peccatum, & me mento mei.* Et propterea Magdalena suorum peccatorum petit veniam, & simul enixè rogat, vt solius recordaretur, quæ retrò secus pedes jacebat, non verò turpitudinis peccatorum, ideoque: *stans retrò secus pedes eius.* Ac si tacite vellet dicere: verum est, ô amor meus, quòd tanto me tempore possedit peccatum: nam: *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ioan. 8. vers. 34. & per consequens semper hactenus serua fui diaboli. At si verum est, quod possessio dicatur *à pedum positione*, quia hodie me vocasti ad te, omnino decreui mutare vitam meam, ac me totam deinceps tuo emancipare seruitio & obsequio, quare modò, modò mei cape possessionem: *posside Domine, qui vocasti me* (ita discurrit S. Ambrosius in Lucam in personâ Magdalenæ) *posside mulierem & seruam diaboli, tuam effectam famulam.* In hanc vsque horam ô dulcissime Iesu, mundi secuta fui exercitum; stipendium feci voluptatibus carnalibus: ast modò, quia vexillum firmiter mutare & te solum sequi statui, ecce me ante pedes tuos prostratã: *Stãs secus pedes Domini Maria* (ait Sanctus Ambrosius loc. cit.) *miles effecta inseparabilis tam gloriosi ducis stabat secus pedes eius.* Quia eram obcœcata à diabolo, omnino credebam, ô amantissime Iesu, te esse seductorem populi ac viæ ducem homines deducentem ad præcipitium & ruinam. At diuinâ tuâ nunc illuminata gratiâ ac dolens de peccatis meis nunquam alium sequar ducem nisi te, in quo nullum prorsus timendum est præcipitium, ipsa quippe lux es, via, vita & veritas: *Secus pedes Domini stetit mulier*, (dicit S. Gregorius homil. 29. in Euangel.) *quia ad veram pœnitentiam post peccatum conuersa est, eius vestigia sequens, quem impugnabat.*

Et cũ tacitè sic sermocinaretur Magdalena, vberes ecce & copiosę ex oculis eius profluxerunt lacrymæ: *lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Quibus toti orbi significare ac manifestare nitebatur viuam amoris flammam, quæ in pectore eius ardebat, adeò vt oculi eius ceu candens clibanus stillatitius extillarũt amaris lacrymis. Et hic occurrit mihi illud emblema, quod ingeniosus quidam finxit Academicus de Deo amoris lacrymosos habente oculos, cui clibanus ardens stillatitius & hæc verba erant apposita: Num. 11.

Et quid adhuc dubitas? testis lachryma flamma,
Semper vt occluso stillet ab igne liquor.

quasi dixisset, vt quis adhuc dubitat de meo amore? de eo testimonio dabunt hæ lachrymæ guttatim è meis cadentes oculis. En Magdalenam, Deum quendam amoris repræsentantem, ex eius namque oculis guttatim & continuò veluti è clibano igne succenso profluebant & stillabant lachrymæ, nec id mirum, diuino quippe exardebat amore. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Quasi diceret, nihil planè dubitandum est de amore, quo feror in Deum & Redemptorem meum, siquidem hi mei oculi lachrymis extillantes suo illum comprobat testimonio.

Insuper prætendebat Magdalena hisce lachrymis manifestare toti mundo magnam Christi potentiam, quòd suâ virtute diuinâ conuertat fulgura in pluuiam, iuxta Prophetam dicentem: *Fulgura in pluuiam fecit.* Psalm. 134. vers. 7. Dum amarè ita plangeret, significare videbatur benignissimo suo Magistro: tuã, ô Deus meus, ostende potentiam, & fac, vt hi mei oculi, qui hucusque tanquã fulgura Num. 12.

iucan-

incautorum adoleſcentum ſauciarunt animos, in animarum conuertantur pluuiam lachrymarum. Et ideo: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Vel dicamus Magdalenam fleuiſſe, quia cùm non ignoraret lachrymas è pœnitente corde promanantes lætificare ciuitatem Dei, iuxta dictum illud Dauidicum: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Pſalm. 45. verſ. 5. (qui locus à S. Cypriano ſerm. de pœnitent. intelligitur de flumine lachrymarum) ideò ad exhilarandam lætificandamque Dei ciuitatem voluit ex oculis duo effundere lachrymarum fluenta: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Vel dicamus, quòd Magdalena iuxta antiquorum morem & conſuetudinem prætendebat offerre ſacrificium Deo ignoto, veluti Athenienſes facere ſolebant, teſte D. Paulo Actor 17. verſ. 23 *Ignoto Deo.* cui, loco victimarum, offerebantur lachrymæ. Et Magdalenam N. ritus huius periti ſſimam in hæc tacitò prorupiſſe verba crediderim, Ah miſera ego & infœlix, quæ nunquam te, ô dulciſſime Domine Ieſu, hactenus agnoui, peccatorum meorum denſis inuoluta tenebris nullam prorſus omnipotētiæ tuæ & magnitudinis habui notitiam. Quapropter harum mearum lachrymarum tibi ignoto Deo offero ſacrificium, rogo & enixè precor, digneris illud acceptare. Et ideò: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Num. 13. Aut dicamus, quòd quia, Magdalena viride erat lignum ante oculos mundi huius, applicatum deinde ei, qui *ignis conſumens eſt.* Deuteron. 4. verſ. 24. Et ignis ſentiens effectum, guttatim & paulatim deinde emiſerit & fuderit peccatorum ſuorum humiditatem: *Quæ prius peccando frigida remanſerat poſtmodum amando fortiter ardebat*, ait Sanctus Gregorius ſermon. 19. in Euangel. Ac propterea: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Vel dicamus, quòd, quia nouerat Magdalena, quàm gratæ Deo eſſent lachrymæ, dicente Dauid: *Poſuiſti lachrymas in conſpectu tuo.* Pſalm. 55. verſ. 6. aut vt legunt alij: *In menſâ tuâ*, tales ei obtulerit guſtandas. Ita ſentit D. Gregorius homil. 23. in Euang. dicens: *Super conuiuantes ingreſſa eſt, non iuſſa venit, & inter epulas lachrymas obtulit.* Et ideò: *Lachrimis cœpit rigare pedes eius.*

Vel dicamus, Magdalenam frigore peccatorum ſuorum totam fuiſſe aſtrictam, congelatam ac induratam: *Gelauit cryſtallus ab aquâ.* Eccleſ. 43. verſ. 22. Vnde quamprimùm Sol diuini amoris æſtuantibus ſuis radijs cœpit eam tangere & repercutere, confeſtim ſoluta fuit, adeò, vt per tubos oculorum in copioſas eruperit lachrymas. Et huic conceptui adſtipulatur D. Hieronymus in Matth. *Mulier, quæ gelida euaſerat gelu peccatorum, radijs expoſita diuini amoris, lachrymas fudit.* Et ideò: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Vel etiam dicere poſſumus N. quòd ſicut obſcura quædā nubes ſæpius ſolaribus repercuſſa radijs tandem reſoluitur in pluuiam; ita Magdalenam, obſcuram veluti nubem, propter laſciuiam vix aſpexerat ſol iuſtitiæ ardentibus amoris radiis, & ſubitò ecce reſoluta fuit paulatim in pluuiam & planctum. Ita ait D. Gregorius: *Sicut nubes ſolis radijs oppoſita paulatim defluit, ſic noſtra peccatrix radijs diuini amoris illuſtrata, lachrymis cœpit rigare pedes Domini.* homil. 25. in Euang.

Poſtquam ergo lauiſſet calidis lachrymis pedes Saluatoris, capillis ſuis eoſ- Num. 14
dem deinde terſit. *Capillis capitis ſui tergebat.* Luc. 7. verſ. 38. Sed in quem finem tergendo pedes potiùs capillis, quàm alio quopiam panno vſa fuit? id non caruit myſterio. Refert Lactantius Firmianus lib. 1. diuin. inſt. cap. 25. de Carthaginenſibus ſtupendum caſum: Cùm hi generoſi ac bellicoſi ciues decertarent intrepidè cum hoſtibus in ipſo pugnæ feruore intorti arcuum, quibuſcum dimicabant, & hoſtem impetebant,

rumpebantur funes. Quod aduertentes intrepidæ Carthaginenses mulieres, è proprijs detonsis capillis ad arcus tendendos pararunt & confecerunt funes, adeòque & ipsæ concurrerunt ad victoriæ triumphum, quem ciuitatis illius incolæ suffragantibus vxorum suarum capillis de hostibus reportarunt. Ad eundem planè modum Magdalenam fecisse, ac Redemptori nostro dixisse omninò mihi persuadeo: cape, ô Domine, hos capillos meos, tuum ijsdem intende arcum contra hostem infernalem, qui, vt animam meam profligaret & trucidaret, nulli pepercit hactenus labori, Et ideò: *Capillis capitis sui tergebat.*

Vel dicamus Magdalenam voluisse sese conformare consuetudini & ritui antiquorum nautarum, qui post euidentia, quæ in mari ortâ tempestate subierant, vitæ pericula, in signum gratitudinis offerebant templo capillos suos. Non secus Magdalena pro gratiarum actione, quod nimirum maxima euaserit pericula fluctuantis pelagi mundi huius, qui *mare magnum & spatiosum* appellatur à Spiritu sancto Psalm. 104. vers. 25. offert templo Spiritus sancti, quod est Christus, capillos suos, & propterea: *capillis capitis suis tergebat.*

Num. 15. Prosequitur idem S. Euangelista: *& osculabatur pedes eius.* Lucæ 7. vers. 38. Vbi hæc aut similia inter osculandum credo illam dixisse verba: Benedicti vos credo illam ô pedes Domini ac Redemptoris mei, qui pro salute meâ tam prolixum confecistis iter. Pedes, qui semper ambulastis ægris communicando sanitatem, cæcis visum, loquelam mutis, claudis gressum & fœtentibus cadaueribus ipsammet vitam. Pedes fugientem sequentes. Ab hisce sacris pedibus nunquam recedam nisi primò impetratâ peccatorum meorum veniâ & remissione, Semper hisce pedibus fortiter adhærebo, quousque audiam dulcissima illa verba: *remittuntur tibi peccata tua, Vade in pace.* Luc. 7. vers. 48. Ita sancta illa peccatrix sacros Christi exosculando pedes loquebatur, & loquendo pretioso eosdem *vnguento vngebat.* Audierat namque in Scholâ diuini amoris magnum illud desiderium, quo ille ardebat in crucem: *præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Marc. 14. vers. 8. ait Christus Saluator noster. Vade sub vnctione illâ memoriæ suæ repræsentabat amarissimam Domini passionem.

Vel dicamus cum D. Gregorio homil. in Euang. id ab eâ factum esse, vt promptissimam, quam habebat, declararet voluntatem, bonam & odoriferam de seipsa tribuendi nominis famam, ac posset dicere cum Apostolo: *Christi bonus odor sumus.* 2. Cor. 2. vers. 15.

Vel etiam dicere possumus cum D. Hieronymo, quòd id fecerit, vt Christo cœlesti medico fragantem & gratum exhiberet odorem, ne pessimum proprij vlceris & sceleris perciperet fœtorem, de quo dicere poterat cum regio Prophetâ Dauid: *putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Psal. 37. vers. 6. Et ideò: *vnguento vngebat.*

Et ecce N. Magdalenam in hac sua conuersione videre mihi videor quasi Aquilam generosam, sed renouatam. Num. 16. Vidistis iam Aquilam senio confectam & ætate fessam, quando Magdalenam conspexistis in peccatis adeo obstinatam, vt plurium annorum spatio peccatricis obtinuerit nomen: *& ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Calido & australi vento se exponit aquila; idem facit Magdalena, dum calido igniti amoris diuini se exponit vento: *dilexit multum,* Luc. 7. vers. 47. Aquila contra Solem expandit alas. Planetæ longè digniori, lumini nempe efficacis diuinæ gratiæ hæc sese exponit. *Vt cognouit, quod accubuisset in domo Pharesæi.* Sæpius duro allidit saxo aquila rostrum. Petræ huius, nimirum, Christi pedes sæpè osculatur Magdalena, vt scelerum suorum ibidem deserat

deferat & perdat rostum. *Osculabatur pedes eius.* In fontem se mergit illa, vt grauantes & antiquas in eo relinquat pennas; lachrymarum hæc se immergit mari, vt vetera sensualitatis amittat vitia: *lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Et si artificioso hoc facto experimento rapaci volucri odiosæ excidunt plumæ, Magdalenæ quoque præteritorum scelerum damnosæ excidunt pennæ; etenim postquam Saluator noster tot in eâ conspexisset amoris effectus, exclamauit: *remittuntur tibi peccata.* Sicque verificatum fuit oraculum illud regij Prophetæ dicentis; *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Psal. 102. vers. 5. vnde S. Augustinus considerando hanc Magdalenæ renouationem meritò dicebat sermon. 120. de tempore. *Accessit peccatrix ad Dominũ immunda, vt rediret munda, accessit ægra, vt rediret sana, accessit confessa, vt rediret professa.*

Num. 17. Et quia Magdalena verè pœnituit, promeruit peccatorum suorum veniam & remissionem dicente ei Saluatore: *remittuntur tibi peccata tua. Vade in pace.* Ac si dixisset: *Vade in pace*, ô Magdalena, ego in me bellum suscipiam & prælium. *Vade in pace*, vt enim tu libereris à peccatorum tuorum vinculis, ego duris & asperis ligabor funibus. *Vade in pace*, ab æterna damnatione tu existis libera, & ego innocens ab iniquo iudice ad mortem condemnabor. *Vade in pace.* Animam tuam, ô Magdalena, consolabitur diuina misericordia, & mea tot tantisque affligetur doloribus & angustijs, vt ipsæ solæ vitam eripere mihi valeant. *Vade in pace.* Faciem tuam, ô Magdalena, exornabas, vt à lasciuis amareris adolescentibus, & mea sputis & colapis defœdabitur. *Vade in pace.* Os tuũ opiparis & exquisitis cibabatur dapibus, & meum potabitur felle & aceto. *Vade in pace*, manus tuæ, ô Magdalena, condecorabantur pretiosis annulis & gemmis, & meę duris perforabuntur clauis; *Vade in pace*, pedes tui deliciarum & voluptatum mundanarum obambulabant semitam, & mei acutissimis clauis transfigentur, *Vade in pace.* Prædiuite tu induta eras vestimento, & ego nudus crucis affigar trunco *Vade in pace*, caput tuum, ô Magdalena, pretiosis adornatum erat gemmis & margaritis, & meum pungentibus coronabitur spinis, *Vade in pace*, cor tuum cœlestibus adimplebitur consolationibus, at meum dirâ aperietur lanceâ: *Vade in pace.*

Verùm, vt ex iam adductis pœnitentis Magdalenę præconijs capiant fructum aliquem animæ nostræ steriles, hoc vnicum solum, vt alia subticeam, dicam ex D. Gregorio, illam extitisse verum pœnitentię speculũ, adeò, vt, tametsi Christus ei dixerit: *remittuntur tibi peccata tua*, ipsa nihilominus perseuerarit in pœnitentiâ triginta continuis annis in horrido quodam deserto prope Massiliam. Et cur hoc? dubitabas fortassis, ô Magdalena, Deum non remisisse tibi peccata? non sanè, ex ipso namque veritatis ore iam audieras: *remittuntur tibi peccata tua.* Ast id fecit Magdalena (ait B. Thomas de Villa noua serm. de S. Maria Magdalena,) in tui, ô peccator confusionem, cui non fuit dictum, veluti Magdalenæ: *remittuntur tibi peccata tua*, & absque tamen curâ obdormis in somno peccati ac in apertissimo æternæ damnationis periculo, nec vllus pœnitendi est tibi animus, ac si sempiternam acturus esses vitam: Nemo (inquit B. Thomas) *sibi blanditur, quia Magdalena ita facile consecuta est veniam & misericordiam; sed potiùs eius recogitet pœnitentiam, postquam enim audierat peccatorum suorum indulgentiam, & postquam secura facta fuerat, adhuc tamen non contemnit pœnitere, quæ se meminit deliquisse.* Deinde concludit citat. P. *Tu autem nondum audisti vocem Domini peccata tua remittẽtis & in tanto discrimine & periculo securus dormis, & quasi recepta veniâ negligis pœnitere?* Nec minus eleganter dixit S. Gregorius Papa homil. 33. in Euangel. *Cogitanti mihi de Maria Magda-*

lenæ pœnitentiâ flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Et S. Ambrosius in cap. 13. ita scribit: *Vbi sunt nostræ lachrymæ? vbi gemitus? vbi fletus?* Ah miser peccator, quo vsque tua excurret negligentia & socordia? annon Magdalenæ pœnitentiâ te conuictum conspicis? Surge igitur (ait S. Bernardus serm. 2. in Cant. ad exemplum Magdalenæ, prosterne te in terram, amplexare pedes Saluatoris, & eundem lachrymis ac fletu tuo placare satage, quibus non iam ipsum lauabis, sed tuas tolles viriorũ maculas. Id si feceris, obtinebis & tu veniam peccatorum tuorum, & ex veraci Saluatoris tui ore gratam & suauem hanc percipies vocem: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*

Maria Virgo concepta sine peccato Originali.

DISCVRSVS XXXVI.

De immaculata Mariæ Virginis Matris Dei Conceptione.

Num. 1. MAIESTAS & excellentia inæstimabilis Mariæ Virginis, Matris, filiæ & sponsæ dilectæ supremi & æterni regis tam præcelsa, tamque incomprehensibilis est, vt antiqui Patres, Patriarchæ & Prophetæ, diuino illuminati spiritu, postquam plurimum desudassent in cognoscendis eiusdem prærogatiuis & excellentijs, tanto tandem deuicti splendore tantaque obfuscati luce, cùm non inuenirent, quo dignè sufficienterque eam declarare & explicare possent, varijs eandem titulis diuersisque nominibus describere cœperint. Sicque illã nuncuparunt Cœlum, Solem, Lunam, Terram, Montem, Campum, Fontem, Fluuium, Puteum, Aquæductum, Templum, Tabernaculum, Lilium, Rosam, Virgam, Vitem, Columbam, &c.

Verùm, vt meam hac super re proferam sententiam, cæteris omnibus titulis coronam & palmam præripere videtur ille, quo ipsam condecorat S. M. Ecclesia, cùm nimirum in deuoto illo hymno, *Aue Maris Stella.* Quem in honorem eius decantat, vocat ipsam Virginem singularem: *Virgo singularis.* Et meritò; etenim quicumque illam fidei contemplatur oculo, omni ex parte reperiet singularem. In morte fuit singularis, quia non ex dolore (quemadmodum cæteris hominibus obtingere solet, quantumcumque sint sancti & iusti) sed ex vi amoris mortua est, vti est communis sanctorum Patrum sententia. In vita quoque extitit singularis; nam toto vitæ suæ decursu nunquam, neque etiam dormiens, veluti existimat Diuus Ambrosius lib. 2. de Virgin. cessauit ab actu amoris in Deum, vnde dicebat: *Ego dormio, & cor meum vigilat,* Cant. 5. vers. 2. singularis pariter fuit in natiuitate sua; tunc enim Angeli ipsam conspexerunt in mundum prodeuntem tanquam Auroram, Lunam, Solem & quasi ordinatissimum exercitum, vnde dixerunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Cant. 6. vers. 9. demum singularis fuit in conceptione sua, ob particularem favorem & gratiam ab omnipotenti

tenti Deo ei præstitam; siquidem concepta fuit pura, pulchra & sine communi peccati originalis macula, quâ nos omnes miseri defœdati sumus. Quod testatur Spiritus sanctus, eam in sacris Canticis hisce alloquens verbis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant 4. vers. 7.

Num. 2. Expressam huius veritatis figurâ habemus in sacrâ Genesi cap. 3. vbi legitur quòd postquam protoparens noster Adamus divinum transgressus fuisset præceptum, vetitum manducando pomum antequam etiam Deus contra eum cunctosque posteros tremendam illam mortis fulminasset sententiam, infernali dixit serpenti: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius,* vers. 15. Quia hic Scripturæ locus multa in se comprehendit mysteria, videturque apertè declarare immaculatam conceptionem Mariæ Virginis Dominæ nostræ, ideò etiam necesse est, vt eiusdem verba sigillatim expendamus.

Primò itaque obseruo N. per hanc mulierem, cuius mentionem facit sacer textus, non Euam, sed gloriosam Virginem debere intelligi, veluti exponit S. Bernard. hom. 2. super Missus, cùm ait: *De Maria dictum est ad serpentem: inimicitias ponam inter te & mulierem; ipsa conteret caput tuum.* Cui consentit Rupertus Abbas lib. 3. Trin. cap. 16. dicens: *Beata Maria mulier illa est, inter quam & serpentem inimicitias positurum se esse dixit, & posuit Deus.*

Authoritati subiungite rationem, quæ colligitur ex ipsismet S. Scripturæ verbis etenim si de Euâ locutus fuisset Deus, non dixisset *ponam* in tempore futuro; sed *pono* in præsenti. Quod & iamdudum ponderauit S. Cyprianus lib. 2. aduersus Iud. cap. 9. *Inimicitias ponam inter te & mulierem: non certè pono dicit, ne ad Euam pertinere videretur; sed ponam, id est, suscitabo mulierem, quæ repudiatâ facilitate credendi, non solùm te non audiat, sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissa exigat nouitate.* Num. 3.

Nec minori digna sunt obseruatione verba illa: *ipsa conteret caput tuum.* Neque videlicet hæc de Eua intelligi posse, quia serpens illi non illa serpenti rupit & contriuit caput; intelligi ergo debent de Mariâ Virgine iuxta communẽ SS. Patrum consensum, adeoque concludamus necesse est, quòd ipsa contriuerit caput serpentis, ideoq; Deus diabolo minatus est & dixit: *ipsa conteret caput tuum. Nimirum* (inquit D. Bernardus serm. 14. in Apocal.) *ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput pede virtutis contritura.* & serm. 9. ex paruis, idem clarius hisce ostendit verbis: *Nisi fallor hæc virgo est, quæ apud Salomonem legitur: mulierem fortem quis inueniet? quæ adeò fortis est, vt illius serpentis caput contereret, cui à Domino dictum est: inimicitias ponam inter te & mulierem. Ipsa conteret caput tuũ.* Et Rupertus Abbas explicando verba illa Cant. cap. 7. vers. 1. *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis! Idcircò,* ait ille, *ancillæ nempe Euæ calcaneum à serpente admorsum, qui discalceata erat; tu verò filia principis probè calceata serpentis caput contriuisti.*

Victoriæ huius, quam de Sathan reportauit B. Virgo in instanti suæ conceptionis, manifesta extat figura in sacris litteris, Gen. cap. 7. indignatus erat Deus in totum genus humanum, quia grauissimè eundem pessimis suis offenderat sceleribus. Quapropter meritâ totum mundum statuit multare pœnâ, vti & diluuio eundem submersit, & in tantam excreuit aqua altitudinem, vt altissimos operuerit montes: *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat* loc. cit. vers. 20. Sola nihilominus Arca Noë euasit illæsa & incolumis, vnde volens tandem experiri Noë, num aquæ cessassent diluuij, emisit columbam quæ post- Num. 4.

quam diu spatiosos peragrasset aëris cāpos, nec vbi figeret pedem reperisset, reuersa est ad arcam, apportans secum ramum virentis oliuæ. *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Genes. cap. 8. vers. 11. inquirit hoc in loco S. Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 16, & cum ipso doctissimus Caietanus in cap. 7. Gen. Quomodo columba in reditu ad Arcam ramum illū oliuę virentis inuenire potuerit adhuc illæsum? & quidem optima est hæc difficultas: etenim tanto impetu aquę diluuij fluxerunt & decurrerunt vndique per terram, vt non solùm arbores eradicarint, verùm etiam altissimos terræ adæquarint montes. In qua igitur terræ parte, inquit S. Ambrosius, paratum adeò adinuenit ipsa oliuæ istius ramum? & respondet, numquam hanc arborem fuisse euulsam & eradicatam, tametsi vehemētissimus fuerit aquarum impetus, adeóque quàmuis aliæ arbores euulsæ & deperditæ fuerint, oliuam tamen in suo flore & vigore permansisse asserit & proptereá loquens de Noë iusto dicit: *Gauisus est vir iustus, videns fructum de veteri semine aliquem seruatum, & inde collegit misericordiæ insigne diuinæ, quod fructum demonstrasset, cui non potuissent nocere diluuia.* Quemadmodum igitur vniuersali diluuio omnes reliquæ submersæ fuerūt arbores, imò annihilatæ & sola cōseruata fuit oliua, ita omnes creaturæ rationales contraxerunt maculam originalem: solam Mariam mysticam oliuam, de quâ ait Ecclesiasticus cap. 24. v. 19 *quasi oliua speciosa in campis.* Omnipotens Deus ab instanti conceptionis suæ præseruauit á peccato originali.

Num. 5. Et hæc singularis gratia B. Virg. præstita prædicta fuisse videtur à regio Prophetâ cùm dixit: *Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Psalm. 45. vers. 6. Nimirum Dominus Deus patrocinabitur, fauebit & suppetias feret Marię Virgini in veram suam Matrem prælectæ. Sed quando, & quo tempore id fiet? ô Dauid! *manè diluculo.* Antequam illucescat, in instanti videlicet conceptionis suæ, præseruando ipsam à peccato originali; vnde vbi vulgata dicit: *adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Legit Sanctus Hieronymus: *auxiliabitur ipsi Deus in ipso ortu matutino.*

Et ob hanc rationem N. sacrosancta Virgo, quia est creata à Deo, vt infernalis esset draconis flagellum, ab initio conceptionis suæ ad extremum vitæ suę terminum vsque, ab ipsomet Deo custodita, & vndiq; pręmunita fuit instar fortissimi & munitissimi propugnaculi, ne serpens infernalis vnquam eam inuadere posset. Ac propterea in Canticis Spiritus sanctus loquens de Sponsâ, describit eā fortissimis circumdatam turribus: turris in pectore: *vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Cant. 8. vers. 10. turris in collo: *Sicut turris Dauid collum tuum.* Cant. 4. vers. 4. turris in naso: *nasus tuus sicut turris Libani.* Cant. 7. vers. 4. Per has turres vult nobis innuere Spiritus sanctus, ait Rupertus Abbas in Cant. 1. puritatem & innocentiam huius sanctissimę sponsę ita fuisse à diuinâ custoditam prouidentiâ, vt nunquā dæmoni aliquā mediante peccati specie patere potuerit aditus & ingressus in sanctissimam eius animam.

Ideò etiam in ijsdem Canticis statura B. Virginis assimilata fuit palmæ, quæ est Symbolum victoriæ, & folia habet in gladiorum modum protensa: *Statura tua assimilata est palmæ.* Cant. 7. vers. 7. Num. 6. Vt significaretur Mariam Virginem in totâ vitæ suę compositurâ fuisse palmam & victoriam draconis infernalis, cunctaque eius verba, sermones, cogitationes, actionesque omnes fuisse tanquam acutissimos gladios & cultros, quibus concertans cum diabolo deuicit & superauit illum, ac de eo victoriæ palmā reportauit. Et quia B. Virgo tota erat palma & victo-

victoria, nata in terris, vt singulare iniret certamen cum fatali nostro inimico, minimè conueniens erat, vt prodiret in campum mundi huius lethaliter vulnerata, ac de eàdem primò triumpharet tyrannus; sed e contrà decebat, vt in primo conceptionis suæ instanti descenderet in arenam tota pulchra sine maculâ culpæ, vestita gratiâ, ditata donis, cœlesti adornata luce, & inuincibili armata fortitudine, vt sic confestim gloriosæ daret initium pugnæ, contereretque subitò caput serpentis, cùm peccatum originale sit serpentis caput; vnde venenum omnium vitiorum humanæ vitæ suum ducit ortum & principium; quâ de causâ Deus dixit serpenti: *ipsa conteret caput tuum.*

Hinc S. Virgo obtentâ de Satanâ victoriâ ab instanti conceptionis suæ, Domino Deo quam maximas referens gratias pro tali sibi præstito fauore dixit: *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Psalm. 139. vers. 8. Quem locum doctissimus Abulensis in Matth. expendit in sensu spirituali & ait: *Caput principium vitæ est; dies autem belli est instans illud conceptionis, in quo dæmon peccati originalis maculâ dominatur de anima. Principium autē vitæ beatæ Virginis obumbratum fuit ab instanti Conceptionis ex vi præuisionis meritorum Christi, & nullam contraxit maculam originalem: vnde gratias agens Deo pro tanto beneficio dixit: obumbrasti super caput meum in die belli.*

Num. 7. Nunc quoque subintelligo causam, ob quam Maria comparatur Lunæ: *Pulchra vt Luna.* Cant. 6. vers. 9. vt nobis innotesceret, inquit Richardus de S. Victore, quod sicut Luna oculis mortaliū repræsentat maculam, at nulla realiter in eâ reperitur macula, ita nobis contemplantibus Mariam Virginem velųti Adami filiam videtur & apparet, quasi ipsa in conceptione contraxisset peccati originalis maculam, nihilo secius verissimum est, puram & immaculatam ipsam fuisse conceptam, veluti id proprio confessus est ore misericors Deus, cùm dixit: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Cant. 4. vers. 7. *Tota Virgo pulchra dicitur,* ait cit. Doctor, *quia pulchra facie & pulchra mente fuit: nemo enim tam sanctus qui maculam non habuerit & defectum præter Mariam; tota enim pulchra, quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.* Quod & confirmat sapientissimus Idiota contemplat. de Virg. Maria quando ad eam conuersus dixit: *Tota pulchra Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit.*

Et Angelus Gabriel annou in salutatione delatâ B. Virgini ex parte Dei immaculatam eiusdem declarauit conceptionem? *Aue gratiâ plena,* dixit ille Luc. 1. vers. 28. Quòd si igitur hæc ei defuisset gratia, non dixisset veritatem Angelus, asserendo eam esse gratiâ plenam, neq; hęc aliàs verificata fuissēt verba: *Dominus tecum.* Si Satanas minimo etiā temporis spatio in ipsam suum exercuisset Dominium, quemadmodum ijs obtingere solet, qui maculam contrahunt originalem, cùm Dominus Deus non semper fuisset cum eâ. Nec etiam hæc alia veritati conformia essent: *Benedicta tu in mulieribus.* Non enim obtinuisset benedictionem, cùm, sicut & aliæ mulieres, vniuersali subiecta fuisset maledictioni: quod jamdudum penetrauit S. Fulgentius serm. de laudibus Mariæ: *Sic enim,* inquit ille *eam legitur Angelum salutasse: Aue gratiâ plena. Cùm dixit: Aue, salutationem illi cœlestem exhibuit. Cùm dixit: gratiâ plena, ostendit iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.*

Sed aliam pulcherrimam N. audite Num. 8.
speculationem Nicolai de Lirâ super alia verba, quæ dixit Angelus Virgini, cùm annunciauit ex eâ nasciturum filiū Dei: *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Luc. 1.

Luc. 1. vers. 35. Inuestiget hic deuotus Doctor, quam ob causam dixerit cœlestis Paranymphus: *Superueniet in te. Et* non dixerit: *veniet in te.* Et acutissimè respondet: *Bene dixit superueniet in te, quia prius venerat Spiritus sanctus super virginem adhuc in vtero Matris existentem, illam ab originali præseruando.* Licitum ergo sit mihi alta exclamare voce, ac cum Ecclesiâ in honorem sanctissimæ Virginis dicere: *Virgo singularis*, siquidem sola ipsa inter omnes creaturas concepta fuit sine communi peccati originalis macula.

Neque pro horum confirmatione N.
Num. 9. desunt SS. Patres & Ecclesiæ Doctores, qui Mariam Virginem puram & immaculatam conceptam fuisse fatentur. Ac imprimis sat communis est sententia S. Augustini lib. de nat. & grat. cap. 39. dicentis: *Exceptâ sancta Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Et S. Cyryllus Alexandrinus explanando historiam Euangelicam de cœco nato lib 6 in Iohan. 15. âit: *Cœcus à natiuitate est omnis homo, quia omnes (excepto illo qui de virgine natus est, & sacratissima etiam virgine, ex quo Deus homo prodijt in mundum, excepta) in peccato originali nascimur.* Et S. Petrus Damianus serm. de Assumpt. ita scripsit: *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.* Idem affirmat B. Laurentius Iustinianus lib. de grad. perfect. cap. 1. *Ab originali delicto nullus excipitur præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem.* Sanctus quoq; Anselmus doctissimam suam adaptauit pennam probaturus hanc eandem veritatem, sic scribit in 2. Cor. 2. *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, demptâ Matre Dei, siue etiam voluptate additis,* D. etiam Bernardus serm. 2. de Assump. hisce subscribit auream hanc sententiam: *Absit, vt proprij quicquam inquinamenti hæc aliquando habuisse dicatur.* Et vt demum innumeras alias prætermittam authoritates, audite Angelicum Doctorem quidnam de illâ sentiat, in 1. sent. dist. 44 quæst. vn. art. 3. ad 3. sic loquitur: *Tantam puritatem habuit Beata Virgo, vt ab actuali, & originali peccato fuerit immunis.*

Hisce addendum, à primitiuâ Ecclesiâ Num. 10.
vsque huc verã fuisse traditionem Apostolorum, sanctissimam Deiparam conceptam fuisse puram & immaculatam absque communi peccati originalis macula; vnde refert Hilarius antiquissimus Ecclesiæ Pater serm. 1. de Concept. quod cùm S. Andreas Apostolus concionaretur coram Proconsule Ægeâ, hunc in modũ sermocinatus fuerit in laudem immaculatę conceptionis Virginis: *Quomodo de immaculatâ terrâ factus homo primus per lignum præuaricationis mortem mundo intulerat, ita necessarium fuit, vt de immaculatâ Virgine natus Christus, vitam æternam repararet.*

Impius quoque Mahometus, nostræ sanctæ fidei capitalis hostis, affirmat in suo Alcorano (vt referunt Galatinus lib. 7. de Arca, & Canisius de B. Virg.) nullũ reperiri filiorum Adæ, qui Sathanæ non fuerit seruus & mancipium, solâ exceptâ Mariâ Virgine & Benedicto eius filio Christo Domino: *Nullus nascitur ex filijs Adam quẽ non tangat Sathan præter Mariam & filium eius.*

Et si pro maiori veritatis huius hu- Num. 11.
cusque sufficienter probatæ claritate; quasdam desideretis rationes, inter alias quam plurimas, quas in mediũ adducere possem, tres adducam; & prima est hæc: Maria Virgo in instanti conceptionis suæ non contraxit peccatum originale, quia si veniale peccatum, teste Doctore Angelicô S. Thomâ 3. p. quæst. 27. art. 2. ipsam reddidisset indignam Maternitate Dei, multo magis Originale,

quo

Quod efficit animam inimicam Deo, priuat gloriâ æternâ, quod non facit peccatum veniale. Est veritas Catholica determinata à S. Concilio Tridentino Sessione 6. Can. 1. Quòd si igitur in Mariâ Virgine non fuerit inuentum peccatum veniale, ergo oportet concludere, neque in ea repertum fuisse peccatum originale, quod est grauius.

Num. 12. Altera ratio est, omnes gratiæ & prærogatiuæ B. Virginis fundantur in duobus principijs videlicet in potentiâ Filij eius & Maternitate ipsius; quod ad potentiam Filij Dei attinet, inquit S. Anselmus de laud. Virg. euidens est, filium Dei potuisse præseruare Mariam à peccato originali, & fuisse conueniens, vt id faceret; ergo abs dubio id fecit. Quod potuerit ipsam præseruare nullum planè est dubium; quod fuerit conueniens, clarum & euidens est; quia si B. Virgo contraxisset peccatum originale, semper verum fuisset dicere: B. Virgo fuit peccatrix, serua peccati, mancipium Satanæ, potuissetque, veluti cæteri omnes dicere: *Ecce enim in iniquitatibus concepta sum*, Psalm. 50. vers. 7. Quid plura? inimicus infernalis iactanter ei dicere potuisset: verum est te permagnam esse terræque Dominam, fateor te Matrem esse, filiam & sponsam Dei: non nego, te esse Imperatricem hominum, Angelorum reginam; ast verum quoque est, quod tuo damno non fueris serua concepta in peccato originali; extollat modò te Deus, quantumcumque ei placuerit, totâ nihilominus suâ potentiâ facere nequit, quod non acceperim animæ tuæ possessionem, & priusquam tu esses Mater filij æterni, mihi fuisti subdita. Hæc vel similia ei dicere potuisset monstrum illud horrendum & infernale, si B. Virgo contraxisset peccatum originale. Altâ igitur exclamemus voce & cum S. Cyrillo Alexandrino lib. contra Nestor. dicamus: *Temerarium est in Maria Virgine propter filium ponere culpam aliquam vel peccatum.*

Quod verò ad Maternitatem Mariæ attinet, quia illa est infinita, vti docet S. Thomas 3. p. q. 27. art. 3. dicamus necesse est, personam infinitæ dignitatis hoc dotatam fuisse priuilegio, quod nimirum libera extiterit à peccato originali: *Rationabiliter creditur* (inquit Angelicus Doctor) *quòd ea, quæ genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora dona gratiarum & priuilegia accepit.*

Vltima ratio, quam in probationem immaculatæ conceptionis adducit S. Bernardinus Senensis Tom. 4. sermon. 49. p. 11. est hæc: omnes gratiæ, quas omnipotens & misericors Deus contulit alicui puræ creaturæ, maiori cum excellentiâ debentur Matri Dei, ne illam tanquã Patrona & Domina in aliquo sit inferior seruis suis & veluti regina posterior suis subditis, vti dicit S. Thomas, vbi sup. ergo si Adam & Eua fuerunt creati in gratia & imperfecta quadam innocentia sine peccati macula, maiori cum ratione asserendum est, hanc perfectam innocentiam fuisse concessam B. Virgini, & eò magis, quò debebat esse Regina Angelorum, reparatrix damnorum nobis illatorum à protoparentibus nostris: consequentia est euidens propter regulam illam Sancti Bernardi Epist. 174. ad Conc. Lugdunens. asserentis: *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum.* Melliflua nunc audite verba Sancti Bernardini Senensis cit. sup. *Certum est, quòd Deus creauit Euam & sine peccato. Modò non est credendum, quòd ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere eius carnem, quæ esset maculata ex aliquo peccato originali; imò credendum est, quòd voluerit sumere carnem purissimam, & quod eius Mater fuit plusquam Eua & Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali.* Num. 13.

Num. 14. Concludamus ergo N. Mariam Virginem conceptam fuisse puram & immaculatam, & in honorem eius dicamus cum S. M. N. Ecclesiâ *Virgo singularis.* inter omnes namque creaturas sola ipsa & singularis concepta fuit sine peccato originali. Et ex aliâ parte, si eiusdem deuoti clientes esse velimus, studeamus imitari quandam ex innumeris B. Virginis virtutibus. Ad quod seriò nos exhortatur Sanctus Hieronymus serm. de assumpt. Virg. dicens: *Dilectissimi amate Mariam quam colitis, & colite quam amatis.* Et si compendiosum quendam exoptetis modum ipsam amandi & honorandi, imitamini ipsam: *Quia tunc verè colitis & amatis, si imitari volueritis ex toto corde, quam amatis.* Id si feceritis, ipsius mediante intercessione & patrocinio obtinebitis gratiam in præsenti, & gloriam in futuro.

Maria Virgo concepta sine peccato Originali.

DISCVRSVS XXXVII.

Maria Virgo nauis, vtpotè mystica, diuinâ Spiritus Sancti afflante aurâ tempestuosum conceptionis fœliciter sulcans oceanum, salua, libera & incolumis euasit ab omni peccati originalis periculo.

Idque ostenditur ex quatuor causarum generibus ad formationem cœlestis huius nauis concurrentibus.

Num. 1. VARIÆ eæque selectissimæ N. extitant in veteri lege figuræ, per quas pulcherrimè præfigurata fuit beatissima Maria Virgo Mater Incarnati verbi; primò siquidē iuxta sacrorū Scriptorum sententiam præsignificata fuit per lucem à Deo creatam in principio mundi: per Paradisum terrestrem omnipotentis supremi Artificis manu factum: per arborem vitę in medio paradisi terrestris plantatam: per fenestram crystallinam per quam ingrediebatur lux: per Arcam Noë: per candidissimam illam columbam, quæ ore suo attulerat ramum virescentis oliuæ: per rubum, qui ardebat & non consumebatur: per virgam, quâ Moyses tot & tanta patrauit prodigia: per Virgam Aaron, quæ contra omnem naturæ cursum refloruit; per altare sacrificiorum, in quo semper ardebat ignis: per sanctum sanctorum, quod summus Sacerdos intrabat oblatum Deo incensum: per vas mannæ, nulli subiectum corruptioni: per nubem, Hæbræos de die protegentem ab ardentibus Solis radijs: per columnam igneam, quæ de nocte iisdem monstrabat viam: per montem Sinai, in quo Deus tradidit legem Hebræis: per magnificum templū Solomonis, sumptuosissimè extructum: per nubeculam de mari ascendentem, quæ zeloso Prophetæ Eliæ pretiosam desideratamque indicauit pluuiam: per benedictam illam terram, quam in spiritu vidit sanctissimus Propheta Dauid dulcissimum proferentem fructum: per sponsam sacrum in sacris Canticis exprimentem amorem: tandem per portam: per murum: per turrim, per hortum: per puteum & per innume-

ras alias figuras & Symbola, quorum sacra Scriptura plenissima est, significantur singulares virtutes, prærogatiuæ & excellentię gloriosę Virginis. Verùm cur & nos non possemus eam hodie comparare cuidam naui, quæ in tempestuoso mundi huius pelago, tametsi furiosis fuerit agitata procellis & ventis, attamen suaui diuinæ gratiæ aspirante vento, maris fœlicissimè sulcauit vndas & ab omnibus illæsa scopulis & periculis salua tandē attigit portum stupendæ excellentiæ, admirabilium prærogatiuatum & supernæ consolationis. Nauis est B. Virgo, nec mea est comparatio ista, sed Spiritus sancti Prouerb. 31 vers. 14. *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem*, qui est Christus: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi*, Ioann. 6. vers. 51. nauis, quæ agitata in mediterraneo conceptionis suæ, & in vastissimo passionis sanctissimi filij oceano, in illo ne minimùm allisa fuit peccati originalis scopulo; in hoc verò à tempestuosis dolorum vndis nequanquam absorpta & submersa. Considerabimus igitur hanc nauim in mari conceptionis examinantes, quàm fœliciter nauigationis suæ cursum perfecerit, attigeritque diuinæ gratiæ portum.

Num. 4. Ac inprimis N. conceptio nostra mare est adeò tempestuosum & procellosum, vt in eo omnes Adæ posteri patiantur naufragium, omnes quippe concipiuntur in peccato originali: *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*, ad Eph. 2. vers. 3. Illud nil aliud est, quàm priuatio iustitiæ originalis debitæ homini in conceptione eius, si Adam non peccasset. In hoc ergo mari omnes submersi sunt, quotquot ab Adamo per generationē descenderunt, & quamuis Ieremias & Ioannes Baptista in vtero materno fuerint sanctificati, attamen, vti conformiter docet SS. Patrum & Doctorum opinio, primò submersi fuerunt in originali culpa.

Quantum ad Beatissimam Virginem quamquam grauissimi quidam Doctores bono ducti zelo contradixerint immaculatæ eius conceptioni, docentes, eam primitus contraxisse peccatum originale & deinde fuisse sanctificatam, nihilominus tam copiosus est numerus Doctorum omnium religionum sacrarum & ordinum, qui doctissimis suis scriptis hanc immaculatam propugnarunt conceptionem, vt impossibile sit tam breui temporis spatio illos enumerare omnes. Ex florētissimo D. Francisci ordine hanc sequuntur opinionem Aureolus apud Cadreolum, Alexander Alensis, Andreas Vega, Corduba, à Castro, Carthagena, Liranus, Mayronius, Richardus de Mediâ villa & alij quamplurimi. Ex Augustissimâ D. Augustini religione tradunt illam Argentina; Iacobus de Valentia, Paulus Venetus, & alij. Ex doctissimis Carmelitanæ religionis Professoribus docent illam resolutus D. Ioannes de Bachone Anglus, Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, Michaël de Bononia, dictus aliàs Incognitus, Ioannes Baptista Mantuanus, Ioannes Maria Verratus, Franciscus Mastinus Catalanus, & inter modernos doctissimus Magister Corneius, M. Lezana, M. Chrisostomus Marasca Cremonensis, & alij quamplurimi. ex florentissimâ Societate Iesu eam ambabus, vt aiunt, amplexantur manibus Suarez, acutissimus Vasquez, Toletus, Gregorius de Valentia, Alphonsus Salmeron, Pererius, Maldonatus, & innumeri alij. Quòd si igitur hi omnes in fauorem gloriosissimæ Virginis loquantur, neque ego, qui indignus eius existo filius ac cliens, tacebo. Vt verò ordinatè procedam, ex quatuor causis, nimirum materiali, formali, efficiente & finali immaculatam hanc demonstrabo conceptionem; duas priores in præsenti, posteriores duas alias in sequenti discursu examinaturus.

Et quidem quotiescumque Beatā Virginem penitiùs contemplor, toties videre mihi videor nauim illam re & nomine

magnam, nuncupatam uictoriosam, quæ sub primis annis inuictissimi Imperatoris Caroli Quinti mirâ & inauditâ fœlicitate littore soluta occidentali Hispaniæ, vastissimum deinde acta per oceanum, tandem rediẽs per viam Orientis prima omnium totum peragrauit orbem. Et sacratissima & mystica nauis nostra Maria Virgo in primo instanti conceptionis suę discessit ab occidente peccati, vbi omnes degebant ab Adamo descendẽtes, & illicò concepta videtur in oriente diuinæ gratiæ, præseruantis illam à scopulis peccati, vt prima omnium posset peragrare & circumire, si non mundũ, saltem mundi Creatorem: deferendo ipsum ad littus naturæ humanæ: *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem.*

Num.3. Quod attinet ergo ad materiã, ex quâ constructa fuit hæc nauis, dico illã fuisse formatam ex octo ligni speciebus, quę omnes confirmant immaculatam eiusdem conceptionem, audite Spiritum S. Eccles. cap. 24. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion,* v.17 *quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho.* vers. 18. *quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis,* vers. 19. *sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.* vers. 20.

Cedrus fuit Beata Virgo, quia sicut cedrus altitudine superat reliquas omnes arbores; ita Beata Virgo altior est cunctis Angelis & hominibus: *Exaltata est super choros Angelorum,* canit S. M. Ecclesia. Illa directior est cæteris arboribus, hæc directior & sanctior est omnibus creaturis: *Sanctior est vniuersis Seraphinis & cæteris omnibus superis, &c,* ait S. Ephrem orat. de laudibus Virginis. Illà est suauissimi odoris, &, vt volunt aliqui, odore suo fugat & dispellit venenosos serpentes, hæc virtutum suarum beneficio adeò odorifera fuit, vt nulla vnquam culpa ei approximari potuerit: *nulli culpa fuit affinis,* Dixit Germanus Constantinopolitanus de adorat. Zonæ cap.5. Illa est incorruptibilis, hæc nunquam peccati subiecta fuit corruptioni: *purior Solis radijs splendentibus fuit,* inquit S. Ephrem lib. 1. Illa nunquam progenerat cossum, hæc nullum vnquam peccati originalis protulit cossum, qui corrodit animam, quamprimum fuit vnita corpori. Demum quia à cosso non læditur cedrus, ideò antiquitùs quando non erat adhuc in vsu charta, cedri corticibus inscribere solebant; vt Scriptura diutiùs duraret. Ita æternus Pater descripturus conceptum suum, ac manifestaturus eundem hominibus, inscripsit illum incorruptibili cedro Beatissimæ Virginis.

Fuit insuper nauis hæc formata ex Num 4. Cypresso: *Quasi cypressus in monte Sion.* Nam sicut cypressus tantâ viget fortitudine, vt, quamuis à frementibus & impetuosis infestetur ventis, illa nihilominus temerarios eorum deridens conatus non flectatur, nec moueatur, sed firma, stabilis & immota maneat; ad eundem modum, licet in instanti conceptionis furibundi venti peccati originalis ab infernali emissi Æolo sanctissimam Virginis infestauerunt nauim, vt eam flecterent, agitarent & in mari submergerent culpę; ipsa nihilo seciùs tanquam nauis cypressina nihil prorsus quassata & commota fuit, sed repercutiens furiosas vndas illæsa appulit ad portum iustitiæ originalis. Cypressus à radice ad apicem vsque semper est directissima, Beata Virgo á radice, videlicet, à conceptione suâ vsque ad summitatem, puta, assumptionem eiusdem semper erecta stetit, nec vnquam flexa in obliquum culpæ incuruata est. Illa in miram sese erigit altitudinem, & cœlum petere videtur, vnde canit Ouidius:

> *Sydereum gracili spectare cacumine cœlum.*

hæc tametsi corpore in terris demoraretur, continuò tamen animâ conuersabatur:

batur cum Angelis & ipsomet etiam Deo Illa nunquam viridantibus & frondosis spoliatur ramis & folijs, vnde D. Ambrosius sermon 4. in Psalm. 118. *Solam hanc arborem ventus nunquam suo honore despoliat, sola nunquam veteri exuitur amictu.* Hanc nunquam aquilonaris peccati ventus priuauit pulcherrimâ gratiæ originalis veste. Illa tandem veluti funestum mortis Symbolum ab antiquis in sepulchris collocari solebat, iuxta illud Poëtæ:

Funesta est arbor procerum monumenta cypressus.

hæc in conceptione suâ mortifera & damnosa fuit omnibus peccatis, funesta & nociua diabolo & inferno.

Num. 5. Tertiò hæc nauis formata fuit ex palmâ: *quasi palma exaltata sũ in Cades.* Annon hæc materia, ex quâ formata fuit hæc nauis Mariæ, sat dilucidè immaculatam eius commonstrat conceptionem? Primò palma est Symbolum longæuæ fœlicitatis, hinc Iob dicebat: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* cap. 29. vers. 18. & B. Virginis fœlicitatem nunquam præcessit, nunquam interrupit, compleuit nunquam miseria peccati, continuò quippe perseuerauit in gratiâ & amore Dei. Palma est signum victoriæ, vnde folia eius gladiorum præ se ferunt figuras, & sanctissima Virgo Maria tot accincta & præmunita fuit acutissimis gladijs, quot sanctissima exercuit opera, quot eximijs ditata fuit meritis, quibus deuicit diabolum debellauit infernum. *Virescens semper illa manet*, teste D. Ambrosio lib. 1. in Cant. *conseruatione & diuturnitate.* Hæc nunquam amisit virorem gratiæ & sanctitatis. Illa est amicissima Soli, veluti testatur Plinius lib. 17. cap. 44. hæc Soli iustitiæ adeò semper familiaris & amica fuit, vt nunquam peccati fuerit obfuscata tenebris. Etsi amor diuinus, teste Angelico Doctore, producit bonitatem in re amarâ, cùm Beata Virgo semper amauerit Deum, & Deus vice versâ redamauerit Mariam Virginem Matrem suam, ex amore Dei tanta illa redundabat bonitas, vt nequaquam verisimile sit, illam contraxisse vllo modo peccatum originale.

Fuit quoque nauis hæc, si non formata ex rosis, ad minus mirum in modum ijsdem condecorata: *quasi plantatio rosæ in Iericho.* Sic plerumque sacri Ordines B. Virgini specialiter dedicati nuncupant illam rosam, dum cantant: Num. 6.

O Maria flos Virginum,
Velut rosa vel lilium,
Funde preces ad filium,
Pro salute fidelium.

vnde quia rosa est ornamentum Mariæ Virginis; annon N. euidenter demonstrat incorruptam Virginis sanctitatem? rosa, vt ait quidam doctissimus Author: *est ornamentum terræ, plantarum decus, oculus florum, pulchritudo fulgurans, amorem spirans.* Hinc & Anacreon Poëta vocat rosam honorem florum, veris amorem, Deorum voluptatem, florem & odorem spirituum cœlestium, delicias hominũ, & ornamentum gratiarum; ast super omnia rosa est odorifera, nec aliquis fortassis reperitur odor, qui illius odoris suauitati comparari valeat; & sacrosancta Virgo Maria taliter gratiæ sanctitatisque conseruauit odorem, vt semper à se remotissimum habuerit fœtidum & abominabilem odorem originalis immunditiæ. Illa se defendit à spinis quinq; mediantibus folijs in modum coronæ eam cingentibus, hæc ab acutissimis peccati spinis protecta fuit, mediantibus præuisis meritis quinque plagarum Christi.

Quintò hæc nauis formata fuit ex oliua: *quasi oliua speciosa in campis.* Quia ab Num. 7.
oliua nunquam decidunt folia, & de B. Virgine nunquam ceciderunt venustissima gratiæ folia. Illa non compatitur secum alias arbores, vti notat Martinus del Rio 2. part. adag. pag. 121. hæc nunquam secum compassa est peccatum originale,

giuale. Illa est Symbolum pacis, vnde Genes. cap. 8. columba emissa à Noë ex arcâ rediens detulit secum ramum oliuæ quasi pacis signum inter Deum & hominem, hæc mundo attulit pacem, ergo non est prolapsa in originalem culpam. Oleum est proles oliuę, quemadmodum testatur Plutarchus in libello de causis materialibus cap. 12. *asperum nihil admittit*, ait idem. Hæc sanctissimâ dotata animâ nullam admisit asperitatem culpæ, oleum profluit ex oliuâ & vti dixit Plato in theatro, *nec icta quidem sonum reddit.* Hæc nullum edidit sonum gratiæ & sanctitati dissonum. Illa est signum perpetuæ sanctitatis, talis enim est natura huius arboris, vt nec cossus, nec grando, nec horrida tempestas, nec antiquitas possit vllo modo eam deperdere & destruere: vnde sanctissimi illi duo Prophetæ Elias & Eliseus in Apocal. 11. appellati sunt duæ oliuæ. Hæc fuit tam sancta & pura, vt in instanti conceptionis suæ, multò minus alio tempore, sanctissimam eius animam nequiuerit corrodere cossus peccati originalis.

Sextò formata fuit hæc nauis ex Pla-
Num. 8. tano: *quasi Platanus exaltata sum, &c.* Platanus siquidem arbor nobilissima est, gratiosam & amplam faciens vmbram, vnde cecinit Petronius:

Nobilis æstiuas Platanus diffuderat vmbras.

& Cicero 2. de orat. *Platanus ad opacandum locum patulis diffusa ramis.* Adeò fauorabilis mortalibus est vmbra huius arboris, adeò spissati & extensi sunt eius rami, vt in æstate æstuātes solis radij penetrare nequeant ramos illius & folia, & tempore hyemis hospites suos à frigido protegit ventorum rigore, ac propterea in magnâ fuit æstimatione apud antiquos, teste Plinio lib. 12. cap. 1. Qui eandem ob causam sæpissimè illam aspergerunt vino: ecce perpulchram conceptionis B. Virginis figuram: Platanus impedit calorem & rigorem Solis & gloriosa Maria Virgo Solis iustitiæ arcet rigorem à nobis, & patrocinij sui fauore nos defendit & protegit, vnde sancta M. Eccles. *Mala nostra pelle, bona cuncta posce,* Ergo si ipsa nostra est aduocata & mediatrix, sequitur eam fuisse ab omni peccati maculâ immunem. Ostendamus id aliquâ simili consequentiâ, quam adducit Sanctus Paulus ad Hebr. 7. vbi Apostolus probaturus sanctitatem Christi Saluatoris nostri dixit: *semper viuens ad interpellandum pro nobis.* vers. 25. q. d. officium Christi Domini proprium est orare pro nobis, & illius reddens rationem dicit: *talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus Innocens impollutus, segregatus à peccatoribus.* v. 26. ac si diceret, officium Christi est interpellare pro peccatoribus, eisque suo assistere patrocinio, necesse est igitur, ipse sit ab omni peccato liber & immunis. Ad eundem modum argumentari possumus in fauorem Mariæ Virginis: Maria nostram semper agit protrecticem & mediatricem apud Deum, ergo illa ab omni peccati genere exempta sit oportet; alioquin argumentum D. Pauli inefficax esset ad probandam sanctitatem Christi. Fateor quidem non deesse differentiam inter Christum & B. Virginem quoad sanctitatem, quia impeccabilitas conuenit Christo Domino per naturam; at B. Virgini per gratiam. Postremò quamuis Platanus crescat in ripâ fluminis, eius tamen folia non patiuntur aquam. imò si folia aspersa fuerint aquâ, illicò hæc in vnum concurrit globulum, indignam se agnoscens tam nobili hospitio, decidit in terram; ita etiam tametsi beatissima Virgo nata sit iuxta aquas generis humani, originali infecti peccato, nihilominus nec minimā aquę guttulā, videlicet nullam prorsus culpæ maculam admisit & recepit in sanctissimam suam animam.

Septimò formata fuit ex Cinnamomo, Num. 9. & vncta balsamo: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, &c.* O quàm pulchra

pulchra & egregia deducuntur ex hisce similitudinibus argumenta & probationes in fauorem sanctitatis Virginis. Primò itaque in cinnamomo, veluti testatur Plinius libr. 12. cap. 19. celeberrima illa auium vnica Phœnix construit & fabricat nidum suum, & in mystico illo cinnamomo, sacrosanctâ nimirum Mariâ Virgine, vnica illa Phœnix, vnicus scilicet æterni Patris Filius posuit & stabiliuit nidum suum per nouem menses. Quis ergo dicet in hoc pretiosissimo cinnamomo rapacẽ & infernalẽ habitasse vulturem? omninò profectò asserendum est illum nec per vnicum temporis momentum in eo suo vixisse habitaculum. Et si quemadmodum idem refert Plinius ibidem, Vespasianus Imperator auream obtulit coronam plenam cinnamomo Deæ pacis, eamque illius imposuit capiti, quis non videt hanc arborem dedicatam fuisse Deæ pacis gloriosæ, videlicet Virgini? vt propterea magna esset inconuenientia & indecentia, si inter ipsam & Deum aliqua vnquam fuisset dissensio & discordia. Rami cinnamomi, vt idem refert Plinius lib. 1. auelli & abscindi non poterant nisi per manum sacerdotis, prima pars dictorum ramorum offerebatur Dijs, secunda sacerdotibus, tertia dabatur populo. Ita pariter prima pars, nempe conceptio huius cinnamomi Mariæ est dedicata Deo, ergo diabolus nullam istius obtinuit partem. Postremò cinnamomum, vti ex Gregorio Nysseno colligit Martinus del Rio cap. 4. in Cant. sect. 1. talis est naturæ, vt *perimat genita ex aliquâ corruptione*. Et si hoc verum est, quantò efficaciùs Maria Virgo in seipsâ necabit & mactabit corruptionem peccati?

Ast quid dicemus de balsamo, quo hæc nauis vncta fuit? hoc vnicum sufficiat, quod balsamum præseruet à putrefactione; vnde si sacrosancta Virgo balsa-
Num. 9. mum est, non dumtaxat seipsam præseruauit à corruptione peccati, verùm etiã talis est, vt semper satagat præseruare & conseruare alios maximè deuotos suos clientes & famulos. Et ecce materiam, ex quâ formata fuit hæc nauis, & euidenter colligere possumus sanctitatem B. Virginis in instanti conceptionis suæ.

Et ut transeamus ad formam, nauis in Num. 10.
principio & fine angusta est, solùm in medio ampla est & spatiosa, sic Beatissima Virgo angusta fuit in principio & in ventre Matris veluti aliæ puellę occlusa, angusta in tẽplo sicuti puella sequestrata: angusta quoque in fine, in paruo sepulchro per exiguum tempus reposita; ast in medio ampla & spatiosa, imò immensa, quia in vtero suo virginali illum continuit Deum, quem totus nequit comprehendere mundus: *quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Annõ igitur ex hoc, quod beata Virgo tanquã amplissima in medio nauis continuit & portauit immensum & æternum Deum, argumentari euidenter valemus & debemus immaculatam eius conceptionem? ostendamus idipsum exẽplo Patriarchæ Ioseph: rem notatu dignissimam facti obseruant expositores circa ipsum: nimirum eum somniasse adorationem Solis, Lunæ, Stellarum, aliarumque rerum admirandarum, nunquam verò in somno sibi repręsentatũm fuisse furiosum & singulare illud bellum & certamen, ad quod eum prouocauit lasciua illa mulier impudicis suis lenocinijs, neque illũ somniasse carcerem, in quo tanto detentus fuit tempore. Et cur, amabò, somniauit adorationem, quâ honorandus erat à parentibus & fratribus, non verò inhonesta illa lenocinia & mortiferos, quibus eum impudica illa infestauit mulier, assultus? respondent sancti Patres, quòd Deus factum illum Patriarcham destinaverat ad regimen & imperium Ægypti, ac propterea Deus voluit, vt neque inhonesto etiam somnio mens illius deturpata & obtenebrata fuisset. Quòd si igitur Ioseph, quia solùm futurus erat Rector &

Guber-

Gubernator Ægypti, tanta erat necessaria mentis puritas, vt neque etiam inhonestum somnium claram castarum suarum cogitationum lucem obscurare deberit; cur Deus maiorem non egisset curam Beatissimæ Virginis, fecissetque, vt nullo, prorsus peccato deturpari potuisset anima illius; quæ debebat esse Gubernatrix non Ægypti; sed cœli & terræ, imò ipsiusmet Dei, totius vniuersi Monarchæ & Domini?

Nec dicatur mihi, ad hoc sufficere sanctificationem, maior namque fauor & gratia est, quòd Deus à culpâ præseruaret Virginé, quàm quòd permitteret ipsam cadere in culpam, & posteá illam sanctificaret. Subsistamus in similitudine & metaphorâ nauis: quando nauis propitio vento plenisque velis vastissimi maris sulcat vndas, & vigil in turri maritimâ excubias agens aduertit naues non procul abesse hostiles, illicò explodit tormenta bellica, ac ingentem densumque causando fumum, hostem adesse significat in naui illâ demorantibus, eosque admonet, vt sibi caueant, aliò nauim dirigant, euadant periculum & hostem fugiant. Clarum iam est & euidens, nauim hanc maius hoc modo ab illo turris custode recipere beneficium, quàm si is primò permisisset eam deuenire in potestatem hostium, & posteà vi tormentorum bellicorum nauim illâ rursus ab inimici eripuisset potestate, hostemque coëgisset ad restitutionem omnium. Ad eundem planè modum maius excellentiusque fuit beneficium, quod Deus hanc mysticam nauim ab hoste infernali conseruauerit illæsam, quàm quòd mediante peccato originali illam incidere permisisset in potestatem inimici, & deinde mediante eam liberasset sanctificatione.

Num. 11. Sed persistamus in mataphorâ nauis, dicamusque tandem aliquid in commodum vestri N. qui vult nauigare; & itineris ocyus attingere terminum, non pedester, sed nauigio iter conficere debet, citiùs namque metam sibi præstitutam attinget: sic Venetijs profecturo Constantinopolim terrâ, necessarij erunt triginta circiter dies; mari verò quinque sufficient dies, & aliquando minùs; ità etiam, vt æternæ gloriæ attingamus portum, citiùs illuc perueniemus nauigio Mariæ Virginis nos committentes & nauigantes per mare mundi huius, velociter, inquam, auxilium, patrocinium Beatæ Virginis, eiusdemque deuotio nos conducet ad cœlestem paradisi portum.

Euidenter id probabimus ex S. Euang. Matth. 25. postquam aliquæ Virgines obuiam iuissent sponso & sponsæ, subiungit S. Euang. quod nimiùm tardante sponso, omnes illæ Virgines cœperint obdormire: *Moram autem faciente sponso dormitauerunt omnes, & dormierunt. v. 5.* Quæro ego, cur hìc non fiat mentio quoq; tarditatis sponsæ, veluti S. Euang. sponsum tardasse memorat? facilis erit responsio, si recurramus ad mysterium huius parabolæ, etenim, Christus Dominus, qui sub nomine sponsi intelligitur, quia est Iudex, qui ratione officij sui quandoque obligatus est exercere iustitiam, tardat in exhibendâ misericordiâ sæpissimé, & ideò ait S. Euangelista: *Moram autem faciente sponso.* At B. Virgo intellecta sub nomine sponsæ, quia est Mater misericordiæ, festinat semper & adproperat nostri miseratura. Et propterea Cant. 4. vers 5. assimilatur quoque hinnulis capreæ: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ, gemelli,* qui iuxta Hugonem Victorinum sunt velocissimi in cursu, ita gloriosissima Virgo velocissima est, nobis exhibendo misericordiam, imò ipsa aliquo modo velocior est Redemptore nostro tametsi pientissimo; vnde S. Anselmus lib. de excellentia Virginis cap. 6. *velocior est nonnunquam salus memorato nomine eius* (scilicet Mariæ) *quàm inuocato nomine Domini Iesu.* Cuius

ratio est, quia Christo, vti ait, S. Anselmus, tanquam Iudici conuenit etiam punire; ast beatissimæ Virgini, veluti Aduocatæ sola competit misericordia. Ecce igitur, quomodo hæc nauis celerior & velocior sit, quâ deducat ad portum salutis æternæ: *velocior est nonnunquam salus*, & omni aliâ naui, & secundum quid est velocior ipsomet Dei filio. Hinc etiam in hoc virgines illæ valdè imprudentes sese monstratunt; nam si loco eius, quòd recurrebant ad sponsum dicentes: *Domine, Domine aperi nobis*, loc. cit. vers. 11. recursum & refugium suum sumpsissent ad Beat. Virginem, eamque deprecatæ fuissent dicentes: *Domina, Domina aperi nobis*, nullam fortassis passæ fuissent repulsam, etenim Matris misericordia Filij temperasset iustitiam.

Num. 12. Et si probatio hæc ab hisce desumpta nuptijs vobis non arrideat, nuptias accedamus in Canâ Galilææ, quibus præsentes adfuerunt Christus & Mater eius. Vbi obseruo differentiā inter Christum & Mariam Matrem eius, quòd nimirum ad nuptias fuerit vocatus Christus: *Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias*. Ioan 2. vers. 2. Ast non dicit S. Euangelista pientissimam Virginem fuisse vocatam, solùm dicit eam fuisse præsentem: *& erat mater Iesu ibi*. loco cit vers. 1. Verùm, si Beata Virgo quoque fuerit inuitata, vti volunt sacri expositores, simul cum filio, & ex S. Euangelico recensente priùs illius præsentiam quam filij, colligitur ipsam ante Christum accessisse ad nuptias: *& erat Mater Iesu ibi*. Quam ob causam Beat. Virgo priùs illuc accessit quàm Christus Dominus; in quem finem præuenit illa filium suum & discipulos eius? respondet Rupertus Abbas, & dicit: *Optabat enim Dei genitrix conuenientibus fieri janua cœlestis beneficij, ne illorum deuotio, qui se inuitauerāt, fructu carerent*. Ecce quomodo Beat. Virgo ante filium suum petat loca, vbi necessaria est misericordia, ecce quomodo sit velocissima quędā nauis, aquas mundi huius vndique pernauigans, vt nobis succurrat, opem ferat & gratiam. Præuidebat Beat. Virgo futurum vini defectum in hoc conuiuio, ideoque ne transire permitteret hanc occasionem succurendi, priùs accedit, & præuenit filium suum: etenim tametsi spectaret ad filium conuertere aquam in vinum, & hoc stupendo miraculo conuertere plurimos homines, ipsa nihilominus impatiens, expectare non potuit tempus illud, quo tam celebris pietatis & misericordiæ actus exercendus erat, neque aduentum filij præstolari potuit, vnde prima omnium accessit nuptias: *& erat Mater Iesu ibi*. Currat licet Saluator noster instar gigantis: *Exultauit vt gigas ad currendam viam*. Psalm. 18. vers. 7. nonnunquam tamen velocior est hæc nauicula: *velocior est nonnunquam salus, &c.*

Prolixum N. aggressurus iter bonam ciborum prouisionem primitùs sibi procurare solet. Ah valde prolixum & oblongum nimis est iter nostrū è terrâ in cœlum. Cùm igitur ingredimur hanc nauem Mariæ Aduocatæ nostræ, sufficientem nobis pro hoc itinere quæramus prouisionem, bonorum videlicet operum, velum huius nauis sit nostra spes fūdata in patrocinio & auxilio huius Patronæ nostræ, anchora sit viua fides, clauus nos gubernans sit amor Dei, Stella, iuxta quam nos dirigamus, oportet sit vita B. Virginis, charta nauigationis, sit sanctissimarum eius virtutum imitatio, remiges sint opera bona, & nauis Gubernator sit timor Dei, sicque nauigando mediante hac præmunitâ naui, salutis æternæ abs dubio attingemus portum. Num. 13.

Maria Virgo concepta sine peccato Originali.

DISCVRSVS XXXVIII.

Immaculata Beatissimæ Virginis conceptio ostenditur ex alijs duabus causis, efficiente & finali.

Num. 1. NOn communis & ordinaria nauis est B. Virgo Maria, sed præ reliquis omnibus magna, præcelsa & vix mensurabilis, ac propterea quando supremus rerum Architectus Deus fabricauit & exstruit illam, extraordinarias ad eandem præordinauit dispositiones, inusitata adhibuit præparatoria, mira dedit principia; ea enim diuinæ potentiæ consuetudo est, vt mirum & stupendum patraturus aliquod opus; magna & inusitata operari prius incipiat operi tali proportionata. Sic Deus Actor. cap. 9. transformaturus Saulum in Paulum, peccatorem in prædicatorem, persecutorem Ecclesiæ in eiusdem Apostolum, primò eundem præcipitem agit ex equo, occæcat, & intonat auribus eius: *Saule, Saule quid me persequeris?* loc. citat. vers. 14. præcipitat eum de equo, vt eundem sustollat in cœlum, occæcat eum, vt illius illuminet cor & mentem, auribus eius intonat, vt illas voci aperiat Dei; sed cur, ô Domine creaturus Apostolum, terrore & cæcitate illum percutis, & de equo das præcipitem? volo, inquit Deus, parare instrumentum aliquod quod mira in orbe patret prodigia: volo creare insignem quendam vexilliferum per totum terrarum orbem deferentem & expandentem vexillum, quod ad viuum nomen meum repræsentet & exprimat: *vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel.* vers. 15. volo formare sonoram quandam tubam, quæ suo gratissimo prædicationis sono totum repleat orbem, & ideò mirabilē huiusmodi structuram mira etiā præcedat dispositio & principium necesse est. Determinauerat item Deus mittere Apostolos suos per mundum vniuersum, vt sacrum vndique promulgarent Euangelium, effectusque operarentur stupendos, & ecce non minus stupēdum principium, en miram illius dispositionem: *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* Actor 2. vers. 2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* vers. 3. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis,* vers. 4. Sic etiā Deus creare statuerat Ioannem Baptistam aduentus sui præconem & præcursorem, Diuinitatis suæ testem, & Humanitatis suæ baptizatorem; magni profectò & singulares effectus; ast non minus eximia & singularia sunt illorū primordia: nascitur ex patre & matre tum senio, tum sterilitati subiectis, mater eius Elisabeth propetizat, Pater eius Zacharias mutus efficitur, filius adhuc in vtero existens materno præ nimiâ lætitiâ ad aduentū Christi Saluatoris tripudiat & exultat: *exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Luc. vers. 44. & sanctificatur in ventre Matris. Ad eundem modum formare decreuerat permagnam hanc & præcelsam Matrem, tametsi esset simplex Virgo è peccatoribus nata. Effectus & opus planè inauditum & stupore dignissimum

mum; at quænam erunt illius principia? quales ad id parantur dispositiones? ego dico principia non minori digna esse admiratione singulares & extraordinarias esse dispositiones, hoc ipso, quòd hæc sacratissima Virgo & mater concepta sit sine peccato originali. Quia ergo superiori discursu conceptionē B. Mariæ Virginis demonstrauimus ex causâ materiali & formali ad efformationem mysticæ huius nauis concurrentibus, eandem iam pergamus probare ex efficiente & finali.

Num. 2. Et vt exordiar ab efficiente, qui fuit Deus, dico Deum ex certâ quâdam conuenientiâ fuisse obligatum, vt B. Virginem exemerit à tributo peccati originalis; etenim quamuis communes & ordinariæ naues ad portum appellentes sint obligatæ ad solvendum tributum & portorium, naues nihilominùs regiæ solent esse exemptæ, immunes & liberæ ab omni prorsus tributi solutione: cogitatione rem totam percurramus, & reperiemus omnes homines, tametsi ditissimis perfectionum onusti sint mercibus, soluere hoc vectigal, solâ exceptâ Virgine. Prædiuitem thesaurum suæ substantiæ seu esse naturalis sortitus est homo in principio creationis suæ; at homo exigui existens iudicij, peccādo illum subdidit primo peccato. Vitam Deus dedit homini, sed sæpissimè ille infirmitatibus, morbis, alijsque doloribus solvere tenetur tributū, imò vt plurimùm ipsâ id solvit morte. Concedit nonnunquam homini corpus robustum & sanum, at subiectum tributo corruptionis. Summa, nihil possidet homo, de quo non solvit vectigal: sensibus, bonis corporis & animæ gravissima imposita sunt tributa. Sola, sola, Virgo beatissima vtpotè navis regia, quæ Regem cœli & terræ in se suscipere & ad littus naturæ humanæ advehere debebat, non est subiecta vlli modò alicui tributo: illa in conceptione sua habet esse absque tributo peccati originalis, in eodem instanti conceptionis recepit gratiā nunquam illam deperditura; est Mater, sed simul Virgo; est Virgo, sed simul Mater: vitâ gaudet, at sine dolorosæ mortis timore, ex solo namque amore mortua est & ad cœlestem transijt patriam. Regia ergo navis fuit B. Virgo, quæ nunquam exsolvit vectigal peccati originalis.

Verùm si hac navi ipsemet Deus advehendus erat in mundum, cur non deberet esse exempta ab omni peccati portorio & vectigali? heus Domini iurisperiti, dicit lex: quod *Augusta gaudet priuilegio Principis*, & in lege Princeps ff. de legibus sic habetur: *Imperator eadem priuilegia tribuit Augustæ, quæ & ipse habet*, vbi dicit Glossa, quod *ad vectigalia Imperatrices non tenentur*. Ergo neque cœli terræque Imperatrix obligata fuit ad vectigal peccati originalis. Ideoq; si Deus est impeccabilis per naturam, sanctissimam suam Matrem impeccabilē ad minus per gratiam facere debebat. Num. 3.

Adhæc gloriosam Virginem eligere Deus statuerat in Matrem suam, impeccabilem, igitur per gratiam eandem ad minus facere debebat. Demonstremus id ipsum ex legibus, in lege sacris capite de proximis lib. 12. dicit lex, quod *Mater gaudet priuilegio filij* Si ergo Deus voluit B. Virginem creare in Matrem suam, cur non debebat ipsi eadem concedere priuilegia, quibus ipsius gaudet filius? Christus Dominus est impeccabilis per naturam, ergo B. Virgo debebat esse impeccabilis per gratiam.

Hisce addendum N. in lege si quis à liberis part. 55. &c. hæc habentur: *iniquissimum est patrē vel matrem egere, cuius filius sit in facultatibus*. Christus est filius Beatissimæ Virginis, gratiarum & donorum supernaturalium ditissimus: *vidimus eum plenum gratiæ & veritatis* Ioan. cap. 1. vers. 14. Ergone charissimam Matrem suam deserere debebat in egestate peccati? Audite D. Augustinum in sermon. ad eremitas: *in cœlo talis Pater, qualis filius; in terrâ, qualis filius, talis mater*. Filius

lius est impeccabilis, impeccabilis igitur est & Mater.

Num. 4. Sed descendamus ad Philosophiam naturalem. Sciebat peroptimè Deus, quòd, vt ait Philosophus, locus est æqualis locato: Deus incarnatione suâ elegerat ac determinauerat Sacrosanctam hanc Virginem in verum suum locum, & iucundissimum hospitiū: ergo infinitâ suâ potentiâ efficere debebat, vt Virgo esset illi æqualis, si non in attributis diuinis (hæc namque æqualitas impossibilis est (saltem in hoc, vt esset libera & pura ab omni peccati immunditiâ.

Num. 5. De Philosophiâ naturali transeamus ad moralem sanctè nos docentem: honorandos esse parentes. Vbi dicit Aristoteles 2. Ethic. *Mon minus stultum aut supernacaneum est de honore parentibus tribuendo, quàm de candore niuis disputare.* Et Marcus Tullius Cicero orat. pro Milone legem honorandi patrem & matrem solitâ suâ eloquentiâ appellat, *legem natam, quam non didicimus aut legimus, verùm ex ipsâ naturâ accepimus, hausimus & expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Imò ipsemet Deus Exod. cap. 20. vers. 12. eam nobis inculcat & præcipit hisce clarissimis verbis: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Si igitur Deus formando B. Virginem & destinando eam in Matrem suam permisisset illam in instanti conceptionis prolabi in peccatum originale, diabolus fortassis factus insolĕtior insultare & improperare potuisset filio dicendo: ne glorieris, ô Christe, Virginem Mariam fuisse Matrem tuam; etenim mea primitus extitit ancilla & mancipium per peccatum, illa tibi subministrauit carnem, mihi primò soluit tributum peccati originalis à toto humano genere ordinariè soluendum; illa, quam tu ob honorem tuum mūdasti & sanctificasti, à me prius defœdata fuit turpissimâ peccati maculâ.

Num. 6. Verùm relinquamus hunc blateronem, progrediamur ad medicinam, in quâ expertissimus Galenus Comm. 16. docet & dicit: *Vt pristinum temperamentum corporis euocetur & restituatur, etiam applicanda est medicina, quæ illi omninò similis sit.* Iam igitur primum temperamētum hominis erat temperamentum gratiæ, quia Adam creatus fuit in gratiâ, ergo Beata Virgo, quæ simul cum filio debebat esse medicina ad recuperandum gratiæ temperamentum ab Adamo deperditum, huic temperamento debebat esse planè similis, ergo concepta fuit in gratiâ, & sine vllâ peccati maculâ.

Et quamuis immaculatam hanc conceptionem suaserimus ex legibus; cur Num. 7. non possemus easdem repetere? Balbus cap. final. de translat. Episcop. ait, *quòd spiritus legitimatus, vel aliquâ aliâ ratione nobilitatus, similis est ægro curato à vulnere, cuius semper aliqua remanet cicatrix.* Et Martianus Imperator dicit: *in libertis semper manet nota apud ingenuos.* Ad eundem modum in peccatoribus, tametsi deleatur & expugnatur culpa, remanet nihilominùs inhonestatis & infamiæ nota, quòd nimirum semel fuerint culpabiles, quemadmodum appositè dixit Nahum Propheta capite primo, versu tertio: *Dominus patiens & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem.* Cur ergo Deus permisisset B. Virginem sauciari & vulnerari à peccato originali, cùm semper remansisset cicatrix & nota peccati in eâ, quòd nempe fuisset semel mancipium peccati & dæmonis.

Sed adducamus quoque aliquid ex Num. 8. Historijs. Cùm celeberrimus pictor Zeuxis domum, in quâ artificiosissimæ illius asseruabantur picturæ, igne cerneret conflagrantem, exclamauit: *Seruate mihi Adonidem,* pretiosissimam omnium à me æstimatam picturam. Ad eundem modum Deus ter Opt. Maxim. cùm videret hominum picturas successiuè deuorari & absumi à voracibus originalis peccati flammis, ab æterno ordinauit, vt præseruaretur Maria Virgo nobilissima

omnium

omnium picturarum: *Seruate mihi Mariam* ab hisce flammis. Ignis ille extinguatur aquis purpureis mei pretiosi sanguinis, passio mea præuisa deleat æstum illum, qui adurere posset tam sanctam, tam puram animam: *Seruate mihi Mariam.*

Et in hoc non dissimilis fuit Deus Alexandro Magno, qui nullâ ratione voluit solemne templum Dianæ Ephesinę inter septem mundi miracula enumeratum demoliri, quia consecratum erat Deæ puritatis. Ita Deus nequaquam sacrum & mysticum templum Virginis, nostram, inquam, vt ita loquar, puritatis Deam voluit ab originali destrui peccato. Et si Pompeius Atticus, vti refert Valerius Maximus *de pietate erga parentes*, quâdam vice gloriatus fuit, nunquam se reconciliatum fuisse matri suæ: *Nunquam cum matre meâ in gratiam redij.* volens inferre, quod nunquam exercuisset lites aut discordias cum matre suâ, Cur non maiori cum ratione dicere poterit Deus Incarnatus: *nunquam cum matre meâ in gratiam redij.* Inter me & Matrem meam nec minima vnquam intercessit discordia, quæ ab originali solum causari poterat peccato. Nunquam Veteres, teste Plinio lib. 14. natural. Histor. cap. 19. suis falsis Dijs offerebant viuum, quod è vitæ fulmine tacto prodierat, ergo neque etiam B. Virgo, de quâ legitur in Ecclesiastico c. 14. versi. 23. *Ego quasi vitis fructificaui, &c.* quæ æterno Patri vinum pretiosi sanguinis filij sui offerre debebat, fulmine peccati originalis debuit percuti & deflagari.

Num. 7.

Num. 8.

Num. 9. Et si ad sacram Scripturam facere velimus transitum, reperiemus Deum in principio mundi separasse lucem à tenebris: eodem modo in reuocatione mundi conueniens ac decens erat, in Mariâ Virgine separaret lucem gratiæ ab obscurissimis peccati tenebris. Brachium Patriarchæ Abrahami sustinuit & retardauit Deus, ne filium suum Isaac feriret gladio, ita & detinuit diabolum, modumque adinuenit, ne Beatissima Virgo gladio transuerberaretur peccati originalis. Tertiò, corpus gloriosæ Virginis remansit incorruptibile, neutiquam enim conueniens erat, dicit Sanctus Augustinus, vt caro sanctissimæ Virginis, quæ eadem erat cum carne filij, corroderetur à vermibus, igitur neque Deus etiam permisit, vt anima B. Virginis, quæ vnitissima fuit animæ filij fuerit arrosa à verme peccati originalis. Quartò, illæsa & omnino intacta à voracibus flammis seruauit Deus, non solùm corpora, sed etiam vestes trium illorum adolescentum proiectorum in ardentem fornacem Babyloniæ. Vnde Diu. Augustinus lib. de assumpt. Beat. Virginis tom. nono. *Non solùm Deus puerorum corpora seruauit inusta, sed etiam vestimenta. Cur abnuat in Matre, quod elegit in veste alienâ?*

Ostendamus idem etiam ex Theologiâ Scholasticâ. Celebrem igitur sequens opinionem Scoti dico, sanctissimam Virginem fuisse prædestinatam ante peccatum originale absolutè præuisum, & hic suppono cum totâ Scotistarum Scholâ, Christum Dominum vt hominem prædestinatum fuisse ante quodcumque peccatum absolutè præuisum, quæ sententia efficacissimis rationibus demonstrata fuit à Scoto, Suarez tom. prim. in tert. Part. Disputa. prim. Sect. secund. & ab alijs Doctoribus, quâ positâ opinione sequitur & Beatissimam Virginem prædestinatam fuisse in eodem signo rationis, aut in alio immediatè sequenti, in quo Christus Dominus prædestinatus fuit. Vbi sanctus Bernardinus Senensis de B. loquens Virgine dicit ei: *tu ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem prouocares.* Et ex hac prædestinatione quid sequitur N. ? nisi quod B. Virgo nullo modo fuerit particeps peccati originalis, quia si instanti illo, in quo fuit Num. 10.

prædestinata B. Virgo, non fuit adhuc peccatum præuisum, quomodo ipsa potuit esse particeps illius? quã ratione affirmari potest, quod ipsa id commiserit? quomodo dici potest, ipsam in illo peccato fuisse simul comprehensam, quod Adam transtulit in posteros? Et vt huius rei magis clarescat veritas, S. M. Ecclesia applicat beat. Virgini verba illa Prouerb. 8, vers. 24. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* q. d. nondum in mente Dei erant præuisa peccata, quando ego prædestinata fui. Adhæc creauit Deus Angelos & protoparentes nostros ornatos gratiâ & in statu innocentiæ, & non creasset B. Virginem ornatam & condecoratam gratiâ sanctificante? sed supposita etiam opinione contrariâ, prædestinationem Christi vt hominis, & B. Virginis fuisse post præuisionem peccati originalis, annõ poterat Deus in eodem instanti conceptionis animæ B. Virginis infundere gratiam sanctificantem & hoc modo eandem præseruare à peccato? Certissimum est, nullam in hoc esse implicantiam, ergo Deus id facere potuit, ergo; subiungo ego, id fecit, ne B. Virgo, vtpotè creaturarum omnium perfectissima in instanti formationis suæ ipsis inferior esset Angelis & Adamo, qui fuerunt creati in gratiâ.

Num. 11. Sed iam tempus est, vt ex causa finali paucis demonstremus verbis hanc eandem immaculatã conceptionem Mariæ Virginis, quæ fuit à Deo creata & electa in Matrem sanctissimi sui filij, vt ipsa principium daret destructioni peccati, Reuertamur ad metaphoram nauis, Nonnunquam construuntur & parantur naues, vt capiantur & puniantur piratæ, tales fuêre naues, quibus vsus est magnus ille Pompeius in bello cõtra piratas, Reipublicæ Romanæ hostes & inimicos. Non secus B. Virgo formata & creata fuit in pœnam Luciferi, qui adeò tumidus & arrogans vndique debacchabatur in omnes homines, vt quemlibet quam primum natum mancipiorum suorum asscripserit numero. Cùm igitur nauis hæc formata fuerit in pœnam Luciferi, cur non ab omni peccato eximenda erat? Verùm clariùs nos explicemus: Sanctissima Virgo aliquo modo, ad minus indirectè & remotè (vt more Scholasticorum loquar) cooperata fuit redemptioni generis humani & liberationis eius à iugo peccati, etenim tametsi non me lateat Christum solùm fuisse Redemptorem mundi, iuxta illud dictum Prophetæ Isaiæ cap. 63. vers. 3. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Cum hoc nihilominus stat, quòd sacratissima Virgo indirectè & remotè cooperata fuerit redemptioni nostræ. Ita asserit D. Augustinus sermon. 55. de sanctis dicens: *Maria primæ matris damna resoluit. Hæc homini perdito redemptionem adduxit; mater generis humani pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem intulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria; Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit.* Sic pariter loquitur D. Ambrosius Episto. 41. ad Sabinum, vbi discurrẽs de Maria Virgine ait: *Operata est salutem, & concepit redemptorem vniuersorum.* Ita quoq; disserit Card. Petrus Damianus sermon. de Annunciat. *Per ipsam, cum ipsâ, & in ipsâ totum hominem esse restauratum decernitur, vt sicut sine ipso nihil factum est, ita sine ipsâ nihil refectum sit.* Ad eundem ferè modum discurrit S. Bernardus sermon. 94. *Per te, ô Virgo sancta cœlum repletum est infernus, euacuatus, & ruina cœlestis Ierusalem instaurata.* Demum Innocentius tertius sermon. de assumpt. in hæc prorumpit verba: *quidquid damnauit Eua, saluauit Maria.* Posita igitur hac veritate, quod Deus creauerit B. Virginem, vt mundi esset indirectè ad minus reparatrix & destructrix peccati, quomodo affirmari poterit, illam fuisse defœdatam culpâ originali, ac peccati extitisse mancipium? Ergo Redemptor mancipiorum erit mancipium? ergo Sol,

qui

qui fugat & dispellit tenebras, erit tenebrosus? ergo Mater gratiæ erit figura peccati? ergo quæ alijs attulit salutem, subiacebit ruinæ & miseriæ? ergo quæ alijs vera est causa pacis & trāquillitatis, crudelissimum patietur bellum?

Num. 12. Concludamus cum D. Augustino lib. 1. de naturâ & grat. cap. 36. dicente: *Cùm de peccato agimus, nullam de Mariâ Virgine Matre habere volo quæstionem propter honorem Domini.* Et ego N. pauca hæc verba inuertam & dicam modo contrario, cùm de Mariâ virgine & Matre Dei agimus, nolo fieri mentionē alicuius peccati. volo dicere: deuotos Marię Virginis cliētes debere fugere & euitare peccata, illi namque veri censentur esse filij B. Virginis & Matris Dei: & tanquam cohæredes eius erunt per infinita sæcula sæculorum.

Maria Virgo concepta sine peccato Originali.

DISCVRSVS XXXIX.

Eadem immaculata B. Virginis conceptio declaratur ex Sacræ Sripturæ locis, & roboratur SS. Patrum testimonijs.

Num. 1. VIdemus nonnunquam viatorem summo diluculo itineri sese accingentem, qui toto matutino tempore per vmbrosas valles, per amœna prata frondosasque syluas iter peragit, cùm verò instante meridie ardentioribus planetarum oculus scintillat flammis, viridanti viator ille incumbit herbæ sub vicinis, quas reperit, rosarum plantis, quò sese a nimio tueatur caloris æstu. Quiescens hoc in amœno rosceto iter folia rosas diuersas obseruat, alijsque omnibus languescētibus pauidorum instar militum igneis cœlestis sagittarij ictibus resistere non valentium, capita terram versus demittētibus, præ timore pallescētibus, & ex delapsis in terram folijs animum abiectum demonstrantibus, vnam solam conspicit adhuc impauidam, floridam, pomposam, vires viroremque suum conseruantem, & quantos Sol radios ad ipsam è trunco præcipitandam emittit, tantis veluti sagittis ad eundem repercutiendum vtitur spinis, vnde viatori materiā suggerit dicendi: num possibile est, quòd ex tantâ rosarum copiâ cæteris omnibus languescētibus humi prostratis, vna sola triumphans victoris reportat palmam? causam huius rei quoque scire cupiens, radices omnium perlustrat, reperitque reliquas omnes flaccescentes, aridas & exsiccatas ideò, quia sicco in fundo plantatæ sunt; hanc verò vnicam à prædiuite flumine alluente continuò foueri conspicit & refocillari, eò quòd mutuis hæc duo sese adiuuent obsequijs & officijs; flumē læto suo limpidarum aquarum murmure salutat rosam, hæc pretioso suo odore ei vicissim voce quasi gratulabunda applaudens fluuiū hoc seruitia præstita laudat & deprædicat; Flumen, ob aquarum suarum limpidarum rosæ sese exhibet veluti speculum, in quo suum contēplετur decorem; Rosa foliorum suorum vmbrâ fluminis se vice versâ constituit protectricem.

Idem meo iudicio contingit. Serentissimæ nostræ sanctæque Matri Ecclesiæ: rosetum sunt animæ nostræ, flumen reale & verum est diuina gratia. Ah! verè in Num. 2.

amœnissimo terrestris paradisi horto hoc fidelium animarum rosetum lumbis primorum parentum nostrorum Adami & Euæ arido veluti fundo insitum erat, summo æstui & calori diabolicarum tentationum expositum: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Gen. cap. 3. vers. 1. Enimuero tanquam rosæ omnes incuruantes capita in terram delapsæ sunt: *Omnes enim peccauerunt* ad Roman. 3. vers. 23. *In Adam omnes moriuntur.* 1. Cor. 15. vers. 22. Sed ecce vnicam solamque rosam, eamque pulchram, formosam, ac rubicundam, videlicet, Virginem Mariam: *quasi plantatio rosæ in Iericho.* Eccles. 24. vers. 18. quæ gratiæ diuinæ irrigata aquis pulchra purpureaque omnium patet aspectui. Vnde D. Hieronymus Epist. 8. hæc confirmans exclamat: *Flos de spinâ, spina carens.* Rationem eius scire desideras; intuere, examina radices, ait sanctus Ambrosius ser. in Psalm. 118. ipsas semper aquâ diuinæ gratiæ irrigatas conspicies: *Suscipe me non ex Euâ natum, sed ex Mariâ, vt incorrupta sit Virgo, Virgo per gratiam integra ab omni labe peccati.* Radices, inquit D. Anselmus de concept. B. Virginis c. 28. totali diuinæ gratiæ torrente fœcundatas videbis: *decuit Virginem eâ puritate nitere, quâ maior sub Deo nequit intelligi:* Radices, ait D. Ioannes Damascenus Orat. 2, reperies quæ continuò largo gratiæ diuinæ flumine humectatæ fuerunt: *Animam meam tibi charam accepi, quam à peccati labe puram seruasti.* Radices, inquit Sanctus Hieronymus supra Psalm. 77. cernes rorantibus paradisi nubibus semper obumbratas: *Benedixit diei, nam nubes illa nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* Radices, inquit Sanctus Laurentius Iustinianus, inuenies, quæ germinando pulchrum illum florem, Saluatorem mundi, semper fuerunt sanctæ, semper puræ: *ab originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ nobis generauit Saluatorem mundi.*

Possem infinitos Patres in medium adducere omnes puritatis magnæ huius Dominæ defensores.

Sed ostendamus eam primò ex Sacræ Scripturæ locis, & primò inseruiet nobis Spiritus sanctus in sacris canticis, qui postquam suo obumbrasset penicillo supernum decorem ac venustatem Mariæ Virginis, eamque varijs eloquentiæ depinxisset coloribus, tandem in hæc prorupit verba: *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cantic. 1. v. 10. ac si dixisset, tota pulchra es, ô Virgo gloriosa, & supra omnes pulcherrima, aureum tibi conficiam monile argento vermiculatum, quod ad formam murænæ collo tuo appenam: *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento,* Obseruat hic Sanctus Cyrillus Alexan. quòd antiquitus monilia & collaria mulierum conficiebantur in formam tortuosi serpentis, qui caudam ori componens, circumdabat ornabatque mulierum colla: *In serpentis formam erant monilia.* Posita hac veritate, inuito vos N. ad primam difficultatem, quid sibi hoc vult, quod Spiritus sanctus fabricaturus Mariæ Virgini monile, non formarit illud ad modum ordinarium serpentis, sed ad modernam murænæ formam? quo fine ab vsu ordinario transit ad nouum? *Latet mysterium hic*, inquit Origines, vt nimirum nobis demonstret sanctissimam & immaculatam Mariæ Virginis conceptionem; etenim legite Sanct. Basilium homilia 7. in Hexam. & murænam serpentis filiam esse comperietis, idque tali fieri modo: cùm serpens mari appropinquat procreaturus murænam, venenum, quod in se continet prius euomit, & deinde coniungitur pisci, *venenum eiaculanti bestiæ vnitur,* vnde fit murænam, tametsi filiam serpentis, omnis veneni expertem esse. Iam igitur volebat dicere Spiritus sanctus, ornentur, ô Maria Virgo, aliæ mulieres monilibus in modum serpentis efformatis; talia enim

enim ijs, vtpotè in peccati originalis veneno conceptis, conueniunt, at te, quæ absque culpæ originalis concepta es veneno, non serpentis, sed murænæ circum-dabunt monilia, his & non alijs te exornabo. Sicque quamuis Beata Virgo serpentis illius Adami sit filia, non per hoc vllius fuit particeps veneni ipsum corrumpentis. Ecce egregio hoc ipsum confirmat testimonio Sanctus Ioannes Damascenus oratione de Natiuitate Virginis: *O beatos Ioachim lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen effluxit, ô præclaram Annæ vuluam, in quâ tacitis incrementis ex ea auctus atque formatus fuit fœtus sanctissimus.*

Num. 4. Immaculatam hanc Beatissimæ Virginis conceptionem mundo quoque patefacere voluit Propheta Isaias cùm asserit Mariam Virginem instar Virgæ radicatæ & fundatæ in terrâ Iesse, cuius radix ex stirpe Dauidica traxit originem, mundo prognatam fuisse, dicens cap. 11. vers. 1. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Subintrat hic Sanctus Petrus Damianus, & ponderans huius Prophetæ loquendi modum inquit. Eccur Propheta Mariam Virginem nuncupat Virgam? *egredietur Virga de radice Iesse*, & non nominat arborem? Cur non ait: *egredietur arbor?* Tuâ, ô Isaia, dixero veniâ, *arbor* & non *Virga* dicendum erat. Nam primò arbor maiorem ipsâ Virgâ prę se fert magnificentiam & splendorem, & Maria Virgo adeò sublimis & excellens est, vt ipsimet Christo Domino, certo quodã modo attulerit magnificentiam: *Magnificat anima mea Dominum*, dixit eademmet Virgo Lucæ 1. vers. 47. Insuper arbor producit flores, fructus & vmbram, non autem Virga, & Maria Virgo produxit flores ita Christo attestante Cant. 2. v. 1. *Ego flos campi.* insuper & fructus: *Flores mei fructus honoris & honestatis.* Eccl. 24. v. 23. & vmbram: *sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* Cantic. 2. vers. 3. Cur ergo non vocat Virgam: *egreditur Virga?* vt hinc Mariam Virginem absque originali peccato conceptam perspiciatis; produxit Maria & flores, & fructus & vmbrã, & nihilominus Virga appellatur, & non arbor; etenim perlecturi Aristotelem, cæterosque naturæ indagatores, & præcipuè Plinium, in omnibus arboribus aliquem saltẽ deprehendetis defectũ, aut sunt enim tortuosæ, aut nodosæ, vbi Virgam erectam omnibusque nodis carentem videbitis. Iam verò iuxta Scripturam sacram nodositas ac tortuositas idẽ est ac iniquitas seu peccatum, asserẽte id serenissimo rege Dauide Psalm. 56. vers. 7. *Incuruauerunt animam meam.* Quare volebat dicere Isaias: vniuerso innotescat pateatque mundo puritas & innocentia Mariæ Virginis, quam Virgam & non arborem appello, eò quòd nullius vnquam culpæ siue originalis, siue mortalis, siue venialis tortuositate aut nodositate affecta fuerit. Audite hac superre S. Petrum Damianum: *Bene hæc incomparabilis Virgo Virga dicitur, quare? quia per intentionem desiderij semper ad suprema eminuit, neque per cæcitatem peccati distorta nodositatis vitium aliquando incurrit.* Iure meritò igitur de te ô Maria Virgo S. canit Ecclesia: *in conceptione tua Virgo immaculata fuisti.*

Verum sepositis hisce progredimur ad altiores speculationes. Ex duobus locis Sacræ Scripturæ clarius hucusque dicta patebunt Matth. cap. 1, Vt Deus ter Optimus Maximus in natiuitate pueruli Iesu maiorem adderet animum bono isti seni Iosepho, transmisit ei Angelum Gabrielem, certiorem reddendo eum, quod filij Dei curam acturus, illiq; nomen Iesu impositurus esset, *Et vocabis nomẽ eius Iesum.* loc. citat. vers. 21. Insuper adiecit eidem expositionem & interpretationem huius nominis Iesu, quod scilicet aliud non denotaret nisi Saluatorem, eò quòd ipse liberaturus esset animas nostras à peccatis, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, loco citat; Totum huic Num. 5

huic capiti oppositum legitur in Euang. Lucæ, vbi idem Angelus accedens Mariam Virginem, dixit ei, hunc filium suum appellandum fore Iesum; verùm, quid significaret hoc nomen, non exposuit, nec interpretatus est; sed dixit: *& vocabis nomen eius Iesum*, Lucæ. 1. vers. 31. Heus, ô Patres Theologi, enodate hoc dubium, quid est, quòd Angelus Gabriel tam S. Iosepho quàm Mariæ Virgini Christi natiuitatem annuncians, &, quo nomine is insigniendus esset, significans: *& vocabis nomen eius Iesum*. Sacratissimi eiusdem nominis Iesu interpretationem celauerit Mariam Virginē; aperuerit verò eandem S. Josepho, dicens: *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum?* An fortè expositione huius Sacratissimi nominis non erat digna quemadmodum S. Ioseph? num fortè hic meritis præcellebat gloriosam eius sponsam? minimè gentium. Et cur igitur? non aliâ de causâ, nisi vt Mariam Virginem absque vlla peccati originalis maculâ conceptam fuisse intelligas. Pro cuius intelligentiâ obserua, Angelum Gabrielem in hisce duabus legationibus aliud non prætendisse, nisi vt vtrique mera denunciaret gaudia. Et quia Ioseph conceptus erat in peccatis, quo maius haud sensit tormentum & martyrium; ideò pro solatio eidem intimauit peccatorum solutionem: *Et saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, sciens Iosephum maiorem hac non posse captare consolationem. At inuisens Mariam Virginem, quam omni tam originali quàm mortali culpâ liberam optimè nouerat, nullam prorsus fecit mentionem solutionis alicuius culpæ; sed solùm dixit: *& vocabis nomen eius Iesum*. En venerab. P. Nouarium totum hoc egregiâ suâ contestantem authoritate; in Vmb. Virg. Chart. 93. *Potuit Angelus cum S. Ioseph loquens peccati mentionem inserere. Quare? Quia non constat eum ab originalis peccati debito immunem fuisse sicut fuit Maria.* Ergo Angeli Dei, meritò à nobis mortalibus hic in terris deprædicanda est immaculata beatissimæ Virginis conceptio, quā vos omnes vltrò confitētes laudatis & celebratis in cœlis.

Aliud huius rei documentum & testimonium dabit Serenissimus Rex David Psalm 45. vbi is loquens de aduentu filij Dei in castissimum Mariæ Virginis gremium, pulchra hæc edicit verba: *Deus in medio eius non commouebitur*, loco citato versic. 6. quasi dicat: scitote, ô mortales quòd Deus, cùm in Virginali vtero humanam induit naturam, nullo prorsus modo commouebitur, sed immobilis & firmus persistet: *Deus in medio eius non commouebitur*. Profectò N. nisi frænarer serenissimi Regis Dauidis reuerentiâ, modum huncloquendi fatuum & stolidum pronunciarem, ecqui enim Deus in incarnatione suâ firmus stabit & stabilis? quomodo non commouebitur? *Deus in medio eius non commouebitur*. Annon ille idem est, de quo canit S. Mater Ecclesia: *descendit de cœlis, & incarnatus est*? de quo Sapiens ait: *cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Sap. 8. vers. 20. Si ergo de cœlis descendit in terram, venitque in gremium Mariæ Virginis, quo modo non se mouebit? mirari desine; ex hoc namque Mariam Virginem nullâ prorsus culpâ, nec veniali, nec mortali, nec originali coinquinatam fuisse, colligendum est. Verum est, Deum in incarnatione suâ è cœlis descendisse in terram, nullo tamen facto motu, vti ille accipitur à Propheta regio; quoties namque in sacro Textu Deum ter Optim. Maxim. commotum legitis, id non nisi ob peccatum aliquod reperietis factum esse: Vnde vix peccauerat primus parens noster Adam, & Deus se mouit: *cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem*. Genes. cap. 3. versic. 8. nō quod Deus realiter moueatur, cùm enim is sit in omni loco, propriè moueri nequit; sed quia Adam peccando ab eius secessit gratiâ

Num. 6.

Sicque

Sicque in Sacrâ Scripturâ idem est dicere: Deus movetur aut secedit à tali, ac dicere, Talis est in peccato constitutus. Volebat igitur dicere David, ex hoc Mariam Virginem absque vllo modo con-
Num. 6. ceptam vel maximè colligendum est, eò quòd Deus, licet descenderit de cœlis in sanctissimum Mariæ Virginis vterum, non tamen propterea commotus fuit: *Deus id medio eius non commovebitur.* Audite S. Ambrosium in hunc locum, qui divino suo huic conceptui adstipulatur testimonio: *His igitur fluminis superni meatibus civitas illa, in qua Deus inhabitat, irrigatur & sanctificatur altissimi tabernaculum.* Et post pauca: *Bonum tabernaculum quod nulla potuerunt obumbrare peccata.* Subdit deinde, *nec mirum quando Deus in medio civitatis eius erat, nec commotus est: sive quia nullius peccati prolapsione commotus est Dei filius, nec alicuius erroris offensione titubavit, aut corporalis illecebra nutavit impulsu: sive quia non reliquit animam eius Dei gratia, sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluvione delicti immaculata duraverit. Vnde & ad Patrem Dei Filius dixit: nec derelinques animam meam in inferno. Ergo quia suberat ei nec in carne peccare divinè ait: Ego in patre & pater in me est ait alibi, traditus sum & non egrediebar; ab eo vtique non egrediebatur, cui dixit posteà: exsurrexi & adhuc sum tecum. Vbi autem aliquis gravius peccat, commovetur in eo Deus, vt ab eo transeat. Vnde & Adæ peccanti deambulare visus est, & Stephano stare, quia ille in prævaricatione lapsus est, hic in martyrio coronatus.*

Num. 7. Progrediamur vlterius N. adeò verum est, Mariam Virginem absque peccato originali conceptam fuisse, vt, qui negat immaculatam huius Conceptionem, Christi quoque neget, necesse sit; aut si Christum sine peccato conceptum affirmare velitis, idem quoque de Mariâ asserere oportet. Propheta Isaias loquens de adventu Christi Salvatoris dixit, eundem vix natum mundo, butyro & melle nutriendum esse: *butyrum & mel comedet* Isaiæ 7. vers. 15. meo calculo potiùs dicendum fuisset: *butyrum & caseum comedet.* Nam à pecoribus provenit butyrum & caseus, non verò mel. Et ego à nullis pecoribus nisi ab apibus mel produci conspexi, adeoque melius dixisset: *butyrum & caseum,* & non *mel comedet.* Ah pulchrè sanè dixit, vt hinc scilicet cognoscatis veritati planè consonũ esse, conceptionem absque peccato, de Christo & de Maria Virgine, eodem proportionali tamen modo verificari: siquidem hoc inter butyrum & caseum intercedit discrimen, quod butyrum formetur de puro lacte sine vllâ prorsus alterius rei commixione, & caseus non nisi cum coaguli commixtione. Nunc igitur, quia butyrum, teste Sancto Bernardo, figurabat naturam humanam in statu innocentiæ, & caseus designabat naturam per peccati coagulum depravatam, idcircò vt humanitatẽ Christi sine peccato conceptam perspiceremus, dixit: *butyrum & mel comedet,* & non *caseum comedet.*

At vultisne videre eandem militare rationem in Beatissimâ Virgine, verba illa venerabilis Bedæ suprà Apostol. Paulum lib. 4. cap. 49 diligenter notate: *Conceptus ex Virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed maternâ traxit ex carne.* quasi diceret: scitote ô mortales, humanitatem hanc Christi, ex purissimo Mariæ Virginis sanguine genitam fuisse, ergo si Maria fuisset concepta in peccato, nunquam Christus talem sine peccati maculâ potuisset habere humanitatem; quia lac illud sacratissimæ Virginis, vtpotè sordibus peccati inquinatum, coinquinasset quoque Christi humanitatem, attestante ita Medicorum hoc axiomate: *Filij matrizant;* cùm easdem à matribus, à quibus lac exsugunt, participant qualitates. Audite S. Bernardum: *duo sunt in lacte ovis, butyrum & caseus, butyrum*

comedet, caseum verò non. Quare? quia carnem absque coagulo culpæ originalis ex matris aluo traxerat Pulchra sanè est hæc probatio puritatis & immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis.

Num. 8. Sed quid diceretis, si probarem nullum vnquam extitisse instans, in quo Maria non fuerit irrigata aquis diuinæ gratiæ, ita vt quamprimum principiauit suum esse, ipsa quoque comitem sortita fuerit divinam gratiam, nec instans dari possit, in quo fuerit sine divinâ gratiâ, & in quo instanti inceperit esse, in eodem fuerit gratiâ & amore ditata divino. Duo id ostendent Sacræ Scripturæ loca, primâ fronte contraria. Apoc. cap. 7. Deus ter Opt. Max. cunctis manifestaturus, quinam essent veri & reales eius servi & famuli, dixit tales nimirum in fronte sigillo divinæ gratiæ esse obsignatos. *Quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* loco cit. vers. 3. Quibus hæc subiunxit verba Propheta Ezechiel cap. 9. *Signa thau super frontes virorum gementium.* Totum oppositum legitur in Canticis, ibi enim differens Spiritus sanctus de Mariâ Virgine ait, illum à Deo divinæ gratiæ sigillo obsignatam esse; at non in fronte sed in corde; *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Canticor. 8. versic. 6.

Componamus hos duos Scripturæ locos, eosque ad vnum reducamus sensum. Quid, quæso, hoc significat, quod Deus sigillo suo alios Sanctos obsignaverit in fronte, Mariam Virginem in corde. Istos *in frontibus eorum.* Mariam: *Super cor suum*? Cur non omnes simul aut in fronte, aut in corde? ideò nimirum, vt hinc colligamus, nullum dari prorsus instans, in quo Maria Virgo non fuerit divinâ dorata gratiâ, & per consequens concepta sine peccato. Pro cuius meliori intelligentiâ supponendũ est cum Aristotele lib. 1. de natura animal. quòd natura in generatione & formatione hominis ante omnia primò efformet cor tanquam necessarium humanæ structuræ & ædificij fundamentum, quod sit parens spirituum vitalium, fornax caloris naturalis, principium motus & vnica vitæ causa: *cor est primum viuens.* Et deinde procedat ad alias corporis partes, tandem & vltimò formet caput tanquam realem & veram quinorum sensuum sedem. Jam igitur dicere volebat Spiritus sanctus: reliqui sancti Deique serui non nisi in frontibus obsignati sunt, quia non nisi nati, formati perfecti, & vt lucem mundi huius aspexêre, à divinâ gratiâ sanctificati fuerunt. Cuius veritas patet in S. Ioanne Baptistâ; qui diu post conceptionem sanctificatus fuit: *hic mensis sextus est illi.* Luc. 1. versic. 36. At Maria obsignata fuit in corde, siquidem vt incepit esse, signata, sigillata, ac præservata fuit ab omni culpâ, nec vnquam principiauit vivere, quin simul principiasset esse gratiæ amorisque divini. Audite Abbatem Cellensem lib. de Pa. cap. 12. *Simul in ea collecta gratiæ plenitudo,* quare? *Quia ab exordio suæ conceptionis aspersione Spiritus sancti totâ Deitatis gratiâ est superfusa.*

Ad hoc idem probandum plurimum nobis inservient eximij quidam tituli & laudum encomia, quibus condecoratur Beatissima Virgo á SS. PP. Petro Chrysologo & Damiano, ab illo enim appellatur *Schola* seu seminarium, *& collegium Sanctitatis*, ab hoc verò *conventus virtutum.* Pulchri sanè tituli nec mysterio vacant, quod antequam explanetur duæ difficiles, quæ hîc exsurgunt, resolvendæ sunt quæstiones, cur, nimirum, Beatissimæ Virgini hi laudum attribuantur tituli, cur, inquam, ipsa vocetur collegium sanctitatis & conventus virtutum, deinde, quando ipsa effecta sit collegium sanctitatis, & conventus virtutum, an nimirum in Annunciatione, Nativitate, Visitatione, vel assumptione eius? Ego sanè si interrogarer, primæ difficultati aliam non subiungerem rationem, nisi quia gratia divina quæ in exordio mundi per- Num. 9.

di per peccatum protoparentum nostrorum in exilium relegata fuit, & tanto ab humano genere exulavit tempore, per Beatam Virginem ab exilio primitus reuocata & pristino honori restituta se de illatâ sibi per peccatum iniuriâ vindicauit. Quoad secundam difficultatem respondeo ipsam fuisse effectam collegium sanctitatis & conventum virtutum in conceptione eius. Pro quo obseruandum, quòd in principio mundi Deus creavit nostros primos parentes Adamum & Euam iustitiâ originali ditatos, teste Spiritu sancto Eccles. cap. 7. vers. 30. *Fecit Deus hominem rectum.* Et esse naturæ & gratiæ pari passu cunctos posteros à protoparentibus descendentes comitari debebant; peccatum nihilominus ferre non potuit honestum illud consortium, vnde in gratiam inexspectato sæviens furore, ab eâ hominem seiunxit, hominem è terrestri protrusit Paradiso; gratiam verò ab hominum exulare fecit consortio. Quod ipsa molestè ferens & ad remedium aspirans damna deperdita reparare, culpamque vice versâ eliminare & exturbare cogitauit, nunc quibusdam sacrificijs, vt in lege naturæ, nunc circũcisione & quibusdam actibus cæremonialibus vt in lege scriptâ; ast omnibus hisce medijs statum pristinum recuperare nequiuit, nullumque levamen exinde subsecuta fuit, mundum enim hunc nunquam intrare potuit nisi comitante iustitiâ originali. Quid igitur factu opus est, inquiebat illa? aliâ ergo viâ rem hanc aggrediar: prodeat in mundum purissima Virgo Maria concipienda in gratiâ, sic enim de cunctis mihi illatis iniurijs me vindicabo & ad pristinum revertar statum. Et ita factum fuit; statim enim, ac Beata Virgo prodijt in mundum, nullâ interpositâ morâ, ipsam tanquam scholam & collegium sanctitatis ingressa est gratia divina doctorali coronata laureâ, cœpitque ab hominum consortio eliminare & propulsare peccatum & Beatissimæ Virginis conventus sese adscripsit gremio. De quo deinde summoperè & communi omniũ applausu Archangelus Gabriel congratulatur B. Virgini in eius Annunciatione dicens: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum, &c.* Luc. 1. vers. 28. Hisce iam dictis perpulchrè adstipulatur S. Anselmus cap. 11. *Durauit autem hæc in eorum substantijs quousque venit in carnem illo, de qua loquimur, Virgo Maria.* & cap. 12. subiungit hæc alia: *Vbique cuncta quæ Deus bona & vtiliter fecit in eo statu quo condita fuerunt, esse desiterunt, & per hanc Virginem in pristinum statum revocata sunt ac restituta.*

Perspicuam etiam huius immaculatæ Num. 10.
Conceptionis probationem reperiemus in S. Euang. Ioann. cap. 13. Priusquam Christus Redemptor noster cum discipulis suis in cœnaculo constitutus institueret Sanctissimum altaris Sacramentum, accepit peluim aquâ plenam, cœpitque discipulorum suorum lavare pedes; ast Petrus videns Christum prostratum in terra clamare cœpit: *Domine tu mihi lavas pedes?* loc. cit. versic. 6. quasi diceret: Ergóne, ô Deus meus, herus seruo, Dominus mancipio, creator creaturæ, Magister discipulo sordes de pedibus absterget? minimè id patiar. Cui Christus respondens dixit: *si non lauero te, non habebis partem mecum.* uers. 8. Domine, replicat illicò Petrus: si non sufficiant pedes, & manus & caput tibi porrigam lavandum: *Non tantùm pedes meos, sed & manus & caput;* vers. 9. Sicque Redemptor noster Petri arripuit pedes eosque lauit & linteo extersit, quod charitatis & humilitatis officiũ nullibi reperitur á Christo exhibitum esse amantissimæ eius Matri Mariæ Virgini. Et rationem eius assignat D. Ambrosius lib. de Eis qui in Minist. capit. 6. vbi dicit per immunditias pedum intelligi sordes & inquinamenta culpæ originalis, per immunditias manuum, sordes venialium, & per immunditias capitis, sordes mor-

talium peccatorum. Nunc igitur, quia Petrus ceterique Apostoli originalis culpæ sordibus cõspurcati erant, ideò Christus Dominus ad eos ab hisce abstergendos mundandosque lauit eorum pedes, at verò Mariæ Virginis, vtpotè nullius originalis culpæ maculâ infectæ pedes lavare & expolire necesse non erat, imò eos tanquam sanctos purosque deprædicavit & laudavit Spiritus sanctus: Cant. 7. vers. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis!* Audite S. Ambrosium vbi suprà: *mundus erat Petrus, & plantas lavare debebat.* Quare? *Vt hæreditaria peccata tollerentur, non sic in Dei Matre* Pulchra profectò speculatio angelico digna intellectu.

Num. 11. Verùm si hæc Scripturæ loca vestro necdum quadrent intellectui, & intentum nostrum probando non fuerint sufficientia, aures ergo arrigite ad duo Cantica, vnum à Christo Domino in laudem Mariæ Virginis, & aliud à beatissimâ Mariâ Virgine in laudem Christi perdilecti filij sui compositum, Christus alloquendo Mariam Matrẽ suam, incipit Canticum suum hoc modo: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es.* Cantic. 1. versic. 14 bis vocat eam pulchram. Idem vicissim facit Maria Virgo Christo Domino, & statim subdit, *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus,* loc. cit. vers. 15 Accedamus quendam ex SS. Patribus pro Scripturę huius soluendâ difficultate, interea quæ ego, cur quæso, Christus Matris suæ pulchritudinem binâ vice deprædicat, & Mater binâ quoque vice decorem filij extollit? annon semel sufficiebat? quo fine multiplicantur entia sine necessitate? non aliâ de causâ, nisi vt instrueremur nullum datum fuisse instans in quo divina Beatam Virginem non inhabitasset gratia, etenim scire vos oportet, tam in Christo quàm in Maria Virgine binam reperiri pulchritudinem, vnam in Conceptione, in progressu vitæ alteram; vnam in primo instanti, quo fuerunt concepti, in decursu & successione annorum alteram; vnde duplices erant necessariæ laudes, dupliciaque encomia, & propterea statim subiungitur in Textu: *lectulus noster floridus,* vers. 16. *hoc est,* inquit Petrus Galatinus libr. 1. cap. 5 *Conceptio nostra est florida absque corruptione* Sed audiatur clariùs idem author: *duplicat sermonem, vt ostendat ipsam pulchram, id est puram, & in conceptione & in uitâ futuram fuisse.*

Verum singularis puritatis Marię Virginis attestor semper extitit Spiritus sanctus, ac propterea immaculatam eius conceptionem verbis hisce detegere voluit, cùm ait: *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* Cantic. 7. vers. 1. quasi diceret, tam venusti tamque decori existunt pedes tui ô Maria, calceisque ornati in deambulando & spatiando adeò pulchrè sunt compositi, vt non immeritò rapiant cor & animum meum, *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis!* Profectò N. hoc in puncto auditorem potiùs quàm concionatorem memet exhiberem, devotusque potiùs peroptarem adesse spectator, quàm ineruditus huius difficultatis explanator. Advertit hîc Sanctus Ambrosius, simul cum Ruperto Abbate per hos passus, gressus seu deambulationes, intelligi ingressum Mariæ Virginis in hunc mundum, sacratissimam scilicet eius Conceptionem: *Gressus isti Conceptio Deiparæ est.* Hoc iam præsupposito quæro, cur Spiritus sanctus gressus & passus Mariæ Virginis deprædicat, extollitque encomio à calceatis & non à nudis pedibus desumpto? meâ opinione melius dixisset: *Quàm pulchri sunt gressus tui discalceati,* & non *in calceamentis*? etenim pes calceatus & coopertus defectu quandoq; laborat; at nudus videtur. Cur igitur dicit; *in calceamentis*? vt scilicet hisce Spiritus sanctus immaculatę conceptioni Mariæ Virginis ab omni prorsus culpâ remotæ testimonium proprium tribueret Num. 12

tribueret & auctoritatem. Nam si sacer perlegatur Textus, nuditatem reperiemus mancipij & seruitutis esse signum. Vnde Isaias loqui de captiuitate populi Israelitici, nudis pedibus populum hunc captiuum ductum fuisse ait: *Vadens nudus & discalceatus.* Isaiæ cap. 20. vers. 2. Igitur dicere volebat Spiritus sanctus: vultisne videre, num conceptio Mariæ Virginis fuerit sine culpâ? Ecce venit calceata & vestita diuina gratiâ: *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis?* & vbi alij omnes incedunt nudi, & discalceati, veluti peccati mancipia & serui, ipsa tanquam patrona, libera ab omni peccato concepta est, *in calceamentis* Quis hoc dicit? doctissimus P. Rupertus in Cantica: *Filia principis fœminei generis est, ob libertatē laudatur ex calceamentis, cùm serua discalceata incedant.* Ecquis igitur ex vobis N. erit tam exiguæ erga Beatissimam virginem pietatis & deuotionis, vt toto non confiteatur corde immaculatam ipsius Conceptionem?

Maria pulcherrima

DISCVRSVS XL.

De pulchritudine corporali Mariæ Virginis Matris Dei.

Num. 1. EXimia illa & singularis huius corporis nostri pulchritudo miro ac singulari à diuinâ sapientiâ facta artificio, magnum illum Philosophum ac medicum excellentissimum Galenum libr. 13. de vsu part. cap. 11. in tantam rapuit admirationem, vt ex solâ anatomiâ eius deuenerit in cognitionem prouidentiæ diuinæ. Hinc S. Augustinus libr. 2. de ciuit. cap. 9. pulchritudinem appellare solebat donum Dei. Vnde & credibile est, Deum omnipotentem excellentiori modo hoc pulchritudinis donum communicasse Mariæ Virgini, quàm reliquis mulieribus, imò in eâ collocasse omnis decoris florem, vt sic multis præcelleret parasangis pulcherrimas totius mundi mulieres, adeoque ei cederent Sara, Rebecca, Rachel, Iudith, Hesther, Bethsabæa, Abigail, & aliæ in sacris litteris ab extremo commendatæ decore mulieres, illam siquidem Deus ab æterno legit in Reginam cœli, Imperatricem Angelorum, totius mundi Dominam, ac omnium rerum Patronam. Hinc sapientissimus Salomon comparauit ipsam Lunæ & Soli, dicens, quod deberet esse: *Pulchra vt luna, electa vt Sol.* Cantic. 6. vers. 9. Volens indicare, quòd sicut hoc mundo maior non reperietur lux, quam quæ resplendet & radiat in Lunâ, quando est plena, & in Sole, ita nec in mundi exordio neque in fine eiusdem relucere debebat maior decoris splendor in facie perpulchræ cuiusdam mulieris, ac reluxit in sancto purissimæ Virginis vultu.

Et quia beatissima virgo tantâ fuit condecorata pulchritudine, hinc summus Num. 2.
rerum opifex ipsam intuendo, adeò in eiusdem exarsit amorem, vt si vanæ gloriæ fuisset capax, non nisi propter ipsam insuperbijsset, veluti ipsemet id attestatur Cantic. 6. vers. 4. dicens: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Vbi Rabbi Salomon meo legit conformiter proposito: *quia ipsi me superbire fecerunt,* q. d. Aliò diuerte oculos tuos, ô dilecta Sponsa, nam hominis gaude-

rem naturâ, insuperbirem ob nimium decorem vultus tui, Nec hoc solùm, sed ait insuper Sponsus, quod sibi rapuerit cor: *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa* Cantic. 4. vers. 9. vel vt legunt 70. *Abstulisti cor meum.* Nimirum, *vehementer & excellenter placuisti mihi,* exponit Sanctus Augustinus à Salazar. in cap. 8. Prov.

Num. 3. Pulchritudo hæc Mariæ virginis tam rara tamque excellens fuit, vt ipsummet Deum de altissimo cœli habitaculo traxerit in terram. Nostro apprimè inseruit proposito fabula illa antiqua relata ab Homero in Iliad. indignatus summopere erat vice quadam Iupiter propter enormia mortalium scelera, & tali plenus furore amœna perambulabat cœlorum prata, nec dignabatur descendere in terram. Quapropter alij Dij summam hominum perspicientes miseriam, rogarunt enixè Iouem, vt dignaretur descendere in terram, petitioni huic acquiescere & vltrò consentire paratus erat Iupiter, si aureâ è cœlo pendente catenâ ipsum in terram pertrahere valerent. Conditione hac & pacto acceptato omnes vnanimiter illum attrahere in terrã conati sunt, sed frustra; accessit tandem Dea Venus, quæ tantâ vi attraxit catenam, vt Iupiter in terram descendere coactus fuerit, idemque iusserit, Venerem ob immensam hanc vim & virtutem non iam debilem & imbecillem, sed robustam, fortem ac generosam deinceps appellandam esse mulierem. In grauem erat accensus iram (licitum sit mihi ita loqui N.) æternus Dei Filius ob innumera & grauissima nostra scelera: *Et iratus est furore Dominus in populum suum.* Psalm. 105. vers. 40 dixit Propheta Dauid. Et cœlum ob ambulans renuit venire in terram: *circa cardines cœli perambulat.* Iob 22. vers. 14. & ecce dij, videlicet, Patriarchæ & Prophetæ; *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Ioann. 10. vers. 35. Instantissimè eundem exorarunt, vt dignaretur descendere de cœlo, & redimere mundum: clamat & rogat ipsum hic Propheta: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Isaiæ cap. 16. vers. 1. supplicat ei idem in alio loco: *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes,* Isaiæ 64. vers. 1. Vociferatur & clamat alius: *quando consolaberis me?* Psalm. 118. v. 82. alij dolentes ingeminant voces, de tarditate eius lamentantes: *veni Domine & noli tardare.* S. M. Eccles. Res nihilominus de die in diem differebatur. Vnde misericors & pientissimus Deus commiseratione ductus pactum cum eis iniuit, vt, si quis post iam cœlo demissam promissionis Incarnationis catenam eundẽ pertrahere valeret in terram, sine morâ venire non recusaret. Et ecce plurimi Patriarchæ & Prophetæ diuturno tempore vi orationis attentarunt ipsum attrahere, sed in vanum: tentauit magnus Patriarcha Abraham: *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum.* Ioann. 8. vers. 56 At vnico solo aspectu contentus esse debuit & deuictus est: *vidit & gauisus est.* Conatus est & Patriarcha Iacob eundem attrahere, & ecce vidit quandam scalam, cuius summitati erat innixus Deus, & videndo illam nil aliud efficere potuit: *Viditque in somnis scalam stantem.* Gen. 28. vers. 12. *Et Dominum innixum scalæ.* vers. 13. *Vidi Deum facie ad faciẽ, & salua facta est anima mea.* Gen. 32. vers. 30. Tentauit & eundem tandem attrahere Moyses, vix hic illum viderat, & statim cecidit animo: *Abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum.* Exod. 3 vers. 6. Sicque frustratoriè hi omnes allaborarunt, nihil prorsus effecerunt: *Iuxta fidem* (inquit Apostolus ad Hebr. vndec. vers. decimo tertio.) *defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus,* ex quo Sancti hi concluserunt omnes, non esse possibilem modũ, quo Deus ab homine viuente traheretur in terram. Fortassis, dicebat Salomõ, is attrahi poterit à forti quadam

quadam muliere? id quidem non impossibile foret; sed vbinam locorum talem reperiemus mulierem? *Mulierem fortem quis inveniet?* quæ tantâ nimirum prædita erit vi & potentiâ, vt Deum è cœlo in hanc possit pertrahere terram? Ast, ô nos fœlices & vndequaque beatos! quamprimùm comparuit in hoc mundo Maria Virgo, statim vt obtutum suum in æternum fixit Verbum, Deus ille, quem tot nequiverant attrahere Patriarchæ & Prophetæ, accelerauit gressum & gradum, accurrit velocissimè & descendit in terram, hominis assumpsit naturam, sudauit, prædicavit, docuit, & tandem nostri causa & amore mortuus est in cruce: *Post hæc in terris visus est & cum hominibus conversatus est* Baruch capite tertio, versu trigesimo octavo.

Num. 4. Totum hoc præfiguratū esse videtur in sacris Canticis, in quibus Sponsus Mariæ Virgini suæ dilectæ sponsę dixit: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*, Cantic. versic. 4. Rabbi Abraham legit: *Quia ipsi abstulerunt mihi robur.* Paguinus habet sic: *quia ipsi fortiores me fuerunt.* Nyssenus verò legit in hunc modum: *Quia ipsi alas addiderunt mihi.* Et ideò humanam assumpsi naturam ac veni in terram *Et verbum caro factum est*, Ioan. vers. 14. idque beneficio eximiæ & singularis pulchritudinis B. Virginis. Ita etiam glossa, quam refert S. Bernardinus Senensis tom. 2. sermon. 51. artic. 3. cap. 4. expendit hæc verba Canticorum: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Cant. 4. vers. 9. vbi contemplatur Verbum incarnatum locutum fuisse gloriosæ Virgini hoc modo: *Vulnerasti cor meum: pro amore tuo carnem assumpsi* Vnde & Ioannes Gerson apposite Alphab. 2. litt. B sermocinatur & dicit: *Forma Mariæ tam grata, & tam incredibili formositate refulgens inventa est, vt concupisceret ipse formam serui.*

Num. 5. Verùm maiori proferamus admiratione digna. Tam pulchra & decora fuit Maria Virgo, vt, si Verbum divinum & incarnatum, quod nos redempturum venerat in mundum, non discessisset interdum à Matre suâ, humanæ distulisset opus redemptionis. Huius rei attestationem ab ipsomet Verbo incarnato loquēte benedictæ Virgini audite: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Septuaginta legunt: *quia eleuas me videndo te*, ac si dixisset: oculos tuos aliò, ô perdilecta Mater mea, verte, quia parum abest, vt, cùm eximium tuum contemplor decorem, me vipote te solùm contentum in altum sustollas, ac in cœlum ascendere facias, adeoque cæteras deseram animas earum, seponens redemptionem; auerte igitur oculos tuos à me, noli me deinceps intueri, ne tuæ inhærens contemplationi meus quoque alias redimendi creaturas hæreat animus. Speculatio hæc est D. Ambrosij sermon. 28. in Cant. qui præfatū expendens locum ait: Vult illam auertere oculos, ne eam considerans, quòd iam ad superiora sequi possit, elevetur, ac cæteras animas derelinquat.

Cōfirmatur huius veritas ex eo, quòd accidit Christo Domino, & obseruat D. Ambrosius vbi sup. Lucæ cap. 2. Cùm demoraretur ille in templo inter medios legis Doctores, quæsito trium dierum spatio à dolente Matre & Patre eius adoptivo Sancto Iosepho, ac tandem invento dixit Mater: *Fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, l. c v. 48. Cui respōdit Christus: *quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Num. 6. quasi dixisset: quid necesse erat, me iretis quæsitum: an ignorbitis Patris mei voluntatem à me adimplendam esse, quæ est, vt humani generis exequar redemptionis opus? At dic mihi, amabo, ô mi dulcissime Iesu, cur tam asperis verbis respondes perdilectæ Matri tuæ: benignè humaniterque potiùs eam suscipere ac consolari debebas, dum amore tui

eam cernebas mœstam ac conturbatam, & tu consolationis loco hoc aspero responso ei adauges cordis dolorem? Ah Salvatorem nostrum mihi audire videor dicentem; tam rara, tam excellens, tam eximia est pulchritudo Mariæ Virginis dilectissimæ Matris meæ, adeoque cor meum rapi sentio, vt nisi mihi inferam vim, ipsiusque fugiam præsentiam, quantum in me possibile est, nunquam deducam ad opus totius humani generis redemptionem: *Sic Maria pulchritudine tenebatur Christus* (inquit S. Ambrosius) *sic illius irretebatur amore, vt nisi sibi inferret vim, ab illâ exire nequiret.* Cuius veritas N. vel maximè ex hoc capite elici potest, quia vix asperum Matri dederat responsum, & confestim, ipsius raptus & illectus decore, deseruit Doctores, & secutus est eam: *& descendit cum eis & venit* Nazareth, vers. 51.

Num. 7. Singulari huic decori & pulchritudini tantùm Deus addidit splendorem, magnificentiam & maiestatem, vt, quotquot illam intuebantur, existimarent se videre quoddam naturæ prodigium & miraculum; & propterea Dionysius Areopagita Epist. ad S. Paul. citat. à Carthus. serm. 1. de Natiuitat. cùm obtinuit gratiam aspiciendi B. Virginem, tanto illius fuit obfuscatus splendore, adeoque accensus fuit tum in illius decorem cœlestem, qui relucebat ex facie eius, tum in odoris fragrantiam. quam sacratæ illius spirabant vestes, præ nimio stupore animo ceciderit, & deinde ad se nonnihil reversus dixerit: *Testor Deum, qui aderat in Virgine, nisi me diuina docuissent eloquia, hanc Deum verum credidissem, quoniam nulla videri possit maior gloria beatorum, quàm fœlicitas illa, quam ego tunc degustaui.*

Num. 8. Hanc eandem ob causam asserunt Origines in cap. 2. Marc. Hilarius, Glossa, & Nicolaus Liranus in hunc locum: *Ioseph non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Matth. capit. 1. vers. 25. quod S. Ioseph nequiuerit B. Virginis intueri faciem, nec oculos suos defigere in splendidum & magnificum eius vultum, ob nimium luminis splendorem ex eo relucentē: *quamdiu Virgo Beata* (inquit Origenes) *habuit in suo vtero solem iustitiæ, tantus fulgor exibat de eius facie, vt Ioseph eam agnoscere & discernere non valeret, nec in eius faciem intendere poterat, donec eius vterus fuerit evacuatus.* Quod, vt monet S. Epiphan. ser. 72 apud Maldon. in cap. 2. Ioan, mirum alicui videri non debet neque incredibile, quia si magnus Propheta Moyses ex solo sermone & colloquio cum Deo habito tāto vultus eius coruscauit splendore & lumine, vt Hebrei nequiuerint in illius intendere faciem, & loquentibus ipsi necesse fuit, vt is vultū suum aliquo cooperiret velamine, quis vnquam dubitabit in sacrato vultu Mariæ Virginis, quæ in sanctissimo vtero suo ipsummet portauit Deum, longè maiorem & sine cōparatione intensiorem resplenduisse lucē, quàm prodiit & eluxit ex facie Moysis: *quoties Ioseph* (ait Sanctus Epiphanius) *Mariam aspiciebat, splendorem à facie eius in modum radij Solis exire videbat; sicut à facie Moysis, quando de monte Synai descendit, vbi cum Domino locutus fuerat.*

Iure ergo merito B. Virgo totum mūdum rapuit in admirationem suâ cœlesti & diuinâ pulchritudine, & in cunctis Christi fidelibus auxit desiderium videndi illam; vnde S. Ignatius Martyr hanc ad S. Evangelistam Ioannem scripsit Epistolam & verba: *Magnus est concursus populorum Reginam cœli videre & audire cupientium.* Inter quos (veluti suprà allegavimus) repertus quoque fuit S. Dionysius Areopagita. Num. 9.

Et hac de causâ inquit S. Epiphanius lib. 3. cont. hæres. hom. 7. 9. apud Maldon. lib. 11. cap. 2. Christus Redemptor noster pendens in cruce vocauit Virginem mulierem, non verò Matrem: *Mulie-*

lier, ecce filius tuus, Ioan cap, 19. vers. 26. ne nimirum gentiles ibidem præsentes, visis tot signis & prodigijs, quæ obtigerant in morte Redemptoris nostri, agnoscentes illum pro vero Dei filio, veluti confessus fuit Centurio, cùm dixit: *verè filius Dei erat iste* Math. 27. vers. 54. Adorationem debitam Christo, tanquam Deo, deferrent B. virgini Matri illius, cuius decor & pulchritudo non diminuebatur, & euanescebat, sed magis magisque comparebat radiantior & splendidior cum modestiâ vultus, , cum grauitate & patientiâ, quâ inter tot tantosque verlabatur dolores ob mortem filij sui. Quare Christus Dominus pendens in cruce appellando B. Virginem mulierem & non Matrem, innuere volebat, Animaduertite, O circumstantes illam, è cuius vultu mirus adeò & extraordinarius prodit ac radiat pulchritudinis fulgor & splendor, non esse Deam, sed mulierem quandam materialem & creatam, tametsi tantis ditata sit virtutibus.

Num. 10. Et sanè tam pulchra, tam decora N. est gloriosa Virgo Maria, vt illa, quæ hucusque dicta sunt, aut nullius, aut saltem exigui sunt momenti respectu eorum, quæ nobis minimè perspecta sunt, in cuius probationem occurrit mihi cuiusdam ingeniosi & sapientis inuentio, qui mundo declaraturus rem magni alicuius valoris depinxit cœlum adornatum Sole, Lunâ & stellis, & infrà subdidit hæc verba: *pulchriora latent.* Si interrogarer, quid denotaret hæc pictura & perpulchra inuentio, quidve hoc significaret emblema, responderem, Beatissimam Virginem, hanc enim tanquam pulchrũ aliquod contemplor cælũ, in quo reperitur primò Sol depictus: de illâ siquidem dicitur: *electa vt Sol*, Cantic 6 vers 9. Luna: *Pulchra vt Luna*, loco citato. Ibidem pariter videntur Stellæ, his enim ipsam conspexit ornatum S. Euangel. Ioannes in suâ Apocal. cap. 12. versic. 1. *Et in capite eius corona stellarum duodecim* Et pro complememto emblematis reperitur quoque motus seu elogium illud; *pulchriora latent.* quando post laudem, à Sponso in honorem eius decantatam *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum.* Cantic. cap. 4. vers. 1 Immediatè idem subiungit Sponsus. *absque eo quod intrinsecus latet*, loco citato.

Adde, pulchritudinem Mariæ Virginis couiunctam fuisse cum sancta quâdam honestate & pudicitiâ, vnde sicut nullus eam aspexit, qui non tantarum gratiarum nouitate & stupore steterit attonitus, ita nullus vnquam repertus fuit, inquit D. Thomas in 3. sent. in 3. qu. 1. art. 2. ad 4. qui aspiciendo ipsam inordinatum aliquem carnalis concupiscentiæ sensisset motum, Eiusdem pariter opinionis est sanctus Ambrosius lib. de instit. Virg. capit. 7. dicens: *Tanta erat eius gratia, vt non solùm in se Virginitatis gloriam seruaret; sed etiam his, quos inuiseret integritatis insigne conferret, ita vt quamuis esset pulchra corpore, à nullo concupisci potuerit.* Aliæ mulieres in oculis suis deferunt amoris lasciui fauillas & scintillas, at ipsa casti sanctique amoris deferebat flammas; pulchritudo aliarum mulierum in corde spectatoris accendit libidinis ignem, carnisque concitat & mouet cõcupiscentiam, propter quod monemur à S. Spiritu in diuersis Scripturæ locis, præsertim Eccles. 9. vt caueamus fugiamusque mulierum aspectum, & pulchritudo Mariæ Virginis in spectatorum animis accendebat fouebatque castitatis amorem; quapropter decor eius ac venusta vultus illius forma omnem extinguebat libidinis flammam, sedabat ac reprimebat carnalis concupiscentiæ motus in corde aspicientis, quæ gratia ipsi soli diuinitus concessa fuit, negata SS. Agathæ, Luciæ, Catharinæ, Agneti, Margaretæ, Petronillæ ac cæteris omnibus sanctis Virginibus, quæ quãuis fuerint castissimæ,

mæ, tali nilhiominus non fuerunt prædi- tæ pulchritudine, vt in aliorum cordibus lasciuas hominum libidinosorũ potuerint extinguere flammas; ast pulchritudo præcelsæ Matris Dei virtute pollebat pudicum in Spectatorũ cordibus accendendi amorem, vanum verò prophanum & inordinatum amorem expellendi. Hinc odor decoris eius assimulatus fuit odori Cedri, Ecclesf. cap. 24. Etenim sicut hic fugat & dispellit serpentes; ita puritatis illius odor lasciuos pellebat libidinis affectumque carnalium motus ab eis, qui illam conspiciebant, aspicientesque ad castas inuitabat cogitationes vitàmque purissimam. Quod in profundo ac mystico aliquo sensu, sed sub obscuro loquendi modo, vt existimat Dinoysius Carthus. in cap. 2. Cant. explicatum fuit à Salomone, qui in personâ cœlestis sponsi de eâ loquens dicit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant. 2. vers. 2. & significare volebat: pulchritudo aliarum mulierum spectatoris oculis & tanquam fasciculus pungentium spinarum, qui cor illius pungit mentemque transfigit libidinis cuspide (quamuis Virgines sanctæ nullã per hoc incurrant culpam) ast pulchritudo Reginæ cœlorum non est talis, sed est velut candidum lilium, quod, quia, vt dicunt naturalium Scriptores, est frigidæ naturæ, candore honestatis suæ & virginali puritate extinguit omnem inhonestæ concupiscentiæ ardorem in spectãtibus, eosque in castitatis accendit amorẽ. *Quamuis fuerint multæ Virgines sanctæ* (ait Carthusianus) *tamen respectu Virginis, quasi spinæ fuisse videntur; quamuis enim in se fuerint mundæ, fuerunt tamen alijs spinæ, qui ex earum intuitu concupiscentia pungebantur. Porrò Virgo Deipara intuentium corda sic penetrauit suâ inæstimabili castitate virginali, quod à nullo potuit concupisci, imò potiùs extinxit ad horam illorum libidinem.* Vnde Angelicus Doctor D. Thomas in 3. dist. 3. quæst. 1. articul. 2. totum id attribuit speciali gratiæ effectui, quando dixit: *gratia sanctificationis non tantum repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciam habuit. ita vt quamuis esset pulchra corpore, à nullo vnquam concupisci potuerit.* O pulchritudinem igitur sine exemplo! ô templũ castitatis & pudicitiæ! ô singularem sanè decorem! qui fuit vera idæa illius, quo illustrabuntur corpora beatorum in cælis.

Mariam igitur casti amoris matrem amate N. & non terrena illa scorta. Ad Mariam Virginem confugite, eique vestram exponite necessitatem, ab illa petite opẽ & auxilium in tribulationibus & miserijs vestris, illi vos recommendate in negotijs vestris, ipsa placatum vobis reddet suum filium qui vobis quodcumque petieritis, concedet.

Conspicui sanctitate hic recordor illius Patriarchæ Abrahami Genes. cap. 12 Num. 12.
qui profecturus in Ægyptum, ac timens ne ob decorem Saræ vxoris suæ interficeretur à regni illius incolis, persuasit ei, vt cunctis ediceret, quod Soror eius esset: *noui, quòd pulchra sis mulier*, loco citat. vers. 11. *dic ergo obsecro te, quòd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te.* vers. 13. Sed meliori iure ac securius nos dicere poterimus huic præcelsę Dominæ: *Noui quòd pulchra sis mulier, dic ergo, obsecro te, quòd Mater nostra sis, vt bene sit nobis propter te.* Et præsertim ipsa à nobis exoranda est, vt nostri non dedignetur misereri, qui in longinquam alterius vitæ regionem nobis incognitam profecturi sumus. O quantam conferret vtilitatem, quantum esset emolumentum & subsidium illi animæ, cui illa materna tunc exhiberet officia, ferret opem & auxilium! dicamus ergo ei toto cordis affectu: *Noui, quòd pulchra sis mulier, dic ergo; obsecro te, quòd mater nostra sis, vt bene sit nobis propter te.* Noui ô gloriosissima Angelorum Regina, te pulcherrimam esse, peto & enixè te rogo, vt me tametsi indignum

dignum filiorum tuorum ascribas numero, ne infernalis me infestare audeat hostis: *Dic ergo obsecro te, quòd mater mea sis vt bene sit mihi propter te.* Non dedigneris vocari Mater mea, vt & ego sub hoc titulo cœlestis fruar paradisi gloriâ. Ad te recurro, te rogo, tibi humillimè supplico; *vt bene sit mihi propter te,* vt per tuam intercessionem mea mihi remittantur peccata. Et quia nulla est mihi meritorum clauis, quâ paradisi aperiam portam, gratia tua mihi inseruiet pro fenestrâ, sit mihi licitum furari illam gloriam tuo fauore quã neglexi lucrari meo labore. dignare igitur, ô pientissima Virgo, ostendere mihi illam paradisi faciem, gratiosum illum vultum, qui horâ mortis corda rapit & attrahit, vt animam meam è corpore migrantem lætitiâ perfundas & in transitu illo beatum me pronunciabo. Vnde te rogo cum deuoto tuo Bernardo sermon. 2. de Aduentu: *Gratiosus vultus tuus, beata Virgo, mihi appareat in extremis, formositas faciei tuæ lætificet spiritum meũ.* Sic enim in hac vitâ ero certus me obtenturum fore gloriam in futurâ.

Maria humillima.

DISCVRSVS XLI.

De profundissimâ humilitate Mariæ Virginis Matris Dei.

Num. 1. PERLEPIDA, iucunda ac curiosa simul in alma Atheniensium matre omnium scientiarum proposita & ventilata fuit quæstio, quænam rerum creatarum adornantium cælos, condecorantium aërem, fœcundantium mare, dipingentium terram ac intra abyssi profundum absconditarum esset maxima simul & minima. Difficillimum profectò dubium; quomodò namque res aliqua reperiri potest, quæ eodem tempore sit magna & parua? responsum nihilominus fuit ab aliquo, rem talem esse oculum, cuius si inuestiges quantitatem, adeò paruum reperies, vt ob paruitatem suam vix visibilis sit; si verò ex alia parte eiusdem contempleris capacitatem, magnitudinis existit incredibilis, adeò vt sub adæquato suæ potentiæ obiecto comprehendat omnes res visibiles, sensibiles & corporeas; vnde in eo veluti in tersissimo speculo recipiuntur species omnes visibiles cœlorum, aëris, maris, terræ, &c. alius subiunxit eam esse cor hominis, quod tametsi corporeæ molis pars minima sit, attamen tantam ac talem habet capacitatem, vt totum valeat capere mundum & plura. Aliam alij attulerunt opinionem, dicentes, illam esse intellectum humanum, qui omni priuatus quantitate totam hãc in se comprehendit mundi machinam, insuper in vno momento percurrit cœlum, ac æquali velocitate perlustrat & contemplatur profundam terræ abyssum. Dicant, quodcunque velint, mundi huius Sapientes; ego rerum ab omnipotenti Deo creatarum maximam simul ac minimam indubitatè assero esse Beatissimam Mariam Virginem, quando ille, *quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* quemadmodum prædixit Propheta Ieremias: *creauit Dominus nouum super terram* O nouitatem inauditam! *fœmina,* O paruitatem admirandam!

dam! *circumdabit virum*. Ierem. 13. vers. 22. O magnificentiam & magnitudinem Virginis, cùm facta est Mater Dei! sed O paruitatem Mariæ, dum iam æterni facta Mater Verbi, se quasi nihili æstimat, veluti id proprio ipsa fatetur ore dicẽs: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Lucæ 1. vers. 48. Velut habet translatio Vatabli. *Respexit nihilitatem ancillæ suæ*. Quis vnquam conspexit rem adeò diminutã ob voluntariam humilitatem? quis vnquam talia audiuit, quod magna & præcelsa facta Mater, quæ gremio suo ambit & concludit Creatorem omnium, tam paruam, tam exiguam se faciat, vt omni sese exuens gratiæ ornatu, nullam prorsus suiipsius habeat æstimationem? *Respexit humilitatem ancillæ suæ*.

Num. 1. Inter omnia Lunæ prodigia admiratione dignissimum hoc est, ait Rupertus Abbas in Cantic. quod quando est plena & ditissima lucis, vt propterea elatas deberet erigere cristas, tunc quasi sese humiliando incipit diminui, eiusque deficit luminis splendor; vnde cùm quidã acuti ingenij gratiosum super hoc formaret emblema, hæc illi subiunxit verba: *consummata minuitur*. Volens indicare, quòd is instar Lunæ, dum esset ob honorem & dignitatẽ maximè cõspicuus, summeque luceret, tunc ex humilitate se diminueret ac nihili faceret, Rem hanc stupore dignam dilucidè conspicimus in B. Virgine, quæ eodem illo tempore, quo erat maxima: *Fecit mihi magna, qui potens est*, Luc. 1. vers. 49. cœpit se diminuere & ad nihil quasi reducere: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Quando erat luce adeò repleta, vt secum habuerit solem iustitiæ *gratiâ plena, Dominus tecum*, Luc. 1. vers. 28. Cœpit illicò deficere, & opacâ se cooperit ancillæ vmbrâ: *ecce ancilla Domini*. Luc. 1. vers. 38. Vnde magis appositè huic mysticæ Lunæ, quàm alteri materiali & insensatæ possẽt illa subscribi verba: *consummata minuitur*. Audite, quæso, Ecclesiasticum, quàm clarè & euidenter id insinuet: *Et Luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis & signum æui*. Eccles. 43. vers. 6 *Luna signũ diei festi, luminare quod minuitur in consũmatione*. vers. 7. tempus illud, inquit Spiritus sanctus, ad quod tam auidè anhelarunt Patriarchæ & Prophetæ, dies nimirum festiuus desponsationis verbi diuini cum naturâ humanâ ortum, ac principium pium suum habebit à mysticâ Lunâ Mariâ Virgine, magnumque erit prodigium videre Lunam illam in maximâ suâ plenitudine sese diminuentem ac deficientem: *luminare, quod minuitur in consummatione*.

De palmâ referunt Naturales, quòd non solùm non cedit ponderi, sed etiam quò plus aggrauatur, eò magis sublimatur & exsurgit ac dicere videtur: *inclinata resurgo*. O Palmam! ô submissionem! ô humilitatem Mariæ! adeò inclinata apparet, vt maioris haud sit capax oppressionis & submissionis, cùm dicit: *Ecce ancilla Domini*. At optimè dicere poterat: *Inclinata resurgo*. etenim statim sublimata fuit & assumpta in Dei Matrem, Angelorum Reginam, & Imperatricem totius orbis terrarum. Num. 3.

Miror & obstupesco suprà modum N. singularissimam hanc mulierem ex eoquod omni fuerit repleta & adornata gratiâ, non elatam, tumidam & superbam euasisse. Sapientissimus Rex Salomon summopere demirabatur mare, quod, quia omni horâ, imò omni quasi momento innumeros recipit aquarum riuulos, fluuios, torrentes, Oceanos, nunquam tamen intumescat, redundet, non se extendat, neque fines, terminos & limites suos transgrediatur, nisi agitetur à ventis: *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*. Ecclesiastes cap. 1. vers. 7. Ast maiori admiratione dignum est, quod omnia gratiarum flumina intrent in mare beatissimæ Virginis, nihil tamen ipsa extumescat, non insuperbiat, neque humilitatis suæ transgrediatur fines

nes & terminos, imò quò plus exaltabatur, eò magis se humiliabat. Conceptum hunc expressit D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus dicendo; *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ita in Maria omnes aquæ gratiarum, quæ fuerunt in alijs Sanctis, intraverunt in Mariam Virginem, & tamen illud mare plenum omni gratiâ non redundauit excedens limites suos in aliquam elationem vel iactantiam.*

Vastissimum profectò mare, profun-
Num. 4. dissima abyssus est N. humilitas Mariæ Virginis: *humilis enim fuit corde* (ait sanctus Bernardus sup. Missus) *humili in verbo, humilis in conuersatione, humilis & in obsequijs.* Et quid vlteriùs dici posset? tam bene stabilita erat in humilitate, vt nullum fuerit periculum, quod neque humanæ, neque etiam Angelicæ laudes minimum illi suscitaverit motum superbiæ, imò, vbi alij laudum suarum encomia audientes, lætantur & arrident, ibi cõturbatur ipsa. De puteo quodam in Achaiâ mira refert Alexander ab Alexandro lib. 6. dierum Genial. nimirum quod flante vento aquilonari aut alio quopiam vento, putei huius aqua omninò quieta sit & tranquilla, ast flante vento australi, statim conturbetur & inquieta concutiatur & moveatur. Non absimilis mihi videtur hæc nobilissima Virgo, quę meritò ob profundam illius humilitatem appellari potest profundissimus puteus; siquidem dum flabat ventus aquilonaris persecutionum, iniuriarumque, ipsa immobilis & quieta persistebat, sic testatur S. Euang. Ioannes, quod ortâ tempestate passionis Domini nostri: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* cap. 16. vers. 25. sed ad flatum venti australis commouetur & conturbatur, veluti accidit, quando fuit laudata ab Angelo, etenim teste S. Euangel. Luca: *Turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio,* Luc. 1. vers. 29. Peregrinam hanc & insolitam humilitatem demiratur S. Bonauentura in spec. Virg. cap. 4. & exclamat: *O mira & profunda humilitas Mariæ! ecce Mariam Archangelus alloquitur: Maria gratiâ plena dicitur, in Matrem Domini assumitur, iam omnibus creaturis anteponitur, iam Domina cœli & terræ efficitur; sed in his omnibus mirâ humilitate deprimitur, dicens: ecce ancilla Domini.*

Hinc S. Petrus Chrysologus acutissi- Num. 5.
mè notat & obseruat, eundem esse Angelum, qui Redemptorem nostrum Christum Dominum confortauit in horto & in agoniâ mortis constitutum, & qui annuntiauit Marię Virgini Verbi diuini incarnationem, ipsiusque electionem in Matrem Dei, qui & propterea gloriosam Virginem confortare debuit: *Sicut enim Christũ* (inquit S. Chrysol. ser. 142.) *per Angelum confortari voluit, ita decuit Virginem per Angelum animari.* Iam verò quod Angelus quidam confortaret Saluatorem nostrum in agone positum, id mirum non est, quia tametsi fuerit Deus, erat tamen etiam homo, & consequenter magnâ affligebatur cordis tristitiâ & angustiâ ob vehementem tormentorum apprehensionem, quæ diebus sequentibus sustinere debebat; ast demiror supra modum & obstupesco, quod Angelus confortet Virginem illo eodem tempore, quo percipit recipitque noua, quibus fœliciora nequit quis sibi imaginari, cùm nimirum audit se esse electam in Dei Matrem; *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* Verùm mirari desine, ait S. Petrus Chrysologus, quia verus humilis maius non potest sentire tormentum, quàm si præsens ab alio laudatur, conformiter etiam docet D. Gregorius lib. 21. moral. cap. 31. *Iustus cùm laudatur in facie, flagellatur in mente.* Et propterea accedit Angelus confortatum B. Virginem quam laudaturus erat, præuidens turbationem eius, eò quòd humillima esset; vnde etiam sanctus Bernardus homil. super Missus: *venit Angelus, vt Virginem de suis laudibus pauidam confortaret.*

Siu-

Num. 6. Stupendi profundissimæ Mariæ Virginis humilitatis visi fuere effectus quando ad altissimam Matris Dei euecta dignitatem perrexit visitatum Cognatam suam Elisabeth, eique gravidæ & vicinæ partui humillima exhibuit servitutis obsequia: *Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione.* Lucæ 1. versic. 39. & ingressa domum Zachariæ quanto plus se laudari audiuit ab Elizabeth, quæ per Dei revelationem cognoverat ipsam factam Dei Matrem, tantò magis illa se humiliabat, omnia illa encomia tametsi præclarissima, non potuerunt ipsā elicere & attrahere extra humilitatis illius confines; nihil enim sibi attribuit, sed omnia à liberali Creatoris manu provenire cognovit: *respexit humilitatem ancillæ suæ.* Quòd & iamdudum penetravit S. Idelphonsus serm. 2. de Assumpt. dicens: *In nullo de se præsumpsit Virgo, in nullo de se aliquid altum sapit; sed tota in Deum exultat, & tota eius anima Deū magnificat. Nihil sibi tribuit meritorum, nihil sibi ne se applaudit, sed solummodo, quæ Dei sunt, requirit & sapit, idcircò in illo tota exultat, solùm sibi vendicat humilitatem ancillæ.*

Num. 7. Quòd quidam simplex homo sese humiliet, non id magni faciendum est: sufficientem namque habet causam, cùm sit creatura vilissima. Quòd similiter aliquis singularibus privatus gratijs & dotibus humilem de seipso habeat opinionem, neque id paradoxi loco habendum est, quia verè non habet, vnde gloriari possit; ast si specialibus dotatum gratijs & altissimis ornatum donis esse agnosceret, & nihilominus adhuc eò plus se humiliaret, profectò profundissimæ humilitatis hic actus esset. Talis fuit gloriosa Virgo Maria, quæ tametsi specialissimis repleta & ditata fuerit prærogatiuis, semper tamen se humiliabat, vilem & abiectā se reputabat, non gloriabatur se esse Matrem Dei, non iactitabat se, quòd haberet filium, qui esset magnus quidā Propheta talis, ab vniverso æstimatus mundo, non dicebat populo: hic est filius meus, dum supremâ attentione huius auscultabat conciones, imò magna cum submissione & humilitate post omnes stetit auditores, expectans, quousque quispiam motus compassione nunciaret Christo Domino: *Mater tua, & fratres tui stant foris volentes te videre.* Lucæ 8. vers. 20. Ecce quomodo humillima Virgo in omnibus vltimum elegit locum; vnde apposite & huic proposito conformiter sermocinatur D. Bernardus sermon. Sig. mag. dicens: *Pudibunda fuit Maria, & foris stabat quærens loqui filio, nec materna auctoritate, aut sermonem interrumpit, aut in habitationem irruit, in quâ filius loquebatur.*

Annon recordamini N. quod amisso vice quâdam Saluatori nostro, & in templo eidem adinuento B. Virgo significatura, quantâ cum mœstitiâ cordisq; dolore ipsa cum amantissimo Patre illius S. Iosepho quæsivisset eum inter cognatos & notos, humillimè se nominauerit vltimo loco *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Lucæ cap. 2. vers. 48. vt proptereà D. Augustinus sermon 65. de diu. cap. 11 profundam hanc considerans humilitatem, meritò in hæc proruperit verba: *Non est prætermittenda fratres, tam sancta modestia Virginis Mariæ, meruerat parere filium Altissimi, & erat humillima, nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret: Ego & Pater tuus; sed Pater tuus, inquit, & ego; non attendit sui ventri dignitatem, sed ordinem coniugalem.* Num. 8.

Verùm alium quendā audite profundissimæ humilitatis actū quem alia quadam sibi oblatā occasione demonstrauit, Actor. cap. 1. Enumerat sacer Textus omnes illas personas, quæ vnanimiter post Ascensionem Domini vacabant orationibus in monte Oliueti, & postquam omnes recensuisset, Apostolos aliasque pias sanctasque mulieres, vltimo loco posuit Mariam Matrem Dei: *hi omnes erant* Num. 9.

rant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre Iesu, loco citato vers. 14. sicque omnium postrema fuit sanctissima Virgo. Quorum verborũ examini & obseruationi non immeritò incumbit D. Bernardus & quærit: Quinam sunt illi qui perseuerabant in oratione? si fortassis ibidem adsit Maria Virgo, cur igitur non denominatur primo loco, cùm sit superior cæteris omnibus, tum quia est Mater Dei, tum propter priuilegium sanctitatis propriæ? ita est; ast non id patiebatur humilitas Virginis benedictæ, quæ inter mulieres se reputauit vltimam, & ideò postremo nominatur loco: *Legisti in Actis Apostolorum* (inquit S. Bernardus) *quod redeuntes Apostoli à monte Oliueti vnanimiter perseuerabant in oratione, ibi si fortè Maria adfuit, nominetur & prima, quæ super omnes est tã filij prærogatiuã, quàm sua priuilegio sanctitatis; at Maria quantò maior erat, humiliauit se non modò omnibus, sed & præ omnibus, & meritò facta est nouissima prima, quæ cùm prima esset omnium, se nouissimam faciebat.*

Num. 10. Hinc Sponsus deprædicaturus Sponsę suæ humilitatem, postquàm hanc summis euexisset laudibus, composuit deinde cantum aliquem panegyricum in laudem oculorum eius, quos comparauit oculis columbarum lotis lacte, dicens: *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ*, Cant. 5. vers. 12. Relinquam huius loci expositiones obscuriores, & acceptabo illam præsenti proposito accommodam, quam tradit D. Gregorius Nyssenus Orat. 13. in Cantic. qui dicit meritã cum ratione oculos Sponsæ comparari oculis columbarum lacte lotis, quia potest se quilibet in quocumque liquore, lacte excepto, veluti in tersissimo speculo intueri & contemplari: *Verè in lacte obseruatum est, solum inter liquida proprietatem hanc habere, quòd in eo nullius rei simulachrum aut similitudo conspiciatur.* Ergo volebat significare Spiritus sanctus, quòd, quamuis Maria Virgo innumeris & plurimis ditata esset donis & prærogatiuis; nihilominus quia erat humillima, non iactabat & gloriabatur se Patris esse filiam, Filij Matrem, Sponsam Spiritus sancti, cœlorum Reginam, Imperatricem Angelorum & orbis totius Dominam; sed, ô stupendam humilitatem! quantò magis cœlestibus donis & gratijs se conspiciebat dotari, tantò magis se ijs indignam æstimabat, & propterea dixit: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Audiatur Sanctus Bernardinus Senensis sermon. 51. *Continuò Maria considerabat Dei maiestatem, & suam nihilitatem.*

Verùm hic non sistit gradum humilitas Beatissimæ Virginis, insuper dicit Cancellarius Parisiensis Guillielmus libr. de Vnius *habet hoc peculiare humilitas, quòd vacuitas eius impleri non potest donis largitoris, sed contendit cũ immensitate diuitiarum Dei & dicit: Imple iactum vacuitatis meæ, si potes, Domine Deus.* Sic igitur quò plures diuina bonitas cõmunicabat Marię Virgini cœlestes dotes, gratias & prę-rogatiuas, eò magis ipsa se humiliabat, & reddendo sese illis indignissimam, capacissimam se faciebat susceptionis maiorum donorum, ditiorum prerogatiuarum; vnde munificus & liberalissimus Deus quasi coactus erat, vt denouo impleret vacuitatem humilitatis ipsius, nec propterea illam sufficienter adimplere poterat, cum illa ampliorem, latiorem, capacioremque pararet viam humilitate suã. *Quãtò humiliùs sedebat, tantò amplius capiebat*, inquit S. August. sermon. de Assumpt. Virgin. concertabat namque omnipotentia Creatoris cum humilitate creaturę; illa indies vberiores maioresque infundebat dotes & gratias, hæc nihilosecius eò magis humiliabat sese. Vnde Deus profundissima eius victus humilitate quasi coactus fuit, vt ad humillimã castissimamque descenderet Virginem humanam induens naturam ac seipsum Num. 11.

veluti pretiosam gemmam illius se includeret claustro virginali, solũ ob profundissimam ipsius humilitatem: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Num. 12. Summa, adeò Deo perplacet castissimæ huius Virginis humilitas, vt cœlestis Sponsus proprio fateatur ore cor suum amoris iaculo transverberatum fuisse ab humilitate illius: *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cantic. 4. Vers. 9. Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. per hunc oculum, quo B. Virgo Maria cor divinum sauciauit, intelligit indicibilem & permagnum illum amorem, quo illa suo seipsam consecrauit creatori, & per crinem ad collũ vsque propendentem intelligit pretiosam humilitatis virtutem, vtpotè animæ Mariæ Virginis ornamentum; habuit siquidem ipsa tam humilem & exiguam de se opinionem, vt verbis exprimi nequeat, & quò magis per contemplationẽ crinis crescebat, & in altum se erigebat, eò magis ipsa descendebat in profundam quandam humilitatis abyssum, dum nimirum contemplabatur suam paruitatẽ & nihilitatem, adeoque indignissimi se tanti Monarchæ reputabat ancillam & famulam; & hic fuit crinis ille, qui ipsum ligauit & captivum tenuit; & ideò dixit ipsi; *Vulnerasti cor meum*, vel vt 70. legũt: *Abstulisti cor meum in vno crine colli tui.* Iam audite Rupertum Abbatem: *Iste est crinis colli humilis cogitatus mulieris, caput, id est, virum neque habentis, neque habere volentis, & vnũ illum crinem, tuum scilicet Spiritum humilem in me iniecisti, & veluti spiculum acutum vulnerasti cor meum.*

Num. 13. Et vt euidentius perspiciatis, quomodo humilitas Mariæ Virginis rapuerit & abstulerit cor à Deo, ponderate, amabo, mecum verba illa, quæ de seipsâ protulit in sacris Canticis: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Cant. 1. vers. 11. Subintrat hic Rupertus Abbas lib. 1. in Cant. & dicit accubitum Verbi incarnati esse sinum æterni Patris, in quo ab æterno requievit vnigenitus eius filius, iuxta illud S. Ioannis Evang. *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris*, cap. 1. vers. 18. & per herbam Nardi, quæ suâ naturâ est parua, summæque fragrantiæ & odoris, intelligit admirabilem virtutem humilitatis. Cũ ergo dicit B. Virgo: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, Idem est, ac si dixisset: ab illo tempore quo dilectus meus Sponsus requiescebat in sinu Patris æterni, suavem ille percepit humilitatis meæ odorem, qui adeò ei placuit, vt illius illectus odore, descenderit in terram, & ex meis visceribus fuerit natus homo: *Rex in accubitu suo* (inquit Rupertus) *Verbum est in sinu Patris, & dum ita esset, nardus humilitatis Maria dedit odorem suum, cuius odore delectatus descendit in vterum suum.*

Confirmatur hic conceptus ex eo, quòd sequitur in Textu S. Scripturæ. Cùm dixisset Sponsa: *Dum esset rex in accubitu suo*, statim subiunxit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter vbera mea commorabitur.* Cantic. 1. vers. 12. Itàne est, quod qui requiescebat in sinu Patris, tam subito descenderit de cœlis, & nunc commoretur inter vbera Sponsæ? omninò. Ecquis Verbum diuinũm de cœlo descendere fecit in sinum Mariæ? Humilitas Matris, dispersusque humilitatis eius odor. Testem illius audite S. Bernardum sermo. 42. in Cant. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur, Ante rex, modò dilectus: Ante in accubitu regio, modò inter Sponsæ vbera. Magna humilitatis virtus, cui etiã Deitatis maiestas tam facilè se inclinat.* Sicque humiliauit se diuina Maiestas, quando se humiliauit sponsa, & vbi Maria Virgo se appellauit ancillam, illico filius Dei descendit in ventrem Virginis. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Perpulchrè idem hoc confirmat propositum, quod ait Propheta Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice* Nu

eius

eius ascendet, cap. 11. versic. 1. ac si diceret: Si cognoscere desideretis, quomodo, quâve ratione filius Dei sit redempturus genus humanum; ecce progenerabitur Virga quædã è radice Iesse, scilicet Maria Virgo, & è radice huius Virgæ, quæ permanebit Virgo, prosiliet flos, nimirũ Christus Redemptor totius humani generis: *Egredietur Virga de radice Iesse*, &c. Acutissimè obseruat hic S. Albertus Magnus serm. 56. de B. Virgin. modum hunc loquendi Prophetæ, quod videlicet non dicat, Ex summitate vel ramis arboris illius producetur flos ille, sed ex radice. *Nota*, inquit cit. S. Episc. *quòd non ex summitate, sed ex radice ascendit flos, id est, filius Dei, spes æterna beatitudinis.* Ad denotandam, nimirum, excellentiam humilitatis Beatissimæ Virginis, propter quam ipsa promeruit assumi in Dei Matrem, & filius Dei quasi coactus fuit, vt humanam assumeret naturam; etenim si percurramus Scriptores rerum tum naturalium tum moralium, reperiemus per radices indicari humilitatis virtute præditos; nam sicut illæ profundius descendunt semper ad imum terræ: ita humiles infimum semper petunt locum, ac inferiores abiectioresque cæteris se reputant & sicut radix basis est & fundamentum, cui tota innititur arboris structura & moles: ad eundem modum humilitas est basis & fundamentum, cui reliquæ innituntur virtutes. Iã igitur dicere intendebat Propheta Isaias: Virga hæc, quæ egredietur de radice Iesse, Virgo nimirũ Maria, quæ nascetur è stirpe Dauidicâ, pariet florem, puta, filium Dei, Virginum florem; sed aduertatur, quòd non mediante alio semine, sed ex radice humilitatis proferet hunc fructum; vnde non minus verè quàm eleganter ad hoc idem propositum asserit D. Bernardus serm. 1. sup. Miss. *Si Maria humilis non fuisset, super eam Spiritus sanctus non descendisset.*

Num, 5. Excellentia & dignitas humilitatis Mariæ Virginis liquet etiam ex eo maximè, quod patientissimus Saluator noster eâ vsus fuerit tanquam condimento suorum dolorum, pœnarum & tormentorum perpessorum in amarissimâ sua passione & morte. Euidenter id ostendit regius Propheta Psal. 85. vbi is in personâ Christi in cruce pendentis hæc edicit verba: *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ & verax.* loc. cit. v. 15. *Respice in me & miserere mei; da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ.* vers. 17. S. P. Augustinus expendendo hunc locum ait per filium hic intelligi Christum Dominum, & Mariam Virginem per ancillã: *Saluum fac filium ancillæ tuæ, & cuius ancillæ, nisi illius quæ dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ast noua hic insurgit quæstio; cur non dixit, Filium reginæ tuæ? vel filiũ Sponsæ tuæ? cùm Sãctissima hæc Virgo esset cœli terræq; regina, & sãctissimę Trinitatis Spõsa? non alium ob finem, nisi quia Saluator noster in amarissimâ passione suâ hoc humilitatis titulo veluti saccaro & melle condire voluit acerba tormenta doloresque, quos patiebatur, & insipidas illas iniurias ac opprobria ab Hebræis sibi in cruce illata dulci hoc humilitatis liquore reddidit sapida. Pro cuius intelligentia sciendum, Mariam Virginem, cùm esset assumenda in Dei Matrem, non alio nisi ancillæ & famulæ titulo acceptasse illud officium: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum* Luc. 1. vers. 38. Et tantùm hæc Deo placuit humilitas, vt illã etiam in ligno crucis amarissimos suos dolores & cruciatus dulcorare voluerit; quasi voluisset dicere: Quemadmodum pijssima Mater mea donauit mihi vitam corporalem vnico humilitatis actu & titulo, vnico hoc ancillæ nomine: *Ecce ancilla Domini.* Ita, quia hanc eandem vitam in hoc ligno crucis profusurus sum, tradam & profundam illam quoque per hunc actum & titulum humilitatis, vo-

cando me filium ancillæ suæ: *Saluum fac filium ancillæ suæ.* vt mundus cognoscat & dilucidè omnibus pateat, quod sicut Mater mea, vt ego incarnarer, vestirer huius sanctissimæ humanitatis veste, & humani generis redemptioni darem initium, nullo alio medio vsa est nisi humilitate: *ecce ancilla Domini*, &c. Ita ego in exuendâ hac eâdem veste, & vt totaliter & complerè stabiliam hoc idem redemptionis mysterium, alio non vtar modo & medio nisi humilitate, vt sic finis correspondeat principio, & humilitate finiatur, quod humilitate inchoatum est, ac propterea: *Saluum fac filium ancillæ tuæ.*

Num. 16. Ob quam causam (& hoc conceptu concludam) opinaremini NN. gloriosam Virginem assumptam fuisse in cœlum, exaltatam super choros Angelorum aliosque Sanctos? non ob aliam respondet S. Maximus ser. de Virg. nisi ob humilitatem: *Numquam Maria super cœli solium ascendisset, nisi mentis humilitate prius sub ominbus descendisset.* Imò dico ego sanctissimam Virginem mediantibus humilitatis suæ pennis & alis euolasse ex hoc mundo in paradisum. Propositum hoc vti & totum ferè hunc discursũ pulchrè insinuat Spiritus sanctus perpaucis hisce verbis: *Capilli tui sicut gregres caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Cant. 4. vers. 1. Inconueniens sanè & primâ frõte insipidus videtur esse hic loquendi modus; nam vbi amabo, & quomodò, dum greges caprarum in vallem descendunt de monte, dici potest idiomate latino: *Ascendunt de monte*? per quam regulam? annòn hoc verbum *ascendo* stat pro tendere in altum? ergo dicendum erat: *Sicut greges caprarum descenderunt de monte*, non verò *ascenderunt*. Aut si dicere volebat: Ascenderũt, dicendum erat: *Ascenderunt montem*, & non, *de monte*. Ast optimè locutus est Spiritus sanctus, ad indicandum nobis, quod Beatissima Virgo, quò magis se humiliauit in terris, eò maiorẽ ipsi Deus concessit in terris gratiam, & in cœlis dignitatem & gloriam. Qodd vt clariùs pateat, examinemus paulò altiùs præfata Spiritus S. verba. Dicit: *quæ ascenderunt de monte.* Nimirum ascenderunt, cum descenderent de monte. & quibus hoc competit nisi humilibus? humilis enim eodem tempore, quo se humiliat coram mundo, exaltatur coram Deo, iuxta illud Lucæ 14. vers. 11. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Eodem instanti quo descendit, etiam ascendit. Quia igitur Maria Virgo eodem tempore quo se humiliabat: *Ecce ancilla Domini*, exaltabatur & descendens ascẽdebat; ideò meritò ait Spiritus S. *Sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte.* In hunc modum explanauit locum istum Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laud. Mariæ Virg. dicens: *Humilitatem Mariæ fecit in cogitatu, vnde dixit ei sponsus ab humilitate cogitationum ipsam commendans: capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad: Capilli isti sunt cogitationes humiles, quæ de corde velut de capite oriuntur, & ascenderunt de monte Galaad, id est, de sublimitate perfectionis suæ; benè autem dicitur, ascenderunt, licet descenderunt, quia huius descensus in oculis suis, ante oculos Domini erat quidam magnus ascensus.*

O humilitatis Mariæ Virginis excellentiam! quam Deus præ reliquis dilexit creaturis & ad maximam euexit dignitatem eligens, illam in veram Matrem suam; vt omnes ex hoc addisceremus, spiritualis structuræ fundamentum esse humilitatem, teste D. Augustino serm. 10. de verbis Dom. dicente: *Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.* Fugite ergo, ô fideles superbiam, euitate hoc infame vitium, & è contra sanctam amplectimini humilitatis virtutem ad exemplum Virginis, ad imitationem ipsius estote humiles; humilitas namque est rectissima via, quâ itur ad cœlum; ita vos vnicè precor & Num. 17.

exhortor cum S. Bernardo Serm. Sig. mag. *Obsecro vos filioli, æmulamini hanc virtutem: si Mariam diligitis, si contenditis ei placere.*

Maria Virgo Mater Dei.

DISCVRSVS XLII.

De excellentiâ & celsitudine Mariæ semper Virginis Matris Dei.

PVLCHERRIMA profectò & mysterijs plenissima sunt NN. verba illa, quæ Euangelicus Propheta Isaias, præcelsæ Matris Dei Mariæ depredicaturus excellentiam & celsitudinem adducit cap. 3. dicens: *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* Et post pauca clariorem magnificentiæ illius dans expositionem subiungit: *Gloria Libani data est ei.* vers. 1. & 2. Verum est NN. doctissimum Liranum & S. Hieronymum opinari, quod Propheta hisce verbis discurrat de beneficijs à Deo Synagogæ Hebræorum præstitis. Verum quoque est, quod affirmant D. Basilius, D. Gregorius, & alij in hunc locum, Isaiam loqui de summis honoribus à Deo concessis Ecclesiæ, cujus eminentia & gloria similis est monti Libani; Verùm meum accedunt propositum B. Thomas de Villâ nouâ Sermon. de Nativit. Virg. Rupertus Abbas, & Dionysius Carthus. in Cant. cùm dicunt Prophetam voluisse prædicere eminentiam & magnificentiam purissimæ & immaculatæ Mariæ Virginis sub nomine montis Libani: *Gloria Libani data est ei,* Ac si dixisset: Excedit & superas alios mõs Libani, cùm cæteris sit altior & sublimior, & hæc eadem prærogatiua concessa est Mariæ, quæ tanquam Mater Dei omnes creaturas in terris existẽtes, omnes Spiritus beatos cœlestis paradisi magnificentiâ superat & præcellit; vnde

Num. 1.

Num. 17.

S. Damascenus Orat. 1. de Natiuit. *Virgo mons est ille, qui collem omnem ac montem, id est, Angelorum & hominum sublimitatem exsuperat: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Talis est celsitudo, ait D. Augustinus, vt neque ab Angelico intellectu, taceo ab humano, comprehendi possit. Celsitudo talis est, inquit D. Gregorius, vt participet aliquod esse diuinum. Celsitudo talis, ait S. Anselmus, vt infinitum propè accedat. Celsitudo talis, dicit B. Laurentius Iustinianus, vt primatu superet omnẽ creaturam. Celsitudo talis, ait S. Bonaventura, vt Deus de potentiâ ordinariâ eam ad maiorem altitudinem sublimare nequiuerit. Celsitudo talis, asserit D. Thomas 1. part. quæst. 26. vt neque de potentiâ absolutâ illam maiorem facere potuerit; & quamuis Deus infinitæ existat potentiæ, nihilominus in hoc opere nimium in Matre Christi, vltimum attigit terminũ Non plus vltrà; siquidem gloriosa Virgo, in quantum Mater, attigit confines Deitatis & infinitatis, cùm sit Mater Dei, & consequenter si posset crescere in dignitate Matris, necesse esset, reperiretur alius quidam Deus maior illo, quem genuit, cuius posset esse Mater, quod est impossibile: *Beata Virgo* (ait Sanctus Doctor) *ex hoc, quod est Mater Dei habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eâ.* Hæc igitur dignitas Matris Dei superat omnem aliam excellentiam post

Deum. *Hoc solum* (ait S. Anselmus) *de sanctâ Mariâ Virgine prædicare, quod Dei Mater est, excedit omnem celsitudinem; quæ post Deum dici vel cogitari possit.*

Num, 2. Et hanc ob causam Christus Dominus actiones suas gloriosas & opera, vt toti innotesceret orbi, à quatuor prudentissimis Evangelistis conscribi, Mariæ verò Virginis Matris suæ, nec vitæ nec mortis, mentionem haberi voluit, quia cùm ille esset infinitus, omnipotens, immortalis, quando posteà factus est homo, finitus, mortalis, fragilis, multa de ipso dici & verificari benè poterant; è contrario verò quando Beata Virgo assumpta fuit in Matrem Dei, adeò exaltata est, talesque conscendit honoris & prærogatiuæ gradus, vt dignitatem eius, quia ineffabilis est & infinita nec potest esse maior, lingua creata explicare nō valeat; Ideoque satis est, dicatur de eâ: *De qua natus est Iesus.* Matth. cap. 1. vers. 16. sub his etenim verbis comprehenduntur omnes excellentiæ, prærogatiuæ & omnia laudum encomia, quæ in eius honorem pronunciari possunt. Ita asserit & confirmat propositum nostrum B. Thomas de Villâ noua serm. 2. de Nativitat. Virg.: *Sancti Euangelistæ de eius laudibus silent, quoniam ineffabilis est eius magnitudo: satis fuit de eâ dicere: De quâ natus est Iesus.*

Num. 3. Hinc Petrus Cellensis de pan. lib. 16. capit. 21. Matris Dei admirans dignitatem dicit: *Si cœli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum tam ab humano corde quàm ore excogitatum protuleris, non assurget adhuc super indicibilem honorem, quo creditur & prædicatur Dei genitrix.* quasi diceret: Si laudibus summoque, qui deberetur ac convenire posset cuicumque creaturæ, honore celebraturus esses sacrosanctâ hanc Virginem, eamque nominares Reginam cælorum, Angelorum Imperatricem, vel alio quopiam, quo exaltari posset, venerateris honoris titulo; nunquam tamen honores & encomia illa ineffabilem Maternitatis, quâ gaudet, dignitatem adæquabunt; alij siquidem honoris gradus attingi, imò superari possunt, hoc duntaxat excepto, ad quem Deus illam euexit vt propterea liberè possimus dicere: Maternitas hæc est *non plus vltra* seu terminus diuinæ omnipotentiæ.

Idque confirmari potest ex Scripturâ Sacra Lucæ cap. 1. vbi refert S. Evangelista, quòd Beata Virgo, postquam ingressa domum Zachariæ & titulo hoc Matris Dei honorata esset ab Elizabeth, quæ illam salutando dixerat: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* versic. 43. vt Domino meo de tanto sibi collato beneficio debitas referret grates, inter alia hæc effata est verba: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* vers. 49. Quæ verba cùm ponderaret S. Bernardinus Senensis tom. 3. Sermone 6. art. 2. cap. 2. optaretque scire, quænam essent illa magna quæ facta essent & præstita à Domino Deo Mariæ Virgini, tandem sibi ipsi re penitiùs examinatâ respondit B. Virginem ibi locutam fuisse de honore Maternitatis suæ; ideoque sic illam introducit respondentem: *Qualia autem sunt, non exprimo, quia nec planè aurıs Angelica intelligere potest. Ista autem magna non solùm creaturis sunt maxima; sed etiam maxima & inseparabilia sunt illi, qui potens est, imò omnipotens est, & sanctum nomen eius, & tamen nec potentiora, nec sapientiora ille facere potuit quàm quæ in me ipse fecit.* Quam ob causam subiungit S. Bonaventura in speculo Virg. cap. 8. *Ipsa est, quâ Deus maiorem facere non posset. Maiorem mundum posset facere Deus, maiorem quàm Matrem Dei non posset facere Deus.* Num. 4.

Verùm quâ viâ quibusue dispositionibus Beatissimam Virginem ad hanc infinitam Maternitatis divinæ dignitatem sublimatam fuisse opinamini? num fortassis solitis & ordinarijs dispositionibus, quę alijs creaturis à Deo communi-

cari

cari solet propter alia officia & ministeria ab ipso determinata, electam assumptamque fuisse arbitramini in Dei Matrem? S. Bernard. Senensis ferm. 61. de B. Virg. art. 1. cap. 12. dicit, quòd Pater in diuinis, vt generet Verbū, nulla prorsus indigeat dispositione præuiâ, quæ dispo-
Num. 4. nat, ad actum altissimæ illius generationis æternæ; siquidem per naturam, per suam innascibilitatem & per suam fœcundam memoriam necessariò generat Verbum per modum naturæ & intellectus? Ast quod mulier quædam & pura creatura sit Mater Dei, & generet secundùm humanitatem ipsummet filium, quem Deus generat ab æterno secundùm diuinitatem, hoc, inquit Sanctus ille, est miraculum miraculorum, quòd fieri nequit absque dispositione quadā præuiâ tantæ sanctitatis, tantæ gratiæ, tanti luminis, tantarumque perfectionum & prærogatiuarum, quæ ipsam extollant (vt ita loquar) ad certam quandam infinitatem & æqualitatem Dei, ratione cuius ipsa remaneat quasi transubstantiata & Deificata factaque veluti Dea quædam, vt ipsummet Deum dignè cōcipiat & pariat: *Sed quod fœmina* (verba sunt D. Bernardini) *conciperet Deum, fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim Virginem eleuari, ut ita dicam, ad quandam quasi æqualitatem diuinam per quandam infinitatē & immensitatem perfectionum & gratiarum, quam creatura nunquam experta fuit.*

Num. 6. Vnde ipsamet quoque Virgo tot tantisque se ditatam conspiciens gratijs & dotibus cœlestibus dixit: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Ecclef. 24. vers. 23. hoc discrimen NN reperio inter vitem & alias plantas, quod hæ crescant in determinatā quantitate, exempli causâ: Oliua crescit tantùm & non plùs, cypressus creuit tantùm & non plùs, platanus tantùm & non plus, & sic de reliquis; ast vitis determinatam non habet crescendi quantitatem, sed tantùm & vltrà crescere potest iuxta sustentaculum & fulcimentum, quod ei apponitur, vt docet experientia. Sic paruam & demissam persæpe videbimus vitē, quia paruo & demisso innititur fulcimēnto; altiorem aliam, quia altiori nititur sustentaculo. Conspiciemus deinde aliam, quæ, quia altissimo innititur sustentaculo, in tantam consurgit altitudinem, vt altiùs sustolli & sublimari nequeat. Beatissima igitur Maria Virgo hoc ipso, quo seipsam cōparat viti, voluit nobis insinuare quòd ramos suos (per quos S. Bonauentura in speculo B. Virg. cap. 2. intelligit diuinas gratias & cœlestia dona ac beneficia) eousque in altum erexerit, quousque sese extenderit eius sustentaculum & fulcimentum, & quia hoc est infinitum, (Deus enim est, qui illā sustentat;) hinc est quod infinitis sit repleta gratijs & diuinis dotibus, ac propterea SS. Angeli demirantes tot tantasque prærogatiuas, tantamque dignitatem dixerunt: *Quæ est ista quæ ascēdit de deserto delicijs affluēs, innixa super dilectum suum?* Cant. 8. vers. 5. Vbi S. Ambrosius legit in hunc modum: *Quæ est ista quæ ascendit, sicut vitis propago innixa super dilectum suum?* vnde Doctor Angelicus D. Tho. 3. part. quæst. 27. art. 5. ad 1. conclusit: *Virgo tantam obtinuit gratiæ plenitudinem, ut esset Auctori gratiæ propinquissima, ita quod eum, qui est plenus omni gratiâ, in se reciperet.*

Neque id mirum videatur; illa enim dona gratiarum, quæ supremus rerum artifex alijs Sanctis sparsim distribuit & diuisim elargitus est, Mariæ Virgini simul & vnitim communicata fuerunt. Appositè inseruit huic nostro proposito, quod legitur in Theatro vitæ humanæ; Quod nimirum coram Rege Angliæ vice quâdam celebrata fuerunt comitia generalia, in quibus cuncti totius regni comparuerunt principes & duces, quorū quilibet in proprio scuto depicta ferebat insignia pulchra & splendida singulorum exprimentia virtutes & gesta heroica, Num. 7.

heroica. Alius depictam gerebat myrrham ad demonstrandam suam constantiam: Alius storacem propter bonum odorem famæ, quem diffundebat: Alius galbanum, quia sicut hic fugat serpentes, ita ille in fugam conuertat hostem: Alius balsamum, vt denotaret, quod ob eius liberalitatem vndique illius esset diffusa fama; ast inter cæteros prodijt heroicus quidam princeps, qui in scuto apposuerat & myrrham & galbanum, & storacem & balsamum, & hæc verba, *In me omnia*, vt significaret non de vnicâ, sed de pluribus virtutibus & actibus heroicis se gloriari. A prophanâ ad sacram transeamus historiam, videre namque mihi videor coram Rege Regum & cœli terræque Monarchâ magnificū ac celebrem aulicorum suorum conuentū; sicque primó comparent Apostoli cum galbano propter victoriam de inimicis suis fœliciter obtentam; Martyres cum myrrhâ constantiæ in tormentis: Pontifices cum balsamo liberalitatis, quâ omnia erogabāt pauperibus: Virgines cum storace propter bonum, quem diffundebant, odorem: ast Regina cœlorum Maria Virgo omnium comparet splendidissima, siquidem in medium prodit in scuto suo deferens galbanum, balsamum, storacem & myrrham. Proprio id ipsamet confitetur ore Ecclesia. 24. *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*, vers. 20. *quasi storax & galbanus, &c. & quasi balsamum non mixtum odor meus.* vers. 21. *In me gratia omnis vitæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.* vers. 25. Summa, *in me omnia*, nam, vt ait S. Bernardus serm. 4. in Salue. alloquendo B. Virginem: *Nihil est virtutis, quod in te non resplendeat, & quidquid singuli habuêre sancti, tu sola possedisti.* Et sic in ipsâ resplendentem conspicimus fidem Patriarcharum, spem Prophetarum, zelum Apostolorum, constantiam Martyrum, sobrietatem confessorum, castitatem Virginum, fœcunditatem coniugum, puritatem Angelorum, omnium denique virtutum plenitudinem, teste D. Bernardo Sermon. Signum magnum, super verba illa: *In plenitudine sanctorū detentio mea. Benè in plenitudine Sanctorum detentio Mariæ fuit, cùm non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorū, castitas Virginum, fœcunditas Coniugatorum, insuper & puritas Angelorum.*

Et si Electi & Sancti propter merita sua montium condecorantur nomine: *Montes in circuitu eius.* Psalm 124. vers. 2. gloriosa Virgo fundamenta sua ponit supra hos montes: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Psalm 86. versic. 1. Sanctitate igitur præcellit reliquos omnes: *Erit* (inquit Propheta Isaias cap. 2. vers. 2.) *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Quem locum expendens D. Gregorius, ait: *Mons quippe in vertice montium fuit beatissima Virgo, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit.*

Ex hac sanctitatis altitudine, quam attigit Virgo benedicta, colligo ipsam non Num.
habuisse sui similem in mundo. Intensæ citharæ chordæ, vt suavē & symphoniacum reddant sonum, binæ semper & pares ponuntur; sic v.g. in citharâ sunt duæ quintæ, duæ quartæ, duæ tertiæ; ast suprana, ut ita loquar, non habet parem, nec comitem, sed sola est. Sic in mysticâ citharâ sanctæ Ecclesiæ, quot sunt in eâ sanctarum animarum, tot in eâdem cernuntur chordæ concordantes & consonantes in vnitate & charitate Spiritus: omnes hæ chordæ habent sui similes & pares. Vultisne quendā Apostolum? vndecim ecce alios. Petitisne vnum Euangelistam? accipe tres alios. Vnā quoque desideratis Virginem? ecce in vnâ solâ Coloniâ Agrippinâ vndecim habebis millia Virginum, quæ pro fide Catholicâ vitam constantissimè profuderunt & sanguinem: omnes hæ chordæ parem

sortiuntur comitem & sociam; ast vna principalis est & suprana; vna sola parem nescit sociā, & hæc Maria Virgo Mater Dei, de quâ quidam cecinit Poëta Catholicus & Christianus.

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem,

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Sed vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ ait Spiritus Sanctus in Cantic, ca. 6. vers. 7. & 8. Vna est, quæ parem non habet, & hæc est Beatissima Virgo, in quâ vnitæ sunt Virginitas & Maternitas, quod privilegium omnipotens Deus nulli vnquam concessit: *Vna & electa est* (ait Rupertus in Cant.) *quia nec inter Angelos, nec inter homines vel primam habet, vel*
Num. 9. *sequentem hab tura est.*

Et sicut Virginitas aliarum fœminarum concertat cum Virginitate Angelicâ, vti asserit Sanct. Bernardus Epist. 20. ad Henricum: *Virginitas soror est Angelorum.* Ita Virginitas Angelicæ transcendens conditionem, concertat aliquo modo cum Virginitate sanctissimæ ac individuæ Trinitatis, quæ à D. Gregorio Nazianzeno in Carm. de Virg. appellata fuit: *Virginum prima Trias.* Quia sicut illa non est sterilis, sicuti puritas Angelica; sed Pater æternâ generatione producit filium cum fœcunditate Virginali & fœcundâ Virginitate: ita hæc Mariæ Virginitas non admisit in se sterilitatem aliarum Virginum, sed simul fuit fœcunda Virgo & purissima genitrix. Idque insinuauit mellifluus Bernardus serm. Sig. mag. cùm dixit: *Sola hæc est beata Deipara, in quâ Virginitas & Maternitas obuiauerunt sibi; in eâ semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum.*

O excellentiam! ô prærogatiuam! ô prodigium! pura & fœcunda Virgo est Mater, ô stupendam vnionem! ô miram coniunctionem! symbolum Virginitatis, inquit Theophylactus in Matth.

erat mons Libani candidus semper propter continuam niuē, quâ cooperiebatur; Maternitatis verò symbolum erat mons Carmeli copiosis semper abudans fructibus, Quia igitur Maria Virgo simul & Mater esse debebat, ideò de eâ dicitur, quod fuerit dotata gloriâ Libani & decore Carmeli: *Gloria Libani data est ei & decor Carmeli.* Isaiæ capit. 35 vers. 2.

Virginitatis symbolum, ait Theodo- Num. 10.
retus in Cant. erat terebinthus, quę producit flores sine fructibus & Maternitatis typus erat vitis, quæ profert fructus sine floribus: Quia ergo Maria debebat esse Virgo iuxtà & Mater, ideò de eâ dicitur, quod progerminauerit flores terebinthi & fructus vitis: *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, Ego quasi vitis fructificaui.* Eccles. 24. versic. 22. & 23.

Inter Græcos (dicit Gregorius Nazianzenus Orat. 11. in Cant.) puellæ Virginis signum erat portare vestem purissimo intertextam auro: fœminæ verò matris signum erat vestimentum adornatum & variegatum. Quia ergo Maria debebat esse Virgo simul & Mater, proptereà verificatur de eâ, quod fuerit aureâ & variè adornatâ induta veste: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Ps. 44. v. 10.

Lilium candidum, quod suavem spirat odorem iuxta S. Ambrosium de instit. Virg. cap. 1. & S. Bernardum Serm. 2. de Assumpt. est symbolum Virginitatis, & triticum, quod est fœcundum, nutrit & pascit, Maternitatis signum est; quia igitur Maria semper permanens Virgo assumenda pariter erat in Matrem, eâ de causâ comparatur aceruo tritici & coronæ liliorum: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis,* Cant. 7. vers. 2.

Et inter Ægyptios, ait Sanctus Basilius lib. de verâ Virg. typus puræ Virginitatis est rosa, fœcundæ verò Maternitatis oliua. Quia ergo Maria debebat esse pura Virgo & fœcunda Mater, ea propter assimilata fuit rubicundæ rosæ

& speciosæ oliuæ: *Quasi plantatio rosæ in Iericho*, Eccles. 24. vers. 18. *Et quasi oliua speciosa in campis*, vers. 19.

Num. 11. In sacris Canticis cœlestis Sponsus comparat Mariam malo granato dicens: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. Cantic. 4. vers. 13. Nec id sine mysterio, etenim de hac gratiosâ arbore referunt naturales, quòd productura fructus, non dimittat aut reijciat à se flores instar aliarum arborum, sed eosdem retineat, vt speciosam deinde ex ijs sibi efformet coronam, quâ plurimùm adornatum est malum punicum. Hac igitur comparatione voluit innuere Sponsus, quòd, quando Maria Virgo arbor hæc mystica à cœlesti plantata hortulano produxit fructum vitæ æternæ Iesum Christum Dominum, non dimisit aut perdidit florem Virginitatis suæ, sed eundem illæsum conseruauit & intactum, & sic fuit Virgo & Mater, quod alijs non contingit mulieribus, quæ desideratum edentes prolis fructum necessariò deperdunt florem Virginitatis, virgines enim & matres simul esse nequeunt. Soli, soli Mariæ reseruata fuit hæc gratia, quæ pariendo Christum Dominum immaculata remansit Virgo, veluti ipsamet gloriabatur, dicens: *Flores mei fructus honoris & honestatis*. Ecclesiast. 24. versic. 23. Vnde S. Gregorius Nyssenus in Orat. de Natiuit. Christi Domini præcelsam B. Virginis demirans dignitatem & prærogatiuas, exclamat: *O miraculum ingens! Virgo Mater fit, & Virgo permanet. In alijs fœminis quamdiu Virgo aliqua est, Mater non est; cùm autem Mater facta fuerit, Virginitatem non habet; hîc verò Virginitas neque partũ prohibuit, neque partus Virginitatem soluit.*

Confirmatur hoc idem ex loco paulò ante citato, vbi Regina cœlorum de seipsâ loquens ait: *Flores mei fructus honoris & honestatis*. Hugo de S. Victore Sermon. 55. penitiùs examinans hæc verba, Mariam Virginem non instar aliarum mulierum, quæ concipiendo priuantur flore Virginitatis: sed eodem tempore gauisam fuisse & fructu Maternitatis Dei, & flore puritatis Virginalis contestatur hisce verbis: *Hic fructus solus est, qui Matri suæ florem non abstulit, sed conseruauit ac venustauit.*

Hinc factum est, ait S. Anselmus lib. Num. 12.
de excellentia Virginis, beatissimam Virginem fuisse specialiter benedictam supra omnes alias mulieres: *Aliquæ mulieres* (inquit ille) *sunt benedictæ, quia Virgines, sed non sunt fœcundæ; aliquæ verò sunt fœcundæ, sed non Virgines.* Ast Beata Virgo dicit S. Bernardus ser. 4. de Assumpt. *fuit sine corruptione fœcunda, sine grauedine grauida, & sine dolore puerpera.* Insuper idem Sanctus auream hanc protulit sententiam: *Vnum est in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habẽs cum Virginitatis honore.* Meritò igitur ab Isaiâ Prophetâ comparata fuit Monti Carmeli propter eminentiã Maternitatis Dei, quâ cæteras omnes præcellit creaturas, & propterea de eâ prædixit: *Gloria Libani data est ei: decor Carmeli.* cap. 35. vers. 2.

Optandum summoperè N. vt ad hunc Num. 13.
Montem mentis vestræ attolleretis oculos. In quem locum fugit Loth liberaturus se ab incendio Sodomæ, nisi in monte? Genes. cap. 19. In quo loco requieuit arca Noë post aquas diluuij, nisi in monte? Gen. cap. 8. Ita quoque optarem vt fugeretis diluuia vanitatis mundanæ & carnis incendia, omnesque mõtem peteretis deuotionis Mariæ Virginis potentissimæ Imperatricis & dispensatricis gratiarum & donorum cœlestium; illâ enim vos protegente, vobisque factâ propitiâ, propitium quoque habebitis Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sanctosque Angelos & cunctos cœli incolas.

Dicam ergo vobis N. cum S. Apostolo Num. 14.
Paulo: *Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, &*

gra-

gratiã inueniamus in auxilio opportuno. ad Hebr. 4. verſ. 16. Sed quis eſt ille thronus gratiæ? S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus part. 4. tit. 15. ca. 17. §. 7. dicit illum eſſe Matrem Dei Mariam Virginem: *Ad thronum igitur eius ſcilicet Virginem Mariam, in qua quieuit, accedamus cum fiduciâ, ait Apoſtolus, vt miſericordiam & gratiam conſequamur in tempore opportuno.* Et ſanctus Bernardus ſer. 28. in Cant. admonendo quemlibet, vt confugiat ad Beatiſſimã Virginem in hunc loquitur modum: *Ad Mariam recurre; exaudietur enim ipſa pro reuerentiâ ſuâ; exaudiet vtique Matrem filius.* Adeoque mediante ipſius interceſſione obtinebimus gratiam in hoc mundo, & gloriam in futuro.

Maria Mater Christi.

DISCVRSVS XLIII.

Quàm magni fecerit Chriſtus Dominus, quòd ſit filius Matris tam præcelſæ, puræ & ſanctæ, cunctiſq; dotatæ prærogatiuis.

Num. 1. INTER generationem æternam, temporalem, Sacramentalem & ſpiritualem Domini & Saluatoris noſtri talis & tanto meo iudicio intercedit ſympathia, vt ſibi inuicem quaſi factę æmulæ contendant de origine, certent de qualitate, dimicent de tempore, diſceptent de viâ, quâ illis mediantibus pijſſimus Saluator noſter ad nos venit, prælienturque de modo, quo per illas ſe nobis oſtendit & communicat.

Contendunt præcipuè de origine; etenim ſi in generatione æternâ Chriſtus Dominus filius & Sol Patris æterni: *Cãdor eſt enim lucis æternæ.* Sapient. 7 verſic. 23. In temporali eſt filius & Sol Virginis & Matris: *Orietur vobis &c. Sol iuſtitiæ.* Malachiæ 4. verſ. 2. In ſacramentali eſt filius & ſol nubium ſacramentalium: *ſub nubę velatus.* Et in ſpirituali eſt filius & ſol cordis humani: *Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Matth. 17. verſ. 2.

Certant de qualitate; nam in generatione æternâ filius eſt æqualis patri: *Qualis pater, talis filius.* S. Athanaſius in Symb. In temporali filius eſt maior matre: *Antequam Abraham fieret ego ſum.* Ioann. 8. verſ. 58. In ſacramentali & ſpirituali pater & filius ſunt vnum & idem: *Ego & Pater vnum ſumus.* Ioann. 10. verſicul. 30.

Dimicant de tempore; in generatione namque æternâ filius productus fuit à patre æterno tempore noctis: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Pſalm. 109. verſ. 3. & in temporali noctis tempore progenitus fuit: *Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus,* &c. Sapien. 18. verſ. 14. Sic ſacramentalis generatio facta fuit nocte: *In qua nocte tradebatur, accepit panem.* 1. Corinth. 11. verſ. 14. Et ſpiritualis ſimiliter contigit nocte: *& creabit Dominus vbi inuocatus eſt, ſplendorem ignis flammantis in nocte:* Iſaiæ 1. verſ. 5.

Diſceptant de viâ, quâ ad nos illis mediantibus venit; nam ſi in generatione æternâ pater cæleſtis produxit ipſum dictione & locutione: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Pſal. 2. verſ. 7. In temporali pariter Maria Virgo genuit

genuit ipsum, dictione & locutione: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbũ tuum*, Lucæ 1. vers. 38. In sacramentali productione producit eum verbo Sacerdos: *Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit.* S. Ecclesia & in spirituali quoque solâ producitur locutione: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Lucæ 11. vers. 28.

Præliantur de modo, quo per illas sese nobis ostendit & communicat; etenim si in generatione æternâ verbum æternum venit tanquam princeps incognitus: *est imago Dei inuisibilis.* 1. Corinth. 4. vers. 15. In temporali & incognitum se ostendit: *& mundus eum non cognouit.* Ioan. 1. vers. 10. In sacramentali etiam manifestat se sub incognitâ specie: *sub diuersis speciebus signis tantùm & non rebus latent res eximiæ.* S. Ecclesia, & in spirituali tandem veluti incognitus Dominus in nobis possessionem capit *Non est qui videat me.* Isaiæ 47. vers. 10. O chara concertatio! ô dulce prælium! ô affabilis disceptatio! ô suauis pugna! ô gratiosa contentio! ô delectabilia torneamina & spectacula! vbi primæ generationis causa est omnipotentia Patris: *Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* ad Heb. 1. vers. 3. Secundæ humilitas Mariæ Virginis & matris; *in ventre matris meæ figuratus sum caro.* Sapient. 7. vers. 1. Tertiæ amor immensus ipsiusmet Filij: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Ioann. 3. vers. 8. Et quamuis non reperiatur Iudex aliquis, qui plus vni quàm alteri coronam, palmam, & primatum adiudicet; nihilominus, quia Christum Dominũ video maximo sibi ducere honori, quòd sit filius Mariæ Virginis, ideò in præsenti discursu coronam attribuam generationi temporali.

Permagni profectò æstimauit Dominus noster se esse filium Mariæ Virginis, adeò quidem vt honores aliunde sibi delatos acceptare noluerit, nisi redundarẽt etiam in Mariam Virginem & Matrem eius. Pro huius maiori elucidatione proponam quandam oppositionem ex Sacrâ Scripturâ ex SS. Euang. Ioan. cap. 6. & Matth. cap. 2. & primò Ioann. cap. cit. videntes Hebræi stupenda miracula, quę continuò patrabat Dominus noster, omninò exinde argumentati sunt, & concluserunt, ipsum verè esse filium Dei, Redemptorem generis humani, ac verum totius populi Israëlitici Messiam; itaque cùm audirent Christum morari extra ciuitatem, iuerunt multi satrapæ & scribæ visitatum & creatum ipsum in suum Regem, principem & Dominum: id aduertens Christus, ecce *fugit in montem ipse solus.* vers. 15. Apponite huc vnum digitum, & tenete hoc firmiter; totum oppositum reperio in S. Euangelistâ Matthæo; etenim vix natus Christus in Bethlehem voluit ab omni creaturâ adorari, non duntaxat à gente feriali, communi & infimæ sortis ac conditionis; sed etiam à Magnatibus, principibus & regibus etiam potentissimis totius mundi, inter quos fuêre tres Magi & Reges, qui ab vltimis finibus mundi venerunt Bethlehem Christum adoraturi. *Et procidentes adorauerunt eum.* loc. cit. vers. 11.

Peto nunc à vobis causam, cur Christus Dominus, ne adoraretur, fugerit in desertum, & in præsepi voluerit adorari? in deserto etiam ab hominibus infimæ conditionis & sortis renuit sibi exhiberi seruitia & obsequia, & in præsepi ea acceptat, præcipit & mandat, vt potentissimi etiam Reges ipsum adorent: in deserto se abscondit, ne honor & reuerentia, tametsi debita, ei deferatur, & in præsepi dubius quodammodo, nùm à Magis inueniretur, nouam creat stellam, quę illos duceret ad destinatum locum, vbi adoraretur. Et cùr hoc? sanè id vix capio; annon is idem erat Christus, tam in vno quàm in altero loco? omninò. Et cur igitur hîc solùm & non ibi adorari petit? Vt nobis significaretur quanti æstimaret

Domi-

Dominus & Saluator noster se esse filiũ Mariæ Virginis, hunc enim honorem tanti fecit, vt omnis alterius honoris sese iudicaret prorsus incapacem, quotiescumque is non simul redundaret in Mariam Virginem. Erat idemmet Iesus & Dominus tam in deserto, quàm in præsepi, & nihilominus effectus adeò differentes visi fuerunt, noluit; videlicet, adorari in deserto, quemadmodum adorationem in præsepi permisit; perlegite namque sacrum Textum & comperietis, Mariam Virginem, quando Hebræi venerunt in desertum, vt debitum adorationis honorem deferrent Saluatori nostro, non fuisse ibidem præsentem *quia fugit in montem ipse solus.* Quare dicere volebat Dominus: quo fine acceptare debeo hunc honorem Regis, & hanc gloriam regij tituli, cùm non adsit Maria Virgo, Mater mea, à quâ omnes mei dependent & vitam ceperunt honores, nō, non, nolo illum, & ideò: *Fugit in montem ipse solus.*, ast in præsepi præsens erat Beatissima Virgo. *Intrantes domum inuenerunt puerum cum Mariâ Matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* loc. cit. Quia, inquit Christus, ubi præsens est Maria Virgo Mater mea, ibi omnis etiam est honor & gloria mea, & ideò contentus sum, vt ibidem etiam adorer. Hisce perelegans fert testimonium S. Militon sermone quinto de Dominâ dicens: *noluit in deserto coronari, voluit in præsepio adorari.* Quare? *quia ibi Maria Mater eius non erat, hic autem habebatur.* Et ideò S. Bernardus Sermone de Epiphaniâ loquens de corona, quâ Beat. Virgo coronauerat Christũ, dicebat: *Dominus noster qui à patre coronatur semper coronâ gloriæ, à Maria Virgine coronatus est coronâ humanitatis.*

Num. 3. Matthæi 26. lamentabilis legitur casus & lapsus Petri Apostoli; traditum quippe pientissimum redemptorem nostrum, captum & instar prædonis ligatum in horto Gethsemani, & exinde ducendum ad Principes Sacerdotum, Petrus, vti refert S. Euangelista, secutus fuit à longè; *Petrus autem sequebatur eum à longè.* vers. 58. Tandem palatium Caiphæ, vbi erat Christus ingressus, & à vili quâdam muliere interrogatus, num esset vnus ex discipulis Christi, trinâ vice negauit se nouisse illum hominem, *non noui hominem*, vers. 72. Miror profectò enormē hunc Petri lapsum, Bone Deus! S. Petrus, petra, basis & fundamentum S. Ecclesiæ, S. Petrus vice-Deus in terrâ. S. Petrus perpetuus Christi Vicarius, S. Petrus caput & princeps totius collegii Apostolici permittitur cadere in culpam & peccatum adeò enorme? Plurimas SS. Patres adferunt rationes huius negationis & peccati Petri: admodum verò placet & proposito huic plurimum inseruit illa quam adducit inter alias S. Chrysostomus, qui asserit ideò Apostolum in hanc trinam prolapsum fuisse negationem, quia constitutus in monte Thabor nullum honorem & reuerentiā exhibuit Mariæ Virgini, eò quòd post Christum petierit pro Moyse & Elia, non verò pro Mariâ Virgine exstrui tabernaculum, cùm enim ibidem gauderet delicijs paradisi & gaudijs æternę glorię, solùm dixit: *Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Matthæ 17. vers. 4. ac si dixisset: Domine profectò huius regionis loca summoperè mihi arrident, verè iucundus habitationis locus est, quare ego iudicarem, expediens, si ita tuæ placeret Maiestati, vt in hoc colle construeremus tria palatia, vnum pro te, alterum pro Moyse, & tertium pro Eliâ: *Faciamus hic tria tabernacula tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Ast Mariæ Virginis nullam fecit mentionē. Ah, inquit Christus, ô Petre, vbinam relinquis Mariam Virginem Matrem meam? num fortè eam tanto non censes dignam honore, quanto Moysen & Eliam? & cur non pro illâ etiam con-

strui petis aliquod tabernaculum? cur ei etiã non attribuis hũc honoré: si dixisses: *faciamus hic quatuor tabernacula, tibi vnum, Mariæ vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum*, dixisses bene; verùm quia ne minimam fecisti mentionem matris meæ, ideò permittam vt in trinam labaris negationem, & deinde ob illam irreuerentiam matri meæ factam doleas & pœnitentiam agas, vnde magnum illum fecit planctum: *fleuit amarè.* Audite S. Joannẽ Chrysostomum super hunc locum: *Nónne in monte transfigurationis in me peccasti, cùm velles tria tabernacula fabricare & me sine Matre meâ in eodem ordine cum amicis collocare? ideò negasti.* Ah peccatores & peccatrices! si Deus tantum indignatur S. Petro Apostolo, eò quòd non honorarit Mariam Virginem Matrem suã, quid erit de vobis, qui nulla ei defertis obsequia, nulla honoris & reuerentiæ ostenditis signa?

Num. 4. Ascendamus montem Caluariæ & rei huius veritatem magis elucidatam perspiciemus, videbimus, nimirum, Christum Dominum post tot exantlatos labores, post tot perpessa tormenta & cruciatus tandem inclinato capite mortuũ esse: *Et inclinato capite tradidit Spiritum.* Ioan. 19. vers. 30. Non immeritò mirantur nonnulli N. cur Redemptor noster moriturus inclinauerit caput? cur illud non direxerit cœlũ versus? cùm in monte Caluariæ aliud non videret nisi Hebræos odio, ira & inuidiâ flagrantes, ministros furijs quasi exagitatos, milites armatos, demùm funestum apparatum crudelissimæ mortis; at in cœlo stabant Angeli condolentes & compatientes ei, ergo meliùs erexisset illud in altum, quàm demisisset in terram; etenim tenendo caput demissum terram versus, videbatur coactè seipsum sacrificasse morti, quodque de ipso verificari non posset: *Oblatus est, quia ipse voluit.* sed merita cum ratione id fecit, voluit enim dulcissimus meus Iesus ostendere nobis, quanto sibi duceret honori, quòd filius esset Mariæ Virginis, videlicet quòd non minùs quodammodo æstimauerit se esse filiũ Virginis Matris, quàm æterni Patris. Audite excellens testimonium S. Patris Anadac serm. 5. totum id confirmans, dum ait: *Inclinato capite tradidit Spiritum.* Quare? *quia Spiritus, quem ex aluo matris assumpserat, in vlnas matris redire cupiebat.* Vnde quia summè complacuit sibi in hac filiatione; voluit insuper per hanc capitis sui inclinationẽ nos exhortari & excitare non solùm ad cultum Beatissimæ matris suæ, verùm etiam ad debitum ei impendendum honorem & reuerentiam; ac si dixisset: Ecce, ô mortales, exemplũ do vobis, vt quemadmodum ego summè veneror hanc matrem meam inclinatione capitis, ita & vos eidem capita vestra humillimè inclinare & debita honoris & seruitutis obsequia præstare debeatis; ecce matrẽ vestram spiritualem quæ vestri indefessam habebit curam, si indefessè eam colueritis; ad ipsam confugite. O peccatores, ei inclinate capita vestra, si peccatorum vestrorum remissionem obtinere & diuinam effugere indignationem prætendatis, quia est vera Mater mea, quam iubeo à vobis sic honorari; est oraculum diuinæ misericordiæ, scutum vestrum, protectio vestra, ad quam vobis in necessitatibus constitutis recurrendum est, si salutem obtinere exoptetis, non mea hæc est interpretatio, sed Eminentissimi Hugonis Cardinalis in hunc locum dicentis: *Inclinato capite tradidit Spiritum, ex parte Matris suæ, quasi diceret: Per ipsam veniam petite, ipsa est oraculum misericordiæ.*

Sed clarius hoc idem elucidabitur ex Num. 5. aliâ quâdam oppositione Scripturæ. Ioan. cap. 11. quamprimum Christus intellexit mortem Lazari, venit Bethaniam resuscitaturum illum, & vt vidit sepulchrum, in quo mortuus quatriduanus iacebat, erupit in lachrymas: *Lachrymatus est Iesus.* Exspectate hîc parumper, totum

totum contrarium reperio in S. Apostolo Paulo ad Hebræos 12. etenim, vt audiuit Iesus Redemptor meus se condemnatum ad mortem crucis, tantâ animi lætitiâ & iubilo sententiâ mortis huius acceptauit, quasi nunquam ei potuissent noua significari lætiora; totus consolatus & hilaris abijt: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ.* vers. 2. Iam quæro ego, quâ de causâ Christus resuscitando Lazarum planxerit: *Lachrymatus est Iesus.* & auditâ sententiâ mortis suæ gauisus fuerit: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Ah mi dulcissime Iesu, annon melius fecisses, vt nimirum in resuscitatione Lazari, vbi vitam tribuebas alteri, exultasses & iubilasses: hîc verò, vbi de morte tuâ agebatur, planxisses, eò magis quò mors ista eo tẽpore erat maximè infamis: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, Deuteron. 21. versicul. 23.? non sanè. Vt hinc intelligas, quãto sibi Christus ducat honori quòd sit filius Mariæ Virginis; Nam cùm Lazarum resuscitaret ad vitam, infinitam suam ostendit potentiam, & quia miracula sunt effectus omnipotentiæ & omnipotentia est attributũ patris, propterea non aderat ratio, cur gauderet; ast ire ad crucem, ad mortem, erat effectus humanitatis eius, cùm solus homo & non Deus huic fuerit subiectus. Quia igitur Christus videbat, quòd morte suâ se demonstraret Mariæ Virginis verum & realem filium, ideò gauisus est & gaudio exultauit: *Proposito gaudio sustinuit crucem.* Verùm huic conceptui testimonium suppeditabit S. Idelphonsus sermone 2. de Natiuitate Virginis Mariæ: *Vt te veram matrem ostenderet, se verum filiũ patiendo tormenta monstrauit* Et P. Ponferadiensis: *Benignus atque amantissimus filius, qui maluit paternitatem diuinam celare, quàm temporalem maternitatem.* O mirabilem respectus filialis effectum!

Num. 6. Quidni Christus summè æstimaret hanc filiationem, cùm sit Filius Matris, quæ simul est Virgo, vti id euidenter constat Apoc. c. 12. vbi S. Euang. Ioannes Spiritu raptus in cœlum, vidit Mariam Virginem totam sole vestitam, calceatam Lunâ, Stellis coronatam. *Mulier amicta sole & luna sub pedibus eius & in capite eius corona stellarum duodecim.* Sed raptus attonitus & ego hic hæreo; etenim verba illa Diui Ioannis in verâ Philosophiâ non possunt subsistere; nam quomodo possibile est, quod dicat se vidisse Mariam Virginem vestitam sole, & coronatam stellis? si dixisset, se vidisse illam vestitam sole, benè esset, quia Sol omnium patet oculis; At simul videri caput stellis coronatum impossibile erat; scitis namque vos Astrologi, quòd tametsi stellæ sint per se luminosæ & resplendeant, & absente sole videri possint, attamen videri nequeunt ad præsentiam solis, & quamuis ibidem sint, non tamen videntur; solummodò noctè, sole absente, illas conspicitis. Vnde excellens quoddam ingenium composuit emblema aliquod, & hæc ei addidit verba: *Non cernuntur & adsunt.* Quâ igitur ratione dicere poterat S. Ioannes se vidisse Mariã Virginem sole vestitam, & simul stellis coronotam? Pro dubij huius resolutione sciendum tres inueniri lucis species iuxta Apostolum; Solis, scilicet, lunæ & stellarũ: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum*, 1. Cor. cap. 15. vers. 41. Quem locum S. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 351. exponẽs, ait per lucem solis intelligi donum virginitatis, per lucem Lunæ intelligi donum continentiæ, & per lucem stellarum intelligi donum maternitatis. Iam igitur dicere intendit Ioannes: Venite spectatum mysterium, cui simile nec vnquam vidistis: *Signum magnum apparuit in cœlo.* Et est tale: Maria Virgo permanens Virgo, parturiit infantem, sol virginitatis & stellæ maternitatis sunt simul vnitæ & coniunctæ, & ideò *amicta sole, & in capite eius corona stellarum duodecim.* S. Isidorus excellen-

cellenter totum hoc hiſce declarat verbis: *Cum igitur matres ſtellis ſignificentur, & Virgines ſole, non eſt mirum, Mariam hæc omnia habuiſſe, quia & Mater extitit & Virgo fuit.*

Num. 7. Quidni ſibi id magno doceret honori, cùm ſit filius Matris talis, cui Deus ſpecimen aliquod diuinæ ſuæ omnipotentiæ communicaſſe videtur? Ex duobus Scripturæ locis idipſum perſpicietis. Geneſ. capit. 1. proceſſerat Deus ad creationem mundi, & creando illum quamlibet producebat creaturam unico illo & ſolo *fiat*, creabat lucem dicēdo: *fiat Lux, & facta eſt Lux*, verſ. 3. Creabat cœlum dicendo: *fiat firmamentum*, verſ. 6. & factum eſt ita. Sic de reliquis diſcurrite creaturis, & reperietis Deum omnia vnico hoc *fiat* creaſſe; vna nihilominus exſtitit creatura, nimirum Adam in cuius creatione modū hunc loquendi mutauit, non iā dixit: *Fiat*: ſed: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, verſ. 26. Gradum hic ſiſtete, totū oppoſitum reperio in S. Euan. Lucā cap. 1. vbi S. Euangeliſta loquens de Incarnatione Chriſti Saluatoris noſtri dicit, Mariam Virginem in efformatione noui Adami Chriſti Domini non dixiſſe, *Faciamus*, vti Deus; ſed *fiat*: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*, loc. citat. verſ. 38. Obſtupeſcit ſummoperè hoc ſuper re modernus quidam grauiſſimus author, & quærit, cur Deus producendo alias creaturas, dixerit *Fiat* & creando hominem: *Faciamus*. Et ſimiliter Deus creando hominem dixerit: *Faciamus*, Maria Virgo verò: *Fiat*. Si voluntas Mariæ Virginis tota erat conformis volūtati diuinæ, cur non dixit: *Faciamus* vti Deus, & non: *Fiat*? & tandem reſpōdet id non eſſe mirum; quia generatio tēporalis Chriſti ex Mariā Virgine modo ſupernaturali & extraordinario videlicet ſine concurſu matris & ad modum generationis æternæ fieri debebat: Sicut enim Pater æternus genuit Filium abſq; concurſu matris, adeoque patris & matris ſimul functus eſt officio, vt propterea à ſancto Sineſio Pater æternus non immeritò in hymno appelletur Patri-Mater ita B. Virgo, quia in terris functa eſt officio matris & patris, appellatur Matri-Pater, teſte eodem. *Tu Pater, tu Mater, tu mas, tu fœmina, tu vox, tu ſilentium, naturæ natura fœcunda*: & ſicut in cœlis eſſentia divina commu nicata eſt tribus perſonis, ita in terris Beata Virgo communicauit vnam perſonam duabus naturis. In cœlis fecit Pater, quod Pater & filius, & Spiritus ſanctus ſint vnus Deus; in terris ipſa effecit quòd Deus & homo ſint vnus & ſolus Chriſtus. Et quemadmodum in creatione mūndi, quando Deus hoc voluntatis actu, *Fiat*, creabat ſolem, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Gen. 1. verſ. 2. Sic beatiſſima Virgo in generatione ſolis iuſtitiæ quando per hunc actum voluntatis *fiat*: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, præbuit conſenſum Angelo Gabrieli, Spiritus ſancti obumbrabatur gratiā. Vt ergo Spiritus ſanctus indicaret Mariæ Virgini, per hoc quod peperiſſet Chriſtum Saluatorem noſtrum, fuiſſe collatam talem potentiam, quæ eſſet æmula ſuæ omnipotentiæ diuinæ, & proinde in certo genere infinita, quâ maior non poſſet dari alicui creaturæ, ipſamque Dei matrē fuiſſe in terris quaſi alterum Deum, ideò creādo hominem dixit: *Faciamus*, & non *fiat*; hoc enim *fiat* reſeruare voluit Mariæ Virgini, quæ proferendo nouum Adamū Chriſtum Dominum proferret ſimul eius *fiat*: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Vnde ad hoc alludere videtur opinione meā Propheta Ieremias cùm ait: *Creauit Dominus nouum ſuper terram: fœmina circumdabit virum*, cap. 31. verſ. 22. Fauet etiam huic conceptui Sanctus Ambroſius dicens: *Incomprehenſibilis Deus incomprehenſibiliter operatur in Deiparā, in quā erat gratia labiorum*. Sed clarius Rupertus Abbas in

Cantic.

Cantic. *Nutriebatur filius & non inueniebatur Pater; messem reddebat Mater, quæ semen non acceperat, & quis non audebit Deiparam quasi Deum appellare?* Meritò igitur misericors Redemptor noster gloriari poterat, quòd fuerit filius talis Matris in terris, quæ in generatione filij concertabat cum Patre æterno producente Verbum diuinum.

Num. 8. Quidni gloriaretur se esse filium Mariæ Virginis, cùm sit Filius eius, quæ omnibus ornata erat virtutibus, cœlestibus donis & prærogatiuis. De celeberrimo pictore Zeuxe naturæ artisq; æmulo & filio scribit Cicero, quòd artificioso suo expressurus penicillo ipsam pulchritudinis ideam, celeberrimam scilicet totius Græciæ Helenam, cunctas illius regionis congregarit puellas aspectu decoras, honestate & gratiâ prædiuites, & ex hisce quinque selegerit pulchritudine vultusque venustâ specie excellentiores ornatioresque, idque in eum finem, vt hasce veluti exemplar & idæam picturæ faciendæ imitaturus, pulcherrimam, quã sibi proposuerat, ad viuum repræsentaret exteriorem vultus speciem. Quapropter ex vnâ formauit crines flauo ditatos colore, ex alterâ oculos amoris & cordis interpretes, ex aliâ vberum sûpsit decorem, ex aliâ labiorum orisque arridentis rubedinem & venustatem, ex postremâ tandem decoram spatiosæ lataque frontis depinxit formam, ex quibus omnibus quintam quandam composuit pulchritudinis essentiam, adeò excellentem, vt omnes, quotquot illam spectatum aduenerant, rapuerit in admirationem & stuporem: *Pulchritudine suâ stuporem & silentium inducens*. Non absimilem pingendi methodum obseruauit pictorum celeberrimus pictor & supremus artifex Deus, *qui pingere curat*. 2. Machab. 2. versicul. 30. depicturus pulcherrimam Helenam, scilicet Beatissimam Virginem Mariam: *pulcherrima mulierum*, Cant. 5. versicul. 17. Etenim, vt Deus toti mundo repræsentaret eximiam eius pulchritudinem, arripuit penicillum diuinæ suæ omnipotentiæ, eumque intingens suæ infinitæ sapientiæ, coloribus depinxit illam diuini amoris & gratiæ lumine adeò corruscantẽ, vt omnes ornatu & decore suo facilè superarit, imò omnem illum decorem & pulchritudinem, quam sparsim alijs largitus est creaturis, donauit illi simul & cum maiori excellentiâ, videlicet perfectionem cœli, splendorem solis, pulchritudinem Lunæ, stellarum fulgorem, Angelorum impeccabilitatem, Mercurij eloquentiam, Iouis affabilitatem, Veneris gratiam, Martis fortitudinem, Saturni constantiam, actiuitatem ignis, aëris serenitatem, transparentiam aquarum, terræ firmitatem, auroræ candorem, camporum viriditatem, auri pretiositatem, Carbũculi, Pijropi, Adamantis, Coralij, omniumque pretiosarum gemmarum virtutem & valorem, Euphrosijnæ hilaritatem, Penthesileæ animum, Camillæ prudentiam, audatiam Cleopatræ, Semiramidis generositatem, Artemisiæ fortitudinem, Thomijris constantiam, Hippolytæ animositatem, Zenobiæ consilium; denique, quod summoperè obstupescendum est, Virginum puritatem & matrum fœcunditatem, quæ artificiosissima & pulcherrima pictura in tantam regium Prophetam rapuit admiratioñẽ, vt æterno huic pictori quasi gratulando dixerit: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Psal. 44. vers. 10. Vnde & S. Antoninus Archiepisc. Florent. ait: *Considerandum est, Mariam perfectissimam fuisse Dei imaginem, ab ipso Deo summâ arte ac singulari prouidentiâ depictam.*

In confirmationem huius appositè nobis inseruit, quod refert Plinius. Dixit hic, Num. 9.
naturam totius vniuersi matrem, dum condebat hanc mundi machinam imitatam fuisse eum, qui interdum incumbit chartarum lusui, italicè: *Il gioco di re-*

di resto. Vulgò Landsknechtighen dicto) vos vtpote qui eius exercitio semper operam nauatis, meliorem me illius habebitis notitiam) dum Princeps aut ditissimus Mercator aliquis huic dat operam Ludo, quâlibet chartâ ei exhibitâ invitans collusorem, inquit, huic appono decem aureos, illi duodecim, isti tredecim, & sic de reliquis; at si ei præsentetur vna è principalioribus chartis, omnem, fortunâ ductus, asportans pecuniam inquit: valeat residuum: non ab simili ratione ait Plinius, natura totius vniuersi Mater procreans creaturas faciebat, ludo præfato operam navabat, huic apponebat quandam prærogatiuam, illi aliquam virtutem, isti aliam excellentiam, quoddam donum huic, aliud alteri; verùm cùm deinde procederet ad creationem gemmarum & carbunculi specialiter, fortunæ persuasu, cunctas iuxta ponens pecunias, dixit. Totum valeat residuum, eique dedit quantum dare poterat, vt propterea à gemmarijs meritò vocetur gemma gemmarum.

Sepositis nunc hisce nugis, licitum sit mihi hodie ex fictâ hac historiâ catholicam elicere veritatem; idem dicito te mecum fecisse Deum, dum mundi huius construxit fabricam. Ludebat Deus præfato ludi genere, quemadmodum ipsamet Beata Virgo, quæ tunc aderat menti diuinæ, & huic lusui intererat, testatur persapientissimum Salomonem Prov. c. 8. *Quando præparabat cœlos aderam: Quando certâ lege, & gyro vallabat abyssos*, vers. 27. *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum* vers. 28. *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ*. vers. 29. *cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore*, vers. 30. *ludens in orbe terrarum*. vers. 31. Quem locum exponens Liranus ait: *ludum faciens in orbe terrarum*; Ludebat ergo: Deus hoc ludi genere; Domina, dicebat intellectus voluntati diuinæ fabricandus est mundus. Ludamus: Formandæ sunt stellæ; quantumvis exponere? viginti aureos. Donetur uis splendor. Domina, formanda est Luna, quantùm desideras solvere? quinquaginta aureos. Donetur ei lux & pulchritudo. Domina formandi sunt Angeli, quantumvis expendere? centum millia aureorum. Donetur eis impeccabilitas. Domina, formanda est Maria Virgo Mater vestra, quantum cupis hîc apponere? Quid dicis? quantum ve quæris. Totum residuum valeat. Donetur ei splendor stellarum, pulchritudo Lunæ, claritas, Solis, impeccabilitas Angelorum. Summa, tota mea ei adhibeatur potentia; omnibus, quæcunque alicui vnquam creaturæ concessæ aut concedendæ sunt, dotetur prærogatiuis & gratijs, ditetur fide Patriarcharum, spe Prophetarum, zelo Apostolorum, constantiâ Martyrum, sobrietate Confessorum, Castitate Virginum, fœcunditate coniugum, puritate Angelorum, omnibus denique exornetur virtutibus. Vultisne videre, vt in efformatione Mariæ Virginis dixerit Deus: Omne ei apponatur residuum? audite S. Hieronymum: *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul tota se infudit plenitudo gratiæ*. Quid ergo mirum, Christum Dominum summo sibi duxisse honori, quod fuerit filius, Mariæ Virginis & hanc utpotè dilectissimam Matrem suam summo semper in terris affecerit, & in cœlis etiamnum afficiat honore & reuerentiâ.

Num. 10. Pro coronide & maiori totius præsentis discursus elucidatione appertè id ostendam ex parabolâ illâ, quam adducit Saluator noster Matt. 13. dicens: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, vers. 45. *Inuentâ autem vnâ pretiosâ margarita, abijt & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*, vers. 46. Hic cœlestis mercator est ipsemet Deus, qui è cœlestis patriæ regione disce-

discedens, mundi huius forum accessit pretiosas comparatum margaritas, quæ sunt animæ nostræ; verùm inter has adeò ei placuit gloriosa Virgo Maria, ut ad comparandam illam cæteras omnes divendidisset creaturas; Audite Sanct. Cyrillum Alexandrinum hom. 11. contra Nestorium tomo 4. qui hunc in modum alloquitur B. Virginem: *Sit etiam tibi, sancta Dei Mater, laus: tu enim, pretiosa margarita orbis terrarum.* Quam nimirum cœlestis Sponsus & mercator tanti æstimat, ut propter te solam totum alienasset & vendidisset mundum. Ponderate N. hæc verba: *Inuentâ autem vnâ pretiosâ margaritâ, abijt & vendidit omnia quæ habuit.* Nimirum tanti duxit, tantum amauit, dilexit & honorauit B. Virginem tantamque de eâ percepit voluptatem & lætitiam, vt solo eius beneficio & amore reliquas omnes desereret creaturas. Magnum igitur diuinæ benignitatis miraculum est & gratia, quod vnâ hac ditatus margaritâ, non reliquerit aut vendiderit alias; etenim talis & tam magna est Mariæ Virginis perfectio, vt Deus relictis cæteris creaturis, hac vnicâ & solâ contentus esset.

Num. 11. Petitísne id clarius perspicere, cogitatione mecum conscendite montem Caluariæ. Ioann. cap. 19. dum patientissimus Saluator noster pendebat in cruce salutem procurans totius humani generis, conuersus ad mœstissimam matrem suā dixit: *Mulier ecce filius tuus*: loc. cit. vers. 26. Miror hîc summopere N quod misericors Redemptor noster positus quidem in ligno crucis, ubi negotium tantæ considerationis, videlicet totius humani generis redemptio, pertractandum erat, obliuiscatur (vt ita dicam) reliquorum omnium, solius recordetur Matris suæ, ciusque tantam habeat rationem & curam. Sed eleganter omnem tollens admirationem respondet D. Ambrosius lib. de institutione Virg cap. 7. *Paulisper publicam salutem differt, ne Matrem inhonoratam relinquat.* Tantùm nimirum adamauit & honorauit dignitatem & perfectiones Mariæ Virginis, vt, ne eam planè desereret desolatam, sed procuraret ac prouideret ei de singulari custode & filio, qualis fuit S. Ioannes, parumper reliquerat cæteras omnes creaturas. O summam æstimationem! ô eximium amorem filij erga Matrem!

Vnde nec mirum est, tot Reges, principes & magnates Christi sequentes exemplum, filiorum huius præcelsæ Matris sese ascripsisse numero, ac totos sese suaque omnia illi deuouisse & consecrasse. Quàm honorificum, regium ac perutile id esset, nouerat peroptimè Ludouicus primus rex Franciæ Christianissimus: hic enim consecratâ ei pulcherrimâ Ecclesiâ donauit illi insuper (vti attestatur Thomas Bozius lib. de signis cap. 3.) integram Ruthenorum ditionem cum totâ eius iurisdictione. Stephanus rex & Apostolus Hungarorum, teste Conzio libr. 5. de Beat. Virgine cap. 27. obtulit huic sanctissimæ Matri seipsum, filium suum Emmericum, regnum Poloniæ & Hungariæ, eamque sibi elegit in Aduocatam & protectricem in omnibus suis aduersitatibus Constantinus Imperator restaurando ciuitatem Constantinopolim à Seuero Imperatore destructam exstruxit in eâ veluti regiâ totius Græciæ metropoli celeberrimū quoddam templum, quod cùm B. Virgini consecraret vniuerso applaudente populo totius Græciæ, remisit eidem quartam partem tributi annuè soluendam, vt illam templi huius applicaret ædificationi. Albertus secundus Imperator tanto ferebatur affectu & amore in gloriosam Virginem, vt in eius festiuitatibus simul cum Clero cecinerit ipsius officium. Demum Henricus septimus Imperator tantâ flagrabat deuotione & amore in potentissimam hanc protectricem, vt omnibus curijs iudicialibus & consilijs regni indixerit ferias; præcipiebatque, vt omnes Num. 12.

Imperij legati (vt Author est Canisius lib. 1. cap. 27.) non nisi de laudibus & obsequijs B. Virginis persoluẽdis tractarent.

Quod si igitur adeò honorificum, regium ac perutile est hoc seruituris obsequium, cur igitur nos etiam non dedicaremus dignissimæ huic matri & Aduocatæ nostros affectus, voluntates & corda nostra? quis non profiteretur se famulum & clientem Mariæ Virginis, qui profitetur se discipulum Christi? Beati illi, qui se illius deuouerunt deuotioni & seruitio: Beati illi, qui illam amant & honorant bonis operibus: beati illi, qui illam virtutum ipsius insistendo vestigijs inquirunt, veram namque vitam inuenient, veluti ipsamet per os Sapientis promittit: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Prouerb. 8. versic. 35.

Maria Aduocata Peccatorum.

DISCVRSVS XLIV.

De Beatissimâ Mariâ Virgine, quatenus est potentissima Peccatorum Aduocata.

Num. 1. DEVOTISSIMVS Mariæ Virginis cliens & famulus sanctus Bernardus, cùm die quodam solito ferventius contemplaretur gloriosam ac triumphalem Marię Virginis assumptionem in cœlum, vt ibidem pro exantlatis laboribus & sedulis Christo Domino præstitis obsequijs dignam consequeretur mercedem fruitionis æternæ gloriæ; cognosceretque deinde mundum hunc inferiorem splendido ac specioso illo orbatum Sole Mariæ Virginis gratiarum vndique diffundente radios, ardentissimo cordis affectu, qui ex pectore eius euaporabat, plurimùm de cœlesti paradisi aulâ lamentari cœpit, quòd sibi thesaurum suum, solamen & refugium surripuerit; nihilominus tametsi anxius, mœstus ac gemebundus ita hæsitaret, sibi & nobis omnibus æquissimam non deesse consolationis ansam cogitauit, eò quòd quamuis cœlum ex diuinâ ordinatione omno post Deum nobis eripuisset bonum & desiderium; nihilo seciùs terra solito suo post illius in cœlum assumptionem non orbaretur solamine & præsidio, sed ipsam consequeretur in Patronam & Protectricem; vnde homo peroptimè cum Diuo Bernardo serm. 1. de Assumpt. Virg. dicere poterat: *Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* Ex quibus deducit mellifluus Doctor, hominem potiùs habere occasionem plaudendi, quàm tristandi.

Et verè N. Sacrosancta Virgo potentissima nostra Aduocata est apud Deum, adeò, vt ipsum iustissimè nobis indignatum & iratum nobis reddat placatum, & ex severo iudice efficiat benignum & amantissimum Patrem. Stupendum naturæ secretum refert Plutarchus libr. de Prouid. animal. ait enim, quòd si aqua maris, quæ aliàs salsa est, amara, insipida, & gustui nostro minimè arridet, purificetur in vase quodam ceræ Virgineæ, transmutat sal in mel, amarorem in sa- Num. 2.

porem, insulsitatem in dulcedinem, adeò ut non iam communem & ordinariam efficiat aquam, sed cœlestem quandam ambrosiam & persuaue nectar. Idem prorsus dicere possumus de nobis: Amarissimus erat Deus in veteri lege propter peccata hominum: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum*, inquit Propheta Oseas ca. 14. vers. 1. & ex immenso illo pelago diuinorum affectuum nonnisi amarissimæ horrendarum punitionum hauriebantur & gustabantur aquæ; ast pulcherrimam ecce inuentionem: Amplissimum hoc mare conclusum fuit intra purissimum vas v̄teri Virginalis, & hic suam (vt ita loquar) mutauit naturam & pristinas acerbas deseruit qualitates; amarorem dereliquit diuinæ suæ iustitiæ, ac se transformauit in mel perdulcis misericordiæ. Ad quod fortè allusit Propheta Esdras lib. 4. secundùm traductionem Vatabli: *Mulier portentum pariet, & in dulces aquas salsa mutabuntur*. q. d. Fœmina pariet prodigium, nimirum hominem Deum, tunc salsæ & amaræ diuinæ indignationis aquæ transeuntes per ceram illam Virginalem Mariæ Virginis dulcorabuntur: *& in dulces aquas salsa mutabuntur.*

Num. 3. De Rhinocerote scribunt naturæ interpretes, quòd tantæ existat fortitudinis, vt nullas planè formidet humanas vires, ac impossibile sit eundem remorari à cursu; ast si obuiam habet puram quandam & speciosam Virginem, cunctam illico deponit arrogantiam, & natiuæ oblitus ferocitatis mitis euadit & mansuetus, & ab illâ permittit se ligari & conduci, quocumque ipsa vult. Nullum prorsus est dubium N. terribilem ac insuperabilem fuisse Deum antè incarnationē; benè propterea dixerat de eo Iob cap. 39 *Nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?* vers. 9. Tam fortis & implacabilis erat Deus, vt nec Abraham, nec Dauid, neque omnes Patriarchæ & Prophetæ veteris testamenti eum retardare, remorari ac capere potuerint, imò quilibet timebat illi approximari. Tandem pulcherrima, ecce, Virgo pura & immaculata eundem à cursu feroci remoratur, ligat humanâ carne; vnde adeò euasit mitis, mansuetus & benignus, vt ab vnoquoque deinde potuerit capi, alligari, veluti accidit tempore amarissimæ passionis suæ. Audite B. Thomam de Villâ nouâ cuius est hic conceptus, sermon. 4. de Natiuitat. Domin. Ita sermocinatur: *Quid filio Dei similius, quàm filius vnicornis captus est & ipse amore Virginis, & Maiestatis oblitus carneis vinculis irretitus? vnde in Cāticis quasi capturam suam præuidens ex amore ad Virginem clamat: Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.*

Sol in signo Leonis existens ardentes euibrat radios; ast signum pertransiens Virginis, temperatos emittit & benignos. Sol in Leone erat Deus in veteri lege, quia seuerissimè castigabat peccatores; at signi Virginis subintrans habitaculum, humanam videlicet in vtero Virginali assumens naturam, quamprimùm totus euasit benignus, suauis & misericors. *Sol iustitiæ Deus noster* (inquit Sanctus Antoninus 4 part. titul. 15. cap. 22.) *in veteri testamento erat vt Leo rugiens, peccatores terribiliter puniens; sed in vterum Virginis intrans factus est totus benignus, suauis & humanus.*

Stupendam habent conuenientiam & sympathiam mores & naturæ infantium cum nutricibus, quæ illos educant & lacte enutriunt. Ita docent Galenus de tuenda sanitate, & Auicennae, & idipsum probant experientiâ, quia si tenellus hœdulus enutritur à capra tenera & delicata, delicatus, tener & mitis ipse euadit; ast si capræ agrestis, ferinæ & hirsutæ pendet ab vbere, hispidus, indomitus & ferus & ipse efficitur; ac propterea refert Plutarchus in Apoph. Romulum & Remum fuisse procliues ad rapinas, latroci- Num. 4.

nia & homicidia, quia talia imbiberunt vitia à Lupâ nutrice suâ. Agis rex velocissimus fuit in cursu, idque obtinuit à lacte ceruæ, quod ab eâ exsuxit. Æneas visus fuit Didoni crudelis & ferox, quòd non nisi lacti tigridis nutricis suę attribuendum est. Caligula humanum semper sitiebat sanguinem, & hoc ascribitur lacti, quod mixtum bibit cum sanguine. Hercules à gentilibus Deorum fuit ascriptus numero, & hanc fictam Deitatem imbibit cum lacte Deæ Iunonis nutricis suæ, vnde cecinit Poëta quidam:

Nec prius esse Deus potuit, quàm suxerit infans
Lac sibi, quod fraudis nescia Iuno dedit.

Dux generationes seu Natiuitates principaliores reperiuntur N. in vnigenito Dei filio; vna æterna, temporalis altera: vna ex fœcundâ Patris æterni mente, ex materno altera ventre. De illâ dicitur: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Psalm. 109. vers. 3. de aliâ scribit Euangel. Lucas: *Ecce concipies in vtero & paries filium,* Luc. 1. versic. 31. In primâ nutrix eius fuit iustitia, quæ illum educauit, quemadmodum prædixit Esdras lib. 4. cap. 8. versic. 12. *Enutristi eum tuâ iustitiâ.* Quid mirum igitur quòd è rigidâ ac seuerissimâ iustitiæ naturâ lac exsugens totus erat implacabilis & seuerus? excitabat tremenda tonitrua, euibrabat fulmina & fulgura, integra desolabatur & destruebat regna, in cineres fauillasque redigebat ciuitates, aquarum inundatione cooperiebat terram, pauore & terrore totum concutiebat mundum & homines, ast in secunda generatione & natiuitate, sub cuius fœlicissimo auspicio incepit lex gratiæ, nutricem sortitus est misericordiam, è cuius vberibus dulcem & suauem exsuxit agendi modum, benignos, mites & mansuetos imbibit affectus. Pereleganter id ipsemet Deus fatetur per os patientissimi Prophetæ: *Ab infantiâ mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum,* Iob cap. 31. versic. 18. ac si dixisset: Verum est, præteritis sæculorum temporibus rigidus, austerus ac seuerus fui, & quemcumque in me peccantem paratâ rigorosarum pænarum exsolui pecuniâ; nihilominus quia in secundâ meâ generatione nutricem nactus sum Mariam Virginem Matrem scilicet Misericordiæ, offensus non me defendo, ligatus non me soluo, sputis defœdatus non lamentor, occisus non me vindico, imò me necantibus æternam dono vitam & requiem. Vnde Richardus de S. Victore part. 2. in Cantic. cap. 23. Beatissimam alloquendo Virginem & conceptum hunc confirmando dicit: *Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. In te ergo concreuit lac diuinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit; ipsa prius repleta es: & ex te nobis descendit hæc abundantia.* O potentiam Mariæ Virginis, quæ mansuetum nobis reddidisti Deum, qui exoptatam nobis exhibuit illam misericordiam, quæ adeò necessaria erat toti humano generi!

In confirmationem huius audite, quod Virgo benedicta ait in sacris Canticis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* cap. 1. vers. 12. quasi vellet dicere iuxta interpretationē Richardi à S. Laurentio libro de Laud. Virginis: Dilectus meus in antiquâ lege erat fasciculus myrrhæ propter amaritudinem & seueritatem, quam ostendebat puniendo peccatores; ast postquam in meis visceribus humanam assumpsit naturam, & dulci ac suaui enutritus fuit lacte, factus est totus suauis, mansuetus & benignus: *Fasciculus myrrhæ fuit Christus in veteri lege quia terribilis* (inquit hic Doctor) *sed inter Mariæ vbera factus est dilectus, suauis & mitis.* Num. 5.

Et si vlterius velimus progredi, reperiemus, quòd B. Virgo protegat peccatores, eosque ab ira diuinâ tueatur ac defendat. Ita innuit ipsa libr. Eccles. cap. 24. *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas*

in plateis, versic. 19. De platano scribit Plinius, lib.2.histor. Natural. quòd folia ad formam scutorum proferat; *De platano autem accepimus, quòd in scutorum formam elatas habet frondes*. Per aquas intelliguntur populi iuxta Sacræ Scripturæ testimonium: *Aquæ multæ, populi multi.* Quia sicut aqua est frigidæ naturæ, ita peccatores in rebus spiritualibus sunt sat frigidi; aqua sæpenumerò ob nimium frigus congelatur; sic etiam peccatores ad talem nonnunquam rediguntur spiritus frigiditatem, vt toti congelascant & glacie indurentur. Dum igitur Beatissima Virgo de seipsâ dicit, quòd sit quædam platanus tota onerata Scutis & clypeis iuxta aquas peccatorum, nobis significare intendit, quòd, quotiescunque iustitia diuina in nos eiibrat iustissimæ punitionis sagittas, nec tamen offendimur & sauciamur, ipsa potentissimæ protectionis suæ munita scuto, omnes retundat pœnarum ictus & iacula. *Bene instar platani Maria* (inquit Richardus de S. Laurentio lib. 12. de Laud. Virg.) *quia iuxta populorum peccantium aquas protectionis suæ, scuto precibus & intercessionibus Iudicis Dei iram retundit.*

Num. 6. Eandem hanc veritatem aliâ quâdam confirmat metaphorâ regius Propheta Dauid, cùm in Spiritu loquens de Sacrosanctâ Virgine, vti opinatur Hugo Cardinalis, dixit hæc verba: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato*. Psalm. 44. versic. 10. At cur dicit Propheta Mariam Virginem stare erectam, & non ait illam sedere à dextris Dei? *Astitit regina à dextris tuis.* Pro mysterij huius intelligentiâ notandum, antiquitus hanc floruisse consuetudinem, ut refert Q. Curtius, quod Aduocati defensuri clientis cuiusdam causam summæ considerationis, à dextris eundem sibi assistentem tenebant, quo à calumniatoribus ipsum tuerentur & protegerent; quâ cæremoniâ promptitudinem suam in causâ defensionis illius demonstrare volebant. Quia ergo Maria Virgo (inquit Hugo de S. Victore lib. 4. de Laud. Virg.) collocata est ad dexteram Christi, nobis insinuare intendit, quòd sit promptissima ad nos protegendos, & si Deus iustissimè in nos indignatus extenderet manum suam punitionis nos transuerberaturus gladio, ipsa vtpotè stans à dextris potentem velit remorari manum Dei, ne miserum peccatorem, cuius ipsa in se suscepit curam & protectionem, lædere & sauciare possit: *Astitit regina à dextris tuis*. *Benè astitit à dextris tuis* (inquit citat. Doctor, *tanquam nostra patrocinatrix gladium euaginandum peccatori impediens* Et S. Ambrosius citat. à Mendoza tom. 4. viridarij alloquendo B. Virginem exclamat: *Te enim brachium & manum extendente pro nobis, diuinæ Vltionis gladius eleuatur & contrahitur.* Sanctus quoque Bernardus sermone de Virg. Maria in eundem collimat scopum, cùm in hunc modum loquitur cœlorum Reginæ: *Nemo Domina tam idoneus est, vt gladio Domini manum pro nobis obijciat, vt tu Dei amantissima.*

Inquirunt sacri Doctores, cur in mysticâ illâ luctâ Angeli (qui fuit figura & typus Verbi diuini) cum S. Patriarh Iacob totâ nocte semper præualuerit Angelus, sanctus verò Patriarcha remanserit victus & superatus, quousque primum diei aduentasset crepusculum, accedente namque aurorâ victor euasit Iacob; vnde Angelus, quia se diuictum agnouerat, ab eo discedendi petijt veniam, excusans sese vicinæ aduentu auroræ: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora* Genes. 32. versic. 26. Quidnam, amabò ipsum impediebat aurora? aut quid eam timebat? Doctissimus Oleaster in hunc locum ait, per hanc luctam figurari bellum, quod intercedit inter Deum & peccatores, & victoriam, quam de filio suo reportat cœlorum Imperatrix in fauorem generis humani. Hæc enim aurora est Maria Virgo, iuxta testimonium sapientissimi Salomonis in Canticis: *quæ* Num. 7.

est

eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Cant. 6. verſ. 9. Etenim tanquam Aurora apparuit mundo, ex quâ deinde prodijt verus ſol iuſtitiæ Chriſtus Redemptor noſter. Dum igitur Deus pugnat cum peccatore, deuincit illum; ſed cùm eundem caſtigare intendit, recurrit is ad patrocinium & protectionem Mariæ Virginis, cuius precibus, quia nequit reſiſtere Deus, inſtar cuiuſdam Angeli magni teſtamenti dicit ei: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*. q. d. Sine me abire, ô Maria, conceſſa ſit tibi quæcunque, quam petis, gratia; petiſne veniam & remiſſionem pro peccatoribus? eorum, quam deſiderant, obtineant peccatorum veniam: dimitte me, pugnæ & bello impone finem, quia facta es aurora & mea dilecta Mater, cui nihil denegare poſſum. Audite nunc perpulchra Oleaſtri verba: *Quod igitur magni teſtamenti Angelum victum ſe eſſe aſcendente Aurorâ confitetur, nihil eſt aliud, niſi quod Maria Chriſtus aſpectu infirmum ſe eſſe oſtendat, & peccatori dicat: Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*. O mirabilem potentiam protectionis & intercerſſionis Mariæ Virginis!

Num. 8. Vnde Spiritus ſanctus loquens Virgini huic ſanctiſſimæ non limitat ipſius intercerſſionem ad gregem iuſtorum, verùm etiam eam extendit ad fœdiſſimos hœdos peccatorum reproborum ſecundùm præſentem iuſtitiam: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres*. q. d. Si neſcis, ô pulcherrima ſponſa, quàm potens ſis, & quanta præſtare valeas in fauorem & gratiam totius humani generis: *Abi poſt veſtigia gregum tuorum*. Cantic. cap. 1. verſic. 8. Inſtar vigilantis paſtoris iuſtorum ſequere gregem, tuæ enim curæ & protectioni illi commiſſi ſunt, tuâ illos efficaci intercerſſione paſcere & enutrire debes; neque curam duntaxat habe paſcendi illos, verùm etiam hœdos, non ſolùm iuſtos, ſed etiam reprobos peccatores; ideò ſubiungit: *Paſce hœdos tuos*. loco citato. Ij namque, qui deſtinandi erant ad ſubeundas infernales pœnas & collocandi in parte ſiniſtrâ in extremo iudicij die iuxtà dictum illud S. Euangel. Matth. *Statuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris*. cap. 25. verſ. 33. Tuâ potenti protectei manu paſcẽtur cibo miſericordiæ & diuinæ gratiæ, quâ mediante ſi condignam de ſuis peccatis fecerint pœnitentiam in hac vitâ, collecabuntur in parte dexterâ, & ad æternam perducentur fœlicitatem. Hunc in modum expenditur ſuprà dictus locus à Guilhelmo Authore grauiſſimo in cap. 1. Cantic. apud Delrium, cùm ait: *Paſce hœdos tuos; qui à ſiniſtris in iudicio erant collocandi, tuâ interceſſione efficies, vt collocentur à dextris*.

Verùm maiora auſcultare prodigia. Num. 9.
Benedicta Virgo Maria precibus ſuis, quodcumque petit à filio ſuo, conſequitur, ac ſemper ab eo exauditur. Cantic. cap 4. Sponſæ laudantur labia, comparanturque vittæ coccineæ. *Sicut vitta coccinea labia tua*. loco citato verſ. 3. Dubium hîc mouet S. Theodoretus & dicit, cur Spiritus ſãctus deprædicaturus rubedinem labiorum ſponſæ, aſſimilat ea vittæ coccineæ? annon meliori cum proportione dicere poterat: Sicut purpura labia tua? Pro intelligentiâ huius loci oportebit adducere hiſtoriam exploratorum à Ioſue tranſmiſſorum in Iericho. Ioſ. capit. 2. Illis ergo domum Raab meretricis ingredientibus, intellexit probè mulier hæc ciuitatem illam infra paucos dies ab hoſtili exercitu fore deuaſtandam & deſtruendam; Quare pactum inijt cum exploratoribus illis dicẽs: Ego abſcondam vos intra domus meæ latibula & tempore noctis per viam ſecretam vos educam extra ciuitatem ſaluos, ſanos & incolumes, quotieſcumque mihi ſicut & toti meæ familiæ promiſeritis vitæ conſeruationem & ſalutem. Contenti fuerunt illi, & vt domus Raab dignoſceretur à cæteris, dederunt ei ſignum, videlicet,

delicet appendere deberet in feneſtrâ funiculum coccineum, quod & promptiſſimè executa eſt: *dimittenſq́; eos vt pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtrâ.* loco cit. verſ. vigeſim. prim. Iam igitur dicit Theodoretus ſicut funiculus iſte coccineus fuit ſignum libertatis & ſecuritatis domus & parentum Rahab; ita preces & orationes prolatæ labijs B. Virginis figuratis per funiculum illum coccineum, ſunt ſigna ſecuritatis cunctis Mariæ Virg. deuotis famulis & clientibus, ſunt ſigna indicantia nobis placandum fore Deum iuſtiſſimè contra nos iratum, ſunt denique ſigna ſignificantia commiſſorum peccatorum nos conſecuturos veniã & remiſſionem. Quare concluſit Theodoretus: *Signum hoc ſponſus in ore ſponſæ tanquam in feneſtrâ collocatum intuetur, & ſicut funiculus coccineus, inquit, labia tua, & eloquium tuum decorum.*

Num. 9.

Num. 10. Potentiſſima hæc Mariæ Virginis interceſſio probatur quoque ex vſitatiſſimis illis Canticorum verbis, quibus de ſemetipsâ loquitur ſponsâ: *vbera mea ſicut turris.* Cantic. 8. verſ. 10. Mira profectò & peregrina primâ fronte hæc videtur eſſe ſimilitudo N. quòd Mariæ Virginis vbera ſint inſtar turris. Hugo Cardinalis præſens explanat myſterium & dicit, vbera eſſe Symbolum abundantis pietatis & miſericordiæ eiuſdem ſanctiſſimæ Virginis erga peccatores; ſicut enim in turribus conſtituti ſecurius ab hoſtium defenduntur inſultu; ita ipſa miſeros peccatores uberibus ſuis mediantibus protegit & defendit ab irâ & indignatione iuſtiſſimâ Dei, idque è medijs efficacioribus, quibus diuinam placat iram, vnum eſt & principalius; monſtrando namque ei vbera dicere videtur: Te, dulciſſime Fili, enixè precor & ſupplex oro perlac iſtud, quod ex hiſce ſuxiſti vberibus, remiſſionem delictorum ſuorum impertire peccatoribus. Et quid exinde ſequitur? *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Cantic. 8. verſito. Statim compoſui pacem inter filium meum & peccatores. Audite nunc verba eminentiſſimi Cardin. Hugonis: *Beata Virgo miſericordiæ ſuæ vberibus lactis ſuauiſſimi copiâ turgentibus, & inſtar turris eſt, ac proinde ita excelſa, vt filios ſuos non nutriendi tantùm, ſed & protegendi vim habeat. Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. ipſa reperit pacem inimicis, ſalutem perditis, indulgentiam reis, miſericordiam deſperatis.* Hinc etiam Sanctus Bernardus ſerm. de Natiuit. vnumquemque exhortatur Chriſti fidelem, vt ſemper recurrat ad Mariam Virginem opem ab eâ imploraturus, & dicit: *Vade ad Matrem miſericordiæ, & oſtende illi tuorum plagas peccatorum, & ipſa pro te oſtendet filio pectus & vbera.* Concludit deinde: *Exaudiet vtique Matrem filius.*

Cauſam non immeritò inueſtigant Doctores, cur bonus Latro, cùm peſſimam traduxerit vitã, latrocinijs, alijsque nefandis ſceleribus addictus & aſſuetus fuerit non minus ac alij, tandem vitæ ſuæ proximus termino animæ ſuæ ſalutem obtinuerit? Reſpondent aliqui ipſũ non fuiſſe obſtinatum in peccato veluti ipſius ſocium. Alij volunt ipſum amarè defleuiſſe peccata ſua, & beneficio harum lachrymarum adeptum fuiſſe cœleſtis paradiſi gloriam. Sanctus Vincentius Sermon. 6. in paraſc. hoc miraculum attribuit vmbræ Chriſti Saluatoris noſtri in cruce pendentis, quæ tangens & obumbrans latronem, ſalutem in eo operata eſt. Sanctus Hieronymus verò, S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus conuerſionem illam pij latronis aſcribunt inuictæ illius patientiæ quâ conſpexit Saluatorem noſtrum in cruce tot ſuſtinentem dolores & tormenta, morientem & ſpecialiter pro inimicis ſuis orantem: *Pater dimitte illis,* Lucæ 23. verſicul. 34. Optimè reſponderunt omnes; at noſtro inſeruit propoſito reſponſum B. Petri Damiani apud Mendoz tom. ſecund S. Anſelmi de Excell. Virg. Heſichij Hie- Num. 11.

rosolym. tom. secund. B.B, de Laud. Mar. Virg, Dionysij Carthusiani & aliorum, qui omnes volunt, bonum latronem fuisse saluum factum mediantibus precibus Mariæ Virginis, quas illa fudit ad Christum jam cruci affixum pro salute illius latronis, memor illius reuerentiæ, obsequij & beneficij, quod latro ille præstiterat iamdudum sanctissimæ Christi Matri: quando namque ipsa comite castissimo suo Sponso Ioseph & puerulo Iesu fugerat in Ægyptũ, pertransiens horridum quoddam desertum incidit in manus latronum, inter quos etiam reperiebatur hic bonus latro, qui quia diuinum quendam è vulnibus Iesu & Mariæ Virginis viderat prodeuntem fulgorem, vsque adeò commotus fuit ad compassionem, vt statim prodierit in medium, suisque efficacibus tum precibus, tum rationibus alijs latronibus collegis suis omninò persuaserit, ne minimum eos molestarent, cui deinde alij obtemperarunt latrones, sicque Beat. Virgo cum puerulo Iesu & S. Iosepho libera, salua & incolumis transiuit & abiuit beneficio huius latronis. Cùm igitur gratissima Virgo in monte Caluariæ iuxta crucem filij sui constituta, intueretur latronem illum crucifixũ, agnosceretque eum suâ indigere ope & auxilio, grata ei non defuit beneficium iamdudum acceptum abundantiùs recompensatura; quare instantissimè petijt à perdilecto filio suo, vt efficacem ei impertiretur gratiam, quâ mediante animæ suæ consequeretur salutem, quod & factum est. Eminentissimi Card. Damiani ipsamet nunc auscultate verba aureo profectò notanda calamo: *Idcircò resipuit bonus latro, quia B. Virgo inter crucem Filij & crucem latronis posita, Filium pro latrone deprecabatur, hoc suo beneficio antiquum latronis obsequium recompensans.* O efficaciam intercessionis Mariæ Virginis!

Num. 12. Huic alius pulcherrimus subnectẽdus est conceptus S. Gregorij Nazianz. trag. de Christ. pat. qui asserit Christum Dominum ad instantiam Virginis Matris suæ remisisse S. Petro peccatum trinæ negationis. Certi ergo sumus, vt omnes, quodcunque desideramus, Virginis Mariæ intercessione mediante obtineamus; etenim ipsa tanquam peccatorum Aduocata nos præuenit, nostras aduertens necessitates.

Annon recordamini N, eius quod recenset S. Euang. Ioann. cap. 2. Nuptijs factis in Cana Galilææ intererat & pia Virgo cum Christo Domino, & ecce vt maximè erat necessarium, defuit vinum; vnde aliorum pijssima Mater volens succurrere necessitati & miseriæ, dixit filio suo: *Vinum non habent.* loco cit. vers. 3. Bona Aduocata est Maria Virgo, quæ nostram præuenit indigentiam, nec, vt eam deprecemur eiusque imploremus auxilium, expectat; quemadmodum apud plurimos in morem abijt, qui etiam exorati denegant, quod ab illis expetitur. Adeoque Christus Dominus omnes nuptijs illis præsentes consolaturus est hoc primo miraculo ad instantiam Virginis patrato, nobisque innuere voluit, vt, si quam desideramus gratiam, ad ipsam recurramus obtenturi totum id, quod postulamus, teste D. Bernardino de Senis Sermon. 9. art. 3. cap. 2. *Mater in nuptijs in Cana Galilææ interpellat, ac si ad eam cura omnium pertinet, & omnium hominum Aduocatam se sentiens, quæ præ omnibus creaturis cunctarũ facta fuerat Virgo Mater, officium aduocationis & piæ auxiliatricis assumpsit etiam non rogata.* O efficacem Mariæ Virginis intercessionem?

Fortunata propterea, ac terque quaterque beata existis, ô ciuitas Messana, Num. 13. patria mea dilectissima, quæ sub protectione præcelsæ huius Virginis & Matris Dei Mariæ degis & viuis; postquam enim legatos amandasset in Ierusalem vsque, qui tuo nomine debitas Augustissimæ huic cœlorum Imperatrici referrent grates, debitaque eidem offer-

rent

rent seruitutis obsequia, priuilegiatam illam ac fauorabilem recepisti Epistolam propriâ ipsius manu scriptam, in quâ tibi benedictionem primùm impertiens incessabilem pollicetur protectionem & curam. Sequentis tenoris erat Epistola: *Ob quod vos & ipsam ciuitatem benedicimus: cuius perpetuam protectricem nos esse volumus.*

Væ nobis N. si gloriosa & pientissima Virgo Maria nostrã haud ageret Aduocatam apud Deum, siquidem inter reliquos Sanctos sola est, quæ se diuinæ opponit indignationi, nostrorumque obtinet veniam peccatorum, veluti attestatur S. Bonauentura lib. 8. Opusc. de spe B. Virg. expendendo verba illa Ecclesiastici: *In plenitudine sanctorum detētio mea.* cap. 24. vers. 16. *Non solùm* (ait ille Seraphicus Doctor) *detinetur, sed detinet. Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet*, Quando nimirum indignatus iustissimas peccatoribus volebat infligere pœnas: *Non est, qui consurgat & teneat te*, dixit Propheta Isaias cap. 64. vers. 7. Ast postquam sacratissima Virgo prodijt in mundum, ait S. Bonauentura, *detinet filium, ne peccatores percutiat.*

Num. 14. In cuius confirmationem perlegite caput 3. Canticorum, & reperietis B. Virginem de Incarnatione Verbi diuini filij sui perdilecti loquentem ac dicentem: *Tenui eum, nec dimittam.* cap. 3. versic. 4. Ac si iuxta interpretationẽ Magni Patris Richardi de S. Laurent. lib. sec. de Virg. parte 1. dixisset: *Tenui eum, ne scilicet percuteret peccatores, nec dimittã, sed continuâ precũ instantiâ furorem ipsius retinebo.*

Hinc etiam S. Anselmus differens de patrocinio & intercessione Mariæ Virginis singularem quandam tradit explicationem super illa verba Ecclesiastici: *Gyrum cœli circuiui sola.* cap. 24. vers. 8. Nimirum quod pia Virgo fidelissimam actura aduocatam pro clientibus suis & quibuscumque peccatoribus, qui illius se commendant patrocinio, sola circumeat gyrum cœli. Imaginamini vobis N. gloriosam Virginẽ id esse inter Angelos aliosque cœli incolas, quod primum mobile est inter cœlestes Spæras; etenim quemadmodũ illud motu suo mouet, trahit & rapit ad se reliquos cœlos inferiores; ita beatissima Virgo instar primi cuiusdam mobilis potentissimæ intercessionis suæ exemplo mouet & attrahit omnes Beatorum choros, cunctas Angelorũ Hierarchias, omnesque vnanimi consensu Deo supplicant pro eo, pro quo intercedit cœlorum Regina Maria, idque indicant hæc verba: *Gyrum cœli circuiui sola.* Sola, inquit, quia solâ precante hac præcelsâ cœli Imperatrice, precantur & intercedunt reliqui omnes: *Te Dominâ tacente* (ait S. Anselmus libr. de Excell. Virg.) *nullus orabit, nullus adiuuabit: te autem orante omnes orabunt, & omnes adiuuabunt.*

Et sanè, an non omninò indecens & indecorum esset, si Reginâ genu flectente ante Regem gratiam aliquam petendi causâ, cæteri omnes Magnates, Principes & Barones, quotquot ibidem præsentes essent, non genu flecterent quoque honoris gratiâ, nec eidem genuflexi Reginę subscriberent petitioni? Et quid arbitramini in cœlesti fieri aulâ, vbi nullæ fictæ curiales cæremoniæ exercentur; sed omnium voluntates planè vniformes sunt, & reuerentia erga cœlorum Reginam vniuersalis est, & honore Deo debito solùm inferior? quando Maria Virgo intercedit & orat pro aliquâ re, omnes cœli Magnates & incolæ ad idem se conuertunt obiectum, omnes idem petunt, omnes vnanimiter idem sollicitant & postulant, omnes sese prosternunt ante conspectũ Dei: sollicitant Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes: petunt & orant Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ: supplicant Martyres: enixè precantur Confessores & Virgines: Omnes denique cœlestis curiæ aulici Reginæ suæ assistunt petitioni & intercessioni: *Gyrum cœli circuiui* Num. 15.

cuiui sola, quia te Dominâ orante, omnes orabunt &, omnes adiuuabunt.

Plurimæ hinc gratiæ aliàs à Deo denegatæ, per intercessionem Virginis concessæ fuêre; non quòd illa sit potentior, sed quia Deus vult cunctis hominibus esse notum, nullam esse gratiam adeò difficilem & mortalibus communicabilem, quæ non ipsius mediante patrocinio obtineri possit; Quia est canalis & aquæductus Diuinitatis, quo trans funditur è cœlo in mundum inferiorem omnes cœlestes gratiæ, dona & beneficia *Multa petuntur à Deo* (ait Anselmus vbi sub.) *nec obtinentur: quæ petuntur à Maria & obtinentur, non quia potentior sit, sed quia Deus eam decreuit sic honorare, vt sciant homines omnia per ipsam obtineri posse à Deo.* Ita proprio ipsamet fatetur ore Proverb. cap 8. vers. 35. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutẽ à Domino.* Vel ut legit hic Caietanus: *Qui me inuẽerit quicquid voluerit, à Deo facilè impetrabit.*

Num. 16. Verum sollicitam ac sedulam hanc curam & protectionem quam habet Beatissima Virgo in peccatores perpulchrè & clariùs ostendere voluit Spiritus sanctus in Canticis, vbi is diuino suo penicillo illustraturus pulchritudinem & decorem Mariæ Virginis, inter alia hoc tribuit ei laudis encomium: *Pulchra vt luna.* Cantic. 6. vers. 9. quasi diceret: O Virgo beata & gloriosa, peroptarem tuam deprædicare venustatem, sed aptius eam comparare nequeo nisi decori lunæ. *Pulchra vt luna.* Hugo Cardinalis deuotus Mariæ Virginis famulus ponderando hunc laudis titulum, dicit Spiritum sanctum hisce verbis insinuare voluisse indefessam & continuam curam & protectionem, quam Beata Virgo habet in peccatores, idque probat ex sacrâ Scriptura Genes. cap. 1. Quando Deus creauit vniuersam hanc mundi machinam, duo fecisse legitur magnæ molis lumina, Solem scilicet & Lunam, *luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti,* loco cit. versic. 16. Dicit ergò citatus author duo hæc lumina in sensu mystico alia non esse nisi Christum & Mariam Virginem. Sol est Christus: *Orietur vobis Sol iustitiæ Christus Deus noster,* cantat S. Mater Ecclesia ex Malach. 4. vers. 2. Sol nimirum talis, qui lumen diei præbet, idest, iustis; Maria Luna est, quæ illuminat noctem, homines nempe in tenebris & horrore peccatorum detentos: quare non immeritò dixit Spiritus sanctus; *Pulchra vt Luna.* Doctissimũ iam audite Hugonem: *Duo fecit altissimus luminaria, luminare maius, hoc est, Christus, vt præesset diei, id est, iustis: Luminare minus, id est, Virgo Maria, vt præesset nocti, hoc est, peccatoribus.* Eia ergo ô Maria Mater & patrona nostra sis fausta nobis ac terq; quaterq; beata Luna, quâ æternæ salutis portũ attingere valeamus.

Fulguret quantumcunque contra peccatores iræ diuinæ gladius, sæuiat quantumcunque furor diuinæ indignationis in peccatrices; nihilominus quamdiu constituti erimus sub protectione & patrocinio Mariæ Virginis, nec hoc diuinus feriet gladius, nec ignis absumet, intacti & illæsi semper euademus. Ad probationem procedamus, desiderans Spiritus sanctus de nouo encomiis & laudibus celebrare venustatem & decorem Mariæ Virginis, aliâ vtitur similitudine & in hoc prorumpit Canticum: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Cant. 7. vers. 4. ac si diceret: Quod sis tota pulchra & decora, ô Virgo gloriosa, nullum planè est dubium; at super omnia te condecorat efficitque pulcherrimam collum tuũ; hoc namque instar altissimæ turris, ex candidissimo formatum & fabricatum est ebore: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Attentas N. hîc præbete aures, non absque fructu abhinc discedetis. In quem, amabò, finem Spiritus sanctus ad exponendum nobis Mariæ Virginis decorem, collum eius potiùs comparat ebori, quàm alijs rebus? quam, quæso, venu- Num. 17.

ſtatis ſpeciem ebur in ſe continere poteſt, quod ſpiritus ſanctus eo ſpeciatim declarare & oſtendere nitatur excellentiſſimæ huius Dominæ pulchritudinem? ſimili dicatis id eum feciſſe ad explicandum eius candorem & albedinem, non videtur hoc ſubſiſtere; poterat enim dicere: *Collum tuum ſicut nix*, aut *collum tuum ſicut lac*, quæ duo eboris candorem longè excedunt. Deinde ebur ſucceſſiuo tempore flaueſcit: cur igitur *Collum tuum ſicut turris eburnea?* Varias ſacri Doctores adducunt huius loci expoſitiones, inter cæteras verò placet & pulchrè huic propoſito quadrat, quam adfert grauiſſimus quidam Author Philippus Abbas, dum commentatur in hunc locum, & dicit: *Ebur tam admirabilis virtutis eſt, vt ſi pannus lineus ſuper ipſum ebur mittatur, & ipſi panno lineo carbo viuus deſuper imponatur, ſuâ virtute ebur pannum qui illi adhæret, illæſum cuſtodit, ita B. Virgo peccatorem protegit, ne à carbone iræ deſuper concremari poſſit*, & ideò *collum tuum ſicut turris eburnea*. Voluit ergo Spiritus ſanctus his verbis nobis innuere potentem potētiſſimæ cœlorum Reginæ curam & protectionem in omnes homines, quotquot ſe illius conſecrant ſeruitio & obſequio; quod nimirum ſuo patrocinio & interceſſione ab æſtu indignationis diuinæ eos illæſos conſeruet & intactos, præſeruetque etiam incolumes ab ignis infernalis incendio, quod & confirmat S. Methodius ſerm. de Laud. B. Virginis hiſce verbis: *Quid de te dicam, ô benedicta! ignoro; nam ab inferis peccatores eruens oſtendi per tua merita in inferno dari redemptionē. Hæc ſunt arcana quæ nec mēs, nec ratio valet percipere*. Cui ſubſcripſit S. Nicephorus de Laud. Mariæ, dicens: *Maria irā à cœlo depellit, à Dei iuſtitiā obſeſſos ex inferis eripit.*

Num. 17.

Num 18. Protectionis huius curā, quam B. Virgo de nobis ſpecialiter habet, clarè etiam liquet ex alio Scripturæ loco: Lucæ ca. 2. Poſtquam Maria Virgo octauum partus ſui diem adeſſe cerneret, diuinū puerulum Ieſum, vt iuxta Moſaicam legem circumcideretur, ad templum contulit, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer* Lucæ 2. verſ. 21. Non poſtmultos abhinc dies idem recens natus Saluator noſter delatus fuit ad templum & oblatus à parentibus, à S. Simeone ſene humaniſſimè & cum gaudio ſuſceptus & benedictus. His ita peractis Virgo ſacrata ſanctum ricipiens puerulum reuerſa eſt in Nazareth: *& ut perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini reuerſi ſunt in Galilaum in ciuitatem ſuam Nazareth*, loco citato verſic. 39. Non immeritò mirantur nonnulli Doctores hac ſuper ſedulâ cura B. Virginis in puerulum Ieſum; cur, nimirum, eundem poſt præſentationem non reliquerit in templo quemadodum ipſa manſerat poſt præſentationem ſuam diuinorum incumbendo contemplationi myſteriorum. Anna ſimiliter, vti Regum refert hiſtoria cap. 1. Prophetam Samuelem adhuc puerum obtulit Domino, & oblatum reliquit in templo ſemper deditum ſeruitio & officio Dei. *Ego commodaui* (dicebat Anna Heli) *eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino*, loco citato verſ. 28. *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini*, 1. Regum 2. verſic. 18. Cur igitur B. Virgo non reliquit pariter Chriſtū in templo? ad hoc reſpondet Lucas Burgēſis in ſermone habito de Ieſu oblato; *Noluit Maria puerū relinquere in templo, quemadmodum olim Anna Samuelē*. Quare? Reſpondit citatus Author: *Non enim volebat Synagogæ propriū eſſe, quem pepererat futurum Saluatorem totius mundi*. Noluit ergo ſancta Deipara perdilectum ſuum puerulum relinquere in templo, vt omnes cognoſcerent, quòd ſicut Chriſtus Dominus eſſet redempturus cunctos poſteros Adæ, non ſollùm qui eſſent in templo, id eſt, iuſtos, ſed etiam extra illud ſcilicet peccatores, ita B. Virgo, non dumtaxat iuſtorum? verùm etiam peccatorum futura eſſet

aduocata, gratiam & salutem pro ijs impetratura apud Deum.

Num. 19. Quam sedulò piissima Virgo suos insuper clientes defendat, protegat, quàm sollicitam eorum etiam habeat curam, euidenter ostendit S. Mater Ecclesia dum ex S. Euang. Ioanne c. 19. vers. 25. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris*, &c. hoc in laudem eius composita Canticum: *Stabat Mater dolorosa iuxta crucem lachrymosa, dum pendebat filius*. Quæ verba expensuri Bernardinus de Senis, & Doctissimus Alexander de Ales, inquirunt, in quânam crucis montisque Caluariæ parte steterit Maria Virgo? num in dextrâ vel sinistrâ, cum neque Ecclesia, neque SS. Euangelistæ vllam huius faciant mentionem; solum enim dicit S. Euangelista Ioannes, *stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius & Soror Matris*! Tandem vnanimi respondent consensu, eam stetisse à sinistris crucis, quod ex verbis ipsiusmet serenissimi regis Dauidis in personâ Christi loquentis colligent: *Considerabam ad dextaerm & videbam, & non erat qui cognosceret me*. Psalm. 141. vers. 5. Ast si ad sinistram respexisset, vtique vidisset Matrem quam peroptimè quoque nouisset. Positâ hac veritate grauis quædã hic suboritur difficultas, cur nimirum Maria Virgo in monte Caluariæ steterit à sinistris Christi crucifixi, & non à dextris? Pro maiori huius difficultatis explicatione obseruandum, dexteram esse iustorum locum, sinistram verò peccatorum iuxta illud Euangelistæ: *Statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris*. Matth. 25. vers. 33. Insuper dicit S. Bernardinus, Christum Dominum in cruce pependisse facie versus orientem, & à sinistris Virginem Mariam facie stetisse Aquilonem versus; sic quidẽ ratiocinatur citatus Author Serm. 1. de nomi. Mariæ cap. 3. *Beata Virgo ping debet ad sinistram crucis, quia Christus in cruce faciem tenebat ad orientem, Virgo vere ad sinistram, hoc est; Aquilonem*. Sed cur, O sancte Bernardine, B. Virgo pingi debet ad sinistram? cur, inquam, ipsa faciem tenebat ad Aquilonem? *ut oraret*, respondet ille, *pro peccatoribus*. Vt te ab omnibus malis ingruentibus defenderet ac protegeret: *ab Aquilone* namque *pandetur malum*. ait Ieremias. cap. 1. vers. 14. *Faciem igitur, tenebat ad Aquilonem* vt à te aquilonares tentationum ventos auerteret, *Faciem tenebat ad Aquilonẽ*, vt frigescenti tibi in pietate, & tepore Spiritu congelato gratiam impetraret ac deuotionis in Deum augmentum. *Faciem tenebat ad Aquilonem*, vt te frigore & odio inimicorum constrictum resolueret & mediante gratiâ Dei liquefieret remittendo iniuriã proximis. *Faciem tenebat ad Aquilonem*, vt te in peccatis obstinatũm & obduratum emolliret *Faciem tenebat ad Aquilonem*, vt in te, qui in charitate Dei & proximi totus frigescis & alges, amoris ignem de nouo accenderet. *Vt oraret pro peccatoribus*.

Sed Audiant deuoti Beatissimæ Virginis eiusque sanctissimi nominis clientis casum non minùs deuotum quàm commiserabilẽ à S. Militone relatum, quem vt legi, à lachrymis me minimè temperare potui. Scribit hic S. Pater tẽporibus suis vixisse Dominũm quendam summâ in Beatam Virginem deuotione conspicuum: vnde & præcipiebat omnibus, quotquot sub curâ eius domestica viuebant, vt à quocunque etiam vocati responderent hoc sanctissimo nomine: *Aue Maria*, nec deuotio illa præfati Domini gradum hic sistebat; insuper & auiculã, quam domi suæ auiario inclusam asseruabat, hæc eadem edocuit verba; vnde vix matutinum aderat crepusculum, & auicula illa cantabat; *Aue Maria, Aue Maria*. Si pulsabantur fores, subitò quasi curiosa inquirens cantillabat: *Aue Maria*. Accidit verò, quodquâdam die auiarij ustiolũ ex obliuiuque reliquerat apertum; auicula nacta hanc fugæ commoditatem auolauit, & petijt campos Vix Num. 20. fugera

fugerat, & ecce obuium habet auidum auium prædonem accipitrem, qui eius cupiditate allectus velocissimo illam insequebatur volatu, misera auicula inter truncos ramosque arborum sese abscondere tentans, nunc in hanc, nunc in illam volitabat partem; at fessam tandem arripuit accipiter, tenero eius corpusculo præacutos infigens vngues. Iam, iam discerpenda erat auicula; vnde pellem suam cremari & dilaniari sentiens cœpit clamitare: *Aue Maria, Aue Maria.* O rem miram, inquit hic Sanctus. Ad hanc vocem illicò cecidit in terram mortuus accipiter fœtorem talem emittens, vt totam illius aëris infecerit regionem; auicula verò pristinæ restituta libertati aufugit, cantans per aërem: *Aue Maria.* Quem nunc putatis N. significari hâc auiculâ, inquit S. Bonauentura, nisi peccatores per peccatum in bestias transformatos? quis ille accipiter nisi Diabolus? omninò, ita est; vnde si tibi, O peccator diabolicos infixerit vngues; tu verò sine morâ refugium sumpseris ad potentissimam hanc Aduocatam inuocando eius sanctissimum nomen, mortem haud dubiè effugies, & vitam obtinebis. Audite D. Bonauenturam in Psalm. *Gloriosum & admirabile est nomen tuum, ô Maria, qui illud retinent, non expauescent in puncto mortis; nam dæmones audientes hoc nomen Maria, statim relinquunt animam.* Cui subscripsit sapientissimus Pater Idiota de Laud. Virginis: *Maria nomen languidos sanat, cæcos illuminat, & iugum Diaboli extrudit.*

Ah popule perfide, ingrati peccatores, & peccatrices, & vos deuotionis, pietatisque omnis in potentissimam hanc protectricem immemores eritis? & vos non confugietis ad præcelsam hanc Matrem & Aduocatam vestram? & quid vnquam à tam potenti Domina desideratis ac petitis, quod ipsa non præstat vobis? Si verum est, quod inquit S. Paschasius, ipsam esse *libellum Virginitatis*, felix & fortunatus ille est, qui huius libri frequentissimè incumbit lectioni & deuotioni. Si verum est, quod ait S. Petrus Chrysologus, *ipsam esse collegium sanctitatis*, cur non cogitatione frequentatis illius sanctissimæ vitæ scholas, lectiones excepturi humilitatis, obedientiæ, castitatis, continentiæ, pietatis, vt sic tandem aliquãdo doctorali cœlestis gloriæ possetis coronari laureâ? Si verum est, quod ait S. Bernardinus Senensis Serm. 15. quod sit, *taberna gratiarum, in quâ omnes omnia, quibus indigent, comparare possunt.* Cur non facitis idipsũ? veniant ad hanc officinam à carnali vexati & molestati concupiscentiâ. ait B. Prudentius homil. 3. & Maria Virgo eis suppeditabit gratiã, quâ carnales & sensuales motus refrenabunt & domabunt: *Omnia venena Virgo domat.* Accedant superbi & arrogantes; hic enim, (vt ait S. Hilarius in Cant. 3. comparabunt antidotum: *Profundissimæ humilitatis exemplum.* Veniant auari, ait S. Bonauentura in speculo, hic enim venalis ostẽditur ipsamet liberalitas: *Mater liberalitatis.*

Cùm igitur Beatissima Virgo sit potentissima peccatorũ Aduocata, sauciati & sauciandi diuinæ punitionis gladio; constituti, inquam, in maximis tribulationibus, angustijs & calamitatibus confugiamus ad ipsam, vt, quæ stat à dextris Dei, nos peccatores sub protectionis suę suscipiat pallio, & post miserabilem hanc vitam nos efficiat participes illius fœlicissimi status, quo ipsa iam perfruitur in cœlis: *O Mater & sancta Virgo* (sic eam alloquitur Basilius Seleuciensis Orat. 1. de Incarnat. Verb.) *aspice nos de cœlo oculo propitio, & nunc quidem educ nos hinc cum pace. Ad iudicis autem thronum à confusione liberos nos siste, & stationis tandem ad dexteram participes nos effice, vt inde ad cœlum abrepti, vnà cum Angelis increatam Homousiamque Trinitatem laudemus.*

Maria

Maria Dolorosa.

DISCVRSVS XLII.

De Dolore & compassione Mariæ Virginis, quando stetit iuxta crucem Iesu filii sui crucifixi.

Num. 1. FVNESTVM sanè & lugubre spectaculum, historiam non modicâ dignam compassione altiuolans illa Aquila; sanctus, inquam, Ioannes describit dolores & martyirum enarrando Mariæ Virginis Matris Christi. Scribit ille, quòd, cum Vnigenitus Dei filius pro salute humani generis durissimo crucis ligno affixus sanguinem copiosissimè effunderet, ac moriturus cor & animam veluti tributum Patri suo æterno debitum offerret, ipsa intrepido & constanti animo astiterit Crucifixo filio, turbulento tamen dolorum tormentorumque immersa oceano: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius*, &c. Ioan. 19. vers. 25.

Stabant autem iuxta crucem, planè ait Guerricus Abbas sermone 4. de Assumpt. instar generosæ matris, quæ vt amantissimam suam patriam à perfidis liberaret hostibus, animū addit proprio filio, ne timeat assultus crudelissimæ mortis, tollitque ab eo amorosis & pijs suis hortamentis cunctum mortis horrorē & formidinem: *Plane stabat Mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat; quomodo enim terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors? imò fortior quàm mors erat?*

Stabant autem iuxta crucem, inquit Arnoldus Camotensis de Laudib. Virgin. vt se ostēderet redemptionis nostræ cooperatricem; voluit namque ipsa erecta stans idem pati, idem facere, quod Christus: si Christus crucifigebatur quoad corpus, Maria cruci affigebatur quoad animam; si Christus patiebatur, Maria compatiebatur; si Christus moriebatur, emoriebatur & Mater; si Christus languescebat, elanguescebat & Mater; si Christus reale & actuale subibat martyrium, voluntate sustinebat illud Mater: *Benè stabat iuxta crucem Mater eius, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat; omnia quæ in corpore Christus patiebatur, ipsa patiebatur in animâ.*

Stabant autem iuxta crucem, inquit D. Gregorius in moral. vt significaretur nobis, quod sicut duæ citharæ eidem concordatæ tono & sibi oppositæ, si vna pulsatur & resonat, altera quoque pulsatur & consonat, tametsi hec non tangatur; ita pijssima Mater opposito suo filio Iesu, si vulnerabatur filius, vulnerabatur & Mater, si Christi sacratissimum caput pungētibus coronabatur spinis, cōfigebantur ijsdem & tempora Matris; si manus pedesque Christi præacutis perforabantur clauis, ijsdem remanebat confixa & Mater, *Stabat, eò quòd crux & claui filij fuerunt etiam & Matris; erant enim duæ mysticæ citharæ, quarum vnâ sonante resonabat & altera, etiam nullo pulsante: Iesu dolente dolet & Mater: Christo crucifixo crucifigitur & Mater.*

Stabant autem iuxta crucem, Asserit Richardus de S. Laurentio lib. 4. de Laud. Mar. Virg. quia sollicita & anxia hærebat Maria Virgo, ne fortè ingrati & perfidi Hebræi dicerent, Christum non fuisse sufficientem pro redemptione humani generis; vnde illa stabat iuxta crucem, vt

esset

esset prompta & parata ad se pro nobis offerendam; licet non ignoraret mortem Christi esse sufficientissimam: *Stabat iuxta crucem, licet enim certissimè sciret filium suum positum in staterâ crucis pretium esse sufficiens pro peccatis totius mundi, tamen si quis calumniaretur, pretium hoc esse minus sufficiens, præsto erat seipsam impendere.*

Stabant autem iuxta crucem ait S. Bernardus super illud Matth. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*, c. 27. v. 47. Quia Maria Virgo Christo debebat esse crux maiores ei inferens dolores, quàm lignea, in quâ pependit; siquidem quò maioribus Christus conspiciebat Matrem suam affligi cruciatibus, eò magis ipse cruciabatur; vnde Maria Virgo stans erecto corpore & extendens brachia nouam filio suo parabat crucem: *Stabat iuxta crucem; qui plus doluit de Matre, quàm de se, nam multò acerbius ex matris compassione doluit quàm suâ passione.*

Maximus profectò fuit dolor, acerbissima pœna, quā passa fuit B. Virgo iuxta crucem; tantus quidem dolor, vt post Christum nulla creatura similem passa fuerit; dolor, quem nec mens creata comprehendere, multò minus lingua enarrare valet; dolor talis, vt in comparatione eius leuis ille videatur omnium martyrum; hi enim solùm in corpore, Maria verò in animâ patiebatur, sic enim senex Simeon ei prædixerat: *Et tuā ipsius animam pertransibit gladius*. Lucæ 2. vers. 35.

Et hæc fortassis ratio est cur sacri Euangelistæ tacito prætereunt pede hunc dolorem; nouerant namque illum explicatu esse difficilem si non impossibilem; vnde S. Ioannes qui dolenti pręsens astitit Matri simplicibus hisce innuit verbis, quod *Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius*, &c. loco cit. Volens significare, vnumquemque per seipsum ponderare posse excessum & magnitudinem illius. Vnde idem meo iudicio contigisse videtur sacro Euangel. Ioanni, quod, teste Plinio lib. 35. histor. natural. obtigit celeberrimo cuidam pictori, qui cum mortuam artificiosissimè depinxisset Iphigeniam filiam regis Agamemnonis, & circa illam funeralem comitatum, luctum nimirum consanguineorum, planctum satraparum & aulicorum regis, dolorem seruorum & domesticorum, summam denique tristitiā, tum senum, tum iuuenum immaturam Iphigeniæ mortem amarissimè deplorantium; volens deinde penicillo suo repræsentare internum & intensissimum dolorem mœstissimi & desolati patris Agamemnonis mortem indefesse deplangentis dilectissimæ filię, nesciuit profectò, quo tam excessiuum parentis lugentis dolorem adumbraret colore; tandem resoluit se artificiosissimo quodam velo mœstum & contristatum illius cooperire vultum, vt sic spectatoribus relinqueret considerandum inexplicabilem Agamemnonis dolorem, quem ipse suo penicillo nec exprimere, neque attingere valeret. Idē prorsus fecisse videtur S. Euangelista Ioannes pictor, imò scriptor historicus mysteriorum Euangelicorum & præsertim immensi doloris & martyrij Mariæ Virginis & Matris Dei; postquam enim is penicillo pennæ suæ, vtpote Spiritus sancti instrumento depinxisset acerbissimam mortem perdilecti sui Magistri, qui dolorū mihi videtur esse compēndium, *Virum dolorum*, ait Isaias Propheta cap. 53. vers. 1. postquam enarrasset; quomodo manibus pedibusque cruci affixus penderet inter duos latrones: postquam recensuisset diluuium illud effusi pretiosissimi Christi sanguinis, quosdā circumstantium fundentium amaras lachrymas, diuisionem vestimentorum crucifixi Redemptoris: postquā denique expressisset vniuersalē dolorem, quem suo modo præ se ferebant & demonstrabant creaturę ob mortem & compassionem Creatoris totius Vniuersi; tandem enarraturus magnum illum dolorem immensūmque tristitiam sanctis-

sanctissimæ Virginis Matris Christi, quia verbis illum nec explicare, nec calamo exprimere poterat, prudentissimè censuit illum contegere velo silentij, in cuius signum spectatricem dumtaxat lugubris & funesti spectaculi depinxit sanctissimã Virginem dicens: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius,* &c. Necid immeritò, quia nec lingua potest enarrare, penna nequit describere, cor non potest cogitare, nec intellectus capere valet, quam magnus fuerit doloris gladius, quo transuerberata fuit anima pientissimæ Matris, dum cruciatus, pœnas & tormenta videbat & considerabat patiẽtis & morientis Filij. Tenebris cœli obuelauit Deus dolorosam Crucifixi repræsentationem, & S. Ioannes velo silentij cooperuit & celauit dolorem & compassionẽ Matris; non dicendo aliud, nisi *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius,* &c. volens significare hisce verbis: Considerate vos & ponderate dolorem afflictæ Matris, quem ego explanare nequeo, vt detegatur hoc velum & aliquã saltem ex parte explicetur hic immensus dolorosæ Matris dolor, considerare illum possumus, à ratione ad affectum; ab amore, inquam, quo ipsa ferebatur in filium, argumentemur necesse est, quia si sine mensura & pondere fuit illius amor, immensurabilis quoque fuit illius dolor. Mensurabis dolorem, si ponderaueris amorem; & quia Maria Virgo amabat filium suum super omnes creaturas, ideò maximus fuit ipsius dolor; vnde ipsamet S. Virgo tanto doloris confixa gladio ab omnibus transeuntibus petit, num viderint dolorem sui similem & ait: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* 1. Thren. versiculo duodecimo.

Num. 3. Hinc asserunt contemplatiui, quòd si per diuinum miraculum B. Virgo non fuisset præseruata, mortua proruisset in terram iuxta crucem ob nimium dolorem. Audite S. Anselmum lib. de Excell. Virg. cap. 12. *Beata Virgo in passione Christi verè interijsset præ magnitudine doloris, nisi ab eo præseruata fuisset.* Et S. Bernardus Senensis to. 1. sermone sexag. prim. cap. quart. adiungit & dicit: *Tantus fuit dolor Virginis in passione Christi, vt si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, diuideretur omninò subitò interirent.*

Verùm expendamus vela, & subintremus amplissimum dolorum Mariæ Virginis oceanum. Ac in primis maximum sensit dolorem videndo Christum dilectissimum suum filium ab impijs & sceleratis Iudæis pessimè tractari, occidi & mactari. Antiquissimus Poëta Lucianus in dialogis de amore, ait, maximum huius mundi dolorem esse, quem sustinent parentes, cùm proprium necari conspiciunt filium, & eò maiorem esse dolorem, quãdo filius ille vnicus est; vt proptereà Sacra Scriptura significatura dolorem, quo non datur maior, benè dixerit per Jeremiam: *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* cap. 6. vers. 26. & per Zachariam: *Dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti* capit. 12. vers. decim.

Cùm igitur pari ambulẽt gressũ amor & dolor, & numquam tam intensè quis dilexit filium suum, quantum B. Virgo Christum Dominum, cuincitur ex hoc apertè numquam fuisse in mundo dolorem similem dolori Marię Virginis: *Plus omnibus dilexit* (sic loquitur D. Hieronymus sermon. de Assumpt. Mariæ Virginis) *proptereà & plus doluit, in tantum, vt animam eius totam pertransiret & possideret vis doloris, & testimonium eximiæ dilectionis, & quæ, quia mento passa est, plus quàm martyr fuit, & eius dilectio amplius fortis, quàm mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.*

Non reperitur proportio & similitudo Num. 4.
conformis idææ dolorum Mariæ Virginis inter cæteras creaturas. Considerate N. magnos illos dolores martyrum, quorum ex parte meminit D. Paulus ad He-

bræos

bræos cap. 11, *Alij autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem*. versic. 35. *Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres*. vers. 36. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti*. versic. 37. Contemplamini & animo ponderate lapides Stephani, gladios Pauli, feras crudelissimas Ignatij, craticulas Laurentij, sagittas Sebastiani, candentes & ferreas vngulas ac laminas Agathæ & Agnetis, rotas Catharinæ, flammas Apolloniæ, secures Cæciliæ, omnia hæc tormenta simul iuncta & vnita nulla sunt in comparatione dolorum excessiuorum, quos pertulit iuxta crucem B. Virgo, teste D. Anselmo lib. de Excellent. Virg. cap. 1. *Quicquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leue fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis.*

Et si penitiùs introspiciamus martyrium Mariæ Virginis, clarè perspiciemus Num. 6. illâ insolito, nouo, imò miraculoso modo tormenta & dolores passam fuisse. Vbi in alijs sanctis finitur martyrium, ibi in Mariâ incipit, quia post partum suum hoc dolorosum inter gaudia audiuit vaticinium tormentorum à se sustinendorum: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Luc. 2. versic. 35. Alij pœnas & tormenta perpessi sunt in corpore, Maria in animâ & corpore, quia ipsius erat caro filij iam vulnerata & sauciata; sanguis, qui profundebatur, eius erat; eius quoque membra erant, quę tormēta & cruciatus excipiebant; ipsius nerui erant, qui extendebantur: imò in duabus illa patiebatur animabus, non minus in animâ filij, quàm in propriâ, quod innuere volebat senex Simeon dicens ei: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Ac si dixisset: ipsius, quæ est tua; tuam, quæ est ipsius. Alij tormenta sustinentes in corpore, sæpissimè tantâ quoad animam perfusi fuerunt lætitiâ, teste D. Gregorio hom. 8. super Euangel. vt ille dolorem suppresserit carnis & corporis, adeoque nullos ipsi senserint dolores & tormēta, veluti legitur de S. Theodoro, S. Vincentio, S. Baldinâ, S. Felicitate alijsque martyribus; ast in Beatissimâ Virgine tam ingens erat animæ tormentum, tam acutus cordis gladius, vt etiam transuerberaret corpus & cōfigeret carnem. Alij ferro doloris sauciati fuerunt, ipsa gladio amoris. O nouum & insolitum martyrium! O miraculosum tormentum!

Et hæc est ratio N. cur ex illis, qui Num. 7. fuerunt præsentes & assistentes morti Saluatoris nullus subierit martyrium, neque violentâ fuerit ereptus morte. Omnes Apostoli occisi fuerunt propter fidem Christi D. N. solus Ioannes, qui præsens fuit morienti Iesu, in vltimâ senectute mortem obijt naturalem. Plurimæ etiam sanctarum mulierum in primitiuâ Ecclesiâ sparserunt quoque sanguinem propter amorem Christi; ast non Saluatoris nostri Mater, neq; Magdalena, neque Maria, neque alię, quæ fuerunt assistentes Christo crucifixo. Quam huius assignabimus causam? annon magna gratia est martyrium? annon excellens priuilegium est, cùm quis sanguinem & vitam profundit ob amorem Christi? omninò. Cur igitur hoc non concedit percharis suis amicis? imò concessit illis, & quidem nobiliori modo, ait quidam grauissimus Doctor; siquidem Christus fecit illos secum vnum subire martyriū; fecit illos eundem, quem ipse, ebibere calicem; fecit, vt simul cum ipso paterentur tormenta, vt dolorum sustinerent partem, & propterea non erat necesse, vt aliud eis concederet martyrium; sicque vero verius est, Mariam Virginem fuisse Martyrem, imò Reginam Martyrum, eò quòd iuxta crucem ebibit passionis calicem per manus filij sibi exhibitum.

De Demosthene refert Plutarchus in Num. 8. vitâ eius, quòd, quia vnicum dumtaxat

habebat filium, eumque cōspiciebat morientem, tam ingentem senserit dolorē, vt à lachrymis se temperare nequiuerit. Vnde cùm reprehenderetur propterea à quodam amicorum suorum intimo dicente; eiusmodi intemperantiæ actum non benèconuenire Philosopho tam excellenti, respondit: amor patris in filium nullas habet leges temperantiæ in dolore: quantuscunque reperiatur pater tyrannus & crudelis, mansuescit nihilo secius videndo filium morientem.

Impius rex Pharao inexorabilem se exhibuit precibus Moysis, neq; cor eius per ranas, neque per muscas, neque per aquas in sanguinem transmutatas, neque per tot alia prodigiosa signa emolliri poterat; ast quando conspexit mortuum filium suum primogenitum, tantùm tunc contristatus fuit, vt libertatem obtulerit populo Israëlitico. Cedat amor Pharaonis, Demosthenis & plurium aliorum amori reginæ cœlorum in perdilectum suum vnigenitum Christum Iesum; nam quantoscunque illi perpessi fuerunt dolores, longè maiores & excedentes subiuit Virgo Maria, adeò vt conuersa fuerit in mare amaritudinis; sicut enim in mari nulla dabitur gutta aquæ, quæ non sit salsa; ita nulla est particula in pectore Virginis, quæ non sit oppleta doloribus, vnde de illâ dixit Ieremias Propheta: *Magna est velut mare contritio tua.* Thren. cap. 2. vers. 13.

Num. 9. Et vt altiores firmet radices in memoriâ nostrâ excessiuus dolor Mariæ, audiamus hunc deuotum conceptum D. Hieronymi asserentis amori inesse virtutem transformandi corda amantium in obiecta amata: quia ergo Christus vi amoris transformatus erat in Beatissim. Virginem, & hęc in Christum; iidem claui, quibus configebantur manus pedesque Redemptoris, penetrabant & transuerberabant cor Matris: omnes illæ spinæ, ictus & verbera, quibus Christi affligebatur corpus, sauciabant cor Matris, sicque tunc causata fuit echo quædam inter corpus Christi crucifixi & cor Mariæ Matris. Deuota hæc est contemplatio D. Hieronymi in Sermon. de pass. *Quot læsiones in corpore filij, tot vulnera in corde Matris: claui, quibus corpus Christi pendebat in cruce & cor Virginis confixum habebant: nullum ictum recipiebat corpus, cui non tristis echo responderet in corde matris.*

Excessiui ergo & intolerabiles fuerunt dolores Mariæ propter passionem filij; verùm quòd se spectatricem iuxta crucem exhibuerit pœnarum, tormentorum & cruciatuum sui dulcissimi Iesu, intensum nimis in ea concitauit dolorem; vnde quia plurimi sancti præuidebant in spiritu, quanta venturus Messias passurus esset, nec oculis proprijs triste hoc spectaculum videre se posse existimabant, mortem cum vitâ commutari enixè à Deo petebant. Quod euidenter cōstabit ex S. Euangel. Lucâ capite secund. natum Christum benedictum & circumcisum Virgo gloriosa post aliquot dies detulit ad templum, vt legis satisfaceret consuetudini, ibidem senex Simeon diuinum puerulum suscepit in vlnas suas, & postquam eum admirabundus inspexisset, sublatis in cœlum oculis dixit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundū verbum tuum in pace.* loc. c. versic. 29. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* versic. trigesim. Ac si dixisset: Iam tēpus est, ô Domine, vt ad aliam transeam vitam, iam vidi, quod desideraui; moriar ergo, te rogo: *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* At dic mihi, amabo, ô sancte Simeon, eccur adeò properas abhinc discedere? cur non expectas redemptionem Israel, ad quam adeò anhelabas? annon de te dicitur: *Simeon iustus & timoratus expectabat consolationem Israel.* l. c. vers. 25. Nondum completa est redemptio, vix natus est Christus, expecta igitur finem. Respondentem Simeonem audire mihi videor: Non id vult Deus, non vult, inquam.

Num. 10.

quam, vt funeſtum illud ſpectaculum aſpiciam in monte Caluariæ, magnã præuideo deplorandam tragœdiam, video ſanguine inundatum montem Caluariæ, hic infantulus morietur in cruce, & quomodo ego ſpectator eſſe potero Dei mei crucifixi, potiùs moriar ante completam redemptionẽ, & obſcuro triginta tribus annis detineat limbo: *Nũc dimittis ſeruũ tuum Domine, ſecundũ verbũ tuum in pace.* Audite S. Timotheum Hieroſolymitanum præfata verba exponentem Orat. de Proph. Simeone, quem hunc in modum loquentem introducit; *Abſoluar nunc, quæſo, Domine, ne diutius hic hærens, quæ nolim, intueri compellar.* Et quænam ſunt iſta, ô ſancte Senex, quæ non deſideras videre? ſubiungit ille: *Dimitte me nunc, obſecro, ne videam audax nefariumque Iudæorum in te facinus, ne videam ſeruum alapam infligentem, ne videam lanceam in te adactam, ne videam te clauis cruci affixum.*

Num. 11. Verùm maiora audite prodigia reuelata S. Brigittę l. 6. cap. 11. Omnes Patres in limbo exiſtentes præuiderunt in ſpiritu Chriſtum crucifixum, pœnas, cruciatus, tormenta & flagella, quæ ob redemptionem & ſalutem humani generis pati & ſubire debebat; vnde per totam æternitatem potiùs ibidem demorati fuiſſent, quàm vidiſſent Saluatorem ſuũ atrociſſimas ſubeuntem pœnas, tantam exinde perceperunt compaſsionem & dolorem: *Illi autem, qui erant in ſinu Abrahæ* (ita habet reuelatio) *multum turbabantur, in tantum quod mallent in æternum eſſe in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino ſuo.* Quòd ſi ergo S. Simeon, ne videret paſſionem Chriſti Domini in cruce, potiùs elegerit obſcurum limbum, & Patres illi à longinquo ſolum aſpicientes hoc lugubre crucis ſpectaculum, in perpetuum in eodem maluerint remanere limbo, quàm videre illud. Quos ergo non ſenſit dolores piiſſima Virgo Maria, quæ non crudeliſſima perpeſſa eſt tormenta; cùm non à longinquo, ſed iuxta crucem ſtetit, laceratum vndique & dilaniatum conſpexit corpus Redemptoris noſtri, ſanguine conſperſum, crudeliſſimis cęſum flagellis, pungentiſſimis confixum ſpinis, dum perdilectum filium ſuum aſpexit in cruce pendentem, pallidum, langueſcentem & iamiam animam efflantem!

In ſummis igitur hiſce conſtituta doloribus, quos patiebatur benedicta Virgo, ait S. Ioannes, quod ſtabat iuxta crucem; non enim diſcedebat à modeſtia & grauitate illâ, quæ decebat Dei Matrem, nec eſt, quòd quis ſibi imaginetur eam erupiſſe in eiulatus & ploratus fœmineos, in lamenta à grauitate remota, vituperio digna, ac muliebri ſexui valde familiaria, quæ fuit exemplum & receptaculum omnium virtutum & perfectionum. Cuicumque perſonæ ciuilitatem & modeſtiam ſeruandã ſuadet eloquentiſsimus Cicero in quæſtion. ſuis Tuſcul. dum ait: *hoc in dolore eſt maximè penſandum, ne quid abiectè, ne quid timidè, ne quid ſeruiliter, muliebriterve faciamus.* Eadem planè ciuilitas & modeſtia fuit in Mariâ Virgine, tam ſapiens, tam modeſta, tam grauis, tantaque fuit dotata fortitudine ſtãs iuxta crucem, vt ſanctus Ambroſius in Orat. funeb. de obitu Valent. non audeat dicere eam fudiſſe lachrymas, *Stabat*, inquit ille, *& ſancta Mater iuxta crucem filij, & ſpectabat Virgo ſui vnigeniti paſſionem: ſtantem illam lego, flentem non lego.* Et Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 4. part. titul. 83. cap. 4. §. 7. idem etiam confirmat hiſce verbis: *Gladius animam eius pertranſiuit, illa tamen modeſtiæ metas non tranſiuit.* Summa, in planctu eius non niſi grauia audita fuêre verba, lachrymæ modeſtæ & prudentes viſi fuerunt mores. *Stabat*, igitur, *iuxta crucem Ieſu Mater eius.* Heroicam enim oſtendit fortitudinem in huiuſmodi dolore. Num. 12.

De Samnite Ægypti rege refert Herodotus Num. 13.

rodotus, eum vnà cum liberis & principalioribus regni sui Satrapis in bello captum & carceri mancipatum fuisse à Cambyse Persarum rege; quo tempore plurimas ille perpessus est calamitates, iniurias & despectus, inter quos hic non infimus est: iussit nimirum die quodam hic tyrannus captum regem Ægypti educi è carcere ad locum, vbi omniũ transeuntium pateret conspectui; intereà per vicinam plateam transibat huius capti regis filia, quæ laceris induta vestibus & super caput gestans poculum, ibat cum alijs seruis allatum aquam; plorabant amarissimè alij Ægyptij conspicientes principem suam ad huiusmodi redactam miseriam; at ne minimum rex filiæ huius parens commotus fuit, aut fleuit. Mirabatur Cambyses tantam regis constantiam & mox iubebat educi è carcere principem iuniorem eiusdem regis filium. Prodijt hic in publicum, sed vestibus prorsus spoliatus & nudus, pedi alligatam & ponderosam deferens secum catenam, totusque mœstus, afflictus ac pessimè tractatus obambulare debuit plateas. Miser rex & parens neque hoc tragico spectaculo commotus fuit, clausitque oculos, ne filij extremam aspiceret miseriam. Illicò subsecuta est tertia scena tragœdiæ; conspexit nimirum idem rex transeuntem vnum è principalioribus suis satrapis, quem ille vnicè adamabat, ad talem redactum calamitatem, vt stipem petere coactus fuerit. Quod cùm videret Samnites, amarissimè cœpit flere. Lachrymas hasce summopere demirabatur tyrannus & petenti ei harum causam respondit captus rex: *Filij aspectu præpeditus plorare non potui & in lachrymas prorumpere, quia si flere mihi concessum esset, iam ex hoc pœna leuior mihi fuisset.* Quibus significare volebat, amorem amici lachrymis posse satisfacere aduersitati & captiuitati illius; ast amorem vxoris & filiorum non posse ne quidem torrente lachrymarum soluere tributum dolori, bene quidem silentium & tristitiam, vtpotè signum mortalis vulneris in extremis calamitatibus; etenim lachrymæ solatio sunt dolenti; vnde Sanctus Ambrosius de obitu Valent. *Pascunt frequenter lachrymæ, & mentem alleuant, fletus refrigerant pectus & mœstum consolantur.* Hinc etiam Deus præcepit Ezechieli Prophetæ ne vxoris defleret mortem: *Non plangés, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ*, cap. 24. versic. 16. Et proptereà amici Iob videntes summam ipsius calamitatem plusquam amicos se demõstrarunt, cùm tacuerũt septem diebus, quia, vt ait D. Chrysostomus homil. 4 de patientia Iob, *mediocres calamitates solamen habent, magnitudo calamitatis silentio honoratur.*

Ex hisce iam dictis facilè intelligi potest, cur B. Virgo & Mater Saluatoris nostri non dicatur fleuisse; nimirum quia non habuit solatiũ in doloribus, neque per hoc diminuitur eius cõpassio & dolor, quia magnitudo dolorum non consistit in planctu, & ipsa non prorupit in lachrymas, vt maiores sentiret dolores; sicque cùm dolorosa Mater perdilectum suum videret filium non iam ligatum catenis & funibus, sed totum dilaniatum & plagatum, non tanquam seruum prætereuntem, sed veluti latronem cruci affixum, ad summam & extremam conspiciebat illum redactum calamitatem, cui nullus succurrere poterat, ô dolorem inexplicabilem, quem tunc sentiebat Virgo benedicta! ô cruciatus & angustias excessiuas, quibus tũc affligebatur mœstissima Mater! attamen inquit Sanctus Ioannes, ipsam stetisse iuxta crucem instar firmissimæ columnæ, instar immobilis in mari scopuli turbulentis vndique dolorum & amaritudinum agitati procellis: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius.* Num. 14.

Quòd si ergo tibi, ô Christiane, insint pietatis viscera, & compati desideres doloribus huius sanctissimæ Matris, plus-

quam

quam æquum est, vt te excites ad compassionem, & consilio acquiescas S. Apostoli: *Flete cum flentibus*, ad Roma. 12. versic. 15. & eò magis, cùm à nostris peccatis originem ducant dolores eius; pro illis namque patiebatur ipsius Filius, cuius dolores ipsa sentiebat in corde.

Ad hunc planctum te inuitat Propheta Ieremias dicens: *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Thren. cap. 2. versic. 18. Consolare hanc sanctam Matrem, cui summoperè perplacent lachrymæ fusæ propter amorem tui Filij. Id si feceritis, ipsa tanquã Mater misericordiæ in hac vitâ tibi impetrabit peccatorum tuorum veniam, & in alterâ æternam gloriam, quam tibi misericorditer elargiatur, qui viuit & regnat, &c.

Misericordia Dei.

DISCVRSVS XLVI.

De infinitâ Dei misericordiâ; & quòd peccatores non debeant eâ abuti.

Num. 1. ANgelicus Doctor Sanctus Thomas in caput 4. Iob expendẽdo versum decimum Psalm. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Dicit per has vias Dei posse intelligi misericordiam & iustitiam, ad quas Propheta reducit omnes vias Domini, ac primum locum defert misericordiæ, eò quòd Deus lubenter & vltrò hanc ingreditur viam; illam verò iustitiæ non capit nisi à nostris coactus peccatis: *Quia velox est ad misericordiam & tardus ad iram.*

Enimuerò N. inter omnia attributa & proprietates diuinas misericordia comparet celebrior, magisque præcipua est. Aristoteles quoddam nobis suggerit consilium, dignum profectò, vt omnium maneret insculptum cordibus hominum & præsertim regum & monarcharum mundi huius: *In vltione* (ait ille) *grauipedes, in bene faciendo verò delphinus.* Nimirum, rex, Imperator, vel alius quidam magnus princeps, in benefaciendo, gratiam, fauorem aut misericordiam subditis suis exhibendo, debet esse similis delphino; ast in puniendo animali, quod dicitur graui-pedes, de quo refert Plinius lib. 9. hist. Natural. c. 28. quod vno integro die ambulando non percurrat distãtiam vnius palmi. Et delphinus deinde est piscis miræ velocitatis; vnde Oppianus Poëta Grecus de Nat. pisc. comparat illum sagittæ, dum canit:

Namque per æquora lata, sagittæ more volant.

Huius naturæ est Deus N. etenim exhibiturus nobis misericordiam suam venit instar sagittæ; ast puniturus tardissimus est, vt meritò dixerit Sponsa: *Crura illius columnæ marmoreæ*, Cantic. 5. versic. 15. Vt hinc edoceremur, inquit Rupertus Abbas in hunc locum, quàm difficulter descendat ad nos castigandos. Nec mihi dicaris, de illo alibi dicere Sponsam, quòd sit velocior & leuior ceruis ac ocyssimè colles conscendat & montes: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cantic. 2. vers. 8. Etenim respondebo vobis, vtrumque esse verissimum: hoc, quia solitam nobiscum exercet suã misericordiam; illud, quia sermo ibi est de pœnâ, quam iustè peccatoribus infligit. Vnde optimè dixit S. Greg. Na-

zianzenus Orat. in Athan. *Ad iudicanda flagitia tardus est Deus, ad ferendum verò auxilium celer.*

Num. 2. Veritatē huius præ reliquis omnibus expertus fuit Adam protoparens noster, qui ab omnipotente Deo ex luto formatus diuinum illicò transgressus est præceptum; vnde iustissimus Deus coactus fuit ad puniendum illum. At accurritne fortassis præproperè & festinãter? non sanè, sed *deambulabat ad auram post meridiem.* Gen. cap. 3. vers. 8. Pedetentim & quasi spatiando accedebat. Ecce pedes illius columnæ marmoreæ. Vnde doctissimus Abulensis in hunc locum: *Sic enim Deus ad puniendum peccatum primorum parentum tardus veniebat, quia Deo proprium est misereri semper & parcere.*

Num. 3. S. Ambrosius lib. de Noë & arca cap. 25. ad præsens propositum miro ponderat acumine factum illud, quod contigit in sacrâ Genesi, qualiter videlicet Deus miserator & misericors centum annis expectauerit condignam pœnitentiam de peccatis, quæ patrauerat mundus, ac tantundem etiam insumpserit Noë temporis in fabricandâ arcâ; quo tempore cunctos hic præmonebat, vniuersale præ foribus iamiam adesse diluuium, nisi se emendarent. Transacto deinde aliquot annorum spatio introduxit, Deo ita iubente, omnis generis & speciei animalia in arcam. Nec hoc contentus, sed alios insuper septem dies expectare voluit, vt videret, num quis esset, qui se saluare desideraret in arcâ: *Expectauit ergo* (inquit S. Ambrosius) *& septimo die, quo ab operatione requieuit, vt si venia posceretur, sequeretur correctio, & ab indignatione requiesceret.* Adeoque si horum septem dierum spatio homines sese conuertissent ad Deum ducti pœnitentiâ, veniam impetrassent, & tota arcæ machina & fabrica fuisset frustratoria, pacem quoque & amicitiam iniisset Deus cum hominibus sceleratis, ac si nunquã fuissent inimici; ast quia ipsi obstinati remansêre in peccatis, Dei abutentes patientiâ, idcò aquis suffocati perierunt.

Aliam super idem factum audite contemplationem S. Ioannis Chrysostomi Num. 4.
hom. 35. in cap. 7 Gen. dicit ille, hominibus illis obduratis & in peccatis obstinatè perseuerantibus Deum coactum fuisse immittere diluuium: nihilominùs in hac extremâ punitione infinitam suam demonstrasse misericordiam; etenim, vt sacræ referunt paginæ, quadraginta diebus & totidem noctibus durauit pluuia ista: *Facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus,* Gen. 7. vers. 12. Dicit ergo S. Chrysostomus: *Quod quadraginta diebus & quadraginta noctibus inductum est diluuium, illud etiam bonitatis maximum specimen est. Volebat enim propter magnam misericordiam etiam aliquos ex eis castigatos generalem hanc internecionem effugere, cùm ante oculos viderent proximos suos perire, & imminere sibi communem interitum.* Volebat nimirum, vt agerent pœnitentiam, ac diuinæ fierent participes misericordię, quâ de causâ primo die submersa fuit vna pars generis humani, sequenti die alia, & sic deinceps vsque ad vltimum diem, quo, quia peruicaces & obstinati permanserunt, cuncti absumpti fuerunt diluuio. *Verisimile est* (pergit idem S. Chrysostomus) *primo die bonam aliquam partem diluuio periisse, & secundo die accreuisse aliquid diluuij & similiter die tertio & quarto & reliquis atque ita in quadraginta dies & quadraginta noctes produxit, vt omnem defensionis prætextum adimeret.* Et hæc fuit causa, cur tot diebus durauit diluuiũ, quia si Deo placuisset, vnico momento totũ potuisset submergere mundum: *nam si voluisset ac imperasset, potuisset omnia in vno momento perdere diluuio. Sed pro sua clementia tantâ dierum productione vsus est,* ait idem sanctus Doctor.

Huic non absimile est, quod contigit Num. 5.
Iosue cap. 6. & solito suo ponderauit

acumine S. Chrysostomus homil. 5. de pœnit. Summoperè Deus indignatus erat contra ciuitatem Iericho; Quare præcepit Sacerdotibus, vt septem diebus arcam circumducerent muros ciuitatis & septimo die deuastarent illam ac solo æquarent. Mirum in modum obstupescit hîc S. Chrysostomus, & insolitam hanc Dei dispositionem demiratur, dicens: *Mundum vniuersum sex diebus construis Domine, & vnam vrbem sex diebus dissoluis? quid enim tua potentia impedimento accidit: quare non repente destruis?* Mirari desine, respondet sanctus hic Doctor, voluit Deus per hoc significare nobis, quàm tardus sit ad pœnam & vindictam, & quàm promptus & velox ad misericordiam: *Ne mireris, velox Deus exstruens, tardus destruens; illud quidem potentiæ, & istud bonitatis.*

Num. 6. Quàm magna insuper sit diuina misericordia, & quàm lentè & illubenter Deus procedit ad pœnam, siquidem, vt testatur Sapiens, *dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.* Sap. 11. vers. 24. euidentissimè demõstratur ex Gen. cap. 18. vbi Dominus Deus dignam expetiturus pœnam ab infamibus illis ciuitatibus Sodomæ & Gomorrhę, dixit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis,* vers. 20. *Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* vers. 21. ac si dixisset: Clamor Sodomitarum ad cœlũ & ad meas vsque peruenit aures; ast priusquam illos castigem & condignâ afficiã pœnâ, penitus rei huius indagabo veritatem, *vt sciam.* Vt hinc edoceremur (ait Saluianus libr. 1. de provid. post med.) quàm illibenter procedat ad pœnam peccatoribus infligendam. Et quod dicatur voluisse descendere & videre, quid aliud denotat, quàm quòd paratus fuerit sufficientem eis indulgere moram quâ potuissent se conuertere ad eum, agere pœnitentiam, adeóque in pristinã recipi gratiam, modò ad illam sese disposuissent? *Ostendit quàm inuitus puniat etiam grauissimos peccatores, dicens, quòd clamor Sodomorum ad se ascenderit, hoc est, dicere: misericordia quidem mea mihi suadet, vt parcam: sed tamen peccatorum clamor cogit, vt puniam.* Et S. Chrysostomus tom. 5. hom. 4. de prouident. aliud subnectit acumen; Deum non statim cœlo demisisse ignem in Sodomã & Gomorrham, sed ipsummet priùs descendisse visum, num, quæ intellexerat, veritati fuerint consona; nec hoc contentus, insuper amãdauit & Angelos suos: *Non confestim iniecit ignem, neque ciuitates illas diripuit. Sed quid? clamor Sodomorum & Gomorrhæorum, & neque adhuc, sed descendens videbo, & neq; hic constitit, sed misit Angelos &c* concludit deinde: *Quid tam humano ac miti Deo par cogitari potest?* vnde meritò exclamat Propheta Dauid: *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors.* Ps. 102. vers. 8. Doctissimus Genebrardus legit hoc modo: *Tardus ad irascendum vel vlciscendum,* & S. Augustinus in eundem locum ait: *Quid tam longanimum? peccatur & viuitur: accedunt peccata, & augetur gratia.* Vultisne videre, inquit Episcopus Hipponensis, quàm magna sit diuina misericordia? peccatores Deum continuis suis offendunt peccatis, & ipse eodem illo tempore beneficia & fauores eis impertitur multiplices, cœlestes ijs elargiendo inspirationes, & expectando eos ad pœnitentiam.

Summa, adeò magna est Dei misericordia, vt nunquam nisi nostris coactus sceleribus nos puniret. Ita ipsemet per Num. 7. os Oseæ Prophetæ testatur: *Ad iracundiam prouocauit me Ephraim in amaritudinibus suis.* cap. 12. vers. 14. nimirum, vti expendit S. Hieronymus hîc: *Sceleribus suis amarum me fecit, qui dulcis eram:* & Propheta Michæas hisce conformia habet, dicens: *Ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet & calcabit super excelsa*

celsa terra. cap. 1. vers. 3. Et quomodo descendet ad castigandos illos? mysticè explanat D. Hieronymus illum locum asserēs: *Dominus qui mitis est & benignus, & cuius natura clementia est, vestris peccatis cogitur personā, quam non habet crudelitatis assumere.* Hinc est, quod ignis ei attribuatur natura & proprietas, cùm dicitur eum descendisse; etenim si quis ignem è suo naturali cerneret descendentem loco, annon miraculum, prodigium, ac rem admiratione proclamaret dignissimam? Deus noster *ignis consumens est.* Deut. 4. vers. 24. præsertim cùm castigat, nam dum descendit, vt ita loquar, è Sphæra misericordiæ & clementiæ suæ, videtur agere contra naturam suam, idque ei quasi omninò repugnat & minimè gratum est S. Hieronymus commentando in Zachariam coactum hunc eius descensum ad puniendos peccatores confirmat & ait: *Egredietur Dominus de loco suo, quando quietem & mansuetudinem & clementiam suam pro emendatione peccantium rumpere cogitur.*

Et hæc eius misericordia ex eo magis magisque elucescit, quòd, quia ad pœnam infligendam coactus est, nec, vt hoc fungatur officio, propria ei sūt arma, ista sumit mutuò: *In die illa* (inquit Isaias cap. 7. vers. 20.) *radet Dominus nouacula conducta.* Quem locum expendens Oleaster dicit: *Deus sua sponte nos non punit, qui non habet propria instrumenta puniendi, sed mercede ea conducere opus est.* Et alio in loco idem hoc innuit Propheta Isaias dicens: *Vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum peregrinum est opus eius ab eo,* cap. 28. vers. 21. nimirum, quemadmodum explanat S. Hieronymus lib. 9. in hunc locum: *Non est opus eius punire peccatores, sed peregrinum & alienum ab eo, vt puniat, qui Saluator est.*

Num. 8. Permagnam hanc Dei misericordiam voluit demonstrare Propheta Dauid, quando post prolixum de gloria, magnificentia & potentia diuina discursum dixit Psalm. 73. *Ita fabricatus es auroram & Solem,* vers. 16. *Tu fecisti omnes terminos terræ æstatem & ver tu plasmasti ea,* versic. 17. Subintrat in hunc locum Hugo Cardinalis, & quærit: *Nunquid non Dominus similiter fecit autumnum & hyemem? quare ergo placet plus, de illis, quàm de istis?* Quā ob causam, ait Dauid Deum esse autorem & causam veris & æstatis; autumnum verò & hyemē silentio præterit, ac si non essent opera Dei? Respond. citatus Cardinalis, Prophetam per hoc, quòd nullā creationis autumni & hyemis facit mentionem, voluisse significare nobis, hæc duo anni tempora esse manifestum iustitiæ diuinæ symbolum ac typum rigoris eius in puniendo mortales, & quia est opus à perbenigna eius natura longè alienum, hinc illorum nullam prorsus fecit mentionem, sed solùm clementiæ & misericordiæ veluti operum Deo propriorum per ver & æstatem significatorum: *Autumnus & hyems eius iustitiam designant* (ait Hugo) *ver & æstas eius misericordiam. Vnde dicitur ista facere, quia cùm facit misericordiam, proprium opus facit, cùm autem facit iustitiam, alienum est opus eius ab eo. O diuinæ misericordiæ excellentiam!*

Veritati iam dicta adeò quadrant & consona sunt, vt Deus in pœnarum inflictione tanquam opere à natura eius alieno agnosci & manifestari nolit, nec placeat ei, vt ab ipso pœnas tametsi promeritas prouenire sciatur. Euidenter id ostenditur ex Genesi cap. 18. vbi legitur Patriarcham Abrahamum in ostio tabernaculi sui sedentem eleuasse oculos suos & à longè conspexisse tres viros, nimirum tres Angelos, qui ex Dei ordinatione Sodomam petebant destructum illam simul cum alijs ciuitatibus: *apparuerunt ei tres viri stantes prope eum,* vers. 2. sequitur deinde: *Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam,* vers. 16. sed sequenti cap. 19. dum sacer textus memorat eorum aduentum in So- Num. 9.

domam:

domam & occursum Loth, subiungit: *Veneruntq; duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Loth in foribus ciuitatis,* vers. 1. Et quomodo capiendum est hoc? ipso in meridie & in viâ tres adsunt & loquuntur Abrahamo Angeli, & vesperi, vt peruenerunt Sodomam, duo dumtaxat reperiuntur? ô magnum mysterium & diuinæ Sapientiæ Secretum! annûtiant in valle Mambre Abrahamo & vxori eius sterilitate & senio confectis natiuitatem Isaac, diuinæ videlicet pietatis & misericordiæ effectum, & ideò per tres illos Angelos sese notificat Deus, dum sub numero ternario Trinitatem manifestat diuinarum personarum, quod & subitò ipsemet agnouit Abrahamus, qui cùm loqueretur eis, in eisque recognosceret Deum dixit: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis.* Genes. cap. 18. vers. 3. & dum lacet textus ipsorum refert responsa, ait, omnibus illis loquentibus vnum respondisse Dominum: *dixitq; Dominus: num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* vers. 17. Ab ijsdem destruendæ erant Sodoma & Gomorrha, & ecce ne Deus innotesceret, sub binario se abscondit numero, idque nouit Loth, qui deinde eos alloquendo & ad hospitium inuitando dixit: *Obsecro Domine declinate in domum pueri vestri & manete ibi,* Genes. cap. 19. versic. 2. Conceptum hunc acutissimè antiquus notauit Tertullianus lib. de pu. & suo eundem roborauit testimonio S. Augustinus lib 16. de ciuitat. cap. 29. dicens: *ex tribus, qui ad Abraham venerunt, solùm duo fuerunt Angeli; tertius verò persona verbi.* Sed clarius S. Cyrillus in caten. *ternario enim Deus trinus, seu beatissimæ Trinitatis persona significantur, quæ ad Abraham veniunt; non sic verò Sodomam, sed duo Angeli sunt missi.* Addit S. Ambrosius lib. de Abrah. cap. 6. omninò fuisse rationi congruum, vt Christus ibidem compareret gratiam concessurus & fauorem; ad exequendam verò iustitiam solùm adessent ministri: *Veneruntque duo Angeli ad vesperum Sodomam, tres autem in domum Abrahæ, quia vbi gratia elargienda est, Christus adest, vbi exercenda seueritas solùm adsũt ministri, deest Iesus, ille enim Angelus, qui erat in medio, Christum adumbrabat, qui in domo Abrahæ adest, cùm filius ei promittitur.* Nec cum minori lepore loquitur Philo Hebręus de Abraham: *æquum iudicans misericors Deus, vt bona per seipsum largiretur, contraria verò exequenda suis potentijs relinqueret, & sic solorum bonorum auctor præcipuus, mali verò nullius existimaretur.*

Num. 9.

Immensam hanc Dei misericordiam & pietatem demonstrauit & ad viuum repræsentauit Deus in Propheta Elia. Indignissimè ferebat hic Propheta, quòd populus multifariam peccatis irã lacesseret diuinam, vnde in pœnã peccati dixit: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. vers. 1. q. d. volo, Domine, vt cœlum maneat occlusum, nec terram pluuia ditet, nisi quando mihi placuerit. S. Ioannes Chrysostomus tom. 1. homil. de Elia huic nostro proposito conformem, pulcherrimam ac sanè auream composuit homiliam, & inter alia alloquendo Eliam dicit: heus, Elia, quonam tua isthæc est audacia, quæ temeritas? annon satis est, te occlusisse cœlũ; sed insuper vis, vt Deus terræ elargiturus pluuiam, à te expostulet veniam? omninò, inquit Elias, etenim nimis bonus, benignus & misericors est Deus, quibuscumque is cedit precibus, quacunque flectitur instantiã, ac facilè mouetur & ad aperiendum cœlum & ad communicandum terræ pluuiam, at sic nolo ego; sed iuxta obstinationem & demerita sua puniatur hic populus. Vnde Deus coactus fuit ad denegandam terræ pluuiam, quousque placuerat Eliæ, idque propter iuramentum Prophetæ huius, quod & Deus obseruare voluit, ne illius immineret authoritatem, infirmaret fidem, ac proinde ne proclamaretur vt Num. 10.

Propheta mendax. Suâ quidem Deus impellebatur misericordia, vt populo suo pluuiæ conferret beneficium, quantumcunque indignatus esset Elias; retardabatur tamen Deus ex alia parte Prophetæ huius duritie & firmâ, ne plueret, conceptâ resolutione. Vnde necesse fuit, Dominus Deus mille vteretur modis, quibus eundem flecteret ad consensum vt pluuia irrigaret terram. Quare primò, ait, D. Chrysostomus: *Prophetam vnà cum populo punit, vt dum etiam ipse infamis supplicio comprehenditur, aliquid misericordia in relaxando sententia sua iuramento addiscat*, sicque amandauit eum ad omnes ferè totius Israelis regiones & prouincias, fecitque eum vndique obambulare terram, vt conspiciendo terræ siccitatem, herbarum ariditatem, arborum palloré, aëris intensissimum calorem & ardorem, hominum aliorumque animantium vix respirare valentium inextinguibilem sitim, moueretur ad compassionem; ast ille durus semper & obstinatus remansit: siquidem, ne populi spectando calamitatem & miseriam flecteretur ad commiserationem, deseruit ciuitatem, petijtque desertũ. Hoc in loco Deus subministrare decreuerat Eliæ vitæ alimenta; ast non mediante & ministrante ei Angelo, vti aliàs factum, sed coruo, qui indies ibidẽ cũ accedebat & pascebat, ac si voluisset dicere Deus: En, cui meritò comparandus es, huic, nimirũ nigro non absimilis es coruo, nam sicut ille famelicos suos odio habet ac deserit pullos, ita & tu tuum deseris populum, eumque fame perire finis; attametsi in suos ille sæuiat pullos, te nihilominus non deserit, tuæ non intermittit succurrere necessitati, nec tibi recusat charitatis exhibere opera & obsequia. Pudeat te igitur, ipsismet te crudeliorem existere coruis, & ab hisce disce misericordiã, disce pietatem: *Erubesce* (sic loquitur Os aureum) *ex coruorum exemplo, Iudæis esto clementior*.

Ast quid defert coruus Eliæ? quid ei apportat? panem nimirum, & carnes, cibum igitur ei duntaxat adfert: at non potum. Et cur, ô Domine, in hac extrema siccitate Prophetæ tuo subtrahis potum? Vicinum habet torrentem, respondet Deus, ex illo bibat. Domine, aqua torrentis nociua est, turbida & perquam pauxilla. Nil refert, inquit Deus, sici is laborare facit alios, patiatur & ipse necesse est. Breui exsiccabitur torrens, Domine, annòn ergo tunc Prophetæ tuo procurabis aquam? annòn illam coruo ministro ei subministrabis? Aquam si desideret, replicat Deus, quæsitum & mendicatum illam abeat, adeatque ciuitatẽ. Quapropter coactus fuit Elias ire in Sarephta, vt ibidem à vidua quadam pasceretur. Sed quo fine id facit Deus? Vt ipsum nimirum doceat misericordiam. Ipse non vult alijs suppeditare aquam, nec ego, inquit Deus, minimam aquæ ei subministrabo guttam: me exorare recusat, vt populi mei misereat, & ego ipsum compellam, vt gentilem quandam exoret mulierem, quæ ei commisereatur. Domum igitur Propheta accedit pauperis viduæ, huic ad vitam vltra sustentandam aliud non superat alimentum nisi modicum farinæ & pauxillum olei: hoc & seipsam propriumque priuauit vidua filiũ, & enutriuit Eliam. Annòn singulare hoc & insigne charitatis ac misericordię specimen animum ipso etiam duriorem lapide emolliuisset, mouissetque ad compassionem? ne minimùm tamen emollitur, mouetur que Elias, remanet vndequaque durus & obstinatus, à pristinâ non discedit resolutione, ad petendam à Deo pluuiam nec flecti, nec inclinari potest. Vitam tandem eripit Deus filio viduæ, summè eapropter lamentatur Elias & exclamat: *Domine Deus meus, etiámne viduam, apud quam ego vtcunq; sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* 3. Regum cap. 17. vers. 20. eià Domine, resuscita illum: *Reuertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius*, loc. cit. vers. 21. totum

rum nunc penetro negotium, quidque, ô Domine, hisce significare velis, iam peroptimè capio, abs dubio latet hìc anguis in herba: *Non est mors ista euentus,* (verba sunt D. Chrysostomi vbi sup.) *tuum opus est, tua techna, quibus me ad misericordiæ necessitatem adigis, vt si dicere voluero: Domine miserere filio viduæ mortuo; tu mihi ex aduerso respondeas miserere filio meo Israel.* Non casu, ô Domine, contigit mors hæc filij viduæ hospitæ meæ, tuum optimè nosco procedendi modum, tua intelligo stratagemata, me vis cogere, vt pro hoc te deprecer defuncto filio, quò ego deinde indulgeam & miserear populo, & illo commotus beneficio vicissim permittam, vt pluas. Resuscita illum, ait Elias. Sine, vt pluã, inquit Deus. Non, non, non, replicat Elias; etenim populus hic sacrilegus est, homines perfidi sunt & scelerati, tua destruxerunt altaria, Prophetas tuos occiderunt gladio, nulla prorsus eis exhibenda est misericordia. Neque ego mortuum resuscitabo filium, ait Deus? nulla siquidem ad instantiam & in fauorem eius patranda sunt miracula, qui indulgere & condonare nescit fragilibus & miseris peccatoribus. Instat importunè Elias: ergo resuscita illum. At pluam priùs, replicat Deus, & percharo meo filio Israeli pristinam restituam vitam. O benignissimam & clementissimam Dei naturam! Nec hisce flectitur Elias, sed ex solito & rigoroso zelo indignatus & iratus manet populo. Postremò aduertens Deus nimium Eliæ zelum decernit, vti vult D. Chrysostomus, eundem ab hominum sequestrare conseruatione, ne totum destrueret humanum genus, adeoque è cœlo currum igneum venire facit, aduocans que Eliam hunc in modum eundem alloquitur. Audite D. Ioan. Chrysostomũ, quã pulchrè Deum introducat sermocinantem & loquentem huic Prophetæ: *Tu autem valdè seuerus es, & peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales. Idcircò ascende quasi in cœlum, vbi contuberniones habeas Angelos, qui impeccabiles sunt: ego autem in terra quasi peregrinus ero cum peccatoribus, & non puniam eos, sed reficiam & dicam: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Nam si diu tibi manendum esset in terris, propediem humanum genus aboleretur.* Quid vltra N. dici posset de misericordiâ & pietate Dei nostri?

Huic non dissimile est quod contigit Ionæ Prophetæ cap. 1. Prophetam hunc die quodam Deus aduocabat ad se & dicebat: *Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandẽ, & prædica in ea; quia ascendit malitia eius coram me,* vers. 2. Audiens id Ionas respondet Deo: excusatum me habe, ô Deus meus, id enim nunquam faciam. Quomodo? egòne irem in Niniuen annunciatum futuram ciuitatis illius ruinam & destructionem? profectò nonnihil deliberabo desuper. Verùm edicite, amabo, N. cur Ionas adeò celebrem recusauit suggestum, vbi iuxta opinionem S. Hieron. in cap. 4. Ionæ puerorum solùm erant centum viginti millia, & eò magis, cùm fuerit ciuitas sat celebris & famosa splendidè & pomposè fabricata à Rege Nino. Ciuitas hæc adeò ampla & magna fuit, vt illã circũiturus tres integros dies insumere debuerit, muri eius lati erant centum palmis: centum insuper turribus & castellis fortissimis præmunita erat, quam ob causam igitur renuit Ionas illuc ire? Existimabat fortassis, Niniuitas minis & verbis suis non facturos fidem, ac proinde se verberaturum aërem? Et hoc dici nequit; nam, vti effectus demonstrauit, confestim se conuerterunt ad Deum: *Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ,* Matth. 12. versic. 41. Respondet ergo S. Ioannes Hierosolymitanus in BB. VV. PP. tom. 9. libr. de institut. Monach. cap. 11 Ionam recusasse ire in Niniuen, quia optimè nouerat naturam & proprietatem Dei, videlicet quòd esset natura clemens, propitius & misericors facilè; eis ignosceret, si conuerte- Num. 11.

uerterentur, vti posteà contigit. Quapropter dicebat Ionas: vnica solùm lachrymula compescit & extinguit furorem Dei, debilissimo etiam illigatur capillo, vnico solū aspectu illius sauciatur animus, minimo pœnitentis ardenti suspirio eliquatur. Non ignorabat, quod Deus fulminet, nō concutiat & sauciet, gladium euaginet, non eodem feriat & vulneret, minetur, non percutiat: Ah, inquit Ionas, ciuitas Niniue auditâ côcione meâ fine mora abs dubio quosdam exercebit actus pœnitentiæ, & ille remittet eis peccata, & ecce ego tanquam mēdax per omnia circumferar loca; insuper rametsi ei sit animus vindicandi se de illis eosque puniendi, non tamen pluuiales ipsi aderunt ignes, veluti pluit super Sodomam & Gomorrham; non ei subseruient cataractæ cœli, vti tempore diluuij; deerunt ei Angeli exterminatores Ægyptiorum & exercitus Sennacherib. Ah quamuis alij ei supersint castigandi modi, nihilominus nullum in vrbe illa puniet, nimis etenim misericors, pius & benignus est. Et ideò Propheta Ionas illud legationis munus in se suscipere recusauit. Auscultate modò S. Ioan. Hierosolymitani verba sanè pulcherrima: *Monitus à Deo Ionas, vt in Niniuen pergens prædicaret eam infra quadraginta dies subuertendam: vidit Spiritu sancto reuelante Niniuitas per suam prædicationem conuertendos ad pœnitentiam, & consecuturos Dei misericordiam, ideò ne falsa videretur eis renunciare, renuebat illuc ire.*

Addit S. Ephrem sermone in quotid. peccato quod Deus Niniuitarum inspiciens pœnitentiam motus ad compassionem confestim eis remiserit offensam & pepercerit, quamuis publicum mediante Ionâ ediderit edictum illos quadraginta dierum spatio fore perimendos, sicque voluit potiùs ab omnibus æstimari tanquam mendax, vt ita loquar, quam crudelis; *commiseratus & miseratus est*, (inquit S. Ephrem) *saluauit, pepercit, in homines suâ benignitate liberalissimus, pœnam pro peccatis dissoluens, & mendax potiùs haberi, quàm crudelis tulit.*

Sed aliud super hoc Ionæ factum percipite obseruationem P. Origenis verè stupendam, vbi & infinita Dei clarè ostenditur misericordia, & quàm exiguam simul habeat castigandi voluntatem, etenim priusquam apprehenderat arma vindictæ & punitionis, admonuit illos per Prophetam, vt se conuertant, & debitam agant pœnitentiam, adeoque desideratam obtineant peccatorum suorum remissionem: *Noluit* (inquit Origenes) *cum silentio punire damnatos, sed dans eis locum pœnitentiæ & conuersionis misit ad gentes Hebræum Prophetam, vt dicente illo: adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, qui condemnati fuerint non perirent, sed agentes pœnitentiā impetrarent misericordiam.* Et S. Ioan. Chrysostomus hom. de Iona, & hom. in Epist. ad Roman. & hom. 1. in Ierem. alloquendo Deum interrogat: *Cuius rei gratia quæ facturus es mala prædicis?* & in persona pientissimi Domini Dei respondet: *vt non faciam quæ prædico*, q. d. comminor vt non faciā, protestor ne puniam, prædico & annuncio vt pœnam non exequar. Et S. Basilius hom. 1. in Ierem. iam dictorum confirmando veritatem hæc in verba prorumpit: *Clementia Dei peculiare hoc est, non clam aut silenter ingerit supplicia; sed per comminationes ea prædicit afferre; per hoc peccatores inuitans ad pœnitentiam, id quod fecit Niniuitis Iona præcone.* Quam ob causam opinaris, inquit D. Chrysostomus hom. 1. de pœnit. Christum Redemptorem nostrum tam frequentes instituisse sermones de pœnis & tormentis inferni, & eā cum tanta verborum energia nobis comminatum fuisse existimas? non aliam ob causam, ne habeat occasionem te puniendi, & ea tibi infligendi: *Nam & Deus ipse adeò gehennam minatus est, vt nemo in gehennam decidat, vt omnes regnum assequantur; si enim*

Num. 12.

torquere vellet, non iam ante minatus esset.

Num.13. Efficax fuit argumentũ illud in enarratorum confirmationem, quod attulit uxor Manue Iudic. cap. 13. vtrique vice quãdam apparuit Angelus quidam sub specie decori admodum adolescentis, nunciauitque eis, quod nasciturus ijs esset filius videlicet Sampson, insuper significauit eis omnia, quæ euentura essent. Demum se manifestauit, Angelum, nimirum, se esse à Deo missum. Qua super re exterritus attonitusque stetit Manue, dixitque vxori suæ: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum*, vers. 22. cui prudens respondit mulier: noli timere charissime marite; *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea, quæ ventura sunt, dixisset*, versic. 23.

Num.14. Nullum planè dubium est N. quod mactaturus hostem suum minimè eundem primò admoneat, nec id, quod facturus est, manifestat, imò strictissimo id curat inuolui silentio. Vnde si illũ hac de re commonefaceret, abs dubio diceres, non esse illi animum necandi alium aut vindicandi se de illo. Ad eundem modũ & non aliter procedit Deus cum peccatoribus (inquit D. Augustinus serm. 38. de Sanctis) ob plurima eaque grauia offenditur peccata, vnde obligaretur ad castigandos peccatores; ast quia ipsamet est pietas & misericordia, exhortatur primò illos, vt caueant sibi, seseque emendent: *Si nos Deus noster vellet punire, nos ante tot sæcula non commoneret. Inuitus quodam modo vindicat, qui quomodo euadere possumus, multò ante demonstrat, non enim te vult percutere, qui tibi clamat: Obserua.*

Et S. Ioan. Chrysostomus expendendo verba illa Psalmi 7. *Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit & parauit illum*, versic. 13. ait: Deum minari nobis, non vt gladio suo nos feriat & trãsfodiat, sed vt nos admoneat, & nos ictum sagittæ suæ effugiamus, in quo magnam nobis exhibet misericordiam & clementiam: *Si hæc verba* (inquit D. Chrysostomus) *essent furoris, & excandescentiæ, non prædixisset eis, quòd esset inuasurus eos; ira enim hoc non facit, sed contrarium nosses certè, & qui volunt supplicium infligere, non modò id non dicunt, sed celantes inuadunt, ne qui sunt puniendi, si resciuerint, caueant; Deus autem non sic, sed cùm reddiderit nos metu modestiores, manum abstinet à supplicio.* Et S. Theodoretus explicando eundem Psalmi versiculum dicit: *hæc verba non vindictæ, sed cominationis sunt, vibrabit enim, inquit, non concutit, & tetendit arcum non emisit sagittam.*

Neque id noui aliquid est, quod vide- Num. 15.
licet Deus pœnã nobis inflicturus priùs nos exhortetur, vt nobis caueamus; nam perlecturi sacræ Scripturæ paginas, pluribus in locis veritatem huius comperietis comprobatam, ac primò promisit Deus per os Amos Prophetæ cap. 3. v. 7. *Non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suũ ad seruos suos Prophetas.* Ac si diceret: nunquam Deus procedet ad actum iustitiæ executiuæ ad pœnam aliquam infligendam, nisi id priùs alicui suorum fidorum seruorum intimauerit, ita hunc locum expendunt Nicolaus de Lira, glossa interlinealis, & ordinaria. Et paulò ante idem ait Propheta: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* versic. 6. S. Hieronymus vnum huic loco adijcit verbulum: *Si est malum in ciuitate, quod Dominus non faciat præscire?* Nullam Deus mundo immittit pœnã, quàm primò non insinuat, vt timore sic perculsi peccatores deserãt peccatum, vtpote, causam punitionis & pœnæ, quam Deus ijs infligere intendit, nisi se emendauerint & pœnitentiam egerint: *In hoc clementia Dei ostenditur,* (ait S. Hieronymus) *qui enim prædicit pœnam, non vult perire peccantes.*

Signum ad hæc diuinæ misericordiæ Num. 16.
est, dicit D. Augustinus serm. 209. de

tempor.

tempore, quòd longo ante tempore admoneamur à Deo, ipsum in extremo iudicij die iudicaturum esse totum genus humanum, & nos diuino eiusdem sistendos esse tribunali, vt nos paratos inueniat, nec occasionem nos puniendi habeat: *Propterea se Iudicem venturum minatur, vt non inueniat, quos puniat, cũ venerit. Nemo volens ferire dicit: Obserua. Totum fratres quod audiuimus per Scripturas, vox est dicentis Dei Obserua.*

Clarum istius extat exemplum in lib. Exod. cap. 9. Indignatus Dominus Deus in Pharaonem omnia, quæ ruri degebãt, destruere & annihilare decernit Ægypti armenta & ipsosmet etiã Ægyptios: *En pluam cras hac ipsâ horâ grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto à die quâ fundata est, vsque in præsens tempus.* vers. 18. Ast priusquam procedit ad pœnam, significat Pharaoni, nuncio mediante seruo suo Moyse, vt confestim congreget cuncta animantia, quæ in campis sub tecto demorabantur: *Mitte ergo iam nunc & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim & iumenta, & vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur.* vers. 19. Subintrat hic magnus Pater Augustinus libr. 49. quæst. in Exod q. 35. & dicit: *Quid est, quod mandauit Deus Pharaoni, cùm se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinet congregare pecora sua, & quæcunque essent in campo, ne in grandine intereant?* Quid est, quod Deus castigaturus Pharaonem, eundem primò de pœna commonefaciat? & respondet id totum fuisse opus misericordiæ, vt non exequeretur pœnam quam comminatus fuerat: *hoc enim non tam indignãter quàm misericorditer videtur admonere.* Et Doctissimus Olealter hoc idem ponderando factum summè demiratur diuinam clementiam & exclamat: *O admiranda Dei pietas! antequam sæuiat, monet inimicos flagella sua vitare, & in medio iræ misericordiæ memor est.* Eidem subscribit S. Theodoretus quæst. 21. in Exodum.

Et Origenes insuper aduertit, Deum non solùm intimasse Pharaoni pœnã ei infligendam, sed insuper voluisse, vt, quò Ægyptij eò commodius ab imminenti se eriperent periculo, dictam pœnæ executionem præcederent tonitrua & fulgura: *Dominus* (inquit Sacra Scriptura) *dedit tonitrua & grandinem ac discurrentia fulgura super terram.* Exod. 9. v. 23. *O præcelsam Dei benignitatem & bonitatem!* ait Magnus P. Origenes: *vnde temperamentum diuinæ correptionis, non cum silentio verberat, sed dat voces, & doctrinam cœlitùs mittit, per quam possit culpam suam mundus castigatus agnoscere.*

Verùm quid mirum est N. quòd Deus suam haud exerceat iustitiam, cùm hæc Num. 17.
sit vndique circumdata misericordiã, adeò vt exinde exire aut effugere nequeat? Regius Propheta Dauid loquẽdo vice quadam Deo dixit: *Misericors Dominus & iustus & Deus noster miseretur,* Psal. 114. vers. 5. Aduertit & inquirit super hunc locum D. Ambrosius de obitu Theodosij, cur Dauid bis nominet misericordiam & semel iustitiam, & hanc ponat in medio quasi duobus eam concluderet terminis? & resp. dicens: *Bis misericordiam, semel iustitiam, in medio iustitia est gemino septo inclusa misericordiæ.* Quò magis abundant peccata, eò magis se diffundit & communicat misericordia vt omnia suffocet & deleat peccata: *Superabundant ergo peccata superabundet misericordia.* Nec est, quòd amplissimo huic fonti instar muri se opponat iustitia; non enim benignus & pius Deus vult, vt conclusa & circumuallata maneat misericordia.

Sed quid dico? tam magna est diuina Num. 18.
misericordia, & adeò diuina triumphat pietas & clementia, vt ab eodem quasi exulare videatur iustitia Ita affirmat, & testatur idipsum D. Augustinus lib. 11. de visit. inf. dum in hunc modum alloquitur

quitur Deum: *Deus meus, Deus meus, audebo dicere, pace tuâ dicam: in quodam ecstasis tripudio de te præsumendo dicam: nisi quia Deus es, iniustus esses, quia peccauimus grauiter, inhæremus pertinaciter peccato, gaudemus de peccato, & prædicamus peccatum, non abscondimus, & tu placatus es: nos te prouocamus ad iram, tu nos ad misericordiam.*

Magna igitur est diuina misericordia, nec omnia totius mūdi peccata eam obnubilare possunt. Imò maxima, quam Deo inferre potest peccator, offensa est diffidentia de misericordia Dei. Cuius veritas dilucidè constabit ex libr. Genes. cap. 4. Ponderat Doctissimus Abulensis desperationem Cain de diuina misericordia, cùm dixit: *maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear*. versic. 13. simul ac homicidium eius, quod admisit occidendo fratrem suum Abel, ac dicit, desperationem & diffidentiam eius de misericordia Dei maius fuisse peccatum quàm fratricidium: *Et in hoc magis peccauit Cain, quā omnibus præcedentibus, quia peccatum præcedens fuit ad nocumentum proximi eū occidendo; desperatio autem contra Deum, cùm non habeat tantam potentiam, vt possit peccata dimittere, vel non habere tantam bonitatem, vt hoc velit.*

Num. 17.

Num. 19. Et vt transitum faciam ad peccatum traditoris Iudæ; edicite, amabo, N. quodnam maius fuit peccatum ab eo commissum? num proditio Christi, vel diffidentia de misericordia Dei? Sanctus Hieronymus in Psalm. 108. vult Iudam grauiùs peccasse desperando, quàm prodendo Magistrum suum, quia desperatione restrinxit diuinam misericordiam, eamque fecit minorem & inferiorem perfidiâ humanâ, quæ quoad actum semper finita est, quamuis quoad obiectum offensum, quia infinitum est, possit quoque dici infinita. Verba ipsa audite Diui Hieronymi: *Pro clementia Domini hoc dico, quia magis ex hoc Iudas offendit Dominum, quia se suspendit, quàm quia Domi-*

Num. 18.

num prodidit. Subiungunt aliqui contemplatiui rem consideratione dignissimam, nimirum, quòd, dum pientissimus Saluator noster in horto orabat, cuncta totius mundi peccata considerando vt offensas Patris sui æterni, tantam de peccato desperationis Iudæ conceperit displicentiam, vt ei causauerit agoniam & sudorem sanguineum, quem referunt SS. Euangelistæ.

Quòd me & vos omnes peccatores stimulare, & mouere deberet, vt, quando nostrorum peccatorum multitudine Iudam secuti prodidimus Creatorē & Redemptorem nostrum, non debeamus desperare de misericordia diuina, sed illicò recurrere ad thronum pietatis & clementiæ Dei: *De venia nemo desperet* (ait D. Augustinus de vtilitat. pœnitent.) *quoniam Iudam proditorem non tam scelus, quod commisit, quàm desperatio veniæ interire fecit.* Idem S. Doctor conformia asserit lib. de spirit. & anim. *Nemo de Dei pietate diffidat, quoniam maior est eius misericordia, quàm nostra miseria, & quisquis ad eum toto corde clamauerit, exaudiet illum, quoniam misericors est. Tardius siquidem ei videtur misericordiam dare, quàm ipsi peccatori accipere.*

Et S. Ioannes Chrysostomus hom. 2. in Psalm. 40. alliciendo & stimulando quemlibet nostrum ad pœnitentiam, dixit: *Peccasti? pœnitere. Millies peccasti: millies pœnitere. Vulneratus es? adhibe tibi curam, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam si dici potest, animam efflans, etiam si ex hoc mundo exeas; non impeditur tēporis āgustiâ misericordia Dei. Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? tela aranea, quæ flante vento nusquam apparet.* Ac propterea imitari quidem debemus Judam, nostram agnoscendo culpam, & cuilibet nostrûm vero cordis dolore dicendum est: *Peccaui, tradens sanguinem iustum*, Matth. 27. vers. 4. ast in alio, nimirum, in desperatione seu diffidentiâ minimè eum sequi debemus; & quamuis omnia totius

totius mundi peccata patrassemus, semper nihilominus in misericordia Dei confidendum & sperandum est. Annon maximum fuit peccatum Prophetæ Dauid 2. Regum 12. & tamen ei remissum fuit. Magdalena duodecim annis impiam & pessimam duxit vitam; nihilo secius agendo pœnitentiam rediijt in gratiam Dei. Lucæ 7. Petrus trinâ vice renegauit Christum Dominum; commissum tamen deplorando errorem, consecutus est veniam. Matth. 26. Bonus latro toto vitæ suæ decursu attendit rapinis & latrocinijs; vltimâ nihilominus mortis suæ horâ manibus pedibusque cruci affixus egit pœnitentiâ & paradisi cœlestis lucratus est gloriam. Lucæ 23. Ergo & tu peccator graui obnoxius peccato pœnitentiam age, & illius obtinebis remissionem, ipsomet attestante Deo per os Ezechielis Prophetæ: *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam: ipse animam suam viuificabit*, cap. 18. versic. 27. *considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & non morietur.* versic. 28.

Num. 20. Sed eheu! quamquam diuina misericordia infinita sit, plurimi nihilosecius peccatores obstinati abutuntur ea, & quod eis deberet esse occasio piam & sanctam ducendi vitam, cùm nimirum tam misericors tamque benignus sit eorum Deus hoc ijsdem occasio est & causa, vt impiè & sceleratè viuant & in vitijs & peccatis perseuerent. Et ideò ait Ecclesiasticus: *Ne dicas: miseratio Domini magna est*, cap. 5. vers. 6. ijs enim, quotquot diuinâ abutuntur misericordiâ, obtinget, quod die quodam illam desiderent exoptentque, obtinere tamen non poterunt, lachrymis & suspirijs illam exquirent & postulabunt, minimè verò consequentur. Rem stupore dignissimam enarrat Ælianus & Plinius de Elephãte. Cùm hoc prægrandis & immensæ molis & magnitudinis animal somno se dedere intendit, quia membrorum caret iunctutis, quibus medijs se in terram prosternat, & ab ea sese erigat; quid facere solet? vbi cætera animalia genu succiduo in terram procumbunt dormitura, elephas prægrandi corporis sui mole erectus nititur arbori somnum capturus. Sed audite, amabo, quâ ad capiendam hanc bestiam astutiâ vti soleat venator; obseruat arborem, cui innixa nocte dormit, eamque in inferiori parte eò vsque secat, quò erecta subsistere & sustentari possit. Nocte igitur ingruente quietem & somnum repetiturus elephas, dum more solito arbori incumbit, eâ se sustentandum existimans, cum arbore succissa miser corruit in terram: vnde, quia à terra proprijs nequit se eleuare viribus in prædam cedit venatori. Ad eundem planè modum obtingit in vitijs & peccatis obdormientibus totamque spem suam in diuinam reponentibus misericordiã; illi namque (inquit D. Augustinus supr. Ioann. tract. 6.) tanquam arbori innititur tota spes hominum. Et S. Eucherius libro 5. formul. spirit. dicit peccatorem agere instar cuiusdam elephantis, longo siquidem tempore stetit in peccatis, & spe suâ semper diuinæ innixus hæret arbori misericordię; ast quid tandem eueniet? arborem hanc suæ Deus succidit misericordiæ, quâ nunc peccatorem præstolatur acturum pœnitentiam, succidet, inquam, mortis nocte, & infœlix somnũ & quietem petiturus, æternam, permagnam hanc adibit arborẽ diuinæ misericordiæ credens se ab ea sustentandum, veluti in vita obdormiens in peccatis ei inniti, ab eaque sustentari solebat; at ecce, ex improuiso spe suâ deceptus corruet in infernum, clamabit ac petet à Deo misericordiam, & non exaudietur, quia eâ abusus est impiam traducendo vitam.

Stupendum veritatis huius exemplum adducitur in S. Scriptura. Perlegite lib. Num. 21.
2. Machab. cap. 9. ea, quæ dixit & fecit rex Antiochus, & videbitis, quàm vanè & ina-

& inaniter ſpem veſtram reponatis in Dei miſericordiam, exiſtimantes vos in fine vitæ veſtræ obtenturos veniam & remiſſionem, qui nunc inceſſanter & cõtinuò Deum enormibus veſtris offenditis ſceleribus. Infirmatus hic rex & acerbiſſimis oppreſſus & vexatus doloribus, cùm videret grauiter ſe Deum offendiſſe & prouocaſſe ad iram, manibus ante pectus iunctis, oculiſque in cœlum eleuatis cœpit ecce dicere: fateor, ô Domine, nimium me tibi extitiſſe rebellem, quodque maiora & peiora hiś, quæ patior, mea promereatur ſuperbia, quia: *Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo & mortalem non paria Deo ſentire* verſ. 12. loc. ſup. citat. ecce me nihilominus ante te proſtratum & humiliatum: dignare, quæſo, tuam mihi exhibere pietatem & miſericordiam, mihi extremos iam iam ſuſtinenti dolores miſerere, & promitto tuo ſancto templo inæſtimabile & opulentiſſimum offerre donum, promitto aurea multiplicare vaſa ſacrificijs offerendis inſeruientia, promitto tibi proprios meos reditus, nulliſque parcam expenſis ad quæcumque holocauſta neceſſarijs. Spondeo penitus deſerere idola & ſanctam tuam amplexari fidem. Polliceor etiam nudis pedibus peregrinari & viſitare loca terræ ſanctæ, inſuper promitto per totum terrarum orbem æternam tuam deprædicare omnipotentiam. Ecquis non dixiſſet N. regem illum verè & ſummoperè contritum: Si quidam ex vobis præſentes auſcultaſſent huiuſmodi ſermonem ac conſpexiſſent ſummam hanc humilitatem & contritionem doloremque peccatorum, abs dubio beatum, ſanctum & ſaluum proclamaſſent Antiochum, nihilo ſecius inquit Scriptura ſacra: *Orabat autem hic ſcelestus Dominum, à quo non eſſet Miſericor diam conſecuturus* loc. ſup. cit. verſ. 13. Super quæ verba ait S. Thomas b. diſt. 20. artic. 14. ad . quod is obtinuiſſet veniam ſuorum peccatorum, ſi ob verũ Dei amorem, & non ob timorem pœnæ ac tormentorum, quæ patiebatur, aut paſſurus erat, doluiſſet ac pœnitentiam egiſſet. Sic plurimi reperiuntur, qui cum ſe conſtitutos conſpiciunt in periculo mortis, vel alio quopiam periculo, vel infirmitatibus aut alijs opprimuntur tribulationibus, incipiunt ſuam agnoſcere culpam, dolere, plangere & ſimiles exercere actus pœnitentiæ; ast quia plerumque ſimiles cõtritionis aut doloris actus oriuntur ſolùm ex timore malorum ſibi imminentium, nihil eis proſunt, nec veniâ & remiſſione peccatorum digni ſunt. Itote nunc, & naturæ veſtræ ductum ſequentes viuitote obſtinati peccatores; qualiter confeſſio facta ex timore mortis vel inferni vos ſaluare & beare poſſit, cum Antiocho tandem aliquando experiemini. Tali igitur modo confidendum eſt in Dei miſericordia, vt etiam timeamus iuſtitiam, ita aſſerit D. Auguſtinus ſerm. 1. de pœniten. *Quotieſcunque euenerit, vt in quodcunque graue peccatum aliquis cadat, ſic de miſericordia confidat, vt tamen iuſtitiam contremiſcat.* O quàm eleganter id inſinuat Dauid Propheta, dicens: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Pſalm. 100. verſic. 1. in quem locum commentando D. Hieronymus dicit: *Audiant canticum miſericordiæ peccatores, qui de ſua ſalute deſperant, audiant canticum iudicij contemptores qui dicunt: miſericors eſt Dominus, petemus, indulgebit nobis.* ac ſi dixiſſet: cordis mentiſque adaperiant aures ſuaui miſericordiæ pietatiſque cantioni peccatores illi, qui nimijs ac ſuperfluis agitati ſcrupulis ſuperfluè timent & diffidunt de ſalute ſua, Deus namque neminem vult perire. Aperiant & aures intelligantque *canticum iudicij contemptores*, nimium videlicet de Dei miſericordia præſumentes, audiant cantilenam iuſtitiæ & vindictæ, ſciant, quod ſi Deus eſt miſericors, ſit etiam iuſtus & ſeuerus. Tuo id experieris damno, ô ingrate peccator, qui minas Dei ſpernis & deſpicis præcepta eius & flagella. Quid

 puras?

putas te fore cœlesti & æternâ beandum gloriâ? toto profectò aberras cœlo. Ah aliud non superest remedium & refugium, nisi vt me conuertam ad hunc Christum crucifixum eumque rogem & deprecer, vt tametsi iustus sit simul ac misericors, tibi tamen præstet duntaxat misericordiam. Respice, ergò, Clementissime Domine, non peccatoris demerita, sed bonitatem tuam, non eiusdem peccata, sed tuam liberalitatem, non illius errorem, sed tuum amorem. Tu verò, ô peccator, veniam & gratiam humillimè expostula: sponde & promitte vitæ mutationem, peccatorumque tuorum Confessionem, sic enim assequeris veniam & salutem æternam.

Mors & eius memoria.

DISCVRSVS XLVII.

De Mortis memoria eiusq; efficaciâ.

Num. 1. OMNIPOTENS rerum artifex & Conditor Deus diuinâ suâ prouidentiâ ac mirabili artificio eo modo disponit ac temperat res creatas, vti etiam perdoctè notat & obseruat D. Gregorius Nyssenus lib. de opif. hom. vt quò nobiliores formosioresque existunt quoad esse, eò pluribus etiam sub iaceant defectibus. Sic terra, quæ viridantibus cooperitur herbis, pulcherrimisque intexitur & adornatur floribus tanquam pretiosis margaritis, deficiente pluuia arescit & elanguescit: Mare, quod adeò spatiosum & amplum est, repletum est salsedine, & quocumque agitatur & commouetur vento: Aër pellucidus & serenus opaca obtenebratur caligine & nebulis: Ignis in altissimo residens loco & satis potens pauxillâ extinguitur & concutitur aquâ Luna argenteo resplendens colore terrenis obfuscatur exhalationibus & vaporibus: Stellæ tametsi radiantissimæ & fixæ obnubilantur & effunduntur: Sol, qui luminis cœlestis fons est & origo, pallescit & patitur eclipsin. Et ecce homo, qui totius vniuersi Monarcha est, horizon æternitatis & temporis, dux omnium creaturarum, ipsiusmet mundi mundus, Angelis paulò inferior, terrenus quidam (vt ita loquar) Deus, in tam nobili creatura & factura cernitur nihilominus defectus, in lumine tam perfecto eclipsis, in tam perpolito vultu macula, in tam vasto pelago siccitas, in auro adeò puro rubigo, in panno tam subtili & pretioso tinea, in flore adeò specioso spina, in fructu tam rubicundo & colorato vermis, in tam consonante & harmonico organo dissonantia, in tam excellenti specie monstrum, in creatura denique tam perfecta conspicitur mortalitas, corruptio, puluis & cinis. *Memēto homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hoc est illud prudens & sapiens documentum, pium & salutiferum illud monitum, humile illud epitaphium, quod in templo fronti tui sepulchri religioso apparatu per manum sacerdotis affigit sancta Mater Ecclesia primo die quadragesimæ; & quia recens est, ne deleatur, puluerem & cinerem ei superponit, idque non sine singulari mysterio; nam quamuis in hoc mundo nihil sit certius morte, homo nihilosecius eius facillimè obliuiscitur.

Ita legitur Genes. cap. 3. Postquam enim Dominus Deus protoparenti nostro Num. 2.

ſtro Adamo ob peccatum inobedientiæ commiſſum diuerſas minatus eſſet pœnas, famem, ſitim, laborem, imò mortem ipſam: *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* verſ. 19. illicò conuerſus Adam ad uxorem ſuam, appellauit illam Euam, quod nomen idem ſignificat ac mater viuentium: *Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua: eò quod mater eſſet cunctorum viuentium,* verſic. 20. cùm potius eam vocare debuiſſet matrem morientium, nam per peccatū intrauit mors in mundum, teſte Apoſtolo ad Roman. cap. 5. verſ. 12. *Per peccatum mors.* Magna ergo ſtupiditas & imprudentia fuit protoparentis noſtri, quòd iam condemnatus ad mortem de vitâ cogitabat & tractabat. Eadem pariter eſt hominum ſtoliditas, qui tametſi ante oculos mortem indies conſpiciant; illius tamen obliuiſcuntur; vt propterea meritò exclamet S. Eucherius in epiſtol. paræneſi: *Quid iſthuc, quæſo, quid iſthuc eſt? nihil ita quotidie homines, vt mortem vident, nihil ita obliuiſcuntur vt mortem.*

Num. 3. Hinc eſt, quòd Deus tantam hominis videns negligentiam, poſt peccatum primorum noſtrorum parentum dicit ſacer textus: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas & induit eos,* Geneſ. cap. 3. verſ. 21. Aſt in quem finem illos animalium voluit veſtire pellibus? Difficultati huic reſpondet Lippomanus hîc, *ideò indutos fuiſſe veſtibus pelliceis, id eſt, de pellibus mortuorum animalium, vt ſignum ſuæ mortalitatis ſecum ferrent;* vt nimirum ſemper ſecum circumferrent quendam excitatorem, qui eos ſemper commonefaceret, ad quid tandem aliquando reducendi eſſent, adeoque memoria mortis viuerent mortificati, eaque illis inſeruiret pro antidoto, quod à peccato eos præſeruaret, veluti aſſerit D. Auguſtinus lib. exhortat. dicens: *Nihil ſic hominem à peccato reuocat, ſicut frequens mortis meditatio.*

Et facilè crediderim in hunc ſcopum collimaſſe Patriarcham Noë. Poſtquam Deus determinaſſet totum deſtruere mundum diluuio ob effrænem hominum peccandi libidinem, adiuit Noë primitus ſepulchrum, vbi iacebant oſſa protoparentis noſtri Adami, eaque ſecum tulit in Arcam, vti idipſum conteſtatur Moyſes Barcefas antiquiſſimus Eccleſiæ Pater tom. 1. BB. VV. PP. libr. de parad. finito diluuio, vnicuique filiorum ſuorum tradidit & conſignauit partem ſpecialem illorum oſſium, eaque ad omnes totius mundi tranſmiſit prouincias. *Poſt ſiccatum à diluuio terrarum orbem, illa inter ſuos liberos ſimul cum orbe ipſo diſtribuit.* Ecquid prætendebat Noë horum diſtributione oſſium? ſignificare voluit, quod ſi omnia deinceps euadere exoptarent vitæ ac ſalutis pericula, hæc ob oculos continuò ponerent oſſa; quod enim mundus in tot & tanta prolapſus fuiſſet ſcelera & Deum prouocaſſet ad iram & indignationē, id contigiſſe, quia mortis caruiſſet memoriâ; vnde ſi impoſterum effugere cuperent occaſionem culpæ & per conſequens pœnæ, efficax hoc acceptarent antidotum præſeruatiuum, nimirum oſſa illa mortui Adami.

Ipſi quoque gentiles cognouerunt, quantæ eſſet efficaciæ memoria mortis Num. 4.
ad inordinatos hominis appetitus refrænandos, & ideo Lycurgus, vt author eſt Plutarchus in Apopht. 1. inter alias, quas condidit, leges, ſanciuit etiam, vt cæmeterium in media conſtrueretur ciuitate, vt homines eò melius recordarentur mortis. Hunc in finem S. Auguſtinus ſermon. 20. ad frat. in erem. & lib. de cur. pro mort. agend. dicit, quòd fabricata fuerunt ſepulchra in eccleſijs, & plerumque conſtructa fuêre iuxta portas: *vt ingredientes & egredientes mortis admoneantur, & ſic ad Deum conuertantur.* Et S. Ioan. Chryſoſtomus hom. vlt. de ſpirit. ſanct. tom. 3. hac mortis recordatione mouere ſatagit peccatorem ad pœnitentiam;

tiam: *Vt tibi iugis sit memoria mortis, ante civitatis ingressũ, sepulchra vides vt priusquam amplitudinem & diuitias ciuitatis consideres, agnoscas omnium illarum finem.* Et in F.F. Cisterciensiũ legi historijs, in monasterio Claraualleñsi, quod est in Franciâ, vbi pluribus annis vixit & tandem obijt S. Bernardus, esse cœmeterium aliquod, in quo sepeliũtur istius loci religiosi, in eoque semper esse fossam quãdam paratam in qua primus illorũ moriturus est sepeliendus, & omnes monachos omni vespere illuc ire recitatũ alternatim, *De profundis*, cum quibusdam orationibus, solùm vt mortis semper renouent memoriam.

Num. 5. Omnis igitur rationis expers & stolidus erit, qui non emendat vitam suam, suisque sceleribus non imponit frænum vicinæ memoriâ mortis; dura siquidem & obstinata corda mortis recordatione confringi & emolliri conspicimus. Regius Propheta Dauid Psalm. 93. hanc Deo proponit quæstionem: *Vsquequo peccatores Domine vsquequo peccatores gloriabuntur.* vers. 3. *Effabuntur & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur iniustitiam?* vers. 4. Annòn vides quod cum derisione sancti tui nominis spernãt tuum fidelem populum? *Populum tuum Domine humiliauerunt*, vers. 5. effundant sanguinem innocentum peregrinorum, afflictarum viduarum, & derelictorum pupillorum: *Viduam & aduenam interfecerunt & pupillos occiderunt*, vers. 6. & vt suam compleant malitiam, te quoque peruicaciter inuadent, & tuam negent prouidentiam: *Dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* versic. 7. non imponeret ergo finem impijs & peruersis suis actionibus & impietatibus: *Vsquequo peccatores Domine?* Ecce vocem quandam, quâ in psalmo propositæ respondetur quæstioni: *Donec fodiatur peccatori fouea*, vers. 13. Hugo Cardinalis locum hunc exponendo ait: *Donec ingrediatur peccator sepulchrum.* Quasi dicere vellet Propheta: eò vsque triumphabit & gloriabitur homo de peccato; quousque inspiciat & contempletur sepulchrũ; etenim hoc ipso, quo considerationis pedem ponet in tumbam, à malo se retrahet. *Ibi* (nimirum in sepulchro & mortis memoria, ait Iob) *ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore*, cap. 3. vers. 17. velut legunt septuaginta: *Fatigati corpore.* Et quinam sunt hi nisi illi, qui sunt fessi & defatigati peccando? nam: *Vt iniquè agerent, laborauerunt*, Ier. cap. 9. vers. 5. Ad tumbam, ad sepulchrum cogitatione itote, ô peccatores, si post labores exantlatos exoptetis requiem. Hîc vilitate cinerũ deponitur superbia, hîc auaritia deseritur nuditate membrorum, hîc proscribitur inuidia infœlicis illius conditionis æqualitate: *Ibi impij cessauerunt à tumultu.* Et S. Augustinus traducit & legit in hunc modũ: *Ibi deposuerunt impij furorem suum.* Dum igitur recogitas te esse mortalem, id tibi sufficiet, vt tua, ô peccator, detesteris peccata.

Patientissimi Prophetæ hæc sunt verba: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Iob cap. 7. vers. 21. Profectò, qui hæc in præfato Propheta non legissent verba, non ea ex ore iusti istius hominis prodijsse existimassent; etenim quis modus errorum petendi veniam est iste? annòn illemet dixit: *Quis potest dicere Deo, cur ita facis?* cap. 9. versi. 12. cur igitur adeò liberè petit dicens: *cur non tollis?* hisce addendum est modum hunc loquendi esse expressum signum cuiusdam arrogantiæ, eò quòd Deo quasi adscribat defectum; qui aliàs eandem remissionis peccatorũ petierunt gratiam, aut id fecerunt verbis benignis & amoris affectu plenissimis, veluti Latro in cruce: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. vers. 42. vel humilibus precibus humiliando seipsos, quemadmodum fecit publicanus in templo: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. vers. 13. aut supplici aliqua in- Num. 6.

stantiæ

ſtantia in diuina confidendo misericordia, vti Dauid: *Miſerere mei Deus, ſecundũ magnam miſericordiam tuam.* Pſalm. 50. verſ. 1. vel denique amaras effundendo lachrymas ardentium cum emiſſione ſuſpiriorum, veluti fecit Maria Magdalena: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. verſ. 38. Quis te, ô Propheta Iob, hanc docuit formam & normam tuas exponendi neceſſitates & miſerias eterno cœli Monarchæ? excuſate ipſum N. eâdem namque horâ è conſideratione prodierat improuiſæ mortis, ideoque ſubiungit ſtatim: *Ecce nũc in puluere dormiã,* loco ſup. cit. Quomodo? eodem, quo loquor, momẽto moriendum eſt, & vultis, veniam petam longo verborum circulo? Non, non: *Cur non tollis peccatum meum?* Rumpe moras, Domine Deus, ſuccurre neceſſitati, num te fortè ad commiſerationem non impellit extremum hoc periculum? *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce nunc in puluere dormiam.* Vnde & D. Auguſtinus ſerm. 16. de verb. Dom. *Qui vicinam ſibi & inſtantem contemplatur mortem, pœnitentiam minimè differt.*

Num. 7. Quicunque igitur quaſuis peccatorum ſpecies euitare cupit, cogitet ſibi moriendum eſſe; ita inſtruxit nos idem Propheta Iob, vix etenim dixerat: *Dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum.* cap 17. verſic. 1. Et confeſtim ſubdidit: *Non peccaui.* verſic. 2. dicere nimirum intendebat, quod recogitando mortem non peccaſſet: qui conceptus eſt D. Gregorij lib. 13. moral. cap. 10. qui dicit: *Perfecta vita eſt mortis meditatio, quam dum iuſti ſollicitè peragunt, culparum laqueos euadunt; vnde ſcriptũ eſt: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Vnde & beatus Iob, quia dies ſuos conſiderat breuiari, & ſolùm ſibi ſupereſſe ſepulchrum penſat, aptè ſubiungit: Non peccaui.*

Summoperè hinc obſtupeſcebat D. Joan. Chryſoſtomus homil. 28. in Matth. quod, poſtquam piiſſimus Redemptor noſter mentionem habuiſſet ſepulchri, dum ſibi in domo Phariſæi prandenti Magdalena pretioſo vnxit pedes vnguento, proditor diſcipulus Iudas non ſe conuerterit egeritque pœnitentiam, imò plus cœptam ſtuduerit exequi proditionem; murmurantibus ſiquidem diſcipulis de pietatis illo officio Magdalenæ, dixit Saluator: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Matth. 29. verſic. 10. *mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit.* verſ. 12. Diſſeruit Chriſtus de ſepultura ſua, inquit D. Chryſoſtomus, *vt Iudam vel ſaltem mortis recordatione à malo propoſito ſuo deterreret.* Mortis namque memoria frenum inijcere ſolet homini precipitis inſtar equi currenti ad damnationem æternam.

Et ſi deſcendere velimus N. ad particularia, euidenterque cognoſcere mortis memoriæ efficaciam ad effugiendum peccatum, ſingula, amabò, & quæcunque perquiramus vitia, etiam dictorum quaſi manibus palpabimus veritatem: nam ſi omnis peccati principium & cauſa eſt ſuperbia, teſte Eccleſiaſtico cap. 10. verſic. 15. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Sola mortis meditatio hunc faſtũ & arrogantiam reprimit. Audite, quæſo, laudabilem Senatus Romani conſuetudinem: dum ſtrenuos ac generoſos ſuos belli duces triumphis honorabant, ne triumphator in tali pompa & maieſtate conſtitutus inſuperbiret, eidem, quo ipſe vehebatur, triumphali currui imponebant venerandum quendam virum, qui aliquoties ad eum conuerſus hæc (veluti S. Hieronymus contra Heluid. hoc idem refert ſuo tempore in morem abijſſe) inculcabat verba: *Reſpice ad eos, qui te præceſſerunt, & mementote eſſe moriturum.* ac ſi dixiſſet: Si hęc triumphi gloria & pompa te extollat, reprimat & refrænet tumiditatem hanc tui ipſius notitia, ac te hominem eſſe memẽto. Imò Claudius Paradinus recenſet, apud antiquos Num. 8

Romanos inter alias, quas in coronatione Imperatoris obseruabant, cæremonias, hanc quoque fuisse in vsu: statuebant nimirum iuxta illum singularem & artificiosum quendam sculptorem cum diuersi generis lapidibus, qui Imperatori recenter coronato altâ inclamabat voce:

Elige ab his saxis, ex quibus, Augustissime Cæsar,

Ipse tibi tumulum me fabricare velis.

Idque facere solebant, ne tantæ Maiestatis & imperij oppressi gloriâ, mortis obliuiscerentur, adeoque ne insuperbirent, aut euaderēt dissoluti, insolentes, aut tyranni.

Num. 9. Ex hoc fortassis suam traxit originem, quòd in coronatione summi Pontificis vsurpetur cæremonia comburendi stupam, hæcque illi dicantur verba: *Sic transit gloria mundi, beatissime Pater.* Ita affirmat Hugo Cardinalis in cap. 3. epist. ad Roman. super illa verba Ecclesiastici: *Omnis Potentatus breuis vita.* cap. 10. vers. 11. *& ideo* (inquit ille) *vt Dominus Papa recogitet desuper, in eius coronatione coram eo succenditur parum de stupa, & dicitur ei: sic transit gloria mundi, beatissime Pater.* Et sanè qui rem hanc penitiùs considerat, omnia in hac vita veluti ignem stupę euanescere experietur. Et beatus ille, qui huiusmodi animo seriò reuoluit; quemadmodum legitur de S. Ioanne Patriarcha Alexandrino, qui, dum publicis pontificalibus occupabatur functionibus & officijs, constituit quosdam, qui ei inclamare deberent ac dicere: ô Patriarcha, tuum iam iam exstruitur sepulchrum, & continuò in eo construendo laboratur, idque mandabat fieri, vt nunquam inueniretur essetque sine memoria mortis veluti efficacissimo remedio, quo deprimeret superbiā, & in publicis, quas exequebatur, functionibus reprimeret vanam gloriam. Efficax profectò remedium, vt quis se conseruet humilem, est meditatio mortis. Id iamdudum aduertit S. Petrus Damianus opusc. 15. cap. 23. *Superbiæ*, ait ille, *spiritus inflat? sepulchrum ad mentem redeat: necessariò illic rigidæ ceruicis tumorem premimus, vbi cinerem nos proculdubio puluoremq; pensamus. Quid superbis terra & cinis;*

Seneca, quem refert Author thesauri noui, introducit celeberrimum & robustissimum Herculē à Poëtis creatum in Semideum manu tenentem vas vitreum continens pauxillum cineris, idque omnibus monstrantem hominibus, vt considerarent, ad quid iam deuenisset Hercules potētissimus ille gigas, q. d. Ecce, ad quā exiguam reducta est quantitatem magna & prægrandis illa moles? ecce quomodo disparuit ac euanuit? & quis hanc examinaturus veritatem non humiliaretur & superbiam supprimeret? Num. 10.

Mirabilis & incredibilis quasi videtur esse experientia illa, quam fecit ille senex humiliaturus Alexandrum Magnum elatum ob varias reportatas victorias, nimisque tumidum propter felicem belli successum; exhibebat ille senex huic mundi Monarchæ (vt refert Paulinus lib. de mort. temp. & ætern. cap. 1.) petram talis naturæ & qualitatis, vt posita in vna bilance superaret quodcunque pondus in alia bilance positum; ast si ei superponebatur parum cineris, ipso euadebat leuior culmo. Conuocati deinde Philosophi huius reddituri rationem morale dederunt responsum, quemcunque regem potentissimum, quoad vsque viueret, magni esse ponderis & æstimationis; sed mortuū nullius āplius existere ponderis, nullius existimationis, sed leuem esse instar volantis cineris. Et sanè, qui in vna bilance collocat totam mundi pompam & magnificentiam, & in alia pauxillum cineris, in quem redigendus est, aduertit quamprimum quàm exigui ponderis sit, quamque exiguam & ineptam habeat insuperbiendi rationem.

Et de eodem Alexandro Magno legitur 1. Machab. cap. 1. quod cùm considerarat se moriturum, superbos illos dese-ruerit

fuerit cogitatus, demiseritque ambitionem: *Et post hæc decidit in lectũ & cognouit quia moreretur*. versic. 6. *& vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute: & diuisit illis regnum suum, cùm adhuc viueret*. versic. 7. Quæ verba expẽdens D. Gregorius Papa lib. 3. moral. c. 4. ait: *Vides ergo, quàm efficax sit memoria mortis*.

Num. 11. Verùm non est mirum N. mortis hac recordatione superba mortalium deprimi corda; cùm & ipse dæmon infernalis tametsi superbissimus eiusdem humilietur memoriâ. Audite miram & stupendam metamorphosin ex SS. Euangelistis Matthæo & Marco. Matth. cap. 4. Diabolus temerario ausu à Christo petijt adorari: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adorauerìs me*. versic. 9. Marc. 5. totum euenit contrarium, cùm enim pientissimus Saluator noster veniret in regionem Gerasenorum obuiam ei currit quidam obsessus à dæmone & adorauit illum: *Videns autem Iesum à longè cucurrit & adorauit eum*. versic. 6. Miratur vehementer hoc super facto S. Petrus Chrysologus sermon. 17. & quærit ex dæmone: *Quid est diabole, quem trinâ tentatione prouocabas ad lapsum, quem promissione regni, vt te adoraret, subdolus ambiebas, nunc tremens & miserandus prolaberis & adoras?* Caussam huius cupitisne scire? proximè citatus Euangelista adducit illam, dicens: *Semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat*. versic. 5. habitabat nimirum hic immundus spiritus in sepulchris, quę sunt humilitatis Scholæ, ac propterea dæmon certo quodam modo demonstrare voluit, qualem fecerit progressum, quamdiu demoratus fuit in sepulchris, sicque adorauit illum, à quo primò adorari petierat: *Ecce* (progreditur idem Chrysologus) *qui honores omnes regni promittebat & gloriæ, fœtidus corruptione cadauerum reperitur in tumulis*. O efficacem mortis memoriam ad reprimendas mentis humanæ elationes!

Quòd si ad hęc differamus de auaritia & cupiditate auri & argenti, quæ in corde humano suos construũt nidos, meditatione mortis & illæ exinde radicitus tollentur & extirpabuntur. Sic contigit Ægyptijs Exod. cap. 11. & 12. postquam Dominus Deus varijs illos afflixisset plagis & pœnis, decreuerat adhuc pro omnium plagarum coronide interficere eorum primogenita, vt rex Pharao non diutius retardaret Hebræos ab itinere in terram promissionis; ast ante horum discessum determinauerat primò Ægyptios spoliare auro, argento alijsque diuitijs, & ijsdẽ ditare Hebræos. Quapropter Moyses ex parte Dei præcipit omni populo, vt quilibet ab amico suo, & mulier à vicina sua expeteret vasa aurea & argentea. Et refert sacer textus filios Israel petijsse ab Ægyptijs vasa aurea & argentea vestesque plurimas pretiosas: Dominus Deus quoque gratiam dedit populo suo, vt quodcunque ille ab Ægyptijs postularat, acceperit, sicque hi à filiis Israel exspoliati fuerunt. Magnum profectò hoc in facto aduerto paradoxon: Viderãt iam Ægyptij filios Israel à Pharaone discedendi petijsse licentiam in longinquas regiones: conspexerant eosdem iam iam accinctos itineri: nihilominus promptissimè illis mutuò dant vasa sua aurea & argentea, pretiosisque semetipsos priuant vestibus, & quod me rapit in admirationem est, quod viderint Pharaonem mediâ nocte surgentem, aduocantem ad se Moysen & Aaron ac dicentem eis: *Surgite & egredimini à populo meo vos & filij Israelitæ, immolate Domino, sicuti dicitis*. Exod. 12. versic. 31. *Oues vestras & armenta assumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi* versic. 32. Addit deinde immediatè Scriptura: *Vrgebantque Ægyptij populũ de terra exire velociter*. versic. 33. (Nec minimum recordantur silentio quod repetierint vasa aurea & argentea aliasque diuitias mutuò datas. O Deum immortalem! ergòne fuêre isti Num. 12.

Alexandri Calamato Sylua Conc.

Zz adeò

adeò obliuiosi, vt, quæ sua sunt, non recogitent, non repetant? vnde tanta obliuio? vnde contemptus iste rerum adeò pretiosarum? profectò N, omninò fuit effectus recordationis mortis; dicit siquidem Scriptura sacra, quòd Dominus mediâ nocte vltimâ eos afflixerit plagâ, occidendo nimirum omnia primogenita terræ Ægypti, ob quam plagam magnus planctus factus est in Ægypto, nulla siquidem domus erat, in qua non inueniebatur quidam mortuus. Vnde Ægyptij primogenitorum suorum mortuorum conspicientes cadauera, mortem memoriâ recolebant; quid ergo mirum, quòd non repetierint vasa pretiosa mutuo data, sed ea fuerint obliti, imò spreuerint & contempserint: *Tanto illorum dolore & sui timore Ægyptij tenebantur* (ait Abulensis quæst. 2. in Exod.) *vt viderent Iudæos cum vasis auri & argenti & vestibus recedentes & tenere non curarent, sed potiùs ipsi eos ad velociter fugiendum incitarent, dicentes omnes morientur.* Exod. 12. versic. 33. Vnde & huic proposito conformiter & optimè loquitur D. Gregorius homil. 9. in Euangel. *Facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se esse moriturum.*

Narrat Platina in vita Cælestini tertij, quod Saladinus Rex Ægypti morti vicinus cupiensque populum sibi subiectum inducere ad contemnendas diuitias temporales, iussit tunicam inferiorem hastæ suspensam per totam ciuitatem deferri ante funus præcone quodam præuio clamante: *Saladinus Asiæ domitor & dominator ex tanto regno tantisque opibus nihil aliud secum fert, nisi hoc quod videtis.* Nam vt dicit S. Hieronymus in epist. ad Cyp. *Qui se quotidie recordatur moriturum, contemnit præsentia & ad futura festinat.*

Num. 13. Tantæ existit efficaciæ memoria mortis, vt adolescentum compescat & refrenet inordinatos lasciuosque motus & appetitus. Quando iunior Tobias nupsit Saræ filiæ Raguelis, quæ septem duxerat maritos, ad sedandum carnis concupiscentiam se dedit orationibus, & in ista totâ perseuerauit nocte; sed manè priusquam parentes conclaue, quo demorabatur cum Sara, aperirent, parata illi fuit sepultura: *Cùmque parassent fossam, reuersus Raguel ad vxorem suam, dixit ei: Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum, antequam illucescat dies.* Tob. 8. versic. 13. 14. Sed, ô magnam virtutem meditationis mortis! iuit serua visum, quid ageretur de Tobia, quem reperit viuū cum vxore suâ: *Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos & incolumes* versic. 15. Sicque alios, quibus primitus non parauerant sepulchrum, inuenerunt mortuos, quia, quo inordinatos compescerent lasciuiæ motus, caruerunt meditatione mortis; ast Tobias, cui paratum fuit sepulchrum, & qui se mortis præmuniuit memoriâ, sanus & viuus adinuentus fuit. Conceptus hic est magni Ecclesiæ Doctoris S. Ambrosij serm. de morte: *Opportunè itaque* (ait ille) *quem memoria mortis à carnali copula retraxerat, viuus inuenitur, vt discamus nullo salubriori remedio carnalia coërceri, quàm sepulchro.* Hinc etiam S. Bernardus serm. 7. de tent. dixit: *Si te luxuria tentat, si te libido ad peccatum incitat, obijce tibi memoriam mortis.* Veritatem huius quoque agnouit gentilis Philosophus Seneca, quare scribēdo amico suo Lucillo, ait: *Libidinis incentiuum continebis si te moriturum cognoueris.*

Num. 14. Verùm transeamus ad paradoxa maiora factâ mortis meditatione. Dicite mihi amabò, quod est difficilius præceptum, quod Deus nobis tradidit obseruandū? respondebitis, id esse dilectionem inimicorum; hoc enim plus cæteris repugnat sensui; nihilominus meditatio mortis efficit illud facillimum, reddit hominem mansuetum & ad petendam veniā procliuem. Pulchram auscultate sententiam Sapientis: *Memento nouissimorum & desine inimicari.* Ecclesiastici 28. vers. 6. Legitur in theatro vitæ humanæ tom. 2.

lib.3.de quodam Domino vrbis Sybaritanæ incola, cuius seruus in villa quadam, vbi is quoque demorabatur, grauem commiserat defectum. Quapropter Patronus ita adeò exscanduit, vt gladio seruum transfodere non dubitauerit. Fugit seruus ad ciuitatem existimans se ibidem fore liberum, ast fugientem indignatus nimium insequitur Dominus. Vnde Deorum ocyus subintrat templū seruus credens Dominum suum coram Deorum simulachris placandum, nec eum in loco Dijs sacro ausum esse tantum admittere nefas; at non minùs hic Dominus pristino cessit furori. Miser & infœlix seruus, quorsum vltra fugere & vitam suam saluaret, ignorabat. Tandem confugit ad sepulchrum, vbi paterna indignabundi sui patroni ossa condita erant, quo permotus spectaculo cæcus persecutor adeò remansit attonitus, vt quia & paternam & propriam sibi in mentem reuocaret mortem, reum fugitiuum deseruerit, & deposito cordis rancore mitis & mansuetus factus domum redierit. Ex quo exemplo sat dilucidè colligi potest, quantam ad reprimendos iræ & furoris impetus vim & efficaciam habeat horribilis hic aspectus & tremenda mortis repræsētatio; maiori namque in animo iracundo polluit virtute memoria mortis & sepulturæ aspectus, quàm locus hominum existimatione sacer & dedicatis falsis Deorum simulachris.

Num. 15. Iosue cap. 20, legimus inter alias ciuitates, quæ sorte Tribui Sacerdotali Leui cesserant, Deum assignasse sex in refugium homicidarum, vbi securi degerent & ab omnibus insidijs & infestationibus liberi, omniq́ue gauderent libertate ad mortem vsque summi Pontificis & post hanc domum reuersuri salui & immunes. Inquirit hic Abulensis q. 23. cur Deus voluerit homicidam esse liberum post mortem summi Sacerdotis & non ante? Pro responsione, aliquorum Rabinorum adducit opinionem, quam, ne sim prolixior, prætermittam, & solùm in medium proferam rationem Glossæ ordinariæ in cap. 35. Num. huic meo proposito appositam: Dicit igitur Glossa, non fuisse consultum nec expediens, vt homicida fuisset liber nisi post mortem summi Sacerdotis, quia quandoquidem hic in republica summæ erat existimationis, summum mors eius causare solebat dolorem, & omnes amaris illā deplorabant lachrymis & suspirijs, sicq́ue mœsti, tristes & dolore perculsi non recordabantur damni illius, quod homicida illis intulerat. Hoc igitur opportunius fuit tempus pro eius libertate determinatum: *Poterat autem* (sic loquitur Glossa) *reuerti homicida in morte summi Pontificis, pro qua tunc erat afflictio, & luctus in toto populo, & tali tempore solent iræ particulares sedari.* Idem asserit Theodoretus quæst. 15. in cap. 35. Num.

Ast, vt verum fatear N. in corde cuiusdam Christiani vindicatiua quædam cogitatio regnare nequit, qui verè vltimum suæ contemplatur vitæ finem, se nimirum breuissimo temporis spatio, quando minus opinabitur, moriturum esse. Hæc sine dubio cogitatio deprimit non dumtaxat omnem arrogantiam & indignationem, verùm etiam efficiet, vt libenter sustineat & patienter perferat omnes iniurias, tribulationes & persecutiones; veluti prædixit Propheta Ieremias Thren. 3. *Ponet in puluere os suum* versic. 29. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* vers. 30. vel vt Paschasius hic legit: *Ponet in sepulturæ fissurā os suum.* Et quid dein eueniet? S. Hieronymus expendendo hunc locum ait: *Ponit in puluere os suum, qui humiliter sentiens fragilem se cognoscit, & de puluere factum, & iterum in puluerem reuersurum fatetur: iste vt impleat Apostolicum virum, dabit percutienti se maxillam.* Num. 16.

In mentem hic mihi venit, quod contigit Regi Dauid 1. Reg. 26. & subtiliter Num. 17.

ponderat D. Chrysostomus. Subintrabat die quodam sanctus hic rex tentorium Saulis hostis sui vatiniani comite Abisai vno è generosioribus heroibus, quos habebat in aulâ suâ Dauid. Et ecce conspiciebat regem Saulem cum toto suo exercitu profundissimo sepultum somno. Quare Abisai, quia opportunum iudicabat adesse tempus, quo se posset vindicare, & vitam hosti suo eripere Dauid, efficaci id regi persuasit ratione. At quid respondit Dauid: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini*, vers. 11. Petit modo S. Ioan. Chrysostomus homil. de Dauid & Saul, quid permouerit Dauid ad hoc, vt furorem suum temperans non interfecerit inimicum suum, qui eum furialibus persequebatur armis? & pereleganter respondet: *Conspiciebat Saulem dormientem, ac de morte cōmuni omnibus philosophabatur, Somnus enim nihil aliud est, quàm mors temporaria.* Et hæc cogitatio iratum eius compescuit animum, ne de hoste suo sumeret vindictam. Vnde dixit B. Petr. Damianus opusc. 16. cap. 35. *Si fortassis efferas animum, dirige protinus oculos ad sepulchrum, mox enim omnis amaritudo deponitur, dum quò furor hominum vergat, mens prouida contempletur.*

Num. 18. Summa. N. non reperitur peccatum aliquod, quod non repellitur & supprimitur mortis meditatione. Quapropter vnumquemque cum Sapiente exhortor & dico: *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis*, Ecclesiast. 7. vers. 40. Ideò S. Basilius sermon. de mort. vt hanc in animis nostris stabiliat doctrinam, prudens nobis suggerit consilium, quod si executioni mandabimus, magnum exinde capiemus fructum & commodum: *Mortale te esse recordare, circumspice illos, qui ante te similibus splendoribus efflorebant: vbinam sunt illi, qui ciuilibus dignitatibus ornati erant? vbi Rhetores atque Oratores? vbi Duces? vbi Tyrāni? nónne omnes puluis, nónne fabula? nónne in paucis ossibus memoria vitæ conseruatur? contemplare sepulchra, vide, num possis discernere, quisnam seruus, quis Dominus, quis pauper, quis locuples fuerit?*

Scribit Hermogenes, quod quâdam vice ad sepulchrum Alexandri magni septem venerint Philosophi spectatum exiguo terræ spatio paruoque occlusum & restrictum lapide illum, cui viuo nimis angustus erat totus mundus. Cumque tristi huic attoniti astarent spectaculo, exclamauit primus: Heri ô Alexāder, tot theatra, tot colossi, tot arcus, tot pyramides, tot obelisci: Asia, Africa, Europa tuum nequiuerant exsaturare cor, hodie septem terræ palmi tibi sufficiunt, imò superflui sunt. Subiunxit alius: Heri pretiosissimis vestibus, deauratis curribus, vexillis ventilantibus, purpura regia, aureaque corona gemmis distincta clarissimis adornabaris; hodie mortis factus es mancipium. Heri coram te sese prosternebant famuli, inclinabant principes, magnificentiâ immensus, inuictus potentiâ, superbus & arrogans calcabas terram; hodie illimet, qui te transeuntes flectebant genua, sepulchrum percalcant, imò ipsamet terra in signum triumphi & victoriæ te opprimit, te destruit & consumit. Inclamauit alius: Heri lingua tua concitabat voluntates, accendebat animos, commouebat affectus, & totum regebat Vniuersum; hodie & temporis & hominum factus es lusus & spectaculū: Heri ob præcelsam tuam regiam Maiestatem, magnificum aulæ splendorem, & numerosissimum aulicorum comitatum, Senatores, Duces exercitus, infinitus curiosi populi accursus & cōcursus quæcunque tibi exhibere gaudebant & gloriabantur seruitutis officia; nunc in opaco & tenebroso te deserunt habitaculo. Alius dixit: Heri Europa, Thracia, Hispania, Britānia, Græcia, Thessalia, Africa, Arcadia, Ægyptus, totus imò mundus tuo subiacebat imperio & Dominio; hodie vna dumtaxat de te triumphans inimica Num. 19.

mica terra te deuictum & superatum demonstrat. Succlamauit alius: Heri è vastissimo maris sinu, ex terræ visceribus & montium altitudine sufficientes haud poterant procurari & adduci cibi lautissimi, epulæ sumptuosæ, ambrosia, nectar, liquefactæ perlæ, aurumque potabile, vt illum enutrirēt & cibarent ventrem; qui factus est hodie esca vermium. In fœtido igitur sepulchro iacet infœlix Alexander primò Dominus & Monarcha mundi, nunc seruus mortis; primò paradoxō & miraculum vniuersi, nunc fabula vilissimi vulgi; Primò omnes concitabat ad inuidiam, cunctos nunc commouet ad commiserationem & pietatē; primò ornatissima palatia illo non erant digna receptacula, nunc horridæ tumbæ & caliginosa sepulchra sunt illius habitacula. Ille, quem nulla superabat vis & fortitudo, occulta fraus, aperta audacia, robustum brachium, ecce ut sæua & immitis mors nunc sepeliuit corpus eius. O humanam vitam! quàm caduca es, labilis & transitoria: Benè propterea dixit B. Petrus Damianus Epist. 7. ad Agnes. discurrendo de mutatione, quæ subitò cernitur in rege quodam, cùm moritur: *Porrò autem, qui hodie induitur purpurâ, cras includitur sepulchro; hodie qui hominibus dominatur, cras à vermibus factus putredo corroditur: hodie regalibus infulis redimitur; cras vilibus pãniculis examine cadauer obuoluitur; hodie splēdet coronatus in regalis excelsitiæ solio, cras fœtet marcidus in sepulchro.*

Num. 20. Recordor hìc illius facti, quod contigit D. Augustino, quando comite Sanctâ Monica matre sua ingressus est Romam, ipsemet ille refert, sermone 48. ad frat. in erem. quòd cùm audiuisset Romanorum sepulchra esse splendida & magnifica, summoperè ea exoptauit videre, & inter alia conspexit sepulchrum, quo paucis ante diebus fuerat sepultus Cæsar Augustus; postquam ergo aliquamdiu fœtens hoc inspexisset cadauer, quod famelicis corrodebatur vermibus, in hæc prorupit verba: *Vbinam est, ô Mater, tam præclarum Cæsaris corpus? vbi magnitudo diuitiarum? vbi apparatus deliciarum? vbi multitudo dominiorum? vbi caterua Baronum? vbi acies militum?* factâ hac interrogatione conclusit deinde dicens: *Quo recessit magnificentia tua, ô Cæsar?* respondit sancta Monica S. Augustini mater ibidem præsens: *Fili hæc omnia & sibi defecerunt, quando deficit spiritus eius.*

Perpulchram nunc audite exhortationem, quam sub hac forma nobis tradit D. Augustinus: *Eia ergo fideles Christi, considerate quid fuimus: animaduertite, cum quo venimus: prospicite, quid iam sumus. Agite igitur pœnitentiam, antequam mors inimica naturæ vos aggrediatur. Memorare nouissima, quia terra es, & in terram ibis.* Venite mecum amabò, vos omnes, quotquot hìc adestis, & ingrediamur ecclesiam, vbi tot mortuorum conspiciuntur sepulturæ. Aperite, vos rogo, hæc sepulchra, & mirum percipietis fœtorem. Num. 21. Accedant primò parentes, cognati, amici, & quod hucusque audiuistis, videbitis & manibus palpabitis; annon verum est, illos transijsse in fœtorem & vermes? quapropter edicite: vbi tot modò sunt Sapientes, Oratores, Poëtæ? sunt mortui, sunt mortui. Vbi tot magnates & principes, reges, Imperatores? sunt mortui, sunt mortui. Vbi tot homines, qui hanc inhabitarunt vrbem, hos obambularunt vicos & plateas; hanc ingressi fuerunt Ecclesiam & hactenus in sacro hoc loco interfuerunt Concionibus & Missarum sacrificijs? sunt mortui, sunt mortui. Et Domini, & subditi, & diuites & pauperes, & viri & mulieres, & iuuenes & senes? sunt mortui, sūt mortui. Et possibile est, quod hæc considerans non corrigas vitam, ac te humilies?

Mortem igitur, ô Christiane, nunc seriò meditare & recogita hoc exiguo, quod tibi adhuc superest, vitæ tempore. Imitare pium illum Gerardum, de quo refert Historia PP. Dominican. quòd,

cùm in Ecclesia constitutus audiret recitari sacram hanc lectionem ex Genes. cap. 5. *Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.* vers. 5. *Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum & mortuus est*, vers. 8. *Factiq; sunt omnes dies Enos nongenti quinq; anni, & mortuus est.* vers. 11. *Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est*, versic. 27. dixerit: ergône hi omnes mortui sunt? bene, bene, totum nunc intellexi negotium; igitur & ego quoque moriturus sum. Sicque mediante hac meditatione mortis, mutauit vitam, egit pœnitentiam, & in illum finem ingressus est ordinem S. Dominici, vbi piè vixit & sanctè obijt, quod & Deus nobis concedat. Amen.

Mors iustorum & peccatorum.

DISCVRSVS XLVIII.

De morte fœlici iustorum, & pessima peccatorum.

Num. 1 OMnium terribilium terribilissimum est mors, dixit Aristoteles 1. mor. cap. 6. Ratio est euidentissima, N. quia mors est terminus & finis omnium rerum summè à nobis æstimatarum; nimirum, priuat nos patre & matre, priuat nos societate fratrum & sororum, priuat nos simul amicis & cognatis: vnde meritò S. Hieronymus Epistol. 3. ad Heliod. exclamando contra mortem dicit: *O mors, quæ fratres diuidis, & amore sociatos crudelis ac dura dissocias.* Ast, vt verum fateat N. cōsiderata mors in persona iustorum aliud non est nisi dulcis somnus. Ita describitur & appellatur in pluribus sacræ Scripturæ locis. Vnde Propheta regius ait: *Cùm dederit dilectis suis somnum.* Psalm. 126. versic. 3. Et D. Apostolus Paulus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* 1. Corinth. 15. versic. 51. vbi legit textus Græcus relatus à D. Hieronymo: *Non omnes dormiemus.* Sanè non immeritò, nam non omnes, qui moriuntur, dulci hoc obdormiunt somno, sed iusti dumtaxat, non peccatores. Cuius rei veritatem penetrauit ipsemet Seneca suo scribens Lucillo in hunc modum: *Stultus moriendo mortem incipit, sapiens moriendo mortem vincit.* Stultus, qui est peccator, cùm peruenerit ad finem vitæ suæ, verè moritur, & mori incipit, vt in æternum torqueatur & miser æternæ mortis probet sustineatque pœnas; ast sapiens, iustus videlicet, dierum vitæ suæ attingens terminum non moritur; sed vincit mortem, vt æuiternâ fruatur vitâ & requie. Vincit mortem iustus, & priusquam occludat oculos, victoriæ suæ decantat triumphum, & deinde suauiter claudit illos & obdormit, *vt requiescat à laboribus suis.* Apocal. cap. 14. vers. 13 Vnde S. Hieronymus (vti testatur Eusebius in Epistol. ad Dama. de dorm. Hieronym.) attingens vitæ suæ terminum totus lætus & festinus dicebat: *Abijcite vestimenta luctus & tristitiæ: Psalmū dicite nomini Domini; ecce portum attingo, iam redeo ad Patriam, de tristitia ad gaudium, de prœlio ad victoriam.* Et S. Bernardus sermocinando de morte sancti fratris sui Gerardi, qui cantando moriebatur, in hæc prorupit verba: *Vidi exultantem in morte & insultantem*

sultantem morti: vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? iam non stimulus sed iubilus, iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Et inter hæc cantica dulciter obdormit & requiescit: *vt requiescat à laboribus suis. Non omnes dormiemus.*

Num. 2. Dulcis somnus, repeto, est mors iusti; etenim mediante illâ transit ad nouam vitam: vnde dixit Sapiens: *Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* cap. 4. vers. 7 hinc morti vicino tempore lætâ exultat fronte, veluti asserit D. Gregorius homil. 13. in Euang. cùm ait: *Cùm tempus propinquæ mortis aduenerit, de gloriæ retributione hilarescit.*

Fœlicissima ac beata profectò mors iusti est, & meritissimò de illo dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Apocal. cap. 14. vers. 13. quia mala illa, quæ ordinariè mors secum adducit, non videntur, & longè à iustô absunt. Et ideò S. Ambrosius locum hunc explanando quærit: *Quis mortuus mori potest? nullus, nisi prius animam accipiat. Illi sanè sunt beati, & illi mortui in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, postea carni; qui prius veterem hominem in se extinguunt, vt possint dicere cum Apostolo: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Num. 3. Sed obseruate mecum N. locum quẽdam è Scriptura sacra intentum nostrũ appositè probantem. Refert S. Euang. Matthæus, quòd Herodes, vt intellexit Iudæorum iam natum fuisse regem, omnes iusserit mactari infantes, qui in Bethlehem & in confinibus eius reperiebantur: *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius.* cap. 2. versic. 16. Et concludit deinde S. Euangelista tunc adimpletam fuisse Prophetiam Ieremiæ dicentis: *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* versic. 18. Vt veritatem fatear, N. non capio, quid significare velit hæc Domina. Quod planxerit, quia teneri eius occisi fuerunt filij (*Rachel plorans filios suos*) transeat; ast scire desiderarem, cur noluerit consolari? S. Hilarius perpulchris hisce verbis, quibus in hunc commentatur locum, soluit difficultatem: *Noluit consolari, quia non erant mortui, qui mortui reputabantur; in æternitatis enim profectum per Martyrij gloriam efferebantur, consolatio autem rei amissæ & non auctæ erat præstanda.* Idẽ confirmant S. Chrysostomus hom. 5. varijs in locis super Matth. Et Eusebius Emissen. Sermon. de Innocent.

Non absimile huic est, quod legitur in Iob cap. 42. postquam Dominus Deus ad augendum meritũ huius patientissimi Prophetæ, omnia ei eripuisset bona, diuitias, imò & filios, dicit sacra Scriptura, quod duplo maiora eidem fuerint restituta: *Et addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Iob, duplicia.* vers. 10. Sicque vbi primò habebat septem millia ouium, postea accepit quatuordecim millia, & idem consequenter de bobus, camelis, & cæteris bonis & diuitijs eius asserendum est. Ex quo sequitur, quòd duplo plures eidem restituendi erant filij. Ast (inquit D. Chrysostomus vbi sup.) id nullibi in S. Scriptura reperio, siquidem, cùm in vniuersum decem ei primitùs essent liberi: *Natiq; sunt ei septem filij & tres filiæ.* Iob cap. 1. vers. 2. Et Deus hos omnes ei eripuerit, quando in duplum tota eius substantia restituenda erat, in duplum quoque liberos ei restituere debebat; at Scriptura sacra non nisi decem restitutos fuisse refert: *Et fuerunt ei septem filij & tres filiæ.* cap. 42. vers. 13. Quare meritò quærit D. Chrysostomus: *Quomodo iumenta quidem in duplum, in simplum verò restituuntur liberi?* Et acutissimè respondet: *Vt ostenderet, quoniam illi, tametsi prærepti sint, viuunt tamen, ac omnes sancto Iob lætitia sunt coheredesq; applaudunt, quam ob rem nõ ei dat nisi decem.* Vero namque verius est, mortem iustorum & seruorum Dei esse transitum ad æternam

æternam vitam : *Tametsi prærepti sint, viuunt tamen.*

Num. 5. Veritatem hanc confirmat sanctus Propheta Dauid, dum Deo dicebat: *Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.* Psal. 117. versic. 17. ac si diceret: Domine, toto aberrat cœlo, qui me moriturum existimat; tuo namque, semper viuam fauore, & mirabilia tua deprędicabo opera. Sed quomodo dicit Dauid se non moriturum, cùm sit caducus & mortalis sicut sunt omnes alij homines? Sanctus Bruno exponens hunc locum asserit veritatem illam, quæ prodijt ex ore Dauid esse infallibilem, eiusque assignat rationem: quia quamuis sancti & iusti moriantur instar aliorum hominum, nihilominus quia mors illorum est principium futuræ & melioris vitæ, non iam mors æstimanda & dicenda est, sed fœlix ingressus ad vitam æternam. Hinc est, quod S. M. Ecclesia mortem iustorum appellet natiuitatem, quia dum ipsi moriuntur, nascuntur, vt semper viuant in cœlis. Cùm igitur hanc non ignorabat Dauid veritatem, tanquam homo iustus & sanctus meritò dicere potuit: *Non moriar; sed viuam: mors enim corporalis* (verba sunt S. Brunonis) *quæ per tribulationes accidit, mors dicenda non est, sed vitæ principium: post hanc enim mortē sancti fœliciter viuere incipiunt; vnde etiam dies obitus Martyrum natale dicitur; tunc enim in æterna vita nascuntur.*

Num. 6. Verùm aliam audite N. Scripturæ expositionem nostrum propositum probantem. Matth. cap. 22. legitur pientissimum Saluatorem nostrum occasione cuiusdam dubij à perfidis Pharisæis ei propositi hæc dixisse verba: *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictū est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. non est Deus mortuorum, sed viuentium.* vers. 31. 32. Sed vt verum fatear, non capio hoc mysterium, quod Deus sit Deus Abraham, Isaac, & Iacob, & hi non sint mortui, sed viui; dicendum ei potiùs erat quod esset Deus mortuorum, & non viuorum. Difficultati huic respondet Philippus Abbas, Christum Dominum hæc locutum fuisse verba: *Vt eos iam non mortuos, sed in æternum viuere cognoscatur:* ait cit. Pater de silent. cleric. cap. 9. BB. VV. PP. & ideò illorum Deus non appellatus est Deus mortuorum, sed viuorum; etenim quotquot ex hac discesserunt vita in gratia Dei, non iam mortui, sed viui sunt. *Vt eos iam non mortuos, sed in æternum viuere cognoscatur.*

Quod si desideretis cognoscere, vnde eueniat, quod mors iustorum appelletur somnus, respondeo vobis, quia in ea imponitur finis laboribus, tribulationibus & angustijs in toto miserabilis vitæ huius cursu exantlatis & perpessis. Patientissimus Iob vitam hanc vocat militiam & diem mercenarij: *Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius.* cap. 7. vers. 1. Quæ verba, dum ponderat D. Gregorius, videntur ei ab homine intento laboribus prolata: vnde expendit illa hac perpulchra similitudine. Conspicimus persæpè rusticum à summo mane ad vesperum vsque præduros in spatioso aliquo campo subire labores, qui plerumque magni alicuius desiderio lucri tota die nullam corpori tametsi labore defatigato indulget quietem; siquidem totum diei cursum in magnis confecit laboribus: vnde contingit, quod mercenario tali nequaquam displiceat Solis occasus & lucis recessus, imò ad eum anhelat summo desiderio, vt fessa labore membra reficiat quiete, sicque quod alijs nonnunquam displicet, hoc ei dulce & percharū est ob longa perpessa laborū tædia. Idem hoc dicendum est de milite, qui dum toto die armis decertauit, Sole declinante & nocte ingruente languidis & lassis donat requiem membris. Hoc idem pariter omnibus obtingit hominibus, præsertim iustis & Dei seruis, ait D. Gregorius, qui postquā toto die, Num. 7.

to die, nimirum vitæ præsentis decursu immensos & præduros decurrerunt & tulerunt labores, vt cœlestem lucrarentur thesaurum, postquam mouerunt bellum, & indefessè pugnarunt contra diabolum, mundum & carnem communes omnium hominum inimicos, ac de ijsdem victoriæ reportarunt triumphum, si deinde vitæ Sol occidat, ac nox immineat mortis, non attristantur nec perturbantur, imò illam summè desiderant, vt fesso & fatigato corpori dent quietem. Ita reuelatum fuit S. Euangelistæ Ioanni Apoc. 14. vers. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.*

Num. 8. Hinc quoque veritati adstipulatur Propheta Isaias, cùm discurrendo de Saluatore nostro omnium prædestinatorum Coriphæo & capite in hunc prædixit modum: *Et erit sepulchrum eius gloriosum*, cap. 11. vers. 10. Omnes nihilo secius scimus, vitam eius statuisse opprobrijs, conuitijs & contumelijs, quo nos edoceremur, tribulationes, dolores & labores terminādos esse morte, & hanc esse principium gloriæ, lætitiæ & exultationis.

Neque caruit mysterio N. quòd Christus Dominus, dum hîc in terris nobiscum conuersatus est, à Iudæis fuerit appellatus cuiusdam fabri filius: *Nónne hic est fabri filius?* Matth. 13. vers. 55. Ab omnibus æstimatus veluti pauper, mendicus & miser, & talis qualis non erat. Et quid accidit? cùm moreretur deinde in cruce, mutata est fortuna, & qui nominatus fuit fabri filius nomen deinde acquisiuit Filij Dei, & ideò dixit Cēturio: *Verè Filius Dei erat iste.* Matth. 27. vers. 54. mortuus postea & exanimis voluit vt supra suum caput diuinum positus esset hic eminentissimus titulus: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Vt hinc omnibus innotesceret, gloriam, honorem & magnificentiam seruorum Dei incipere post mortem.

Plurimum huic proposito inseruit acumen S. Petri Chrysologi serm. 174. super factum illud, quod recenset S. Mar- Num. 9.
cus cap. 6. quod impudens illa Herodiadis filia vt saltitatione sua complacueret Herodi, hanc ei ausa fuerit exponere petitionem: *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ*, vers. 25. petit modò sanctus Rauennæ Archiepiscopus *cur in disco?* cur nimirum vis, vt tam solemni pompâ & cæremoniâ deferatur sanctum illud caput in aurea paropside? annō melius erat, vt tibi illud exhibiturus capillis id tenuisset, sicque tibi præsentasset, vti Iudith apprehendit caput Holofernis, & Dauid tenuit caput gigantis Goliath? *Cur pretiosè portas, quem viliter occidis?* Et huius reddens rationem sanctus ille Doctor subiungit: quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, Psalm. 115. vers. 5. Vnde & æquum est, vt caput Serui Dei sanctitate adeò conspicui magna cum veneratione deferatur in aureo catino.

Et S. Ioan. Chrysostomus hom. de diuite epul. ponderans verba illa Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, vers. 22. Notat non fuisse sufficientem vnum dumtaxat Angelum ad deferendum Lazarum mendicum in sinum Abrahæ, sed insuper voluisse Deum, vt illum plures deferrent & comitarentur Angeli: *Non suffecerat ad portandum pauperē vnus Angelus, plures veniunt, vt Chorum lætitiæ faciant, & gaudeat vnusquisque Angelorum tantum onus tangere, & perducere hominem ad regna cœlorum.*

Fœlix igitur, beata & fortunata mors seruorum Dei, de ea namque festiui læ- Num. 10.
tantur & triumphant Angeli; sed quid dico Angeli? ipsemet Deus horâ mortis illorum benignè eos suscipit, fouet, & suauiter exosculatur. Deuteron. 34. legitur quòd sancto Moysi morti propinquo dulce Deus dederit osculum: *Mortuusq; est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab*

iubente Domino vers. 5. legit Hebræus: *In osculo Domini*, vt nobis innotesceret; quòd, quotiescumque Deus mediante morte vocat aliquem iustum ad se, toties dulcia ei infigit oscula, vocat enim illum ad æternam pacem & perpetuam requiē. Quod & nobis Christus Redemptor noster significare voluit, cùm de semetipso loquendo dixit discipulis suis: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26. vers. 38. q. d. Sciendum vobis est, ô mei discipuli, magno me dolore & tristitiâ affligendum ad mortem vsque. Vt nos instrueret pulchram hanc doctrinam à vesano mundo nondum perceptam & ad praxin deductā, nimirum morte terminandas fore omnes angustias, tribulationes & dolores huius vitæ, & ipsam verè nuncupari *Non plus vltra*, quia est scopus & terminus rixarum, bellorum & aduersitatum, à quo deinde iustorum incipit requies. Veritatem horum etiam ipsimet agnouerunt gentiles, vnde dixit Plato in Thimæo: *Mors est finis omnis miseriæ.* Et perdoctus Poëta Petrarcha in hunc cecinit modum.

La morte è fin d'una prigione oscura,
A gl'animi gentili; à gl'altri è noia,
C'hanno posto vel fango ogni lor' cura.

O quàm egregiè deceptus fuit Peripateticorum princeps libr. 1. mor. cap. 6. dum dixit: *Terribilium terribilissimum est mors.* Et cum eo errauit quoque antiquus Poëta Faustus canens:

Horribilis visu terremur imagine mortis.

Aberrarunt inquam, hi Sapientes, etenim mors iustorum & seruorum Dei nequaquam terribilis est, sed dulcis quidam somnus.

Num. 11. Non negauerim tamen illorum dicta verificari de peccatoribus & hominibus mundi deditis vanitatibus, qui firmas in terra fixerunt radices senescentium instar arborum, qui nonnisi terrenum habent saporem, conformiter ait Apostolus: *Qui terrena sapiunt.* ad Philip. 3. vers. 19. Sicque meritò exclamare potero. O quantum discrepat somnus mortis peccatorum à somno iustorum! Nonnunquam homines certa quædam habent somnia, quæ indicibilem eis incutiunt terrorem & horrorem, idque exinde accidit, quia corpus malignis oppletum habent humoribus, qui varia causare solent phantasmata & inusitata somnia in cerebro, quibus nonnunquam exterrefacti euigilant ocyssimè, ac si quispiam flagellis & fustibus eosdem excitaret è somno. Talis & non absimilis, N. meo iudicio est somnus mortis peccatorum; hi namque mille malignis repleti sunt honoribus, pluribus scilicet sceleribus & enormissimis peccatis. Hinc proueniunt frigidi illi sudores, puta, timores, horrores, lachrymæ abundantissimè ex oculis scaturientes, multiplicata & iterata illa suspiria è pectore prodeuntia, extrema illa cordis angustia, quod nunquam quieti in lectis iaceant, sed nunc huic, nunc illi incumbant lateri, in lectis interdum se in altum erigant, nunc huc, nunc illud diuertant oculos, & fugam capere tentent, quod vnicè sed in vanum sese recommendent amicis, adeò vt ab ipso lecto videantur incipere probationem dolorum infernalium, vt propterea mortem eiusmodi hominum regius Propheta meritò proclamauerit pessimam: *Mors peccatorū pessima.* Psalm. 33. vers. 22. quem locum S. Bernardus serm. 41. inter paruos, expendit in hunc modum: *Mors peccatorum mala in amissione mundi, à quo non possunt sine dolore separari quem diligunt: peior in dissolutione carnis, à qua euelluntur eorum animæ à spiritibus malignis: pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis simul addicuntur ignibus.*

Et vt veritatem dicam N. pessima est mors peccatorum antequam anima discedat à corpore infernum petitura & ibidem per totam æternitatem æternis affligenda cruciatibus & tormentis, siquidem dum in lecto illo dolorum æ- Num. 12.

agone

agone constitutus est intolerabilem sulphuris percipit fœtorem, teste Propheta Iob. *Aspergatur in tabernaculo eius sulphur.* cap. 18. vers. 14. *vt fumum hic sentiat gehennalem,* subiungit hic Philippus presbyter in catena trium Patrum. An non id verum est N. quot & quanti peccatores miserè conspiciuntur mori irrationabilium instar animalium sine dolore & contritione suorum peccatorum, vnde à lecto, quo decumbunt, videntur probare inferni dolores, & si clamare possent, ab eis non nisi Dauid Prophetę audirentur voces: *Dolores inferni circumdederunt me,* Psal. 17. vers. 6. Quod totum ex eo prouenit, dicit S. Ephrem Syrus serm. de morte; *Quia formidabiles exercitus dæmonum inuadunt eos, & vident ea, quæ nunquam ante viderunt.* Sed euidentiorem huius testem audite Isaiam: *Replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi,* cap. 13. vers. 21. q. d. in hora mortis (ait hic Propheta) implebitur domus sceleratorum peccatorum dæmonibus, & habitabunt ibi & saltabunt, iocabuntur & triumphabunt in signum exultationis & lætitiæ, quam percipient ex præda & acquisitione animæ cuiusdam peccatricis.

Num. 13. Cùm de ijsdem hominibus sermocinaretur Propheta Iob, ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descēdunt,* cap. 21. vers. 13. Transferunt Septuaginta: *Et cum quiete ad inferna descendunt.* Nimirum, peccatores viuunt in delicijs & voluptatibus præsentis vitæ, nec Deum offendere cessant continua scelerum admissione; ast posteà mortis suæ hora præcipites summâ quiete cadent in imam inferni abyssum: *Et cum quiete ad inferna descendunt.* At qua vnquam quiete gaudere poterunt peccatores mortis suæ hora, cum infirmitate sint oppressi, conscientiæ angustiati remorsu, & horrendis circumdati dæmonibus intolerabilem exhalantibus fœtorem? Significare volebat sanctus Iob, quod in morte peccatoris non erit lis & contentio illa, quæ intercedere solet inter Angelum custodem & diabolum in morte iustorum, dum quilibet pro viribus suis allaborat obtinere victoriam in fauorē istius animæ; sed totum experiemur contrarium; Angelus siquidem custos peccatoris dicet diabolo: cape tu animam istius, & deduc eam tecum in infernum, non tibi minimum contradico; exiguam enim imò planè nullam & Dei & animæ suæ gessit curam, nec meis locum dedit sanctis documentis & inspirationibus, ac obstinatus mori cupit in suis sceleribus, adeoque sine contentione, sine lite, sine processu, miser peccator à dæmonibus conducitur in infernum ad æternas subeundas pœnas: *Ducunt in bonis dies suos, & cum quiete ad inferna descendunt.*

Hæc N. est mors delictis peccatorum condigna. Vnde mortem vobis obituris similem morti iustorum necessarium est, vita vestra sit sancta & immaculata; nam sicut dicit S. Bernardus serm. 28. de paruis *Qualis vita, finis ita.* Quam veritatem etiam penetrarunt Ethnici; siquidē, vt author est Laertius in vita Philosoph. interrogatus vice quâdam Aristippus, quomodo finisset vitam suam Socrates? respondit: *Vtinam sic ego: quia Socrates bene vixit, bene obijt.* Vnusquisq; igitur nostrûm dicat Deo cū orientali illo mago Balaam: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Num. 23. versic. 10. Sic enim non iam mors, sed dulcis erit somnus, iuxta illud Sapientiæ 4. vers. 7. *Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Pretiosa hæc esset mors, quemadmodum cecinit regius Propheta: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Sic præsentem vitam mille repletā miserijs & angustijs commutabit in aliam gaudio plenam & exultatione. Hinc exclamauit S. Bernardus serm. 25. sup. Cant. *Felix mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Mors somnus iustorum, requies amicorum*

Num. 14.

micorum Dei. Imò possessio hæreditatis Domini, iuxta illud Prophetæ dictum: *Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hære ditas Domini.* Psalm. 126. versic. 3. quam vobis elargiatur, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Mundus insatiabilis.

DISCVRSVS XLIX.

Mundus appetitum nostrum satiare nequit, ac proptereà fugiendus.

Num. 1. OCulos hos carneos de domo hac luteâ fabricatos, fenestras huius organici templi, luminaria resplendentesque planetas parui huius mundi omni horâ, omni momento innumeris pasci & gaudere obiectis nullus est, qui dubitat; nunquam tamen eosdem exsaturari conspicimus, imò quò plura intuentur & perlustrant, eò plura videre desiderant. Ijs benè commonstrare poteris cœlum cum stellis suis, aërem cum suis nubibus, mare cum gemmis suis, terram cum suis floribus, semper nihilosecius tibi respondebunt: *non saturatur oculus visu.* Ecclesiastes cap. 1. v. 8. Misera profectò conditio, sors nimis infœlix mortalium, quod bona mundi huius saturare nequeant appetitum humanum; imò quò plura eorum possidentur, eò plura appetuntur, & nihilominus summâ ea insequimur auiditate. Inquirit S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. quâ de causâ Deus castigaturus mulierem Loth, eandem conuerterit in statuam salis? quia iam conseruari illam decreuerat pro memoriâ posterorum, annon melius fecisset conuertendo ipsam in statuam æream vel marmoream, & non salis, quod tangendo aquam illicò liquescit & dissoluitur? Respondet S. Doctor & dicit, quod sicut Loth est figura & typus Spiritus, ita vxor est symbolum carnis, quæ semper est intenta rebus terrenis, & proptereà recusabat exire Sodomâ; ast postea exinde coacta egredi & sensu attracta obtutum fixit in ciuitatem, & ecce statim conuersa est in statuam salis: *respiciensq, vxor eius post se versa est in statuam salis.* Genes. cap. 19. versic. 26. Vt hinc intelligeremus, quòd mundanæ deliciæ & voluptates induant naturam salis, quia quò plures gustantur illarum, eò maiorem suscitant sitim, imò semper adaugent sitim.

Euidenti id demonstrari potest exemplo Alexandri Magni, qui teste Plutarcho in eius vita, totum occupauerat mundum, & tamen audiens alios adhuc superesse mundos amarissimè fleuit; parùm enim se obtinuisse iudicabat, qui ad alios acquirendos mundos anhelabat.

In immenso illo pelago mysteriorum Num. 2. passionis Domini nostri Iesu Christi mira & stupenda obseruatione digna sunt; inter alia verò me in summâ rapit admirationem, dum considero, quòd præter maximos, quos patientissimè nostri causâ perpessus est, dolores, angustias & tormenta, siti insuper mori voluerit. Non ei sufficiebat amittere vitam, non satis erat in tantâ profundere abundantiâ sanguinem, præterquàm quod viuum factus exemplar dolorũ, & in durissimo crucis trũco quibusuis instar malefactoris expositus fuit ludibrijs & opprobrijs, mori

mori quoque voluit siti. Varias huius si tis adducunt causas Doctores sacri; ast meo inseruit proposito, quā adfert Rupertus Abbas in expositione loci huius, qui dicit: *Ideò sitiens moritur, vt ostendat nihil esse in mundo, quod sitim expleat*, nimirum nostrorum appetituum. Honores, dignitates, magnificentiæ, quantumcumque æstimentur à mundo, nostrum haud satiunt appetitum & desiderium; solus Deus animæ nostræ replet capacitatem & iusta complet desideria Et ratio in promptu est, quia anima nostra facta est ad imaginem Dei, & consequenter est capax Dei: *Homo Dei capax est* (inquit D. Augustinus sermon. 245. de temp.) *eò quòd eius imago est*. Figura circularis (aiunt Mathematici) non repletur mediante figurâ quadrata, semper vacui supersunt anguli, at tota complebitur aliâ mediante figurâ perfectè Sphæricâ. Anima rationalis ob perfectissimam suam naturam habet rationem figuræ Sphæricæ, cæteræ omnes res creatæ mundi huius quadratæ figuræ sortiuntur rationē, ideò hæ nunquam illam adimplebunt, sed semper quendam relinquent appetitum vacuum, non saturum videlicet; solus Deus Dominus noster est perfectissimæ figuræ Spæhricæ: *Cuius centrum est vbique, circumferentia verò nusquam*. Ipse ergo hanc satiat animam & omne eius explet desiderium; vt enim homo æternâ eius fruitur gloriâ, rem aliam & maiorem desiderare & appetere nescit.

Num. 3. Picus Mirandulanus tom. 1. de opere sex dierum Gen. acutissimè notat, quòd in creatione mundi, postquam Deus cunctis animantibus destinatum assignauerat locum, Leonibus, vrsis, Elephantibus alijque innumeris terrā, piscibus aquam, auibus aërem, nullum consignauerit locum homini, vt edoceretur, ei in Deo, qui proprius eius est locus, viuendum esse.

Et quia Cain (inquit D. Gregorius lib. moral. cap. 3.) primus fuit, qui ciuitates in mundo ædificauit, quasi terra proprius fuisset hominis locus, ideò exclusus fuit à regno cœlorum: *Ipse qui prius in terra fundamentum posuit, a soliditate cœlestis gloriæ alienus fuit.*

Et Sanctus Augustinus lib. de Genes. ad litt. assignando causam, cur Deus, creato mundo & datâ cæteris rebus creatis benedictione, non eandem impertitus sit herbis, dicit eum voluisse illis impertiri benedictionem, quia radicibus suis terræ hærent infixæ, ac si ambabus, vt aiunt, eandem amplexarentur manibus. *Quia per fibras & radices lateribus terræ inhærent* Creaturæ nimium inhiantes terræ non merentur Dei benedictionem; quo voluit reprehendere omnes illos, quotquot cœlestium & æternorum obliti bonorum ad terrena toto anhelant affectu.

Priusquam Dauid ad regiam assumeretur & eueheretur dignitatē, pauper erat pastor ouium; vnde permagnâ ardebat siti bonorum mundi huius, & sic Deus ab eodem petijt: quid velles? cuius afficereris desiderio, ô Dauid? Domine, respondit ille, gregis mei præfectus sum custodiæ, venit vrsus, lupus, mihi surripit oues, vellem, dares mihi robur & fortitudinem, quâ manibus meis discerperem Leones, vrsos & quæcumque alia animalia quantumuis ferocissima. Sum contentus, inquit Deus, & talem ei dedit fortitudinem, quâ mirâ facilitate dilaniabat Leones. Iam satur es, ô Dauid? minimè. Quid desideras ergo? intellexi quendam adesse gigantem Philisthæum, qui tumidus & elatus toti exprobrat Israelitarum exercitui, quosuis ad singulare prouocat certamen: vnde desiderarem vt fundâ quâdam lapidem in frontem eius iacere, & eundem prosternere ac interficere possem. Sum contentus, ait Deus, & ipsi hâc impertitur gratiam. Esne iam saturatus? non Domine. Quid ergo optares adhuc Saul cuiusdam recompensationis loco promisit mihi dare filiam Num. 4.

liam suam in vxorem, plusquam conueniens est, vt illa mihi tradatur, Contentus sum, respondet Deus, vt sis gener regis; sed tuúmne modò explesti appetitum? neutiquam. Quid igitur adhuc tibi deficit? pacem habere nequeo in regnò meo, de inimicis meis triumpharem & victor euaderem. Lubentissimè, inquit Deus, & ecce Dauid in omnibus prælijs & conflictibus, quos cum hoste commisit, reportauit victoriam. Expletúmne iam est tuũ desiderium? nondum. Quid optas, quid expetis igitur adhuc? *satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. vers. 15. Quasi dixisset Propheta: iam capio & peroptimè aduerto, ô Deus meus, non posse terrenis & caducis mundi huius rebus expleri & saturari meum appetitum & desiderium, tunc ero contentus ex omni parte, quando gaudebo gloriâ tuâ, tunc expletus & saturatus planè ero, cùm visione tuâ fruar beatificâ. Ita hunc locum expendit glossa ordinaria dicens: *Tunc satiabor cùm apparuerit gloria tua. Quæ satiat appetitum nostrum, eò quòd ibi consequitur bonum infinitum.*

O miram hominum stultitiam! ô miseram defraudationem! quod tot & tanta patiantur, tantumque sudent & laborent pro accumulandis fictis & apparentibus bonis, quæ tandem aliquando verè mala sunt; teste Nicolao de Lira in cap. 55. Isaiæ: *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* vers. 2. *Quare* (ait ille) *ponitis studium & laborem vestrum circa bona temporalia, transitoria & deceptoria, quæ non reficiunt; sed magis famem & sitim faciunt? quia cupiditatem augent?*

Num. 5. Summâ, N. non sunt in hac vitâ vera bona, sed apparentia; nostrum namque saturare nequeunt appetitum & explere desiderium; solùm vitæ alterius bona quietum verè reddunt animum, verâ replent hominem lætitiâ & iubilo, vt propterea festiuus & lætus benè cantare potuerit Propheta: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Psalm. 4. vers. 7. Super quem locum ita discurrit D. Chrysostomus: *Non dixit simpliciter & absolutè; lætitiam dedisti, sed dedisti in corde meo; ostendens non esse in rebus externis lætitiam, nec in auro, nec in argento, nec in potentia magnitudine, sed in corde incorporea cogitantis,*

Num. 6. Duplex animo perpendite oleum in sacris paginis relatum. Matth. 25. deficiente oleo virginibus fatuis, dicebant hæ prudentibus: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* vers. 8. Nihilominus 4. Reg. 4. legimus Prophetam Eliseum multiplicasse oleum in domo pauperculæ viduæ Sareptanæ. Et quid horum duorum oppositus indicat euentus? Respondet acutissimè Hugo de S. Victore & ait, quòd, cùm oleum iuxtá S. Scripturam sit symbolum lætitiæ teste Dauid: *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo iustitiæ præ consortibus tuis.* Psalm. 44. versic. 8. Significare nobis intendebat Spiritus sanctus, quòd, quando est sermo de bonis mundi huius, oleum deficiat, & vas remaneat vacuũ; non enim in mundo completa reperiri potest lætitia. Ast quando agitur de cœlestibus consolationibus, superabundat Oleum; etenim in solo Deo reperiuntur vera gaudia, vera felicitas & beatitudo: *Habet oleum Deus* (inquit cit. Doct. lib. 1. misc. cap. 51.) *habet oleum & mundus; ad oleum Dei vasa deficiunt, oleum mundi in vasis deficit: Oleum Dei dulcedo æternorum, oleũ mundi delectatio præsentium, illa sufficit, ista deficit.* In hoc ergo mundo nullum reperitur verum gaudium, nulla beatitudo; sed in solo Deo.

Num. 7. Genes. cap. 18. promiserat Deus S. Patriarchæ Abrahamo iam decrepito, Et Saræ vxori eius nonagenariæ spem certam obtinendi prolem; vnde faustis hisce auditis nouis bona hæc senex erupit in risum, *Sara risit post ostium tabernaculi,* versic. 10. Risus huiusmodi Deus voluit cognoscere causam, ideoque interogauit Abrahamum: *Quare risit Sara?* negauit

ipsa

ipsa se risisse: *Negauit Sara dicens: non risi.* vers. 15. Subintrat modò hîc Philo Hebræus lib. de Abraham. Et causam inquirit, cur Sara negauerit se risisse, & prȩclarè respondet: quia peroptimè illa sciebat, nullam in hoc mũdo inueniri consolationem, lætitiam nullam, nedum quoque in consecutione prolis, quam pluris mundus facit & æstimat; sed solum Deum veram existere felicitatem & cõsolationem nostram: *Propterea se risisse negauit* (inquit Philo Hebræus) *veritas, ne fortè gaudium quod nulli creaturæ conuenit, sed soli, Deo sibi vsurpasse videretur.*

Num. 8. Et si veritatem fateri velimus, dicamus, necesse est, aliud non esse res mundanas nisi vilissimum lutum. Ioan. cap. 9. Christus Dominus obuium habebat hominem quendam à natiuitate cæcum, quem & ex commiseratione illuminare volebat. Et quid fecit? dicit S. Euangelista; *Fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius,* vers. 6. Subintrat hîc D. Chrysost. hom. 89. in Ioan. causam inuestigaturus: cur Redemptor noster ad restituendum cæco visum voluerit vti luto, tali nimirum materiâ, quæ aptior est ad obcæcandum quàm illuminandum? & respondet, non sine mysterio Dominum nostrum vsum fuisse luto, quia non duntaxat ei dare voluit visum corporis, sed etiam animæ; sicque dum conspiceret clarè, omnes res mundi huius esse lutum & stercora, non iam illas ambiret & appeteret, sed planè contemneret: *Vt per lutum cernens omnia huiusmodi bona, lutea esse existimaret.*

Num. 9. Enimuerò N. quomodo vera in hoc mundo reperiri potest consolatio, felicitas & beatitudo, cùm eius gloria, magnificẽtia, deliciæ & commoditates paullulum durent, & celerrimè auolent, vix apparent & euanescunt? Audite S. Ambrosium lib. 4. in Lucam 4. qui dum exponit illa verba S. Euangelistæ Lucæ cap. 4. quando diabolus monstrauit Christo Domino omnia mundi regna: *Et ostendet illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,* dicit: *In momento temporis sæcularia & terrena demonstrantur, in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abijt, antequam venerit.* Et postea concludit: *quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula?* Hinc Euripides dixit gloriam mundi non nisi vno durare die, multum sanè dixit; attamen à Democrito reprehensus fuit, dicere namque debebat vnico momento, eò quòd subitò instar vmbræ transeat.

Propheta Ezechiel descripsit cap. 27. Num. 10. felicitatem Principis Tyri sub figurâ nauis, quæ plenis velis altum sulcabat mare, vndique pulchrè adornata, & diuitijs alijsque ad nauem nauigationemque necessarijs munitissima erat; sed vnicum hoc in hac naui demirandum fuit, quod nimirum non erat præmunita aliquâ anchorâ; vnde minus facere nequeo, quin ad te, ô Propheta Ezechiel, conuersus exclamem & dicam: Ergóne vna nauis tam prædiues, tam pretiosa, quæ est typus felicitatis regis, adeò superbi, magnifici & gloriosi nullâ præmuniri debet anchorâ? Nauim illam studio priuauit anchorâ Propheta, ait quidam modernus Doctor, vt altum quoddam nobis aperiret mysterium. Nauis vastum pertransiens mare, est felicitas vitæ huius; ast manifestæ incurris amentiæ notam, si prætendis reperire anchoram, quæ firmet, stabiliat ac solidam reddat hanc nauẽ, non est quod speres soliditatem stabilitatemque in bonis vitæ huius, quia hæc figurantur & repræsentantur per nauim vndique fluctuantibus maris vndis agitatam & concussam, quæ nunquam firma hæret & stabilis est. Vnde omnes sacrȩ Scripturȩ paginas sigillatim peruolututus nunquã reperies Symbolum felicitatis esse nauim in portu quietè constitutam, bene quidem nauim quæ semper est in continuo motu & itinere, vti idipsum contestatur Propheta regius,

secundum interpretationem Cassiodori: *hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic naues pertransibunt.* Psalm. 103 vers. 26. Semper est in continuo motu, semper vndis agitata & ventis concussa; vt hinc edoceretis, nunquam tibi sperandam esse firmitatem, stabilitatem & quietem in bonis vitæ huius.

Refert Clemens Alexandrinus lib. 5.
Num. 11. Strom. Veteres instabilitatem rerum mundanarum significaturos posuisse in portis templorum suorum rotam quandam, quæ continuò voluebatur, & omnibus, quotquot intrabant & egrediebantur, quandam præsentatā fuisse palmam. Perpulchra profectò cæremonia N. mutis siquidem vocibus innuere volebant: ô vos mortales, qui hanc subintratis portam & egredimini per eandem, quamquam vos fœlices iudicetis in hoc mundo, nullam nihilominus expectare velitis stabilitatem fœlicitatis vestræ; semper enim voluatur rota, mutetque sortem & statum in hac vitâ necesse est. Mysterium hoc pariter expressum fuit per currum Ezechielis cap. 1. per quem (vti pulchrè exponit D. Gregorius in hunc locum) intelligitur fœlicitas humana: *Quasi sit rota in medio rotæ*, vers. 16. *Quia Spiritus vitæ erat in rotis*, vers. 21. Vna rota erat inter aliam, & erant viuæ & animatæ hę rotæ; vt nobis significaretur omnes homines per has animatas rotas significatos esse instabiles & inconstantes sicut & ipsam fœlicitatem, nec quidquam reperiri posse, quod ipsam stabilibiliat & firmam reddat. Audite S. Bernardum: *Sicut rota nunquam stat, sed perpetuā volubilitate circumagitur, ita in hac vita rotā nulla stabilitas aut securitas reperiri potest.*

Num 12. Seneca Epistol. 151. recenset de quodam Rege, quod quendam aulicorum suorum ad summum euexerit dignitatis gradum, & quasi regni sui Dominum constituerit, cumque translactis aliquot diebus eundem, num iam contentum, fœlicem ac beatum se existimaret, interrogasset; respondit aulicus, nondum se omni ex parte contentum ac fœlicem esse; talem verò se euasurum, nisi vnum obstaret, & aliud sibi deficeret. Et instanti Regi ac quidnam sibi suæque deesset fœlicitati, quidque obstaret petenti, respondit ille pulcherrimo quodā emblemate, obstare duntaxat volubilem fortunæ rotam; vnde nec aliud sibi deesse nisi vnicum solum clauum eumque durum & fortem. Et ad quid iste tibi (replicat rex) inseruiet clauus? quid eodem incipere cogitas? ergóne completa à clauo dependet fœlicitas? omninò, inquit aulicus; hunc enim si habuero & fortunæ rotam aliàs volubilem stabiliuero ac firmauero, & hæc rota firma stabit, & quilibet me fœlicem prædicabit. Hinc quidam apud Plutarchum lib. de Tranquill. anim. postquam totam suam amisisset facultatem & substantiam, dicebat: *Sciebam me opes, nec trabali, vt aiunt, clauo possidere.* Et Ausonius vt hanc confirmaret veritatem depinxit rotam quandam, quæ semper voluebatur hoc apposito elogio: *Stare loco nequeo*, & S. Ambrosius lib de Abrah. *Bona huius sæculi instabilia sunt, & rotarum more cum ipso sæculo voluuntur.* Nolite fidere mundo N. fulgur est, vix comparet & disparet. Vmbra est, vix videtur & fugit. Mundus vnâ quod tibi dat manu, alterâ confestim tibi surripit datum: *Date florem Moab*, ait Ieremias cap. 48. vers. 9. Chaldæus legit: *Auferte coronam Moab.* Et quomodo hæc duo simul stare poterū? *Date & auferte!* vix tibi donauit, & illicò tibi donū surripiet, donat tibi florem quendam honoris & voluptatis transitoriæ: *Date florem.* Et tibi surripit gloriæ coronam: *Auferte coronam.* Alia quædam lectio habet: *Date alas Moab.* Quia omnes honores, gloria, magnificentia, omnes deliciæ & voluptates, quas tibi mundus dare potest, ocyssimè auolant & fugiunt.

Princeps quidam Africæ (quemad- Num. 13.
modum

modum refert Cedrenus in compendio historiarum) asseruabatur vice quâdam in carcere, & duorum annorum spatio, quo ibidem detentus fuit, nunquam risit, tametsi solitâ gauderet commoditate & pristinis frueretur delicijs. Regem, qui illum captiuum duxerat, in summam id rapuit admirationem: quare si quis Vigilum eum ridentem videret, amplissimum pro apportato nuncio promisit se illi daturum præmium. Vnde miles quidam non tam curiositate quàm præmio allectus opimo, huius rei in se suscepit curam, & vigilias iniuit accuratissimas, indefessam in principem captiuum fixit incessanter oculorum aciem, obseruaturus, si ridentem fortassis deprehendere posset. Et ecce quodam die conspexit ipsum in extraordinarium effusum risum; de quo festiuè tripudians miles sine mora commonefecit regem, qui vocato ad se principe captiuo insoliti ab eodem petijt risus causam, præsertim cùm tanto tempore, quo captiuus extitit, vix eundem ad risum procliuem expertus esset. Respondit ille, se casu vidisse transeuntem currum, quem penitius considerans inconstantiæ & instabilitatis fecit reflexionem rotarum, quarum pars superior in motu & volutatione subitò descendebat in terram, & pars inferior eodem tempore ascendebat in altum, quapropter bonam malamve sortem mirari non deberet, cùm tam instabilis esset fortunæ rota cui principum monarcharúmque mundi status esset planè similis; modò namque captiui ducuntur, modò captiui euadunt principes liberi, & hanc se ridere instabilitatem & inconstantiam. Vnde conforme est huic proposito, quod ait D. Gregorius Nazianzenus Orat. de paup. amandis? *Nihil est in rebus humanis firmum & æquabile ac durabile, atque eodem statu constanter manens; verùm res nostræ velut orbe quodam voluuntur, alios etiam sæpè vno eodem die, atque etiam horâ mutationes aduehente* Nec sine mysterio fuit, ait S. Augustinus Sermone ad frat. in eremo, & Prolog. in Psalm. 83. quod monetæ rotundæ factæ sint, vt exinde perciperemus exiguam stabilitatem & magnam inconstantiam, quam secum adferunt bona mundana? *Non immeritò ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat.*

Num. 14. Et hæc insuper causa est, cur fideles in primitiuâ Ecclesia pecunias ex venditione possessionũ acceptas proiecerint ante pedes Apostolorum: *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum* Act. 4. vers. 34. vt intelligeremus dicit S. Hieronymus ad Dem. Epist. 8. de cust. Virg. diuitias, opes & bona mundi huius pedibus esse calcanda & nihil æstimanda, cùm sint instabilia & volubilia: *In actis Apostolorum* (inquit hic magnus Pater) *quando adhuc Domini nostri calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebãt omnes possessiones & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas.*

Num. 15. Sed quid dico bona mundana esse instabilia, cùm dilucidè constet non esse vera bona, sed solùm apparentia; aliud etenim non sunt nisi somnium. Cùm S. Patriarcha Ioseph detineretur in carcere, duo eodem tempore regis Pharaonis famuli in eundem, *in quo erat vinctus & Ioseph.* Genes. 40. vers. 3. coniecti fuêre carcerem. Contigit vnâ nocte ambos vidisse insomnia, ob quæ, iuxta interpretationem datam per Ioseph, pincerna in gratiam Regis redire, & pistor manè laqueo suspendi debebat. Subintrat hîc S. Ambrosius & causam inuestigat, cur pincernę ostẽsa fuerit in somno bona eius fortuna & libertas pristina recuperanda? & acutissimè more solito respondet lib. de Ioseph cap. 6. *Per somnium videt reddi sibi principatum suum, sed hoc somnium est, & omnis potentia sæculi somnium, non veritas est.* Et Sanctus Augustinus ex-

pendendo versiculum Psalmi septuagesimi quinti: *Turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*, vers. 9. dicit: *Omnes istæ fœlicitates, quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium, & quando, qui videt thesauros in somnis, dormiens diues est, sed euigilabit & pauper erit: sic omnia ista vana huius sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent, euigilabunt, quando nolent, si non modò euigilant, quando vtile est, & inuenient somnia illa fuisse & transiisse, sicut dicit Scriptura: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Theodoretus in cap. 2. Demo. asserit omne regnum temporale, Monarchiam & magnificentiam mundanam esse rem quandam somniatã; quod colligit ex statua illa, quam in somno vidit Nabuchodonosor, quæ eiusdem repræsentabat monarchiam, vnde ait: *In eo, quod in somnis apparuit, monstrat, quod quid inane & somniatum sit omnis regum terrenorum maiestas & imperium, vnde nec esse quid stabile aut firmum.*

Num. 16. Ast vnum hîc considero, quod in maximam me rapit admirationem, & est, quòd tametsi bona hæc mundana non sint verba bona, sed somnia, attamẽ tanta est sympathia inter mundanos & mundũ ipsum, vt quemadmodum idem est in piscibus maris extrahere illos ex aqua salsa & priuare eos vitâ; ita in mundanis, siue id proueniat ex prauâ eorũ consuetudine & vita, siue ex cæcitate, idem videtur planè esse, inferre illis mortem, & sequestrare eosdem à mundo. Quod cùm summâ admiratione ponderaret D. Gregor. hom. 28. in Euang. in hæc prorupit verba: *Vbiq; in mundo mors, vbique luctus, vbique desolatio: vndique percutimur, vndique amaritudine replemur; & tamen cæcâ mente eius amaritudinem amamus, fugientem insequimur, labenti inhæremus, & quia labentem retinere non possumus, cum eo ipso dilabente dilabimur.*

Quandoquidem ergo fallacia & transitoria vidimus esse bona mundana, prorsus ea despiciamus, spernamus, oportet: Num. 17.
Non ergo diligendus es mundus, quoniam omninò transis, & concupiscentia tua velut fumus euanescit, Concludit S. Augustinus sermon. 30. ad frat. in eremo. Non amari sed euitari debes, ô fallax munde, tua namque gloria, magnificentia, tuę voluptates, deliciæ, instar fumi euanescunt & disparent. Nostro igitur amoris affectu tendamus in Deum, qui solus omne nostrum desiderium nostramque sitim explere potest. Vnde idem D. Doctor l. 8. Confess. tom. 3. Deum alloquendo inquit: *Inquietum est Domine cor nostrum, donec quiescat in te.* Et propterea quidam acuto pollens ingenio gratiosum composuit emblema, dum in medio cuiusdam scuti duas ignitas depinxit alas hisce adiunctis verbis: *quiescimus in sublimi.* Ita nos intellectu & voluntate quasi duabus alis in amorem Dei accensis dicamus: *quiescimus in sublimi*, spernendo res terrenas & mundanas, quæ omnem nobis surripiunt quietem. Mundus hic noster inimicus est, vallis lachrymarum & dolorum intra eius confines nulla prorsus germinatur lætitia: à regno eius ob decretum peccati Adami omnis exulauit & proscripta fuit consolatio, gaudium & lætitia; temerarius nihilosecius ille recognosci vult tanquã veræ largitor & promissor cõsolationis & lętitiæ: *Tenent tympanum & cytharam*, inquit Iob cap. 21. vers. 12. *& gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos*, versic. 13. toto die lætantur, tripudiant & epulantur; verùm ne decipiamini, inquit idem Propheta; hæc etenim festa & gaudia apparentia, falsa & momentanea sunt: *Gaudium hypocritæ est instar puncti.* Iob cap. 20. vers. 5. Hypocrita alium se demonstrat ac est: superbus est, & se ostẽdit humilem; sensualis est, & se demonstrat castum; auarus est, & liberalem se exhibet. Talis hypocrita est mundus: se ostendit glorio-

sum

ſum & magnificum, & eſt deſpectus & vituperio dignus; ſe monſtrat benignum & mitem & eſt crudelis; contentum ſe oſtendit & lætum, & totus tædioſus eſt, & lamentis pleniſſimus; fictam ſuam lætitiam exhibet, eàmque demonſtrat magnam & æuiternam, & tam parua ac breuis eſt, vt ſit inſtar indiuiſibilis puncti: *Gaudium hypocritæ adinſtar puncti, Ad momentum.* (ait D. Gregorius lib. 15. moral. cap. 2.) *& diſparet in perpetuum.*

Sed eheu! quamuis res mundanæ inſtabiles & fragiles ſint, veluti hucuſque intellexiſtis; nihilominus ſummâ eas inſequimur anxietate. Res ſanè mira, ô Chriſtiani & copioſis deploranda lachrymis. Mundus vanis vocat promiſſionibus terrenorum bonorum, rariſſimè ſtat promiſſis, & nihiloſecius ſemper ſunt, qui eum ſequuntur: Chriſtus infallibilibus certiſque vocat promiſſis cœleſtium & æternorum bonorum, pauci tamen reperiuntur, qui bona illa æſtimãt, & auidè appetunt, voci Chriſti obediunt & eum ſequuntur. Annon iſti pluſquam amẽtes ſunt & ſine cerebro? hoc eſt, quod demiratur, & verbis, quæ attonitos etiam redderent ipſos cœli Seraphinos, deplangit S. Bernardus lib. de Conſid. ad Eugen. *Mundus clamat: ego deficio; caro clamat: ego inficio; diabolus clamat: ego decipio; Chriſtus clamat: ego reficio;* nimirum delicijs vitæ æternæ, & ad immarceſſibiles gloriæ honores exalto. *Et tamen ſuperba mens noſtra magis vult ſequi deficientem mundum, quàm reficientem Chriſtum.* Sed væ illis; nam tandem aliquando experientur, quàm graue ſibi intulerit damnum ſequendo mundum, nec eiſdem tunc quicquam proderit pœnitentia. Quapropter modò, cùm tempus eſt, quilibet firmiter ſibi proponat deſerere fallacem & inſatiabilem mundum ac imitari Chriſtum Dominum, ſi velit particeps fieri æternæ & cœleſtis gloriæ.

Murmuratio.

DISCVRSVS L.

De enormi vitio murmurationis, & de grauibus damnis, quæ cauſare ſolet.

Num. 1. BIAS Prieneus vnus è ſeptem ſapientibus Græciæ, vice quâdam dotatus fuit ab Amaſi Rege Ægypti præclarâ aliquâ victimâ ſub hac tamen conditione, vt eidem remitteret partem illius meliorem iuxtá & peiorem: ſtetit aliquamdiu ſuſpenſus Philoſophus in omnibus reperiens membris difficultates. Tandem tanquam ſapiens ſe reſoluit accepit cultrum, linguam abſcidit animalis, eamque tradidit nuncio hæc ei ſubiungens verba: *Hanc regi afferas, ipſa enim ex ſe loquitur.* Et vt verum fatear N. omnium membrorum & partium corporis optima & peſſima eſt lingua; etenim ſi quis eâ vtitur bene, meliorem nequit ſortiri partem corpus humanum, veluti nec peiorem ſi quis eâdem malè vtatur. Huc reſpexit Sapientiſſimus Salomon, cùm dicit Prou. cap. 18. verſ. 21. *Mors & vita in manu linguæ.* Et quamquam in hominis ſit poteſtate vti benè vel malè hiſce armis linguæ; nihilominus, ſi veritatem fateri velimus, eſt peior pars corporis humani, & ſæpiſſimè nobis infert mortem.

Audiatur Propheta Dauid, qui Pſ. 58.

loquens de murmuratoribus dixit: *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum.* vers. 8. Ego (inquit Propheta) certos vidi homines sibi colloquentes, qui in ore linguæ loco acutissimum deferebant gladium, qui quibuscunque sibi obuijs minitabatur interitum. Et Salomon commentando in textum Patris sui clarius id affirmat, Prouerb. 30. versic. 14. *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet,* q. d. Quidam hodie reperiuntur peruersorum hominum in mundo, qui dentium loco gladios in ore deferũt, quibus grauissimè proximi sui lædunt & feriunt honorem.

Num. 2. Hinc Sapiens non sine magno mysterio comparauit murmuratorem quibusdam serpentibus, qui in via non sibilant, sed taciturni hærent, expectantque, vt si quem incautum deprehendant viatorem, aggrediantur, mordeant & veneno inficiant: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minus habet, qui occultè detrahit.* Eccles. cap. 10. versic. 11. Homo detractor, lingua maledicens similis est serpenti, prius enim hic agnoscitur vt homicida, quàm inimicus. *Serpens* (ait S. Hieronymus in hunc locum) *& detractor æquales sunt.* Serpens & ille qui murmurat in astutia & fraude multum conueniunt. Et cur hoc? *quemadmodum enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens, pectoris sui virus in fratrem effundit, & nihil amplius habet à serpente.*

Imò dicit S. Bernardus Serm. de tripl. custodiâ, peiores sunt serpentibus, hi namque triplicatâ linguâ vnum solum inferunt vulnus; ast murmurator vno solo verbo tria crudelissima infligit vulnera: primò illum sauciat, qui murmurat, deinde illum de quo murmurat, tandem eum qui libenter auscultat murmurationes: *Nunquid non est vipera lingua detractoris? ferocissima planè, nimirum, quæ lethaliter tres inficiat flatu vno: eum qui detrahit, & de quo detrahit, & eum qui libenter audit.*

Et si curiosi sitis N. ac scire exoptetis, num de detractore verificentur proprietates serpentis, cogitatione mecum eas percurrite: serpens fuit maledictus in sacrâ Genes. maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ, Gen. cap. 3. vers. 14. & murmurator fuit maledictus in lib. Ecclesiastici cap. 28. vers. 13. *Susurro & bilinguis maledictus.* Serpens fortis est propter pestiferum venenum, quo consumit feras & alia animalia, & murmurator fortis existit suâ pessimâ loquelâ: *Virtutes populorum concidit & gentes fortes dissoluit* vers. 18. cap. cit. Serpens morsu suo mortem infligit, & murmurator detrahendo occidit plurimos: *Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam,* l. cit. v. 22. Num. 3.

Præterea lingua detractoris est animal indomabile. Referunt naturalium rerum interpretes, cuncta animalia tam terrestria, quàm aërea fuisse ab hominibus capta & mansueta reddita. Aquilæ tametsi in solitarijs & inaccessabilibus rupibus construant nidos suos, ac in tertiam vsque euolent aëris regionem; attamen teste Plinio lib. 3. Histor. natur. mansuefactæ fuerunt ab homine, idque ipsamet hodie docet experientia. Leo quamuis naturâ superbus & ferox sit, fuit tamen qui eum reddidit mansuetum. Hircanæ tigrides quantumcumque crudelissimæ ab ingenioso quodam refrenatæ fuerunt, teste Lucano. Aspides feræ & surdæ, quę ad vocem incantatricis obturant aures, domari possunt; sic quidam paterfamilias relatus à Plinio taliter domauit aspidem aliquam, vt instar domestici canis in ædibus demorata fuerit; & cùm ille mensę assideret, hęc è suâ cauernâ egrediebatur & portionem suam emendicabat. Et inter omnia animalia, quæ viuunt super terram, nullum reperitur adeò inuincibile & indomabile veluti basiliscus ob lethale suum venenũ, quod & in visu & in quâcumque aliâ corporis parte secum adducit; hinc est etiam, quòd ipse quasi

Rex

rex omnium virulentorum animalium super caput deferat coronam ad gressum eius quodcumque aliud tremat & trepidet animal, omnis fera fugiat, imò ad sibilum eius omnia bruta quàm celerrimè abscurrant abscondituraa sese in cauernis terræ; tale quoque reperitur in corpore humano membrum, quod est lingua indomabilis, ita eam appellat S. Iacobus Apostolus in sua Canonicâ Epistolâ cap. 3. *Omnis enim natura bestiarum & volucrū & serpentium & cæterorum domantur, & domita sunt à naturâ humana*, versic. 7. *Linguam autem nullus hominum domare potest*, versic. 8. Pereleganter id confirmauit D. Augustinus serm. 4. de Verb. Domini: *Linguam* (inquit ille) *nullus hominum domare potest: homo domat feram, non domat linguam; domat Leonem, & non frænat sermonem, domat ipse, & non domat seipsum.*

Num. 4. O maledictum murmurationis vitium! quàm longè lateque hodie per totum terrarum orbem diuulgatum es? S. Oseas Propheta considerando scelera & enormitates, quæ indies committebantur, flens amarè dixit: *Maledictum & mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit*, cap. 4. versic. 2. Ac si voluisset dicere: non potest quis ampliùs viuere; vbique siquidem abundant peccata & iniquitates. Si attendamus ad maledictiones, earum reperitur aliquod diluuium; si consideremus mendacia, mendaces & fallaces vbique inueniuntur homines: *Omnis homo mendax*. Psalm. 115. v. 1. Si falsitates, eæ videntur innumerabiles; si loquamur de alijs peccatis, innumera reperiemus; ast specialiter superabundat maledictum murmurationis vitium, iuxta illud dictum S. Iacobi Apostoli in suâ Canonicâ Epistolâ cap. 3. cùm ab illo vocatur: *Vniuersitas iniquitatis*, versic. 6. quod idem est, ac si diceret, murmuratio est vniuersalissimum peccatum, quod in mundo regnat; vitium est, quod reperitur in magnis & paruis, in viris & mulieribus, in sæcularibus & religiosis: *Vniuersitas iniquitatis*.

Et si curiosè perquiris scire, vnde proueniat, hoc maledictum vitium esse adeò vniuersale, audite D. Bernardum de tripl. Custod. qui illius assignat rationē & dicit: *detractor sui oblitus aliorum facta curiosè inuestigat.* Nam si propriū considerare statum, quòd nimirum sit quædam vitiorum sentina, non studeret proximi sui dilacerare famam, idque confirmat Seneca ad Lucillum scribens: *Aliorum factis ideò facilè detrahimus, quia nostra à tergo tenemus.* Sed verba D. Bernardi: *Aliorum facta curiosè inuestigat*, penitiùs examinemus. Vbi noto verbum illud: *inuestigat*, quod proprium est cani venatico, qui feram venaturus per syluas & campos totus auidus nunc huc, nunc illuc currit, & quando aduertit feram: expectat nonnihil, ocyus deinde eam insequitur, capit, dilaniat & mactat; ad eundem pariter modum murmurator agit, aliorum inquirit & requirit facta, & dū minimum aduertit defectum, aut minimum etiam imperfectionis sentit odorem (sumus etenim homines & fragiles) sepositâ bonarum qualitatum virtuosarumque proximi actionum consideratione, illicò incipit latrare, imò mordere famam eius, sæpissimè referendo ea, quæ sunt falsissima, vel erant occultissima.

Verùm quid dicemus de enormitate huius peccati? sufficit hoc dicere, ipsum esse peccatorum maximum; & propterea misericors Redemptor noster licet tempore passionis suę acerbissimos perpessus sit dolores, attamen summopere conquestus fuit de murmurationibus, quas contra eum locuti fuerant: *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi*, Psalm. 108. vers. 4. Ac si dixisset, loco amoris, quem mihi exhibere obligati erant ob tot & tanta beneficia, quæ eis præstiti, me persecuti sunt maledicis suis linguis, & hoc maio- Num. 5.

rem cæteris mihi infert dolorem. Consideratio hæc est D. Augustini in hunc locum dicentis: *Nec parum aliquid putari debet, quia non ait, pro eo vt diligerent me, interficiebant me, sed detrahebant mihi ideò quippe interfecerunt, quia detraxerunt negantes Dei filium, & dicentes: quòd in principe dæmoniorum ejiceret dæmonia.*

Num. 6. Confirmatur hoc ipsum ex duobus S. Scrip. locis primâ fronte contrarijs, vnus sumitur ex S. Euang. Ioan. cap. 19. alius ex S. Marco cap. 15. dum S. Ioannes refert passionem Christi, dicit, quod Pilatus horâ sextâ illum tradiderit Judæis crucifigendum: *Erat autem Parasceue Paschæ hora quasi sexta.* vers. 14. *Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* vers. 16. S. Marcus idem recenset factum, & ait, quod citiùs, tribus videlicet horis ante tempus præfatum, illum crucifixerint: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum* vers. 25. Iam peto ego N. si Christus Dominus iuxta Ioannem horâ sextâ condemnatus fuit à Pilato & crucifixus ab Hebræis, quomodo igitur verificabitur dictum S. Marci afferentis Saluatorem nostrum crucifixum horâ tertiâ S. Augustinus de Cons. Euang. cap. 13. eleganter propositam soluit difficultatem dicendo, quod hora tertia, quâ S. Marcus refert Christum fuisse crucifixum est tempus illud, quo Iudæi maledicis suis linguis Christum blasphemantes petierunt instanter à Pilato, vt eum morti traderet dum postposuerunt illum Barabbæ dicentes: *Non hunc sed Barabbam.* Ioan. 18. vers. 40. & quia totum id contigit horâ tertiâ, ideò ait S. Marcus quod eo tẽpore illum crucifixerint, vt hinc cognosceremus, quod perfidi Iudæi suâ linguâ maledicâ Christum crucifixerint & necauerint, priusquam eundem clauis affixerint cruci in monte Caluariæ: *Cùm hora tertia Christum Dominum Marcus enunciat, verissimè indicat maximè fuisse Domini necatricem linguam Iudæorum, quàm militum manus.*

Idem sanctus Ecclesiæ Doctor expendendo versiculum 4. Psalm. 63. *Exacuerunt vt gladium linguas suas.* Instituit quendam dialogum cum Iudæis, improperando eis quod ipsum Dei occiderint Filium, & cùm ab eis expostulat quo tempore, quibusque armis eundem dederint interneciom; respõdet id accidisse, quando venenatas blasphemiarum & opprobriorum sagittas expulerunt arcu linguæ: *Vnde occidistis? gladio linguæ; acuistis enim linguas vestras, & quando percussistis? nisi quando clamastis: crucifige, crucifige.* O maledictas linguas murmuratrices, quantorum damnorum existitis causæ. Num. 7.

S. Hieronymus in Psalm. 119. considerans grauitatem & malitiã huius peccati hæc eloquitur verba, quæ me in amaras faciunt erumpere lacrymas, quoties illa recogito: *Grande vitium est detrahere fratri, grande scelus manifestare peccatum fratris. Ego peccator sum, ille peccator est, lætaris tu, an tristis es? si lætaris ergo in alterius ruinâ lætus es? ergo in fratris ruinâ exultas? ruina fratris tui debet esse timor tuus, non exultatio tua.*

Ast mihi dices fortassis, te exinde attristari. *Si autem tristis es* (prosequitur idem S. Hieronymus) *quid circuis? quid alijs narras? si tristis es, tristitiam tuam Deus videat, non fratrum aures audiant.* q. d. Si tristis es, si doleas de peccato meo; cur ergo id illis manifestas, qui nullam prorsus istius habent notitiam? cur insuper illud exaggeras, amplificas, quò indelebilem illius in cordibus auscultantium characterem imprimas? cur non sufficit tibi, id te vicinis tuis enarrasse & propalasse, vt adhuc totam eodem replere coneris ciuitatem? *Si tristis es, tristitiam tuam Deus videat, non fratrum aures audiant.* Num. 8.

Nec est, quòd mihi dicas: Pater reuerende, ego non murmuro, sed solùm murmurationum auscultator sum. Nec, inquam, id dicas, quia vt eiusdẽ sis reus delicti sufficit te præbere aures murmurantibus

rantibus, ita docet D. Bernardus lib. 2. de Consider. ad Eugenium, dum ait: *Porrò detrahere aut detrahentem audire, quod horum damnabilius sit, non facilè dicerem.* Rationem illius assignat: *vnus portat diabolum in ore, alius in aure.* Cauete igitur vobis deinceps, ne de proximis vestris murmuretis. Fugite insuper murmurationum auscultationes, si effugere desideratis maledictionem Dei.

Num. 9. Cùm Ecclesiasticus murmuratoris facit mentionem, dicit illum esse maledictum: *susurro & bilinguis maledictus*, loco sup. cit. Verùm quænam erit hæc maledictio? Hugo Cardinalis istius hic existit opinionis, Spiritum sanctū loqui de diuinâ maledictione, quam in extremo iudicij die fulminabit in reprobo: *Susurro & bilinguis maledictus, id est maledictione dignus, illâ scilicet: ite maledicti in ignem æternum.* Vt nobis innotesceret, murmuratores à Deo iustissimo Iudice æternis adiudicandos esse gehennæ flammis.

Veritatem hanc confirmant verba regij Prophetæ Psalm. 51. quæ meritò quibuscunque murmuratoribus timorem & terrorem incutere deberent; sic namque loquitur Propheta murmuratori: *Dilexisti omnia verba præcipitationis in lingua dolosa.* vers. 6. & statim subiungit: *Propterea Deus destruet te in finem.* vers. 7. q. d. Maledicta & excommunicata lingua, quæ proximi tui oblectaris te murmurationibus, væ tibi, siquidem tandem aliquando te Deus ad extremam rediget perniciem, *destruet te in finem.* Et quis est iste finis, in quo lingua murmuratrix tam magnam subibit ruinam? Respondet Hugo Cardinalis illum esse vltimum diem vitæ murmuratoris, quando nimirū Deus in pœnam horrendi istius peccati permittet, vt in odio Dei ex hac vita discedat, & non moriatur in gratia: *Destruet te in finem, id est, finaliter te deseret, vt in gratia vitam non termines, nec à peccatis resurgas.* Et meritò; nam quia in vita sua aliud non fecit, nisi murmurare de proximo suo, præcipitare eiusdem honorem, effuditque quodcunque ei venit in buccam: *Dilexisti verba præcipitationis.* Ideò & Deus te præcipitabit ad imam inferni voraginem, vt in æternum ibidem torrearis flammis & tormentis. *Destruet te in finem.*

Num. 10. Quamquam Moyses familiarissimus Dei extiterit amicus in antiqua lege, nunquam tamen terram promissionis ingrediendi gratiam tot millibus populorum concessam obtinere potuit, & licet die quodam inter alia id petierit à Deo quàm humillimè & toto cordis affectu, respondit attamen illi Deus, ne auderet deinceps talem ab ipso expostulare gratiam, quia nullâ ratione istam ei esset cōcessurus: *Dixit mihi sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* Deut. c. 3. vers. 26. Subintrat hîc S. Ephrem. de morb. ling. & quærit, quodnam Moyses graue patrauit peccatum, vt à Deo impetrare nequiuerit gratiam tot millibus hominum impertitam? & respondet id fuisse causatum ab vno inconsiderato verbo, ab vno videlicet leui murmuratione, quæ prodijt ex ore eius, idque colligit ex verbis, Psalm. 105. vers. 32. 33. *Et vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbauerunt Spiritum eius & distinxit in labijs suis.* Et ideò sanctus hic vir exclamans non sine cordis dolore dicebat: *Si Moysen, qui quasi Deus extitit Pharaonis, vna vox exclusit à terra promissa possessione, quantò magis petulantia lingua, quam in Deū & homines exacuimus, à paradiso nos arcebit?* siquidem nihil est, quod Deo magis repugnat, quàm lingua murmuratrix.

Num. 11. Notatu dignum est, quod Deus puniturus nefanda & enormia Sodomitarum peccata, & Abrahami egrediens domo intra seipsum dixerit: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum.* Gen. 38. vers. 17. Angelicus Doctor D. Thomas modum hunc loquendi Dei diligenter obseruat & inquirit, cur Deus in re tam fa-

cili sibi ipsi fecerit difficultatem, cùm nihil difficile sit illius potentiæ: *Num celare potero?* huic respondet S. Doctor dicendo: *Deus est valde difficilis ad publicandum occulta crimina nostra.* Hæc sit nobis optima instructio & cautela, hanc Deus nobis tradere voluit, vt iuxta illam vitam nostram instituerem9, essemusque cauti, attenti & vigilantes, vbi ageretur de fama & honore nostrorum proximorum. Insuper & recordaremur, nos esse fragiles veluti alios, & sicut non approbaremus, si nostri manifestarentur defectus, ita neque à nobis aliorum defectus & peccata publicari & promulgari deberent.

Num. 12. S Euangelista Lucas cap. 6 composuit catalogũ duodecim discipulorum, quos pijssimus Redemptor noster elegerat, vt per totum terrarũ orbem resplendentes vbique sacri Euangelij diffunderent radios, & ne in nominibus illorum ibidem positis suboriretur aliqua æquiuocatio, sed distinctè cognosceretur, quænam essent illæ personæ, apponit cuilibet titulum vel parentelæ, vel virtutis, vel patriæ; & cùm nominaret Simonem & Iudam proditorem dicit: *Et Simonem qui vocatur Zelotes & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem.* vers. 16. q. d. inter alios elegit Simonem tam sanctum, tam virtuosum, tam accuratè in lege versatum, vt meritò vocatus sit Zelotes, & similiter elegit Iudam Iscariotem, quod est nomen patriæ. Supposito quod S. Euang. intenderit vnum distinguere ab alio per aliquod particulare signum, sicut distinguit Simonem per virtutem zeli, in qua excelluit, cùr non etiam distinguit Iudam ab alio Iudâ Apostolo nomine proditoris? Respondet S Ioan. Chrys. hom. de Iudâ, dicens: *Illũ de animi sui virtute nuncupauit, istius malitiæ nomen abscondit, & ideò non dixit: Iudas proditor, vt te doceat detractiones nescire, & accusationes declinare.* Ratio igitur, cur specificauit & distinxit Iudam nomine virtutis & sanctitatis, cùm potuisset illum nuncupare nomine illo infami & sacrilego proditoris, est, vt nos doceret, quòd, tametsi res clarè pateat & notissima sit, magnâ nihilominus cautelâ vti debeamus in manifestandis nostrorũ proximorum defectibus. Virtutes eorum actionesque laude dignas diuulgare licitè possumus; ast in materiâ defectuum & imperfectionum, quamuis sint publicæ & notæ, semper secreti circũspecti & cauti simus oportet. *Vt te doceat detractiones nescire & accusationes declinare.*

Ioan. cap. 20. apparuit Christus Dominus sub specie hortulani Mariæ Magdalenæ, quæ anxia & sollita sacrum eius quærebat corpus, eique se manifestauit. Quare læta ipsa & festiua voluit sese prosternere ante pedes eius; at Redemptor noster præcepit illi, ne eum tangeret, sed potiùs accederet fratres suos nunciatum illis, quòd surrexisset à mortuis: *Vade autem ad fratres meos.* loco cit. versic. 17. Quem locum dum penitiùs examinat D. Chrysostomus hom. 2. de resur. demiratur summopere modum hunc loquendi Redẽptoris: *Vade dic fratribus meis. Non dixit: Dic errãtibus, dic fugitiuis, dic latentibus, dic negantibus; sed dic fratribus meis. O admirabilis bonitas Saluatoris! appellat fratres, quos nouerat negantes.* Magna profectò Saluatoris bonitas, mira clementia, illos vocat fratres, qui turpiter fugientes ipsum deseruerant, & quamuis Petrus eum negauerit, noluit tamen illum priuare honore excellentis huius nominis fratris: *Vade ad fratres meos.* Vt nos instrueret, quomodo de proximo nostro loqui debeamus, videlicet, quamuis in eo plurimos deprehendamus defectus, attamen, datâ occasione de ipso loquendi, faciendum nobis est, quod fecit Christus Magister noster, nimirum honorificè de ipso loquendum est. Num. 13.

Supplices ergo deprecemur Dominũ Deum, vt nos ab hoc maledicto liberet

vitio, petamus instanter ab eo cum Propheta, vt ori nostro apponat custodiam, ne minimum proferat verbum, quod cedat in detrimentum & damnum proximorum nostrorum: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*, Psalm. 140. vers. 3.

S. Nicolaus.

DISCVRSVS LI.

De Virtutum splendore ac prærogatiuis S. Nicolai Myreæ Archiepiscopi.

Propter conformitatem & similitudinem, quæ intercedit inter ipsum & S. Ioannem Baptistam præcursorem Domini.

Num. 1. SI sublimis ac præcellens Sancti Nicolai sanctimonia à facundo quodam ac diserto Oratore proclamanda aut artificiosis varijsque rhetorum exornanda & adumbranda esset coloribus, nimis meherculè ob varias causas humeris meis impar esset onus, quod iam iam in me suscipio. Verùm, quia heroicæ huius permagni Archiepiscopi virtutes per totum terrarum orbem longè lateque à fama veluti sonorâ quâdam tubâ iamdudum diuulgatæ sunt, sat erit in præsenti, si ad excitandos in nobis ardentiores deuotioresque affectus significem dumtaxat quædam ex ijs, quæ laudabiliter gessit. Quotiescumque igitur nominauero Nicolaum, & obiter quasi dum eximiarum laudeque dignorū recensuero actionum eius, imaginabimini vobis simulachrum quoddam perfectionis Euangelicæ, vitæ regularis exemplar, virtutum heroicarum idæam, decus Sacerdotum, Confessorum ornamentū, normam & formam Prælatorum, speculum Virginum, inter contemplatiuos cognoscetis quendam perfectum anachoretam; inter illos qui proximorum attendunt saluti zelatorem eximium. Summa, imaginabimini & cognoscetis eū dignum, vt S. Ioan. Baptistæ præcursori Christi cōparetur & assimiletur, de quo scriptum est: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptistâ*, Matth. 11. versic. 11. Num. 2.

Perpulchram verò similitudinem ac omnimodam cōformitatem inter S. Nicolaum & præcursorem Domini S. Ioannem Baptistam dilucidè percipietis ex ijs quæ dicturus sum. Ac primò, vt exordiar ab vtriusque parentibus, natus fuit Ioannes Baptista parentibus pijs & sanctis, cùm legatur de ijs in sacro Euangelio; *Erant autem ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querelâ*. Lucæ 1. vers. 6. Et idem planè legitur de Epiphanio & Ioannâ genitoribus S. Nicolai apud Simonem Metaphrasten in vitâ S. Nicolai, quod nimirū erant Christiani Christianam, piam & sanctam ducentis vitam; vnde propter eximias illorum virtutes, vitæ & morum sanctitatem quilibet eos honorabat & venerabatur. Sterilis fuit etiam Mater S. Ioannis Baptistæ & post multos annos, quibus in matrimonio

monio vixerat, illum genuit, & propterea dixerat de eâ Gabriel B. Virgini: *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute suâ*, Luc. 1. vers. 36. Et de Ioannâ Matre S. Nicolai idem referunt grauissimi Doctores S. S. Ioan. Baptista precib. fuit obtentus à Deo, veluti illius fidem facit Patri eius S. Angelus, qui ad dextram altaris incensi apparuerat dicens: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua? & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*. Lucæ 1. versic. 31. Idem quoque affirmatur de S. Nicolao, de quo scribit S. Patriarcha Methodius: *Nicolai parentes diurnis precibus diuinam omnipotentiam flagitabant, vt aliquam sobolem præstaret; omnipotens autem Dominus illorum pijs precibus annuens honestissimum illis filium donauit*: Sicque vnus æquè bene ac alter appellari potest orationis filius, ad eum modum quo S. Ambrosius discurrendo vice quâdam cum S. Monicâ nuncupauit Augustinum filium lachrymarum Matris suæ, teste Possidio in vitâ S. Augustini, quia lachrymarum suarum effusione ipsa obtinuerat conuersionem illius ad fidem catholicam.

Num. 3. Neque dissimiles sunt S. Nicolaus & S. Ioannes Baptista in eo, quòd vtriusque parentibus ab Angelo cœlesti annunciata fuerit filiorum natiuitas cum futurâ eorundem Sanctitate, etenim sicut de S. Ioanne Baptistâ ait S. Euangelista Lucas cap. 1. *Apparuit autem illi Angelus Domini*, vers. 11. *ait ad illum: vxor tua Elisabeth pariet tibi filium*, Vers. 13. *Erit enim magnus coram Domino*, vers. 15. Ita pariter legitur de S. Nicolao, illius parentibus fuisse reuelatum quòd essent à Deo adepturi filium pluribus virtutibus, vitæ Sanctitate & meritis dotatum. Insuper habemus ex fide, S. Ioannem fuisse sanctificatum in vtero materno, quodque, cùm esset sex mensium, adorauerit Christum Dominum in illâ exultatione, de quâ loquebatur mater eius dicens B. Virgini: *Exultauit in gaudio infans in vtero meo*. Luc. 1. vers. 44. Et S. Nicolao asserit S. Michaël Archimandrita, quod *in ipso matris vtero sanctitate donatus est*. Alij veluti Sanctus Bernardus & B. Petrus Damianus serm. de S. Nicolao appellant illum electum ab vtero Matris vsque, quæ sanè laus similis prorsus est ei, quam S. Ecclesia S. Ioanni Baptistæ per verba illa Isaiæ Prophetæ: *Dominus ab vtero vocauit me*, cap. 49. versic. 1. Alij demũ, inter quos est Petrus Canisius in vita S. Nicolai scriptis tradiderunt Nicolaum posse à nobis teneri & æstimari tamquam alium Ieremiam. Et Sanctus Methodius cum alijs affirmat, quòd ipso natiuitatis suæ die adorauerit Dominum; siquidem, cùm iuxta consuetudinem obstetrix assistentibus alijs mulieribus illum imposuisset pelui ipsum lauandi gratiâ, erexit se sanctus puerulus, & erecto corpusculo, iunctis ante pectus manibus, eleuatisque in cœlum oculis duarum quasi horarum spatio stetit in conchâ. Addit Dionysius Carthusianus vir doctus & eruditus, magnoque pollens feruore Spiritus, qui & multa accepit per diuinam reuelationem, quòd hac erectione, pueruli in conchâ balnei significabatur, eodem illo momento supernaturaliter illius fuisse acceleratum vsum rationis; ita sermocinatur serm. 2. de S. Nicolao: *præuenit Nicolaum Dominus in benedictionibus dulcedinis præuentione super pijssimâ, stetit quippe erectus in pelui, dum infantulus balnearetur; vnde opinari quis posset, quod fortè acceleratus fuit in eo supernaturaliter tunc vsus rationis.*

Num. 4. Subiungit insuper B. Petrus Damianus serm. de S. Nicolao id, quòd videlicet sãctus infantulus steterit erectus in pelui actus illos reuerentiæ & pietatis in Deum exercens, manifestum fuisse signum, quòd toto vitæ suæ tempore vsque ad vltimum spiritum primam illam conseruaturus esset innocentiam, nec vmquam mortali peccato offensurus esset Deum creatorem suum; cuius cita-

tus

tus Doctor perpulchram assignat rationem; quia Sanctitas, quam quis simul imbibit cum lacte materno, nunquam amittitur. Cùm igitur S. Nicolaus vix editur in lucem tam magnum & eximium exercuit Sanctitatis actum, nimirum tam feruenti cordis affectu adorauit Deum, manifestè sequitur, quòd toto vitæ tempore ad finem vitæ vsque conseruaturus esset innocentiam & integritatem illam vitæ. Et ideò ait Sanctus Vincentius Ferrerius serm. de B. Nicol. *dum obstetrix Nicolaum die natiuitatis lauare voluit, vidit ipsum stantem in pelui, in quo iam ostendebatur intentio recta, quam semper habiturus erat.*

Vlteriùs si S. Ioannes Baptista recenter natus octauo natiuitatis suæ die cœlestia parentibus suis distribuit dona impetrando Patri suo deperditam loquelam, iuxta hymnum illum Ecclesiæ:

Sed reformasti genitus peremptæ
organa vocis.

& Matri spiritum Propheriæ, quando nimirum hæc iuxta opinionem & mentem D. Ambrosij prophetizauit, nomen Ioannes ei imponendum esse, vnde ait cit. S. Doctor lib. secund. in Lucam: *Per Prophetiam didicit, quod non didicerat à marito* Nicolaus quoque in natiuitate suâ Patri & Matri suæ impetrauit perfectissimum donum continentiæ, nam vt scribit Dionysius sermon. 2. nato vnigenito illo filio penitus deinde abstinuerunt ab aliàs licitis in matrimonio: *Nicolai parentes post hunc editum filium continenter vixerunt.* Vnde deuotissimus quidam Doctor subiungit: *Sicut meritum Ioannis Baptistæ in suâ circumcisione miraculosè loquelam patri impetrauit; sic meritum Nicolai in natiuitate continentiam parentibus impetrauit.*

Num. 5. Sed quid dicemus de portentis & prodigijs, quæ tum audiuerunt, tum viderunt omnes, quotquot natiuitati S. Ioan. Baptistæ interfuerunt? ait S. Euang. Lucas cap. 1. *Et mirati sunt vniuersi.* verſ. 63. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.* verſ. 65. *Et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo dicentes, quis putas puer iste erit?* verſ. 66. Neque hæc conditio defuit natiuitati S. Nicolai; ita enim scribit S. Patriarcha Methodius loco citato: *Neque ij solùm, qui illo tempore aderant & cognouerant, quæ fiebant, admirationem habuerunt, sed hac etiam tempestate, qui viuunt & audiunt, simili stupore mentis incitantur.*

Et quis ignorat in natiuitate Præcursoris Zachariam Patrem eius prædixisse futuram filij sui sanctitatem, virtutes & prærogatiuas: *& tu puer Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Luc. 1. verſ. 76. In natiuitate pariter S. Nicolai Sacerdos & Archiepiscopus Patruus eius vltra sanctitatem nepotis propheticè cognouit & prædixit quoque eiusdem assumptionem ad prælaturam & dignitatem sublimem ecclesiasticam.

Conformitas deinde & similitudo quæ est inter vtrumque hunc sanctum quoad abstinentiam & ieiunium, tam clara & euidens est, vt toti pateat orbi. Num. 6.
Tam abstinens fuit S. Ioannes, vt, teste S. Euangelistâ Matthæo, sola *esca eius* fuerit *locustæ & mel siluestre.* cap. 3. versic. 4. Adeò vt Christus ipsemet ferat testimonium, eum quasi non manducasse nec bibisse: *Venit enim Ioannes neq; manducans neq; bibens.* Matth. 11. verſ. 18. Et eiusdem ferè abstinentiæ extitit S. Nicolaus; siquidem ab ipso vitæ limine abstinuit a lacte ordinario diebus Mercurij & Veneris, quibus diebus semel duntaxat materna suxit vbera, vt Ecclesiasticum seruaret ieiuniū feriæ quartæ & sextæ, quod fuit sanè adeò excellens opus, vt hominum animos non duntaxat rapuerit in admirationem, verùm etiam impulerit ad asserendum, aut illum fuisse sanctificatum in vtero materno, aut ad minus in natiuitate acceleratum fuisse eiusdem rationis vsūsecus non potuisset secernere & di-

stinctè cognoscere dies particulares, quibus obligabantur vniuersaliter Christiani ad celebrandum ieiunium.

Hinc plurimi doctores hoc miraculosum ieiunium dixerunt fuisse præsagium futuræ infantis illius sanctitatis, quodque hoc ieiunio ad singulare certamen prouocare voluerit cunctos exercitus dæmonum; etenim cùm aduersarius noster soleat nos primò inpugnare tentatione gulæ, veluti clarissimum habemus exemplum in Adamo : *Cur præcipitò vobis Deus, vt nō comederetis de omni ligno paradisi?* Genes. cap. 3. vers. 1. & in Christo Domino: *dic vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. vers. 3. Oportet, se disponat, armet ac præmuniet homo contra hunc primum insultum, nisi succumbere velit & quam contra gulæ peccatum tutiorem ac securiorem quis sibi imaginari potest armaturam quam ieiunium? hâc armaturâ insuperabili S. Nicolaus quamprimùm natus se præmuniuit, vt se à primâ defenderet tentatione quam ei potuissent suggerere inimici. Et modò aduerto Redemptorem nostrum discurrendo de S. Ioanne Baptistâ non sine mysterio dixisse in laudem eiusdem: *non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistâ.* Math. 11. versic. 11. in præterito dixit: *non surrexit*, non verò in futuro *resurget*. Quia adeò singularis gratia & excellens fauor & donum Dei nostro sæculo reseruatum erat, vt adhuc prodiret in mundum aliquis Sanctus tam excellentis meriti, vti fuit S. Nicolaus.

Num. 7. Insuper continuantes conformitatem & similitudinem, quæ reperitur inter vtrumque, dicamus, ambos deseruisse commercium & conuersationem hominum, ambos petijsse desertum, vt fugerent occasiones, etiam in minimis, offendendi Deum creatorem suum : de S. Ioãne id testatur S. M. Ecclesia in hymno

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Et de S. Nicolao hoc idem fatentur omnes, quotquot ipsius conscripserunt vitam, qui & adiungunt, illum ibidem fuisse demoratum vsque ad finem vitæ suæ, nisi per diuinam reuelationē admonitus fuisset, quod deberet redire Myream Ioannes *venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Luc. 3. versic. 3 Et Nicolaus plurimas peragrauit orbis partes prædicans pœnitentiã & veram Christi fidem. Quando Iudæi deferebant Ioanni honorem Messiæ quærentes & petentes ab eo; quisnam esset, non solum is respōdit se non esse Messiam: *Et confessus est, & non negauit, & confessus est: quia non sum ego Christus.* Ioan. cap. 1. vers. 20. Verùm etiam summâ cum humilitate indignum domini seruum se fassus est : *Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Ioan. cap. 1. versic. 27. Et Sanctus Nicolaus Episcopis Liciæ creatoris illum in Archiepiscopum Miręæ non restitit dumtaxat acceptare eiusmodi dignitatem, verùm etiam ex profundâ humilitate seruum se appellauit cuiusdam Episcopi nomen ab ipso petentis *Nicolaus vocor peccator, seruus tuæ Sãctitatis.* Teste Simeone Metaphrast. in vitâ eius. Laudum encomia S. Ioannis deprædicata & promulgata fuerunt turbis à Christo Domino. *Amen dico vobis: non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistâ* Matth. 11. versic. 11. & virtutes S. Nicolai ab eodem Christo Domino mediante aliquo Angelo reuelatæ fuerunt alicui eremitæ, qui raptus in ecstasin vidit in cœlo speciosum aliquot palatium; quod ibidem præparatum erat D. Nicolao adhuc puero, vt Author est Petrus de Nat. lib. 1. cap. 33.

D. Ioannes seuerè reprehendebat peccatores, dicens eis : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à venturâ irâ?* Luc. 3. vers. 7. Et S. Nicolaus asperis quoque verbis reprehendit eos, vnde de ipso Num. 8.

canit

canit S. Ecclesia: *Seueritatem Nicolaus in reprehendo perpetuò adhibuit.* Et si ipsimet reges magni faciebant Ioannem, & ipsius consilio Herodes multa executus fuit: *Herodes enim metuebat Ioannem &c. & audito eo multa faciebat*, Marc. 6. vers. 20. Idem etiam legimus de S. Nicolao, cuius suasu & monitu tametsi nocturno & in somnis facto magnus Imperator Cõstantinus vitæ libertate donauit tres Capitaneos ob malam & sinistram informationem ad mortem condemnatos. Neque hæc similitudo, quæ reperitur inter vtrumque hunc Sanctum, fuit quoad actiones & opera in vita ab ijsdem gesta, verùm etiam quoad ea, quæ contigerunt post mortem fuerunt simillima nã quia S. Ioannes prædicauit veritatem, in obscurum ab Herode detrusus fuit carcerem: *Ipse enim Herodes misit & tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, qui duxerat eam, dicebat enim Ioannes Herodi: non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Marc. 6. versic. 17. Et S. Nicolaus proclamando veritatem & prædicando contra edictum impij Imperatoris Licinij carceri à præside eius mancipatus & missus fuit in exilium. Ioannes è carcere nouos ad Christum ablegauit discipulos: *Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi* Matt. 11. vers. 2. Et S. Nicolaus è carcere diuturni sui exilij tot ad Christum transmisit fideles, quot verbis & prædicatione suâ cõfirmauit in fide, & confortauit ad subeundum martyrium.

NuN. 9. Et ecce ex relatis hisce conformitatibus & parallelis inter S. Ioannem Baptistam & S. Nicolaum repertis facilè colligere quis poterit eminentem perfectionem & sãctitatem vitæ S. Nicolai, quem Dominus Deus Præcursori suo, de quo scriptum est: *non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistâ.* Similem prorsus effecit. Ast iam temporis nos ratio monet, vt quædã de virtutibus eius in particulari, quæ manifestũ sãctitatis suæ dabunt iudicium, proferamus. Cùm igitur S. Nicolaus necdum adolescentiæ excessisset annos, orbatus est parentibus suis, quorum hæreditatem, bona & cunctas diuitias sine mora distribuit pauperibus. Sed inter alia hoc insigne & celebre Christianæ pietatis reliquit testimonium, quod extremæ subuenerit egestati trium filiarum, quarum iam nubilium honestatem & pudicitiam parens viliori pretio diuendere & prostituere cogitabat; siquidem Sanctus hic vir noctis tempore tantam pecuniarum summam distinctis tribus vicibus per fenestram iniecit in ædes illius, vt honestis viris Virgines illæ nubere potuerint.

Vanum Poëtarũ figmentum est, tametsi veram scribat esse historiam Pausanias lib. 4. quod refertur de Atalanta, tantâ hanc pedum velocitate & agilitate præditam fuisse scribunt, vt omnes suos coætaneos cursores facilè superârit, & quia venustâ corporis vultûsque specie insignita erat, cursu hinc cum procis certabat eâ lege, vt ei, à quo superaretur, nuberet; mactaret verò & occideret, quos cursu suo superaret. Pluribus ergo deuictis, & necatis prodijt Hippomenes puellæ huius formâ captus, & quamuis senex venit quoque in certamen cum illâ; ast singulari hic vsus est stratagemate, curauit nimirum sibi confici tria poma ex auro, cuius mulieres bene nouerat esse auidissimas, ijs namque mediãtibus amasiam suam superare currendo cogitabat, vti & contigit; siquidem constitutâ metâ ambo currere cœperunt, sed Atalanta vèro quasi velocior potiùs volare quàm currere visa fuit, quod aduertens Hippomenes poma aurea successiuè vnum post alium proiecit in terram; illa auida nimis collectione pomorum interrumpens cursum, adeò fuit retardata, vt & ab ipso Hippomene etiam senio cõfecto fuerit superata, simulque nupserit, sed verè & bene dicere possum: *narraue-*

Num. 10.

Num. 8.

runt mihi iniqui fabulationes. Psalm. 118. vers. 85. Et quemadmodum è spinis colligamus rosam oportet, ita ex hac fabulâ necesse est, extrahamus sanctum & vtilem quendam conceptum & documentum; itaque non Hippomenes sed S. Nicolaus amore captus fuit, non iam vanæ Atalantæ pulchritudinis, sed salutis animarum trium illarum puellarum, projiciendo tria poma aurea, quod fecit trinâ vice parentis illarum ædibus pecunias injiciendo, retardauit cursum trium illarum Virginum, quæ iam iam præcipites ibant & currebant ad metam inferni.

Num. 11. Consideraturi deinde S. Nicolaum ad dignitatem Episcopalem miraculosè euectum, omnis generis virtutes in eo resplendentes conspiciemus; siquidem toto Pontificatus sui tempore instar optimi prælati aliud non fecit, nisi succurrere pauperibus, liberare oppressos, paternam adhibere correctionem peccatoribus, præmio bonos, reos pœnâ afficere, Genes. cap. 1. ait sacer textus: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus vt præesset nocti,* vers. 16. Vbi non sine mysterio ponitur illa vox *præesset*, eidem enim significat quod regere, gubernare alios, idque in mystico sensu dilucidè ostendit, eum, qui alijs præest & imperat, debere esse instar luminosi solis non obtenebrati & obfuscati ab occasu peccati, ab Eclipsi erroris, à defectuum nubibus, à nocte culpæ & ab ignorantiæ tenebris, & quo non virtutis lumine resplenduit Sanctus noster? annon miro præluxit splendore paupertatis, humilitatis, mansuetudinis, charitatis, patientiæ, solitudinis, abstinentiæ boni exempli & sanctitatis?

Num. 12. Dauid pastorum princeps vocatus de grege ad regnum, de ouili ad aulam, de baculo pastorali ad Sceptrum regale, simile describens officium & curam ait de semetipso: *& elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum. Pascere Iacob seruum suum & Israel hæreditatem suam.* Psalm. 77. vers. 70. 71. Electus & euectus à Deo ad hunc dignitatis gradum ad pinguiora nequit gregem suum ducere pascua, vbi pascatur, quàm ad bonitatem vitæ suæ *& pauit eos in innocentia cordis sui,* loc. cit. vers. 72. Ego omnino existimo N. quòd si ipsimet etiam lapides ciuitatis Myreæ interrogati respondere possent, non aliud de hoc glorioso sancto clamarent, quàm: *pauit eos in innocentiâ cordis sui*: Quem passum exponens Hugo Card. dicit: *Hoc facit bonus prælatus electus ad hanc dignitatem.* Et verè hoc fecit S. Nicolaus, cuius exemplum secuti regionis istius incolæ vitam emendarunt, egerunt pænitentiam & viam salutis ingressi sunt, vt non immeritò de illis verificari possit, quod ait S. Maximus hom. 59. de S. Euseb. Vercel. Episc. *Quidquid igitur in illâ sanctâ plebe potest esse virtutis & gratiæ, de hoc quasi de quodam lucidissimo fonte omnium riuulorum hæc puritas emanauit.* Et ideò subiungit: *omnium ciuium in Deum prouocauit affectum.*

Omnes stellæ, vti referunt Astrologi, agnoscunt occasum, solâ exceptâ stellâ maris, quæ viam monstrat nauigantibus & nunquam occidit. Stella maris fuit S. Nicolaus, cùm in viâ errantes populos ad cœlestem conduxit patriam: *Talis enim decebat, vt nobis esset pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus,* ait Apostolus ad Hebr. cap. 7. versicul. 26.

Post longum igitur & laudabilem vitæ cursum appropinquauit tandem fœlix & fortunata hora illa, quæ iustus solet esse summæ lætitiæ & voluptati, innumerabili se conspexit circumdatum Angelorum sanctorum exercitu, qui beatam S. Nicolai animam tanto tempore obscuro corporis inclusam ergastulo inuitabant ad gaudendum cœlestis Visionis gloriâ, ad celebranda diuinarum laudum encomia in cœlis. Ipse interea eleuatis in cœlum oculis Deoque recommendans animam Num. 13.

mam suam, dixit: *in manus tuas Domine commendo Spiritum meum.*

Eia igitur, ô gloriose Pontifex Nicolae, noui optimè & vltrò fateor, te fœlicissimè ad cœlestem transmigrasse patriam, tu, qui miseris opem tulisti pauperibus, succurristi afflictis, nobis quoque in hac miseriarum & lachrymarum valle demorantibus succurrere non dedigneris. Et sicut virtutum tuarum celebrando laudes gaudio & lætitiâ exultauimus; ita tuis mediantibus precibus gratiam obtinere speramus in terris, vt tecum post hanc vitam æternâ fruamur gloriâ in cœlis.

Obstinatio.

DISCVRSVS LII.

De maximâ difficultate, quam subeunt & patiuntur peccatores obstinati in suâ conuersione.

Num. 1. Mellifluus Pater Bernard. lib. prim. de Consider. ad Eugenium ait: *Cor durũ ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficijs induratur, flagellis non eruditur, cõpunctione non scinditur, minis non cedit. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar; ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Hinc fit, quòd peccator obstinatus, vt conuertatur, maximam sustineat difficultatem. De quo summopere lamentatur & conqueritur Deus per os Ezechielis Prophetæ, cum dicit: *Multo labore sudatum est, & non exiuit de eâ nimia rubigo eius, neque per ignem.* cap. 24. vers. 12. Pulsat Deus ostium cordis obstinati illius peccatoris, præuenit eum suâ gratiâ: ast *non exiuit de eâ nimia rubigo eius.* Vbi Hebræus legit conformiter nostro proposito: *Non exiuit rubigo abominationis & obstinationis.* Ast qui fieri potest, quòd Deus mundaturus peccatorẽ obstinatum incassum laborauit: *Mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis,* Ezechiel. cap. 24. vers. 13. Doctor quidam modernus in hunc locum ait: Deum hic loqui de peccatore obstinato qui varijs multisque inspirationibus inuitatus fuit ad pœnitentiam, quibus ille obsecundare noluit; vnde Deus coactus fuit (vt nostro vtar loquendi modo) ab ipsomet peccatore expetere modum & methodum, quâ mundari posset, & in hunc modum loquitur ei per os Ezechielis: *in quo mundabo cor tuum?* cap. 16. versic. 30. q. d. Heus anima obstinata, e-
dic, quomodo cor tuum expurgabo; vt Num, 2.
instruamur, tam magnam cordis peccatoris cujusdam obstinati esse duritiem, vt quasi impossibile videatur, id posse emolliri.

Et tametsi Deus nulli deneget gratiam sufficientem, solet nihilominus ex iusto suo judicio sæpissimè permittere, vt peccator in pœnam suæ obstinationis sibi gratiam illam applicare & vsurpare nesciat extremâ mortis suæ horâ. Quod perspicuè constat ex eo, quod contigit Absoloni. Magni is faciebat, ait S. Scriptura, capillos suos auricomos, eosque semel duntaxat in anno tondere solebat: *Semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries.* 2. Reg. cap. 14. vers. 26.

Sed

Sed audite quantam perniciem, quàm magnum eidem attulerint damnum oblongi illi & non sæpè abrasi capilli; cùm bellum moueret contra ipsummet regē & Patrem suum Dauid, fugiens hostes se insequentes fugamque capiens per syluas sub condensa quercu, capillis, huiusmodi oblongis mansit suspensus ex eadem quercu tribus ab hoste confossus lanceis. Terribile & stupendum factum, ait Abulensis q. 12. in lib. 2. Reg. 14. Absalon erat generalis belli dux copioso instructus exercitu, non deerat ei gladius vel culter, manus etiam habebat solutas & liberas, adeoque commodissimè capillos amputare poterat, & nihilominus hęsit ibi, & nihil fecit: *Poterat Absalon* (inquit Abulensis) *capillos amputare, cùm secum haberet gladium; sed non fecit, ita Deo permittente, vt inducerentur super eum mala, & moreretur manibus seruorum Dauid.* Et quid mirum? quia ex illo inopinato accidente adeò consternatus fuit & confusus, intellectus & sensus eius tali modo conturbati fuerunt, vt minimè cogitare potuerit de opportuno & vicino adhibendo remedio. Abſalon (ait S. Augustinus super Psalm. 3.) est figura peccatoris, qui multū sibi complacet in capillis, nimirum in peccatis, & licet indies ea multiplicet addendo peccata peccatis, ab ijsque plurimum grauetur, vix tamen semel in anno ea detondet & amputat pœnitentiæ gladio; vnde tandem, dum ijs immersus hæret, adueniet mors, & quāuis paratum habuerit pœnitentiæ gladium, vt ab ijs sese liberet, consternatus nihilosecius hebes & stolidus adeò hærebit, vt hisce armis in tali constitutus necessitate minimè vti possit; imò iusto Dei iudicio sui ipsius obliuiscetur, sicque in suis obstinatus hæ ēs peccatis morietur. Auscultate S. Aug. vbi sup. *Percutitur etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.*

Vnde dixit B. Thomas de Villâ nouâ Serm. in fer. 6. Dom. post Septuagesimā, peccatores obstinatos quasi miraculosè saluari: *Peccatores obstinati & indurati in peccatis quasi miraculo saluantur.* Et S. Ioannes Chrysost. potentiam admiratur Crucifixi Domini nostri non minus in conuersione Latronis, quàm in regimine & gubernatione naturę, nec minus ei visum fuit miraculum contritio istius cordis obstinati, quàm scissio petrarum, sepulchrorum reseratio, & prodigiosus terræ motus: vnde ait præfatus S. Doctor homil. 1. in parasc. *Vide vtrimque Christi potentiam effulgentem, terram concussit, petras dirupit, animam Latronis petrâ duriorem cerâ molliorem effecit.* Num, 3.

Difficillima igitur res est N. conuersio vnius peccatoris, qui in peccatis obstinatus multis viuit annis, & vitam suam emendare noluit. Perlegite S. Euangel. Marc. cap. 9. & reperietis stupendam veritatis huius confirmationem; Rogatum accesserat Apostolos afflictus & desolatus quidam Pater, vt filium, quem secum conduxerat, à Dæmone obsessum liberarent: cœperunt singuli Apostoli hunc exorcizare & eijcere; sed frustra laborarunt; vnde parens obsessum filium ad Christum ducere coactus fuit, dixitque ei: *Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum*; loc. citat. versic. 16. *Qui vbicumque eum apprehenderit allidit illum & spumat, & stridet dentibus & arescit, & dixi discipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt*, vers. 17. Hic exsurgit difficultas: vnde amabo, accidit, quòd Apostoli totiès corporibus humanis eijcientes dæmonia, nequiuerint hoc expellere; adeò vt ad eijciendum illud necessaria fuerit omnipotens manus Redemptoris nostri? Perlegite N. quod proximè subiungit S. Euangel. & solutum videbitis difficultatis nodum: *Et interrogauerunt patrem eius, quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* loc. cit. vers. 20. & respondit: *ab infantiâ*, loc. cit. Mirum sanè num ignorabat Saluator no-

ster quanto tempore adolescens ille oppressus fuerat huiusmodi calamitate & miseriâ? sciebat vtique. Cur ergo interrogat patrem? respōdet glossa interlinealis in hunc locum: *non quasi ignorans interrogauit, sed vt diuturnitas infirmitatis ostensa curationem gratiorem faciat.* Proposuit Christus Dominus hanc videlicet interrogationem, vt nos perciperemus difficultatem, quæ inuenitur in curanda & conuertendâ animâ obstinatâ & in peccatis inueteratâ, quam diabolus longo iam possedit tempore, vt propterea necessaria sit ipsa omnipotentis Dei manus, quæ illam libeert & conuertat. Quare si anima in peccatis non est inueterata & obdurata, facilè ea liberari potest. Vnde acutissimè notat S. Antonius de Padua, quòd Christus Dominus resuscitando filiam Archisynagogi appellauerit eam puellam, quemadmodum legitur Marci 5. versic. 42. *Puella tibi dico surge. Et confestim surrexit puella & ambulabat. Puella dixit, non veterana; anima enim quæ nondum à diuturnitate mala consuetudinis est oppressa, sed quasi puella nouella in peccato est sopita, de facili ad vitam potest resurgere.* Etenim si fuisset inueterata in peccato, maiori cum difficultate eam resuscitasset ob inueteratam peccandi consuetudinem.

Num. 4. Imò non aberrabo à veritate N, dicendo conuersionem peccatoris obstinati reddi difficilem vel maximè ex hoc capite, quod Deum peruicaciter & temerè offendat & absque remorsu conscientiæ enormia committat peccata: *impius* (inquit Spiritus sanctus Prouerb. 18. versic. 3.) *Cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quem locum exponendo Cæsarius Arelatēsis Episcopus hom. 13. de pœnit. auream hanc conscripsit sententiam: *De multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione absque vllâ reuerentiâ peccatorum frana laxantur, & impletur illud quod scriptum est: impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit,* & Deum videlicet, & Sacramenta, & Sanctos & reliqua omnia ad salutem necessaria. Nicolaus Liranus expendēdo hanc vocem: *contemnit*, dicit: *contemnit supplicia*, q. d. peccator obstinatus eò vsque deuenit amentiæ, vt nec curet flagella, nec cruces aut patibula, nec qualscumque alias punitiones diuinas. Dicit insuper idem Doctor: *Contemnit correptionem, pœnitentiam, omnemque medicinam.* Hugo Card. aliam sed magis stupendam huic loco adhibet expositionem dicens: *contemnit conscientiam.* Non habet curam propriæ conscientiæ nec salutis animæ suæ.

Hinc illud patientiæ speculum S. Propheta Iob discurrendo de peccatore obstinato ait, eum bibere iniquitates & peccata instar aquæ: *qui bibit quasi aquam iniquitatem*, capite decimo quinto vers. decimo sexto. Nicolaus Liran. hoc modo exponit hunc locum: *Iniquitatem sicut aquam bibit, qui committit peccata absque freno timoris; ille enim qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè, sed bibens aquam hoc non timet.* Et D. Gregorius lib. 12. moral. cap. 18. *Culpa ergo, quia a stulto homine sine vllâ retractatione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur, quia enim illicita sine timore facit, quasi potum iniustitiæ sine obstaculo glutit.*

Ex hac induratione & obstinatione oritur deinde, quod peccator propriam vilipendat animæ suæ salutem, imò euidenti eam exponat damnationis periculo. Num. 5. Pulcherrima & huic nostro conformis est proposito parabola illa, quam adducit piētissimus Saluator noster Matth. cap. 20. de patrefamilias, qui summo diluculo exijt conducere operarios in vineam suam; exit, inquam, ille hora primâ, tertiâ, sextâ, & nouâ, iuit etiam serò: circa vesperum, ast notate discrimen: horâ primâ reperit operarios, cum quibus conuenit de certo & determinato denario. *Conuentione autem factâ cum operarijs ex denario diurno*, loco cit. vers. 2.

Denuo exijt horâ tertiâ, alios inuenit, quos & in vineam suam misit: *ite & vos in vineam meam*, versiculo quarto, sed non determinatur, quantitas mercedis: *& quod iustum fuerit dabo vobis*, loc. cit. dabo, nimirum, vobis mercedem competentem, at non specificat, quantam daturus sit, idem fecit cum illis, quos reperit horâ diei sexta & nona. Tandem rediit circa vesperum, & alios inuenit in foro stantes otiosos, quos nihilominus & misit in vineam suam; sed nullam illis spondet mercedem, solùm eis dixit: *ite et vos in vineam meam*, vers. 7. Primis ergo determinatum promittitur præmium: *ex denario diurno*. Alijs præmium indeterminatum: *quod iustum fuerit dabo vobis*. Vltimis verò nulla prorsus promittitur merces. Et vnde hæc differentia? num fortè apud Deum viget personarum acceptio? nequaquam: *non enim est acceptio personarũ apud Deum*, ad Rom. 2. versic. 11. sed omnia singulari cum mysterio facta sunt, ait D. Chrysost. in Matth. Deus est ille Paterfamilias, vinea est Ecclesia militans, operarij sunt homines; qui ergo ad laborandum in vineâ vocati sunt horâ primâ, iuuenes sunt, hi enim á primo ætatis & iuuẽtutis flore bonis insudant & incumbunt operibus, & hisce determinata & certa spondetur merces, quia, qui summo manè & sat tempestiuè se conuertit ad Deum securam certamque obtinebit mercedem. Qui deinde vocati sunt horâ tertiâ, sextâ & nonâ (per quam intelligitur ætas virilis, ijs namque vitæ adhuc superest spatium spem habent consequendi præmium cœlestis beatitudinis; ast alijs, qui serò cœperunt bona exercere opera, nullum prorsus promittitur præmiũ vt nos edoceremur, quod peccator obstinatus differendo pœnitentiam ad vltimam vsque vitæ horam salutem animæ suæ summo exponat damnationis periculo, non quod non detur ei locus pœnitentiæ, sed quod tunc temporis hæc sit valde periculosa & difficilis? quapropter dicit D. Chrysostomus: *istis nouissimus laboris præmium non proponitur, qui serò in vineâ Domini laborant, incertum habent, quod speretur.*

Sic planè contigit Regi Anthiocho, de quo refert S. Scriptura 2. Machab. cap. 9. quod ad mortem infirmatus fuerit, cumque agnosceret se grauiter peccasse in Deum, eumque suis sceleribus concitasse ad iracundiam, factus totus humilis & sublatis in cœlum oculis dicere cœpit: fateor, Domine, rebellionem meam, quam in te ostendi, vnde ob hanc meam superbiam promeritus sum quascumque pœnas etiam grauissimas, etenim *iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. loc. citat. vers. 12. Ecce ergo me prostratum & humiliatum coram diuinâ tuâ Maiestate, dignare mihi solitam exhibere tuam misericordiam, & promitto me libertate donaturum sanctam tuam ciuitatem Ierusalem, promitto prælarga & regalia templo tuo rependere dona & munera, spondeo deserere idolatriam & sanctam tuam amplexari fidem, voueo post peregrinationem locorumque terræ sanctæ visitationem diuinam tuam deprædicare potentiam per totum terrarum orbem. Ecquis non dixisset Regem hunc verè fuisse contritum & stupendam egisse pœnitentiam? Sanè si homines ordinarij & idiotæ hæc percepissẽt verba, abs dubio Antiochum proclamassent sanctum; nihilominus textus sacer ait: *Orabat autẽ hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*. loco citato versic. 13. & cur hoc? Respondet S. Thomas. 1. part quæst. 86 art. 1, ad 1. *Antiochus non verè pœnituit, dolebat enim de culpâ præteritâ, non propter offẽsam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur*. I. nunc peccator, brutorum more viuito, & habeto deinde fiduciam, te vnicâ confessione, vnicâ communione satis tepida & quasi coacta saluandum fore. Viuito, inquam Num. 6.

quam

quam, sine freno timoris dei, quomodo tandem aliquando extremâ mortis tuæ horâ per hanc quasi coactam cõfessionem obtinebis veniam, consequerisque salutem, tu experieris: interea ausculta, quid de huiusmodi pœnitentibus dicat D. Augustinus in Psalm. 100. & 101. ita ibidem discurrit: *Quanto maiorem moram fecerimus in peccato tanto difficilior erit confessio. Et confessio, quæ fit morte vrgente, etsi non damnetur vt mala, non est tamen speciosa Deo, sicut ea fit ex voluntate, & non ex necessitate est enim velut confessio latronum, qui non confitentur mala sua, nisi prius tormentis tentata & interrogata fuerint.*

Num. 7. Percurrite lib. 2. Reg. cap. 2. aliam inuenietis historiam appositam proposito & consideratione dignam. Prouocauerat die quodam Abner Dux generalis exercitus Saulis antagonistam suũ Ioab generalem pariter Ducẽ exercitus Dauid ad singulare certamen, acceptauit pugnam Ioab, & cum suis in apertum prodijt campum, pugnatum est vtrimq; adeo acriter, vt toto die ad vesperum vsque durauerit prælium. Lassus tandem Abner, fugam capiens & peiora timens, qui primitus arrogãter hostem ad arma: prouocauerat, amicâ nunc voce clamat & poscit inire pacem cum Ioab, dicitque *Num vsq; ad internecionem tuus mucro desæuiet* loc. cit. vers. 26. q. d. ergóne ô Ioab, crudelis adeò & immisericors eris, & vitam mihi eripies? verùm audite responsum Ioab: *Viuit Dominus, si locutus fuisses, manè recessisset populus persequens fratrem suum.* vers. 17. ac si dixisset: Fecisti vsque huc, quod potuisti, internecioni dedisti, quot potuisti, milites; ad arma ad pugnam me concitasti, ac perplurium perfudisti sanguinem militum, & nunc primum pacem clamas & sollicitas? modò vis & petis, vt tibi ignoscam? at serius nunc est, nimis tardè venisti, primo id cogitasses, primò tibi prouidisses, primò pacẽ poposcisses, necesse fuisset. Ecce N. viuum exemplar & idæam status peccatoris obstinati. Quid aliud agunt homines per totam vitam suam, inquiunt S. Hieron. sup. cap. 1. & 12. Ierem. & S. Bernardus serm. 29. in Cant. nisi Deum irritare & prouocare ad bellum & cum eodem pugnare; audite Prophetam Iob cap. 15. *Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* vers. 25. *Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* vers. 26. Postquam ergo toto die, puta, toto vitæ suæ tempore peccator obstinatus decertauit acriter cum Deo, aduesperascit, appropinquat hora mortis vbi tunc primò agnoscens errorem suũ aduertensque constitutum sub manu Dei, veniam postulare & dicere incipit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Fateor & agnosco, Domine, quòd grauissimè te offenderim; quapropter si mihi donaueris adhuc vitam, dicam, faciam hæc & similia, promitto emendationem, spondeo feruentem deuotionem, obsequia promptissima, promitto fugam mundi, occasionem peccatorum, malarumque conuersationum, at quid Deum huiusmodi liberali & prompto sponsori responsurum arbitramini? planè idem, quod Ioab respondit duci Abner: *Si locutus fuisses, manè recessisset populus persequens fratrem suum.* Modóne, inquit Deus, veniam petis? modò primitùs efflagitas misericordiam? nunc primò me inuocas? modóne primum memor mei me accedis? oportebat id facere antehac, tarda nimis tua hæc est pœnitentia, ad hanc necessitate compelleris, ex timore non amore doles, peccata te deserunt, non tu deseris peccata: *eius clamorem* (inquit apposite D. Gregorius lib. 18. moral. cap. 5.) *Deus tempore angustiæ non audit, qui tranquillitatis tempore clamantem non audiuit.*

Priusquam generosissimi dux populi Israelitici Iosue iret destructam ciuitatẽ Iericho, pacta & leges iam pridem à Deo acceptas & in destructione huius vrbis Num. 8.

obseruandas toti promulgauit populo. Leges, fuerunt huiusmodi: vt, quidquid auri, argenti, ferri, alteriusve metalli inuenirent in vrbe, hoc consecrarent Deo sacri seruitio templi applicaturi; cætera verò omnia, nihil prorsus excepto igne absumerent. His ita publicatis aggressus est Iosue ciuitatem, animosè pugnant milites Israëlitici, inuadunt vrbem & quoscumque hostes sibi obuios occidunt, mactant, omniaque iuxta ordinem & mandatum à Deo datum accuratissimè obseruauit populus; vnus duntaxat inter omnes inobediens & rebellis Deo extitit, & diuinam transgressus est legem; vidit namque inter spolia pallium quoddam coccineum valdè bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, quæ quia summè sibi arridebant clam surripuit, & sub terrâ abscondit. Die sequenti abscessit inde exercitus Israeliticus expugnaturum aliam quandam ciuitatem dictam, Hai, quæ, quamuis paucioribus esset munita militibus minusque parata ad sui defensionem, numquam tamen capi potuit à filijs Israël, imò in turpissimam dati fuerunt fugam, multique ex illis occubuerunt, quare: *pertimuit cor populi, & ad instar aquæ liquefactum est.* Iosue. cap. 7. vers. 5. Non parum exinde contristatus fuit Iosue & summopere de timore huius populi conquestus est apud Deum, at Deus turpem hanc populi fugam eiusque timorem & ruinam peccato à quodam in destructione vrbis Iericho patrato asscribendam respondit: *peccauit Israel & præuaricatus est pactum meum,* vers. 11. Vnde iussit mitti sortem super omnes tribus, & inuenta tribu procederent ad familias, de familiâ ad domus, de domo tandem ad personam. Fidelissimè Iosue hoc Dei præceptum executus fuit, & ecce missâ sorte super singulos, tandem inuentus & deprehensus fuit latro ille, inobediens Deo rebellis videlicet Achan, quem sine mora Iosue ad se vocans dixit ei; *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël & confitere, atque indica mihi, quid feceris, & ne abscondas.* versic. 9. Et ecce miser Achan videns crimen suum manifestatum, fatetur furtum suum, & dicit: *verè ego peccaui Domino Deo Israël,* vers. 20. Vnde & confestim lapidatus fuit: *lapidauitq; eum omnis Israël.* vers. 25.

Mirum profectò & insolitum factū hoc est, inquit Rupertus Abbas in hunc locum; Comparemus paulisper modò peccatum Dauid cum hoc peccato Achan: Dauid commisit adulterium iuxta & homicidium; Achan ex spolijs ciuitatis Iericho aliqua duntaxat surripuit: ille hæsit in peccatis vndecim mensium spatio secundum computationem D. Chrysostomi in Psalm. 50. & hic duobus aut tribus ad summum diebus; peccatum Dauid fuit summum scandalum; peccatum Achan secretissimum; Dauid dixit: *peccaui Domino.* 2. reg. 12. vers. 13. & Achan perfectiùs agnouit culpam suā & dixit: *verè peccaui Domino,* Dauid peccatorum suorum obtinuit veniam, & Achan propter peccatum pœnam subiuit seueram. Et cur hoc? Respondet Rupertus citatus dicens, confessionem Dauid fuisse promptam & spontaneam; at confessionem Achan fuisse tardam & coactam: vidit sortem mitti super tribus, & ipse tacet: cecidit sors super tribum suam, & tacet: missâ sorte super familiā suam, & tacet: mittuntur tandem sortes super personas, & sors cadit super propriam suam personam, & adhuc tacet: postremò, cum duceretur ad supplicium tunc primò dicit: *verè ego peccaui Domino Deo Israël.* Itane? inquit Deus modò te primum peccasse aduertis? modò primitùs agnoscis delictum, & fateris furtum tuum? veniā planè indignus es, pœnitētia quam quis facit, quando non potest aliter, & quæ non fit suo tempore, omninò inualida est; *non tamen vllam* (ait citatus Rupertus) *mereri veniam debuit, quia videlicet confessio nimis tarda fuit; dignus verò* Num. 9.

veniā

veniâ Dauid, quia in ardore sui criminis veniam postulauit.

Hisce addendum est, peccatores obstinatos non posse exurgere à peccatis, quando postmodum vellent, quia onus addendo oneri iam imposito dorso conscientiæ præcipitantur tandem ad imum inferni barathrum. In probationem horum adfert D. Hieronymus mirabile quoddam exemplum. Refert enim cit. S. Doctor ex vitis Patrum de sancto Arsenio Abbate, quod in cella constitutus hanc è cœlo audierit vocem: *egredere, & ostendam tibi opera hominum*, negligentiam videlicet peccatorum, qui indies peccatis peccata adijciunt. Egressus igitur è cellâ Arsenius, conspexit æthiopem quendam ligna cædentem in syluâ, qui cum cæsa & collecta ligna in magnum quendam colligasset fasciculum, tentauit illum humeris suis imponendum è terrâ eleuare & transportare: at tametsi robustissimus nequiuit illum sustollere in altum (multò minus imposuisset humeris suis) vnde eo ibidem relicto abiuit de nouo alia cæsum ligna, quæ & superaddidit prioribus, iam adauctum credebat æthiops ille eleuare fasciculum; sed frustrâ; qui enim leuius nequiuerat sustollere onus ponderosius quomodo sustulisset? quapropter & tertiò abiit plura cæsum & collectum ligna, omnia iam collecta & in vnum colligata nunc transportare tentabat; ast multò minus mouere poterat. Visio hæc magnam in sancto illo viro spectatore causauit admirationem, & ecce eodem illo tempore cœlestem quandam audiuit vocem ænigma hoc sibi declarantem & dicentem: *Qui cadit ligna & addit sarcinæ, homo peccator est qui peccatis oneratus sæpius illa leuare non sufficit, & tamen sic infatuatus est, quod superaddit iterum & alia quasi dicens intra se: postquam congregauero multa peccata plura prioribus, tunc illa diluabo, & pœnitentiam agam.* Solet exempli causâ obstinatus ille peccator dicere; cum aduenerit tempus quadragesimale, tempus pœnitentiæ, generalem quandam instituam confessionem, qua mediante veniam obtinebo à Deo, & intereà ille adijcit peccata peccatis componens maiorem summam ponderosioremque peccatorum sarcinam, apprehenditur illicò à morte, adeoque quia magno nimis oneratus est pondere, exurgere nequit à peccatis; Deus enim iusto suo iudicio in pœnam obstinationis suæ efficacem ei denegat gratiam, sicque damnatus emoritur. Quapropter seriò exhortatur eundem Spiritus sanctus Ecclesiast. cap. 5. vers. 8. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Verùm qualem vindictam maiorem & seueriorem pœnam obstinatis Deus infligere potest peccatoribus, quám permittêdo eos improuisæ & subitaneæ occumbere morti? viuunt illi in hoc mũdo delicijs & voluptatibus vndique affluentes, nullum ferè est peccatum, quo non flagrant & Deum offendunt; ast quid tandem eis accidet? Subitaneâ abhinc eximentur morte, & per totam æternitatem infernales subibunt pœnas, teste S. Prophetâ Iob: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, cap. 21. vers. 13. Quem locum, exponendo D. Gregorius lib. 15. moral. cap. 10. dicit: *Potest in puncto hoc intelligi, quod sæpe hi, qui iniquitate diu tolerati sunt, subita morte rapiuntur; vt neque flere ante mortem liceat, quæ peccauerunt.* Num. 11.

Credunt & omninò sibi persuadent hi obstinati peccatores, Deum suæ oblitum esse iustitiæ, cùm differt pœnam, eosque prosperari permittit in obstinatione, in quâ continuò perseuerant; & infœlices illi non aduertunt, quod quando minus cogitabunt, detrudêdi sunt ad imam inferni abyssum. Audi, quod tibi inculcat per os Prophetæ: *Hæc fecisti, & tacuit: existimasti inique, quod ero tui similis* Num. 12.

lis

lis. Psalm. 49. vers. 21. nimirum, veluti exponit hunc locum D. Augustinus, quia dissimulaui tecum & distuli pœnam, quam tua iamdudum promeruerunt peccata, tibi persuades, quod mihi ea placeant, vti placent tibi: *Deum, quia non pateris vltorem, vis habere participem?* audi & treme: *arguam te & statuam contra faciem tuam*, loc. citat. te iudicabo, tua ob oculos statuam tibi enormia scelera, te castigabo, præcipitando in profundam inferni abyssum animam tuam prægrandi peccatorum pondere oneratam, Vnde idem pergit Propheta, dicitque: *intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, nequando rapiat & non sit, qui eripiat.* loc. cit. versic. 22. doctissimus Agellius legit hic in hunc modum: *nequando rapiat tanquam leo*, q. d. auribus pariter & intellectu percipite, ô peccatores, qui Dei eiusque prorsus obliti estis mandatorum, ac si non concernerent vos; cauete vobis: *nequando rapiat tanquam leo, & non sit, qui eripiat.* Intendit videlicet significare: quando leo ore tenet prædam, nequit ei quis illam eripere è faucibus, neque bestia tametsi ferox & crudelis, neque pastor viribus & robore præstantissimus, nullus denique, quod vel faucibus aut vnguibus conclusum fortiter tenet, eidem subtrahere valet; hoc idem prorsus vult innuere Propheta: Deus tecum modò ait instar mansuetissimæ ouis, tacet, suffert omnia patienter, quæcumque agis; verùm tandem aliquando cùm necessariò iustitiam suam vindicatiuam exercere debuerit, ferocissimus euadet leo, potentissimis iustitiæ suæ dentibus te dilaniabit & discerpet, ab æternis te faciet deuorari flammis, & nullus erit qui te è manibus eius eripere poterit: *& non sit, qui eripiat.* Quia iuxta Apostolum: *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* ad Hebr. 10. vers. 31.

Num. 13. Prouidens Propheta Iob, ne impingeret in huiusmodi periculi scopulum, sæpissime hanc à Deo expetere solebat gratiã; *dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum*, cap. 10. vers. 20. *antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine*, vers. 21. quod si igitur homo, de quo dixit ipsemet Deus: *Et erat vir ille simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo.* Iob cap. 1. vers. 1. quod si, inquam, vir tam innocentis vitæ & præclaræ sanctitatis timeat paueatque, ne absque præuio planctu & dolore peccatorum suorum abripiatur morte, quid non igitur facturus est peccator, qui cunctos dies vitæ suæ consumpsit in peccatis & offensis Dei? ille, inquam, qui nunquam cognouit & sciuit, quid sit amor aut timor Dei? ille, qui tãto tempore immersus hæsit & vixit vitijs concupiscentiæ & lasciuiæ? tempus veniet, ô peccator obstinate (inquit S. Basilius homil. 13. de pœnitent.) quòd iacebis in lecto derelictus à medicis, cognatis & propinquis, solitis orbatus delicijs, febri correptus mortiferâ, quæ non a te discedet, quin tibi eripiet vitam & è corpore tuo proscribet animam; quod si igitur te malè vixisse tuo contigerit infortunio, quid tunc miser ages? quid facies? quò te vertes? accedéntne forrassis filij, vxor, aut consanguinei in mentem tibi reuocaturi, ne tuæ obliuiscaris animæ? Ah proprio illi attendent commodo, non tuæ operam nauabunt saluti animæ, durum illis videbitur, quod tibi tã acerba & amara noua significare debeant.

Num. 14. De Balthasare potentissimo Rege Babyloniæ recenset sacra & diuina Scriptura, cum fuisse ditissimum ac fœlicissimũ Regum omnium totius mundi: quodam ergo die sumptuosissimum parauit conuiuiũ principibus & optimatibus regni sui, & cum læti ac hilares epularentur, Rex *præcepit iam temulentus* (ait sacer textus Dan. cap. 5. vers. 2.) *vt afferentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent: in eis rex & optima-*

optimates, eius, vxoreſque eius & concubinæ. Et ecce: *in eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis*, loco citat. verſ. 5. quando adhuc epulabatur vana colebat idola, ridebat & recreabat ſe cum ſuis concubinis, eodem, inquam, momento, audiuit contra ſe mortis fulminari ſententiam; non expectauit Deus tempus veſpertinum, non diem ſequentem, non proximè ſubſequentem ſeptimanam, ſed *in eadem horâ*. Mirum profectò, ait S. Hieronymus in hunc locum, tot & tanti præſentes erãt amici, tot aderant vxores & concubinæ exterrefacto regi, nouerant optimè quod Deus contra illum mortis proclamaſſet ſententiam, eò quòd ſacra prophanaſſet vaſa templi, & inter tot tantoſque nec vnus quidem repertus fuit, qui regem admonuiſſet de agendâ pœnitentiâ ac petẽdâ peccati veniâ: Viuum ſanè exemplar & idæa illius, quod hodierno die in mundo plurimis obtinere ſolet peccatoribus, qui habent filios, vxorem, cognatos & conſanguineos, infirmantur ad mortem vſque, nec tamen vllus reperitur, qui eis inculcare audeat, vt ſe diſponant & præparent ad permagnum illum mortis paſſum, adeoque miſerè emoriuntur & pereunt. Quid mirum? difficillimum namque eſt viuere obſtinatè in peccatis & bonam deinde obire mortem. *Animaduertite* (dicit S. Auguſtinus ſerm. 11. ad frat. in eremo) *quantæ difficultatis ſit in horâ mortis pœnitere, vt par eſt & peccata confeſſione expiare.*

Num. 15. Annon igitur pluſquam amens & cæcus es, ô peccator obſtinate, quod continuò Deũ tuis offendas ſceleribus, nec vnquam ſis ſollicitus de mutatione & emendatione vitæ, ſed omnia differas ac referues vſque in finem vitæ. Eſtne poſſibile, quod ſis Chriſtianus lumine dotatus fidei, neque ignores, quod vitam obſtinatam in peccatis ferè nunquam condigna ſubſequi ſoleat pœnitentia, attamen iſta parui pendas, nec minimũ cures, ſed obſtinatè obtemperes dictamini ſenſus & appetitus ſenſitiui? Vbi eſt (non iam dicam timorem Dei; noui enim, te illum non haberes ad minus timor mortis, timor deperditionis animæ tuæ? quã ſi ſemel perdideris, in æternum periiſti. Eſtne poſſibile, quòd peccatum adeò tibi ſurripuerit vſum rationis; ac pedem habeas poſitum in cymba Charontis, & tamen apertum, in quo demoraris, non aduertis periculum, cùm ſis conſtitutus in peccato mortali? quomodo non times, magiſque ſollicitus es de animæ tuæ ſalute: Res mira (ait os aureum homil. 54. in Matth.) & vberrimis deploranda lachrymis; cùm tibi dolet caput, aut leui aliqua detineris febricula aut dolore, confeſtim aduocas medicum, & cùm anima tua infirmatur ad mortem æternam, teque grauiſſima inuaſit lepra peccati, altas eam permittis agere radices, imò ne minimam illius habes curam? *filij hominum vſquequo graui corde*, *vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendaciũ?* Pſalm. 4. verſ. 3. Vſquequo ô viri, ô mulieres, animæ veſtræ negligetis ſalutem? quouſque, ô adoleſcens laſciue, ſordibus & fœtori immerſus hærebis carnalis concupiſcentiæ: *filij hominum vſquequo graui corde?* Ergóne æternam appetitis mortem & damnationem? quando, quãdo veſtris diſſolutionibus & ſceleribus imponetis frænum & finem? Aperi aperi, ô Domine, oculos peruerſis & obſtinatis hiſce peccatoribus, qui cæco impetu feruntur & ruunt in profundam ſcelerum voraginem; ut agnitis erroribus ſuis viam ineant ſalutis æternæ faciam videlicet pœnitentiam.

Occasio peccati.

DISCRSVS LIII.

Fugienda est occasio peccati, si conseruare nos desideremus in gratia Dei.

Num. 1. SErenissimus Rex sanctissimus Propheta Dauid considerans vice quadam, quantam animæ deferat perniciem & damnum occasio peccati, toto Deum deprecatus est corde ac dixit: *Viam iniquitatis amoue à me.* Psal. 118. versic. 29. quia (vt dicit S. Ambrosius ponderando hunc locum) sublatâ occasione præcluditur quoque via ad peccatum.

Hinc legitur in sacrâ Genesi. cap. 39. quòd S. Patriarcha Ioseph sollicitatus ab impudicâ suâ Dominâ, intrepido ei respondere animo: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* loc cit. versic. 9. & vt inhonesta hæc mulier conspexit se spe suâ defraudatam, vanas preces suas, omnem instantiam & quæ nis verba esse frustratori a, asperam hanc minimè ferens repulsam, peruicaciter processit ad violentiam, arripuit eius pallium, traxit, coëgit, constrinxit, quod cùm videret sanctus ille adolescens, confestim reliquit in manu eius pallium, sicque hos euadens laqueos capessiuit fugam: *Relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras,* loco citato versi. 12. obstupescit supra modum hoc in loco S. Ambrosius lib. de Ioseph cap 5. & quærit, cur Ioseph reliquerit pallium in manu mulieris? non reliquit, quia ipsa vi illud ei eripuit, cùm ipse fuerit adolescens satis fortis & robustus, vnde non est credibile, quod mulier illa trahendo ipsum superarit; si sic, cur igitur reliquit pallium in potestate mulieris exponendo se manifesto perpetuæ infamiæ periculo? Ah (respondet S. Ioseph) nolo nec desidero ampliùs pallium, quod impudicæ & lasciuæ mulieris tetigit manus; etenim posset me inficere, ideoque: *relicto in manu eius pallio fugit & egressus est foras Contagium iudicauit* (ait S. Ambrosius) *si diutius moraretur, ne per manus adultera libidinis incentiua transirent.*

Huic non absimile est, quod legitur Num. 2. lib. Iudith cap. 13. è Bethulia discessit generosa illa Heroina Iudith, castra petit Assyriorum, Holofernis principis militiæ subintrat tentorium, ac instar puellæ pulchræ & decoræ aspectu, quæ vbiuis locorum in facie secum defert commendatitias, ab Holoferne perbenignè & humanissimè excipitur, & splendidius vesperi tractatur; post diuturnam conuersationem, post affabiles discursus & colloquia, post hilariores solito epulas & potationes, tandem Princeps militiæ plus vino quàm somno sopitus decumbit, & obdormit, at nō dormiuit Iudith: mediâ siquidem nocte animosa & intrepida stertentem accessit Holofernem, detruncauit ei caput, & ne detruncati se commaculet sanguine, partem abscidit conopæi, in quo iacebat ille, & auulsum eidem inuoluit caput Holofernis. E castris deinde ocyus reuersa ad ciuitatem, occisum cunctis ciuibus demonstrauit tyrannum & patriæ pacisque turbatorem, ac vbique obtentæ victoriæ celebrata fuerunt festa & triumphi. Nunc ergo, quod ego in hoc facto cōsidero, est, quod post relatum triumphū sacra subdit Scriptura: *Porrò Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus & conopæum,* quod

quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis. Iudith cap. 16. vers. 23. & quid hisce significare intendis, ô Iudith! huiusmodi spolia tam eximia, tam splendida, è tam celebri obtentâ victoriâ honori & gloriæ tuæ prosapiæ & stirpis nobilissimæ inseruire possunt, & tu ea spernis, despicis & contemnis? gladium illum, quo populo & patriæ auream restituisti libertatem, annon præstaret suspendere in templo, quemadmodum fecit Dauid de scuto Goliath, vt sic publico posterorum expositus esset conspectui, & tu æternam exinde reportares famæ gloriam? & si tibi, vtpote mulieri, non competere existimas gladium, ad minus reserua tibi conopæum, cui inuoluisti detruncatum caput. Neutrum fecit prudentissima hæc matrona; sed quamprimum: *obtulit in anathema obliuionis.* Quo facto nos docere voluit curam & diligentiam, quâ nobis cauere debemus ab occasione peccati. Imaginamini vobis, generosam illam Heroinam Judith hunc vel similem mouisse discursum: hæc spolia, tametsi magnifica & pretiosa, à tali proueniunt personâ, quæ me summè adamauit, omnia & quæcunque aliquando mihi obtulit seruitia & obsequia; quanquam ergo memet conseruauerim ab ea illæsam & puram, & Deus me ab inhonesto illo, quem mihi demonstrauit, liberauerit affectu, nihilominus nihil planè de istis scire volo, quæcunque reijciam spolia, semper obliuiscar omnium: *obtulit in anathema obliuionis.* Et quidem iustissimam habuit rationem id faciendi; etenim peruersus, impius & sceleratus homo non solùm tempore illo, quo viuit, verùm etiam post mortem, quando solùm illius fit mentio & excitatur memoria, lædere potest puritatem animæ, eamque inficere suâ pessimâ, quam duxit, vitâ. Quare fugienda est occasio peccati.

Num. 3. Determinauerat Deus ter Opt. Max. vt populus eius valediceret Ægypto, & post oblationem sacrificiorum in certis quibusdam montibus peragendam terram peteret promissionis. Quare Moysi dixit: heus Moyses significa populo cunctisque filijs Israël, vt exeuntes ex Ægypto nihil prorsus ibidem relinquant, ne quidem vngulam cuiusdam animalis; scio namque Pharaonem vobis persuasurum, vt in Ægypto relinquatis aliqua: *cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula.* Exod. 10. vers. 26. subintrat hîc magnus Pater Origenes & dicit: ecquod rigorosum præceptum est illud, vt etiam omnia vsque ad animalium vngulas sint conferenda? & stupendam illius reddit rationem: *ne relinquendo aliquid habeat occasionem redeundi.* Visne tu, ô Christiane, sacrificare Deo? ex Ægypto egrediaris, impiam, nimirum, deseras vitam, necesse est, neque hoc sufficit; sed insuper necessarium est, nigil ibidem relinquas occasionis, quæ te ad pristina vitia & scelera reuocet, alliciat aut permoueat, reliquistine, ô Adolescens, occasionem turpis illius pellicis? omnino Pater. Sequestrastine te ab eiusdem conuersatione; ita Pater. Non sufficit hoc; sed transitum insuper & obambulationes per plateam, vbi illa habitat & demoratur, fugere debes; siquidem vnicus & solus aspectus poterit de nouo in te accendere inhonestum illum prophani amoris ignem, teque præcipitabit in pristina peccata.

Quando populus Hebræus captiuus ductus fuit in Babyloniam, acceptum ignem de altari abscondit in quodam alto puteo, qui (vti refert S. Scriptura 2. Machab. cap. 1. vers. 21.) conuersus fuit in aquam crassam: *non invenerunt ignem, sed aquam crassam.* Sed, vt redijt populus liber in Ierusalem, haurire voluit de puteo isto aquam, & quid contigit? audite miram metamorphosin, quam enarrat sacer textus: *vtque hoc factum, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* loc. cit. vers. 22. Num. 4.

Num. 1.

Aqua nimirum illa de nouo conuersa est in ignem & quidem talem, vt in præaltam ascenderit aëris regionem: *accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Caveat sibi quilibet interea quicunque ille sit, ne subintret peccandi occasionem, siue magnam, siue paruam, quæcunque illa sit, & cùm aliorum recordatur casus, timeat & euitet proprium: *aliorum vulnus nostra sit cautio*; Dicit S. Hieronymus Epistol. ad Furiam.

Num. 5. Ad hoc idem propositum appositam reperio historiam & factum, quod contigisse scribit sacer Chronicus lib. 3. Reg. cap. 19. Inter zelosissimos duos illos Carmelitarum Patriarchas & Prophetas Eliam & Eliseum. Hunc arantem vocabat ille ad se, præcipiebatque ei, vt se sequeretur. Præcepto huic promptissimè obediuit Eliseus: *qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* loc. cit. vers. 20. Hanc tamen ab Eliâ primò petiit gratiam, vt indulgeret sibi licentiam adeundi Patrem & Matrem, quibus cùm vale dixisset, sine morâ reuersurus esset: *osculer, oro, patrem meum & matrem meam, & sic sequar te.* loc. cit. Promissis suis fidelissimè stetit Eliseus, & reuersus est ad Eliam; sed stupenda iam audite primordia & dispositiones huius sequelæ & noui status, quem incipere cogitabat sanctus Eliseus: priusquam ergò sequeretur Eliam, sumptuosum quoddam parauit conuiuium Patri suo Eliæ cæterisque amicis, & in hunc finem (dicit S. Scriptura) mactauit par boum, quos aratro adiungere & sub iugum ducere solebat, disrupit deinde confregitque aratrum, & huiusmodi lignis coxit carnes: *tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes.* v. 21. Obstupesco hîc N. & attonitus totus hæreo, mirum profectò factum; etenim si Eliseus iam volebat suo Magistro lautum parare conuiuium, cur non ferinas apparauit carnes, cum easdem facilè habere potuisset? cur igitur mactauit boues, & quidem duos integros magni ponderis & molis pro perpaucis hominibus? Deinde non parum demiror, cum eundem contemplor destruentem aratrum & lignis illius coquentem carnes boum; vt quid perditio ista? num fortè alia deerant ligna, vt aratro cogeretur coquere carnes? nihil actum est absque mysterio, inquit Abulensis quæst. 16. in hunc locum. Eliseus voluit toto corde deserere mundum, & sequi Magistrum suum Eliam, qui viam tenebat cœlum versus; sicque mactando boues, destruendo & comburendo aratrum, voluit deperdere, destruere & annihilare primitus omnes, quæ ei potuissent esse impedimentum in viâ perfectionis & profectu ad regnum cœlorum, & quæ etiam illi occasionem pristinum repetendi statum subministrare potuissent: *mactauit par boum* (inquit Abulensis) *faciens solemnitatem omnibus amicis & cognatis suis, quia nunc recedere volebat ab eis tanquam nunquam rediturus ad statum eorum. Et in aratro boum coxit carnes. Hoc fecit non tanquam non alia ligna, sed quia transire volebat ad Dominum, omninò volebat renunciare sæculo, ita vt nihil relinqueret in illo quod ad se pertineret.* Hic est securior & verus modus seruiendi Domino Deo, si nimirum omnis tollatur occasio, quæ nobis potest esse impedimento ad consequendum hunc bonum finem.

In lib Iob cap. 1. reperi aliquid, quod omnibus ansam præbuit expositoribus intricatas ventilandi difficultates. Dicit ergo sacra Scriptura, quod convivantibus & epulantibus filijs Iob, hic Dei effervescens zelo & honore timensque ne Deum offenderent filij, indies obtulerit sacrificia & pro illis deprecatus fuerit Dominum: *ne fortè peccaverint filij mei.* cap. 1. vers. 5. & quî hoc, ô sanctissime Propheta? Ergòne de filijs tam bene natis, educatis, tam ciuilibus imbutis moribus suspicionem malam nanciisceris, quasi Deum quotidie offenderent? imò, respondet ille, id suspicor & meritò, Num. 6.

quia non est homo adeò perfectus & prouidus, qui positus in occasione non delinquat, vel cuius oblatâ peccandi occasione, opera & facta ad minus non sint dubia & suspecta: quia ergo indies adverto filios meos lætos & epulantes & sub epulis promptissimas offerri cognosco occasiones offendendi Deum, propterea eundem pro eorum exoto salute & vitæ incolumitate: *ne fortè peccaverint filij mei.* Hebræus legit: *ne fortè deuient.* Occasio enim facit nos aberrare à viâ cœlij, & in perditionis deducit vitam; nullus ergo fidat plurium annorum mortificationi, non habitui virtutum, non denique paci, quam promittit sensus, sed vitet & fugiat occasiones; hoc enim omnium securissimum est.

Num. 7. Fortis erat Iob, inquit S. Ioan. Chrysostomus homil. cont. Conub. & talis quidem fortitudinis, vt Deus ipsemet atteстatus fuerit; non reperiri ei similem in toto terrarum orbe; nihilosecius cum proprijs oculis factum inijt illos semper custodiendi & seruandi modestos, ne mulierum intuerentur decorem. Estne possibile, quod oculi hominis sancti, recti & simplicis, qui proprio ore fassus est, se per totam vitam nullius fuisse conscium peccati, non fidant se aspectui mulierum etiam transeunter duntaxat: *pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Iob cap. 31. vers. 1. & nos stulti, insensati & vecordes anatomiam auderemus facere circa fœminarum aspectus & vultus decoros, nec vllam prætermitteremus occasionem?

Sanctus Ioannes Baptista sanctificatus fuit in vtero materno, ait S. Hieronymus in Epistol. ad Rust. tametsi etiam haberet Matrem sanctam & Patrem Pontificem; nihilominus, vt se de salute suâ certificaret, omnemque tolleret peccandi occasionem etiam leuissimam, adhuc existens puerulus asperum & horridum abiuit inhabitatum desertum; audite verba D. Hieronymi: *Sanctam quidem habuit matrem, Pontificisque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis.* Vnde & de ipso cauit S. M. Ecclesia.

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Ad euitanda igitur peccata, quæ nos conducunt ad præcipitium mortis æternæ, tollantur occasiones; secus difficillimum erit effugere illa. Possetisne N. assignare mihi causam ignominiosi lapsus Regij Prophetæ? cur nimirum Dauid ille, qui tot fortissimos debellauit hostes, toties in fugam conuertit Philistæos, Ammonitas, Amalechitas & alios inimicos, tot denique insignia patrauit stratagemata, visę è palotio regio mulieris captus amore infame illud commiserit adulterium? interrogate D. Augustinum in Genes. & vnicam respondebit fuisse causam, quia non euitauit occasionem: *Dauid enim ille sanctissimus in mille passionibus pressus vidit mulierem nudam, & adamauit eam, & statim homicidium simul fecit & adulterium.* Et concludit deinde, omnesque illos pronunciat amentes, qui occasionem amantes, victores nihilominus se euasuros credunt, cùm victoriam quis obtinere non valeat nisi per fugam: *& qui cum mulieribus habitantes putant se castitatis obtinere triumphum, ignorant se apud Deum dupliciter reos existere, dum se ipsos in periculum mittunt, & alijs exemplum peruersa familiaritatis ostendunt.* Num. 8.

Et ego subiungo, quod peccati amare occasionem, & non incidere in illud impossibile est; vnde necessarium est, Deus ostendat ac demonstret mihi aliquo signo vel miraculo, quo credam contrarium. Sic lecturi Actus Apostolorum c. 6. reperietis, quòd, quando sanctus Protomartyr Stephanus aderat Concilio Scribarum & Pharisæorum, hi viderint faciem eius vultui Angelico similem: *& intuentes*

tuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli, loc. cit. vers. 15. super quem locum inquirit D. Augustinus, cur Deus voluerit faciem S. Stephani adeò esse relucentem & radiantem? an fortè, vt toti innotescat mundo vitæ eius sanctitas; ad hoc sufficiebant miracula & prodigia illa, quæ faciebat in populo: *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.* Act. cap. 6. vers. 8. quænam igitur fuit causa istius; respondet Sanctus Augustinus serm. 5. de S. Stephano & ait, quod Apostoli vnanimi omnium consensu destinauerint S. Stephanum in dispensatorem eleemosynarum distribuendarum egenis & pauperculis mulieribus, in quo dispensationis actu loquendo & conuersando cum illis, nihil prorsus maculauit candorem puritatis suæ, & vt totus mundus cognoscat veritatem huius rei, ideò benignissimus Deus publicum voluit istius fieri testimonium faciendo vultum S. Stephani adeò luminosum & resplendentem tanquam vultum alicuius Angeli; *viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Audite nunc verba D. Augustinus: *propositus fœminis testimonium meruit syncerissimæ castitatis.* Mirum sanè N, vnus Stephanus, qui faciebat signa & prodigia in conspectu totius populi, tametsi repletus esset Spiritu S. voluit nihilominus Deus, vt in signum puritatis eius virginalis facies illius resplendeat instar vultus Angelici; vt nos instrueremur, difficile esse creditu, quemcumque etiam adolescentem & iuuenem conuersari cum mulieribus ad puperiem redactis, & non descedare puritatem suam; nisi Deus contrarium demonstret aliquo signo vel miraculo. Eideò dicit S. Bernardus serm. 65. in Cant. *Maius miraculum est, inter vehementes occasiones non cadere, quàm mortuos suscitare.*

Num. 9. Magna igitur est vis & efficacia occasionis ad nos præcipitandos in plurima & ferè innumera vitia & scelera; vnde planè illam fugiamus oportet. Ideò Nazarenis, quibus à Deo fuit interdictum vinum, prohibitæ quoque fuerunt vuæ recentes & siccæ. Ideò etiam, cum prohibita fuit idololatria, ordinatum fuit, vt nullus auderet tangere aurum, è quo conflabantur Deorum simulachra. Et mortis rei fuerunt Iudæi illi, qui sub Iudâ Machabæo in bello & pugnâ contra Gordiam asseruare voluerunt aurum. 2. Machab. 2. & nostra prima Mater Eua, quia cognoscebat occasionis efficaciam, ideò hunc in finem affirmauit, à Deo sibi datum fuisse præceptum non tangendi pomum, tametsi esus illius dumtaxat fuisset interdictus, eique imposita mortis pœna: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Genes cap. 2. vers. 17.

Perlegite N. caput 26. S. Euangel. Matth. & comperietis, quod Petrus tempore passionis Christi Domini ingressus domum Pontificis tribus vicibus negauerit Redemptorem & Magistrum suũ, &, vt agnouit errorem suum, exiuerit foras amarissimis deplorans lachrymis peccatum suum: *& egressus foras fleuit amarè*, loco citat. versic. 75. vt nobis innotesceret, ait Nicolaus Liranus lib. 4. in Leuit. quod peccator post commissum peccatum & post peractam pœnitentiam & confessionem non solùm se separare debeat à peccato, verùm etiam ab occasione peccatorum: *Quia* (inquit hic Doctor) *peccator debet esse elongatus de cætero non solùm à peccato, sed etiam ab occasionibus eius. Egressus igitur foras, fleuit amare.* Num. 10.

Et vt verum fatear N. magis expedit belligerare & pugnare cum diabolo, quã concertare cum occasione. Ita legitur de Sampsone, (cui tanquam Nazareno prohibitum fuit non duntaxat bibere vinum, sed etiam comedere vuas licèt siccas) cùm in externas & peregrinas proficisceretur regiones vxorem ducendi causâ ex vnâ parte viæ obuium habuit leonem minitantem ei mortem, ex aliâ verò parte florentissimam & frugiferam vineam matu- Num. 11

ris oppletam vuis; miser Sampson inter duos hos constitutus inimicos indicauit potiùs decertandum esse cum Leone, quàm fugiendum in vineam, ne gulæ præberet occasionem delinquendi contra præceptum diuinum; vnde magnus Basilius lib. *quod Deus non est causa malorum*, in hæc prorupit verba: *Scio Sampsonem victorem esse Leonis; sed si in vineam ascendisset, nescio quid illi accidisset.*

Num. 12. Prætereà fugiendæ sunt occasiones tametsi sint mortuæ. Annon recordamini N. istius adolescentis, qui accessit rogatum Christum, vt ipsum suscipere dignaretur in numerum discipulorum eius; ast primò illi petet licentiam sepeliendi parentem suum: *Domine permitte me primum ire & sepelire patrem meum.* Matth. cap. 8. vers. 21. quibus subiunxit illicò Saluator noster dicens: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, v. 22. Quidā Doctor modernus causam inuestigat, cur benedictus Redemptor noster noluerit dare licentiam huic adolescenti, vt exequeretur primò hoc opus misericordiæ tamque meritorium, vti erat sepelire patrem mortuum? & respōdet, quod pater huius adolescentis semper ipsum impediuerit, ne sequeretur Saluatorem, quemadmodum ille desiderabat, & eodem illo tempore, quo mortuus est pater, petijt à Domino nostro licentiam sepeliendi illum, quod huic adolescenti meritò denegauit Christus, quia ille adhuc viuus occasionem præbuit filio, vt hic de die in diem differret sequelam & imitationem Christi, & proptereà vult, vt illum etiam mortuum fugeret & non accederet; quò nos doceret, occasiones etiam mortuas esse fugiendas & vitandas.

Recenset sacra Scriptura 2. Reg. ca. 21. quòd Dauid Regi in certâ quadam pugnâ contra Philisthæos sese obtulerit occasio pugnandi cum superbo quodam Gigante, idque cum euidenti vitæ periculo; vnde milites exercitus Israëlitici consultum omninò existimarunt, vt Dauid deinceps nullâ ratione se ingereret negotijs belli, armorum tumultui & prælijs, sed domi remaneret ac totum se daret quieti: *tunc iurauerunt viri Dauid dicentes: iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël*, loco citato vers. 17. cur amabo, Dauid senio confectus & decrepitus tam intrepido animo desiderabat ire ad bellum? Vultísne scire causam, ait quidam modernus Doctor? Accidit vice quadam, quemadmodum enarrat sacer textus 2. Reg. cap. 11. quod militibus procedentibus ad bellum ipse solus remanserit in ciuitate, & demorando ibidem & ambulando in solario domus Regiæ in grauissimum prolapsus fuerit peccatum adulterij; vnde quamuis occasio fuisset mortua, quia iam senuerat; memor tamen præteritorum malorum, quorum vnica causa extitit occasio, ideò cupiebat ire ad bellum, fugere ciuitatem & petere campum; vt nos instrueret occasiones tametsi mortuas esse fugiendas, si nos conseruare velimus in gratiâ Dei, & victoriam optemus reportare de inimicis nostris. Ita quoque exhortatur nos D. Augustinus serm. 250. de temp. cùm ait: *in occasione peccandi apprehende fugam, si vis inuenire victoriam, nec tibi verecundum sit fugere, si palmam desideras obtinere.* Num. 13.

Oculus Dei.

DISCVRSVS LIV

De admirabili virtute & efficacia aspectus & respectus oculorum Dei.

Num. 1. Apientissimus conceptus, gratiosa profectò fuit N. illa inuentio Sapientum Thraciæ, hi namque (vt author est Cydon. Apollon.) demonstraturi & laudaturi occultam oculorum diuinorum vim & efficaciam finxerunt lucidissimum quendam Solem, qui tres clarissimos & resplendentes è suo prædiuite sinu diffundebat radios; & primus illorum respiciebat quendam mortuum, qui suscitabatur ad vitam; secundus se extendebat ad durissimam quandam petram, quam disrumpebat, quassabat ac diffringebat in minutissimas partes; tertius collimabat in præaltum quendam montem opertum & oneratum niue, quàm dissoluebat; quibus omnibus hæc apposuerunt verba: *Oculi Dei ad nos.* Et vt veritatem fatear præclarè ac doctissimè circa hoc propositum philosophati sunt Sapientes illi; siquidem annon beatorum illorum oculorum, qui à sapientissimo rege Salomone ipso sole appellantur lucidiores: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem.* Eccles. ca. 23. versic. 28. proprietas est dare vitam mortuis? Id affirmat Tobias, qui morti proximus auidusque vitæ temporalis simul & æternæ dicebat Deo: *Ad te Domine, faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.* cap. 3. vers. 14. Si alij sunt duri cordis, quis alius eos emollire potest, nisi aspectus oculorum Dei? Perspicuum huic dabit testimonium Propheta Iob: *Oculi tui in me, & non subsistam,* cap. 7. vers. 5. denique si in alto monte superbi & arrogantis cordis cuiuscumque etiam hominis frigida aliqua inueniatur nix, attingaturque à radio sacri huius aspectus, & confestim liquefiet & dissoluetur. Id fatetur sponsa Cant. 5. vers. 6. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est dilectus meus.* O mirabiles & stupendos effectus huius Sacrosancti oculorum aspectus.

Neque id mirum videatur N. etenim Num. 2.
si Christus benedictus de semetipso dicat se esse vitam: *Ego sum via & veritas & vita,* Ioan. cap. 14. vers. 6. & è summo cœlo descenderit in terram vt omnibus largiretur vitam: *Ergo veni vt vitam habeant & abundantius habeant.* Ioan. c. 10. vers. 10. ac totum illud erat vita, quod in eo erat, teste D. Ioanne cap. 1. *quod factum est in ipso vita erat.* vers. 4. & ipsius verba erant malleus iuxta testimonium Ieremiæ: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* cap. 13. vers. 29. & ante ipsum propter nimium æstum nullus poterat stare aut ei resistere: vti ait Propheta Nahum: *Ante faciem indignationis eius quis stabit, & quis resistet in irâ furoris eius?* cap. 1. vers. 6. Quid mirum igitur, tales produci effectus ab oculis illis sacratis nunc suscitantibus mortuos, nunc durissimas diffringentibus petras, nunc dispellentibus frigiditatem imò ipsam glaciem & niuem dissoluntibus? *Oculi Dei ad nos.* Recognoscamus planè ab oculis diuinis totum nostrum prouenire bonum.

Percepistis abs dubio hactenus prodigia Num. 3.
terræ promissionis, è quà lactis & mellis diffluebant riuuli, quemadmodum

ipsemet

ipſemet benedictus Deus proprio id ſaſ. ſus ore promiſit Hebræis : *Dabo vobis in hæreditatem terram fluentem lacte & melle*, Leuit. cap. 20. verſ. 14. Verùm vnde tanta proceſſit abundantia in iſtis terræ partibus? Fortè ex naturali terræ illius proprietate, abundantiâ aquarum, aëris ſalubritate, vel ex aliâ quadam occultâ & ſecretâ causâ? Doctiſſimus Genebrardus illius reddit rationem commentando in Pſal. 47. & dicit : *Fluebat lacte & melle non quidem loci naturâ; ſed Dei benedictione de cœlo expectans pluuias quam Dominus Deus inuiſebat, & oculis ſuis intuebatur à principio anni vſque in finem.*

Nullus igitur miretur terram illam fuiſſe fœcundam lactis & mellis abundantem riuulis, quia vbicunque oculi diuini collimant ſuumque dirigunt aſpectum, tanta ibidem reperitur rerum abundantia & affluentia, vt ſit mirum.

Num.4. Subintelligo modò cauſam, cur ſanctus Propheta Iob inſtantiſſimè Deum deprecatus fuerit, vt benignos & diuinos ſuos in eum defigeret oculos: *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam.* cap. 7. verſ. 8. ac ſi diceret: hoc, ô Domine, præ reliquis mihi à diuinâ Maieſtate tuâ exhiberi ſupplico beneficium, vt oculos tuos ad me conuertas, nam ſi vnicum duntaxat temporis momentum orbatus fuero perbenigno oculorum tuorum aſpectu, illicò de me actum erit, & peribo: ita hunc locum expendit doctiſſimus Pineda: *Figito tuos in me oculos, illumina vultum tuum ſuper me; nam ſi faciem tuam auertas, peribo, non ſubſiſtam.* Etenim probè cognouerat patientiſſimus Propheta, omnium beneficiorum, gratiarum & donorum cœleſtium vnicam eſſe cauſam diuinum aſpectum, ſciuerat inſuper, quod Deo auertente ab eo diuinum ſuum aſpectum annihilandus eſſet & deperdendus: *Peribo & non ſubſiſtam.*

Num.5. Præcepit Dauid Propheta Secretarijs ſuis, vt regni inſcriberent annalibus, ac diligentiſſimè annotarent, quod Deus quadam vice de cœlo reſpexerit in terram, idque in eum finem, vt poſteris illius tantum tamque eximium innoteſceret beneficium, & memores ſingularis adeò gratiæ non ceſſarent laudare immenſam Dei bonitatem & infinitas ei reddere gratias: *Scribantur hæc in generatione alterâ, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Pſalm. 101. verſ. 19. *quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit*, verſic. 20. Sed quid ſingulare vnicus ſolus Dei aſpectus in terris operari potuit, quod Dauid illum pro tam ſingulari & extraordinario æſtimet ac deprædicet fauore & beneficio, quodque illum iudicet æternâ dignum memoriâ? Audite, quid hac ſuper te decidat D. Gregorius Papa, & eximium illud clarè percipietis beneficium: *De cœlo in terram aſpexit, vt cœlum fieret, qui terra fuit.* Oculi ſiquidem Dei tantæ exiſtunt efficaciæ & virtutis, vt cùm reſpiciunt terram, tot illam adimpleant bonis, tot ditent opibus ac diuitijs, tantiſque repleant & dotent delitijs, vt non iam terra, ſed cœlum videatur: *vt cœlum fieret, qui terra fuit.*

Num.6. Quæ hucuſque aſſeruimus, adeò conſona ſunt veritati, vt quaſi ſit impoſſibile, quod Deus nos benignè aſpiciat, & non faciat nos abundare cœleſtibus donis & gratijs. Tempore illo quo Hebræi à ſuâ longiſſimè aberant & diſtabant patriâ, & ſub duriſſimâ Regis Babyloniæ conſtituti erant ſeruitute, Propheta Ieremias, qui & iiſdem ſubiacebat calamitatibus & miſeriis, amaras fundens lachrymas in hunc loquebatur modum: *Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, eò quòd non eſſet requies.* Thren. cap. 3. verſ. 49. *donec reſpiceret, & videret Dominus de cœlis.* verſ. 50. q. d. tot tantiſque grauiſſimis opprimor malis & aduerſitatibus, vt niſi Deus me reſpexerit, oculi mei ſemper emittant lachrymarum flumina. Adnotate benè N. verba Prophetæ huius & obſeruate, quod non dicat, ſe ceſſaturum à planctu, quouſ-

quosque aduersitates eius & mala sortiti fuerint finem;sed quousque eum Deus respexerit? *Donec respiceret & videret Dominus de cœlis.* Vt intelligeremus, ait Rupertus Abbas lib.1. in Ierem. cap.79.tribulationes, aduersitates & miserias,quas in hac vitâ patimur, tunc consecututas finem suum, quando Deus benignum in nos figet aspectum; cùm sit impossibile, quod aspiciat & non consoletur eos, quos aspicit: *Cuius aspectus & visus* (inquit Rupertus) *& antiqua captiuitatis solutio, & præsentium captiuorum, qui in Babylonem ducti sunt, consolatio est.* Quapropter in tribulationibus non nisi vnicus diuini aspectus radius petendus & procurandus est, quo quicunque dotatus & dignus factus, summopere lætatur & exultat, nec maiorem hac appetet fœlicitatem.

Num.7. O efficaciam diuini aspectus ad flectenda & emollienda etiam durissima & saxea peccatorum corda aptissimi! quæ & sic emollita adimplet deinde diuino fauore & cœlesti gratiâ. Apposiè hic inseruit nobis, quod narrat Plinius lib. 3. Histor. natur. cap. 12. nimirum in Phrygia regione minoris Asiæ certos quosdam reperiri lapides & petras, quæ tametsi naturâ suâ sint durissimæ, attamen ardentibus Solis percussæ radijs tam copiosos & abundantes emittunt aquarum riuulos, vt vicinos irrigent campos quos & fœcundos ac frugiferos adeò efficiunt, vt quasi videatur prodigium matris naturæ, eiusque Authoris miraculum. Verùm cedant illi diuinis hisce perbenignis Christi Saluatoris veri Solis iustitiæ radijs, quantæ hi sint efficaciæ, quantæque existant virtutis attestabitur Apostolorum Coriphæus S. Petrus durissima primitùs petra ob peccatum trinæ negationis, quando deinde hanc petram adeò duram tetigerunt solares illi & diuini radij, quando, inquam, ardentissimus & lucidissimus Sol Christus *respexit Petrum.* Luc. 22. vers. 61. tanta ex eo scaturire cœpit aquarum abundantia, vt aridam cordis sui irrigauerit terram, eamque fœcundam & abundantem reddiderit pœnitentiæ fructibus. Ex quo sat dilucidè constat effectum illum attribuendum esse efficacibus animati Solis huius radijs, *conuersus Dominus respexit Petrum.* loc. cit. *& egressus foras Petrus, fleuit amarè.* loc. cit. vers. 62. In quem locum S. Ambrosius lib. 10. in Lucam sic discurrit: *Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus; negauit secundò, non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus; negauit tertiò, & respexit Petrum, & ille amarissimè fleuit.*

Et sanè N. oculi diuini hic effectus est & operatio, vt dirigatur, & defigatur in filios Adam & horum motus compassione quæcunque eis conferat dona & beneficia, euidenter id contestatur venerab. Beda in cap. 26. Matth. dum ait, *Respicere Dei est misereri: ideò aspectus diuinæ misericordiæ nobis est necessarius.* Hinc Dauid agnoscens tot à diuino aspectu deuenire bona, deprecabatur Dominum Deum vt aspicere se dignaretur: *Aspice in me, & miserere mei,* Psal. 118. vers. 132. q. d. dignare, ô Domine, perbenignis & diuinis tuis misericordiæ, oculis semel duntaxat me aspicere quia ex illis deinde promicabunt & in me deflectentur aurei radij diuinæ tuæ gratiæ & misericordiæ. Nam *respicere Dei est misereri.* Num.8.

Admirabilem hanc aspectus & oculi diuini virtutem & efficaciam optimè cognouerat vir ille apud S. Euangelistam Lucam. cap. 9. qui cùm filium haberet oppressum à dæmone, accessit Christum Dominum, dixitque ei; *obsecro te, respice in filium meum.* loc. cit. vers. 38. Titus Bostrensis apud S. Thomam in cat. ponderando verba à viro illo dicta, & aduertendo non esse accommoda petitioni gratiæ, quam petitum venerat, inquirit; cùm iam venerit vir ille ad Christum postulatum remedium pro dilecto suo filio ob esso Num.9.

obſeſſo à dæmone,cur ſolùm dixit : *Reſpice in filium meum* , & non ſubiunxit quoque:ſana & libera eum à diabolo ? Et reſpondet:*Sapiens videtur hic eſſe; non enim dixit Saluatori : fac hoc vel illud ; ſed reſpice , hoc enim ſufficit ad ſalutem.* Ac ſi dixiſſet : nullus cenſeat hunc hominem ſtolidum & ignarum eo ipſo, quòd à Chriſto Domino dumtaxat petierit, vt reſpiceret in filium ſuum,meo enim calculo ſapienter & prudenter locutus eſt;ſciebat namque,quòd Saluatore reſpiciente in filium, ſine morâ hic recepturus eſſet priſtinam ſanitatem, cùm oculi Dei nunquam ſoleant nos aſpicere, quin ſimul conferant gratias , dona & beneficia cœleſtia , & propterea non niſi vnicum petijt aſpectum & intuitum: *Reſpice in filium meum. Hoc enim ſufficit ad ſalutem.*

Obſtupeſcite cœli,& admiramini hanc oculorum diuinorum virtutem & efficaciam : qui lucidiſſimo lucidiores ſole quamcumque obtenebratam illuminant conſcientiam. Et quaſi fortiſſimi & duriſſimi funes trahunt ad Deum quodcunque cor rebelle & obſtinatum , vnde non ſine magno myſterio S. Ioannes in ſuâ Apocal. cap. 10. dicit oculos Saluatoris noſtri eſſe inſtar flammæ ignis : *Oculi eius tanquam flamma ignis* , verſic. 12. Quod idem eſt dicere , illos adeò fuiſſe efficaces tantæque virtutis, vt eos, quoſcumque intuebantur, inſtar ardentis flammæ in diuinum ſuauiter accenderent amorem ; vnde S.Hieronymus lib. 5. Comment.in cap.9. Matth. *Certè fulgor ipſe & Maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ facie relucebat,ex primo,ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.*

Num.10. Modo N. percipietis quoddam myſterium , quod vobis omninò credo eſſe occultum,manifeſtatum tamen à D.Hieronymo in cap.26. Matth. & eſt circa illud,quod cõtigit Chriſto nocte paſſionis ſuæ; quando nimirum impij & ſcelerati Iudæi poſt tot contumelias , irriſiones, blaſphemias , alioſque deſpectus & iniurias ei illatas cooperuerunt (vt ait Sanctus Marcus)faciem eius velo : *Et cœperunt quidam conſpuere eum , & velare faciem eius.* Marc. cap. 14 verſ.65. Horrendum ſanè factum N quod diuinum illum vultum cooperuerint , *in quem* , teſte D. Petro Apoſtolo , *deſiderant Angeli proſpicere.* 1. Petr. 1. verſ. 12. Cùm potiùs illum , ſi fuiſſet tectus & velatus tegere debuiſſent , imò deſiderare illum cum Prophetâ diſcoopertum , quò illius fierent participes miſericordiæ : *Illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri.* Pſalm.66 verſ.2. Reſponſio optimè quadrat huic noſtro propoſito; nouerunt videlicet ſcelerati illi homines , oculos Redemptoris noſtri eſſe perbenignos, amoris affectu pleniſſimos & attractiuos adeò , vt quemcumque ipſis feris ferociorem & crudeliorem, quotieſcumque diuini illius aſpectus repercutiebatur radijs,in manſuetum & mitiſſimum transformarint agnum , veluti plurimos viderant , qui reliquerunt diuitias, renunciarunt parentibus totique mundo nobili etiam prognati proſapiâ,& Chriſtum ſecuti fuerunt oculorum eius dumtaxat tacti & percuſſi lumine.

Inſuper oculi Redemptoris noſtri erant quaſi fœcundantes pluuiæ cœleſtes pœnitentiæ cauſantes fructus;erant quoque tanquam flammæ igneæ congelata peccatorum inflammantes corda. Ne ergo hi peruerſi , obſtinati & indurati Iudæi ſimiles in ſe ſentirent & experirent diuinorum oculorum effectus, admirandam illorum virtutem & operationem impedire nituntur , & ideò velarunt faciem eius : *Cœperunt velare faciem eius.* Audite iam verba D. Hieronymi : *Tam gratioſa & benigna facies Domini erat , vt hoſtes quamuis crudeles eſſent , & cùm odio proſequerentur , non poſſent in eam cernentes, in eum ſæuire , ſed emilliti commiſerabantur, ideò conſilium eorum fuit faciem eius velare, quò atrocius eum cæderent.*

Et S. Ambroſius huic propoſito con- Num.11.

firmiter obseruat in Psal.61. quod Christum benedictum pendentem in cruce prætereuntes blasphemabant scelerati Hebræi : *Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua.* Matth. 27. vers. 39. quâ de causâ,inquit S. Ambrosius,iniurias & despectum Christo illaturi dicturique blasphemias non manent subsistentes in vno eodemque loco, sed blasphemias, contumelias, iniuriasque proferunt obambulando & spatiando ? & acutissimè respondet : *Pulchrè autem ait Euangelista, quia transeuntes mouebant capita sua, transeuntes non stantes, nam si stetissent, & attentè illum considerassent, vidissent sacram illam faciem inter tot opprobria coruscantem & radiantem, atque inde eius diuinitatem agnoscentes ad Dominum conuersi fuissent.*

Subiungit S. Gregorius Papa lib. 30.
Num.12. moral.cap.34. quòd sit effectus, imò miraculum oculorum diuinorum conuertere maximos peccatores eosque reducere ad veram pœnitentiam solo aspectu: *Quid est respicere Dei, nisi ab iniquitate in melius commutare ? conuertit namque quem respicit Deus.* Hinc magnus Patriarcha Iacob morti proximus deprædicando decorem & pulchritudinem filij sui Iudæ dixit de oculis eius : *pulchriores sunt oculi eius vino,* Gen.c.49.vers.12. Planè peregrinum N. hoc mihi videtur paradigma;poterat namque illos comparare oculis columbinis, ad eum modum,quo illos assimilauit sponsus in sacris Canticis dicens de oculis sponsæ : *Oculi tui columbarum,* Cant. cap. 1. vers. 14. quo fine igitur illos comparat vino ? Respondent quæstioni huic SS. Doctores, Iacob discurrendo de Iudâ filio suo propheticè locutum fuisse de excellentiâ Messiæ, quem ipse cum totâ antiquorum Patriarcharum catervâ auidè desiderabat videre in carne ; & quia præuidit in spiritu, quòd oculi Christi Domini in aliquibus maiores & mirabiliores operaturi essent effectus, quàm eiusdē pretiosissimus sanguis in sacrâ Scriptura nuncupatus vinū ; *Lauabit in vino stolam suam,* Gen. cap. 49. v. 11. *hoc est,in passione corporis sui diluet gentes suo sanguine.* Explanat S. Ambrosius de benediction. Pat. cap. 4. & Glossa interlinealis in hunc locum : *Lauabit in vino stolam suam, id est, in sanguine passionis, sui pro nobis effundetur.* Propterea magno cum mysterio dixit, oculos eius esse pulchriores vino *pulchriores sunt oculi eius vino.*

Optatísne veritatis huius exempla, Num.13
ecce Petrum Apostolum & Iudam proditorem. Matth. cap. 26. cum Christus benedictus nocte passionis suæ demoraretur in horto Gethsemani totus mœstus, languidus & sudans sanguinem, accessit & osculatus est eum perfidus ille proditor iuxta signum, quod dederat sceleratis suis consodalibus : *quemcumque osculatus fuero, ipse est tenete eum,* loco citato vers. 48. & faciem suam iungendo faciei benedictæ Saluatoris nostri osculatus est eum ac dixit : *Aue Rabbi,* vers. 49. Nullum prorsus dubium est N. quòd, quia pientissimus Redemptor abundantem adeò sudauit sanguinem, vt defluxerit in terram, impius hic Iudas approximando se benedictæ Christi faciei tetigerit sanguinem ipsius. Sed fuítne conuersus hoc mediante, egítne pœnitentiam pretiosi huius contactu sanguinis ? nequaquam ; imò magis obstinatus & induratus tradidit Dominum suum inimicorum manibus. Petrum deinde constitutum in domo Caiphæ & ob trinam illam negationem rebellem factum charo suo Magistro oculus respexit Saluatoris nostri, & ecce sine morâ se conuertit, exit foras,& amarissimè plangit : *Respexit in Petrum.* Luc. 22. vers. 61. *& egressus foras Petrus fleuit amarè.* loc. cit. vers. 62. Ecquæ mutatio hæc est, ô Petre ? quòd ad simplicem Christi respectum plangas, & de tam enormi peccato dolens ex toto corde rigorosissimam agas pœnitentiam; Iudas verò ad aspectum imò contactum sanguinis benedicti Redemptoris magis magisque

magisque maneat durus, obstinatus & rebellis? nulla alia huius assignari potest ratio, nisi quia aspectu illum efficaciter conuertebat quoad manifestationem effectuum externorum, quod non faciebat suo sanguine, sicque verificatum fuit illud dictum S. Patriarchæ Iacob: *Pulchriores sunt oculi eius vino.*

Quapropter cùm oculus Dei sit tam efficax ad conuertendam animam, dicamus ex toto corde pientissimo & benignissimo Deo cum prophetâ regio: *Aspice in me, & miserere mei.*

Oratio eiusque conditiones.

DISCVRSVS LV.

De mirabili virtute & efficacia orationis, & quasnam, vt exaudiamur à Deo, postulet conditiones.

Num. 1. On minus perelegantem, quàm curiosam Scriptores tum sacri tum prophani proposuerunt quæstionem, mouerunt difficultatem, cur videlicet nostra protoparens & Archimater Natura reliqua omnia animantia tum gressibilia, tum natatilia, tum denique volatilia quodam dotauerit instrumento, tam defensiuis quàm offensiuis præmunierit armis, aquilam, Leonem & Leopardum vnguibus, taurum cornibus serpentem veneno, acutis ericium spinis, squamis pisces, corio imò cataphractâ balænam; hominem verò produxerit omninò imbellem, inermem ac prorsus ineptum tam ad sedefendendum quàm offendendum alios, teste patientissimo Prophetâ Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, cap. 1. vers. 21. dubium hoc subtilissima etiam totius mundi ingenia rapuit in admirationem, ex qua & subortum est, vt effectus tam prodigiosi inuestigauerint causas & rationes; quarum vnam in medium proferunt Plato & Plutarchus, dicentes naturæ mentem fuisse, vt homo loco armaturæ suâ vteretur prudentiâ, discursu & ratione, quâ solâ ille inter cætera omnia animalia dotatus fuit. Aliam adfert Author operis imperfecti homil. 18. in Matth. dicitque Deum voluisse esse hominis arma, loricam & propugnaculum, eiusque agere voluisse defensorem, iuxta illud dictum Zachariæ Prophetæ: *& ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu* cap. 2. versic. 5. aliam suggerit rationem D. Chrysostomus lib. 2. *de orando Deum*, & ait, homini datas fuisse manus, quibus sibi omnis generis arma conficere & parare posset; sed conformiorem nostro proposito adfert D. Gregor. Nyssenus super Cant. cum ait, Deum voluisse, vt sola homini sufficeret vox; hæc enim inseruiret ei pro quocumque instrumentorum armorumque genere; vnde hac si quis se præmuniat vtaturque in orationis exercitio, à Deo quæcumque impetrabit necessaria, hæc sufficiens propugnaculum est ad eludendos & reprimendos quoscumque inimicorum insultus. Videtur hic conceptus profluxisse ex fonte Nysseni homil. 7. in Cant. sed prodijt ex horto Salomonis, qui deprædicando sponsam hoc ei occinit laudis encomium: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura for-*

 tium,

tium. Cant. 4. vers. 4. D. Gregorius Nyssenus dicit in hunc locum, collum non esse aliud nisi deuotæ & puræ animæ deuotionem; est quænam isthæc sunt ornamenta è collo sponsæ dependentia? arma sunt & clypei: *Mille clypei pendent ex eâ omnis armatura fortium.* Vel vt legit Nyssenus: *omnes hastæ potentium.* Sed cupitisne scire qualia sint hæc arma, hæc scuta & clypei è turri Dauidicâ suspensi? Voces sunt, quas orans anima emittit in cælum, arma sunt & clypei, quia hisce vocibus cunctas nostras, quas patimur aut passuri sumus, tribulationes, calamitates & miserias, quibus aut pluit cœlum, vel quæ redundant ex terrâ, aut erumpunt ex inferno, tanquam munitissimis armis retundimus ac repellimus. Oratio, inquam, nobis debet esse scutum, clypeus in infirmitate, paupertate, morte filiorum, tempore famis, pestis & belli, in omnibus denique tribulationibus & angustijs nostris: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.*

Num. 2. O fortissimam armaturam! o gladium acutissimum orationem! *magna arma sunt preces,* dicit D. Chrysostomus homil. 13. in cap. 6. Matth. & hoc fortassis significare voluit cœlestis sponsus, quando in suâ perdilectâ sponsâ conspexit, & deprædicauit diuersos Choros exercitus: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Cantic. 7. vers. 1. super quem locum summoperè obstupescit S. Theodoretus, eò quòd Spiritus sanctus choros coniungat armis; arma ad milites, ad religiosos chori spectant; vnde dicit: *Quid chori cum castris? Neque enim castris conueniunt chori: pax enim bello contraria est.* Nullus est, qui hæc duo incompossibilia esse nesciat; si quidem in choro religiosi, in castris demorantur milites, in choro psalteria, breuiaria & diurna, in castris gladij, bombardæ & alia tormenta & instrumenta bellica reperiuntur: in choro silentium & deuotio, in castris strepitus & rumores: in choro ordinatè psallitur, in castris confusi excitantur strepitus; in choro Christi, B. Virginis aliorumque sanctorum conspiciuntur imagines, in castris galeæ, loricæ, vexilla, tympana & tubæ, in choro humillimè petimus, in castris superbè prætendimus. Ecquæ igitur hæc est comparatio? *Nimirum* (prosequitur idem Theodoretus) *natura orantis animæ per hoc nobis exprimitur; etenim dum apud altissimum preces fundit, & musici officium facit & militis.* Sed quomodo quispiam hisce duobus contrarijs officijs fungi potest? vultisne scire modum, inquit Theodoretus? *Musici quidem, dum placat iram; militis verò, dum vincit inuincibilem.* Vnde regius Propheta loquendo de animâ orante dixit: *Exaltationes Dei in gutture eorum,* Psalm. 149. vers. 5. tamquam turmæ intrepidorum militum astant fideles cantantes hymnos & psalmos in honorem Dei, qui non nudæ duntaxat voces censendi sunt, verùm & præacutorum ensium funguntur officio, quibus decertant, cordisque diuini expugnant arcem. *Et gladij ancipites in manibus eorum.* loc. cit. ita hunc locum exponit S. Ioan. Chrysostomus: *Ostendent per hoc, quod canentes & laudantes sic vincent.*

Adnotate, amabò, mirabile quoddam Num. 3
factum, quod legitur Genes. cap. 48. cùm S. Patriarcha Iacob infirmus, languidus mortique vicinus decumberet animam redditurus Creatori suo, extremæque voluntatis suæ conditurus instrumentum, Iosephum amantissimum filium suum, qui mœstus & tristis paterno astabat lecto, instituere intenderet hæredem prænobilissimæ portionis omnium bonorum temporalium, quæ possideret in terrâ hæc illi dixit verba: *en morior, do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* loc. cit. vers. 22. conueniunt huius loci expositores, hanc partem, quam S. Patriarcha Iacob reliquit filio suo Ioseph, fuisse possessionem

sessionem quandam ciuitati Sichimæ proximam, veluti eruitur ex textu Hebræo; verùm dubitatur, quo gladio & arcu eam expugnauerit Iacob, cùm in sacris litteris nullâ istius fiat mentio ? Passum hunc satis difficilem explanat Paraphrastes Caldæus; nam, vbi nos legimus: *in gladio & arcu meo* legit ipse: *in oratione & deprecatione meâ.* Quibus verbis indicare voluit S. Patriarcha, non posse in toto mundo acutiorem reperiri gladium, fortiorem sagittam, potentioremque armaturam, quàm orationem, & propterea meritò ait D. Chrysost. *magna arma sunt preces.*

Num. 4. Primo Machab. cap. 3 refert Spiritus S. de filijs Israël, quòd, cùm hostium copiosissimum exercitum conspexissent confinibus suis appropinquantem, dispo-suerint & se ad pugnam & ad victoriæ obtinendam palmam tum armis, tum orationibus: *& congregatus est conuentus vt essent parati in prælium, & vt orarent;* Machab. cap. 3. vers. 44. stupescit S. Chrysostomus homil. 3. de incomprehensib. Dei de extraordinario modo se parandi ad prælium mediantibus nimirum armis & orationibus, quid oratio confert certamini & pugnæ? multum sanè, respondet os aureum, & legitima inter ea reperitur conuenientia; etenim sicut armis fortiter pugnando obtinetur victoria, ita precibus superamus Deum, adeoque de eodem triumphamus, vt, quod ab eo petimus, nobis denegare nequeat, & hanc ob causam Scriptura diuina arma connectit orationibus: *Et congregatus est conuentus, vt essent parati in prælium & orarent.*

Num. 5. Et si differere velimus de victorijs, quæ mediante oratione obtentæ fuerunt de inimicis tam visibilibus, quàm inuisibilibus adeamus lib. 4. Reg. 6. numerosissimo vice quadam populus Dei circumdabatur exercitu, obsidione hac cingebatur & Eliseus Propheta; & quid fecit hic? num populo præcepit, vt arma caperet ad se defendendum ? Non pro-fectò. Quid egit igitur ? *Porrò Eliseus orauit ad Dominum, dicens: percute, obsecro, gentem hanc cæcitate,* loc. cit. vers. 18. fortissimam arripuit armaturam orationis, & Deus illicò occæcauit hostes eius, adeò vt se inuicem occiderent & necarent. Stupendum hoc factum considerando S. Ambrosius Serm. 1. de Eliseo dicit: *Vbi sunt, qui dicunt, plusquam preces sanctorum arma posse ? Ecce vna oratio Elisei totum exercitum vulnerauit; quæ caterua regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, ita vt hostes prosternerent, & de illis nullus occumberet?* Vero igitur verius est, non inueniri in toto terrarum orbe potentiora arma ipsis precibus, quia, vt ait D. Chrysostomus, *magna arma sunt preces.*

Modo capietis locum illum Num. cap. 22. vbi fit mentio fortissimi exercitus populi Israëlitici: quem cùm Rex Balac die quodam numerosum nimis in campum prodeuntem & regnum suum inuasurum conspiceret, conuersus ad suos belli duces & præfectos dixit væ nobis: *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere?* Num. cap. 22. vers. 4. Mira & insolita hæc est comparatio; siquidem hos linguâ suâ, tanquam præacuto & optimè aptato cultro vel gladio secat & decerpit herbas, neque in hunc finem vtitur dentibus, quibus aliquam demonstrare posset fortitudinem, qualem non habet instrumentum adeò molle, quod nullam hostium stragem facere potest: & tamen ait Scriptura diuina, quod populus Israëliticus linguâ & non gladio dissipauerit & prostrauerit hostiles exercitus, vnde benè 70. interpretes legunt: *nunc oblinget Synagoga hæc omnes, qui in circuitu nostro sunt, sicut oblingit vitulus virentia de campo.* Magnus Pater Origenes asserit se audiuisse à præceptoribus & Antiquis, hunc Scripturæ locum exponi de oratione, quæ adeò potens & for- Num. 6.

tis est, vt cunctos profternat inimicorum exercitus, ita habet hom. 14. in cap. Num. 22. *Nunc oblinget Synagoga hac omnes, qui in circuitu nostro sunt, sicut oblingit vitulus virentia de campo. Quare huiusmodi similitudo assumpta est? ob hoc sine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam campi, & linguâ tanquam falce, quacunque inuenit, secat. Ita ergo & populus hic, quasi vitulus ore & labijs pugnat, & arma habet in verbis & precibus,* Et ideò, inquit Origenes, videns Balac tantam populi Israëlitici fortitudinem & potentiam misit nuncios ad Prophetam Balaam, vt hisce conformia ac similia apportaret arma quibus inimicos suos superare valeret: *Audiente rege Moab, quia populus hic orationibus vincit & pugnat aduersus hostes ore non gladio, mittit ad Balaam, vt & ipse deferat verbis verba contraria & precibus preces, quæ superare possint orationes istorum.* Vt hinc edoceremur, non iam nobis pugnandum esse armis materialibus, sed precibus contra hostes nostros infernales ac certum esse, quòd horum armorum perculsi timore celerrimè à nobis fugient. In hunc modum concludit magnos Pater Origenes: *Non ergo armis pugnandum est nobis aduersus hostes nostros inuisibiles, sed orationibus.*

Intellectu quoque facilis erit locus ille Exod, cap. 13. vbi legitur, quod Deus filios Israël iam liberatos à durissimâ Pharaonis seruitute armatos eduxerit ex Ægypto: *Armati ascenderunt filij Israël de terrâ Ægypti.* Iam petit Origenes homil. 11. sup. Exod. quomodo populus ille, qui vix habuit tempus colligendi sumendique secum vitæ necessaria, potuerit sibi primò procurare armorum prouisionem? & respondet, verum esse, quod nulla secum contulerit arma materialia; armis tamen spiritualibus nimirum oratione fuerit præmunitus, & hisce fortiter pugnando gloriosam de hostibus reportauerit victoriam: *Per quod indicatur* (ait Origenes) *populum Dei non tam manu & armis, quàm voce & linguâ pugnare, id est orationem ad Deum fundendo.*

Armorum horum spiritualium vis & efficacia sat dilucidè pariter euincitur ex insigni illo stratagemate, quod refertur 1. Reg. cap. 17. quando namque Dauid adhuc existens pastor ouium prodijt in campum pugnaturus contra gigantem Goliath, dicit Scriptura sacra, regem Saul tradidisse inermi huic pastori arma, quibus aggrederetur & expugnaret hostem suum philistæum; at indutus armis adolescens inhabilem se prorsus ad concertandum expertus est, quare hisce depositis, sine galeâ, absque loricâ, sine vllis planè armis descendere voluit in arenam, vnde dixit: *non possum sic incedere, quia non vsum habeo.* loc. cit. vers. 39. magnum profectò mysterium N. annon expedijsset ipsi Dauid, vt armis vndique præmunitus prodijsset in campum? Respondet S. Chrysostomus homil. de Dauid & Saul, prouidum hunc adolescentem non multum curasse arma illa materialia, quæ ei suppeditauerat Rex Saul, armatus siquidem erat & præmunitus armaturâ orationis, sicque neque fortitudinem neque minas Goliath timebat; vnde S. Doctor introducit Dauid loquentem hoc modo: *Tu terrenis dimicas, ego cœlestibus pugno, tu in lanceâ, ego in fide, tu in clypeo, ego in precibus.* Omninò enim existimabat prouidus Dauid, orationem esse longè potentiorem quacumque armaturâ materiali; vnde concludit D. Chrysostomus: *Hæc barbarum illum prostrauit, eò quòd priusquam mitteret lapides cum precationis robore fuerat aggressus.* Num. 7.

Idem in aliâ prælij occasione eidem sancto regi & Prophetæ contigit, vti habetur 1. Reg. cap. 18. ambiebat Absalon dignitatem & diadema paternum, & Patri suo coronam & sceptrum vi eripere cogitabat; quare Rex Dauid vt rebellis filij Num. 8.

filij sui arrogantiam & ambitionem comprimeret, numerosum collegit militem, & quia tanquam expertissimus miles non ignorabat, quantum conferret emolumentum propria principis præsentia, insinuauit reliquis se velle in personâ adesse certamini & prodire in campum: *Egrediar & ego vobiscum.* loc. cit. vers. 2. verùm populus prudens & fidelis huic regis resolutioni se opponens dixit: *non exibis:* loc. cit. vers. 3. & hanc adduxit rationem: *Sive media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt, quia tu vnus pro decem millibus computaris; melius est igitur vt sis nobis in vrbe præsidio.* loc. cit. vers. 3. hîc iam non exigua exoritur difficultas N. quomodo, quæso, Dauid potuit militibus maiori esse auxilio remanendo in ciuitate, quàm prodeundo in campum cum eis, aut quomodo is pro decem millibus computabatur: *quia tu vnus pro decem millibus computaris*: Imò dicam ego, quòd, cum ipse sit strenuus expertissimus & bellicosissimus miles maiori ipsis fuisset subsidio, si illos comitatus fuisset ad bellum; in quo igitur ipsorum fundabantur rationes? Doctissimus Abulensis huic proposito conformem & acutissimam assigna rationem; ita loquitur q. 12. in hunc locum: *quia ipse manens in vrbe tantum ageret orando sicut decem millia de euntibus ad bellum pugnando.* Erat Dauid magnus & intimus Dei amicus potens oratione, quâ solus ille plus faciebat, quàm decem millia armatorum hominum dimicando cùm hostibus, quod cùm constaret populo, rationabiliter dixit: *Tu vnus pro decem millibus computaris.*

Num. 9. Inuictissima ciuitas Ierichuntina nullam timebat potentiam & fortitudinem militum, omnem spernebat deridebatque hostium assultum; erat quippe fortissimis vndique septa muris, numeroso repleta populo, aggeribus, propugnaculis, turribus & castellis munitissima, & tamen deuastata & destructa fuit non alijs armis nisi oratione, ipsamet nimis infœlix attestetur idipsum: quomodo cecidisti ô ciuitas superba, ciuitas aliarum totius orbis famosissima & celeberrima? Quisnam fuit ille exercitus tam potens, tam fortis, tam copiosus, qui tuos deiecit muros, deuastauit castella, solo æquauit propugnacula? *Omni populo vociferante, orante*, legunt alij, *& clangentibus tubis muri illicò corruerunt.* Iosue cap. 6. vers. 20. illæ feruentes orationes populi Israëlitici adeò potentes extiterunt, vt ad primum clamorem ceciderint muri, capta fuerit ciuitas, & omnes (solâ exceptâ Raab cum stirpe suâ) fuerint ducti captiui, occisi & mactati, ita sacer refert textus: *Et interfecerunt omnia, quæ erant in ea à viro vsque ad mulierem; ab infante vsque ad senem.* vers. 21. confirmat hanc veritatem suo testimonio S. Paulus Apostolus: *Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem.* ad Heb. 11. vers. 30. & S. Anselmus commentando in hunc locum asserit: *Fide orantium corruerunt, quia filij Israël diuinis promissionibus fidem adhibentes, fecerunt sibi, sicut fuerat imperatum.*

Si ergo talis ac tanta est vis & efficacia orationis, quemadmodum hucusque dictum est, vnde igitur prouenit, quod interdum & sæpissimè non exaudiamur, tametsi Deum ter Opt. Max. instantissimè rogemus & deprecemur? Num. 10.
Duas assignant rationes sacri Doctores, vna est ex parte Dei, & alia ex parte nostrâ; ex parte Dei prouenit, quia gratia illa, quam à Deo postulamus, non conducit saluti nostræ: exempli causâ, videt Deus, quod sanitas, quam enixè petit pia illa mater pro dilecto suo filio, sit futura ruina & perditio ipsius & totius eius domus, imò (quod magis spectandum) animæ, & ideò denegat ipsi illam gratiam. Alius insuper adolescens graui fortassis laborabat morbo, exorat quapropter Deum instanter, vt sibi

fibi priftinam reftituat fanitatem, & ipfe hanc ei denegat, quia præuidet, quod hæc non proderit, fed oberit eius faluti. Audite S. Bernardum tract. de orat. quam dilucidè id hifce fignificet verbis : *Nemo veftrûm fratres paruipendat orationem fuam, ftatim ac ex ore orta eft, vnum ex duobus erit, aut dabit quod petimus, aut quod nouit nobis effe vtilius, negat.*

Si dicerem vobis, Deum noftras interdum non exaudiendo preces immenfum fuum nobis declarare amorem, difficulter mihi fidem faceretis ; euidenter nihilofecius id oftendam : Dauid Propheta conqueftus fuit vice quadam de Deo, dicens ei, quòd die nocteque clamantem & rogantem non exaudiret: *Deus meus clamabo per diem & non exaudies.* Non longè abhinc ipfemet fatebatur, Deum id facere ex mero amoris affectu, quem fibi in hoc cafu demonftrabat : *Et nocte & non ad infipientiam mihi*, vel vt alij legunt: *ad mei amorem non exaudies*, Pfalm. 21. verf. 3. & quem amorem (inquit D. Auguftinus in hunc locum) oftendit Deus feruo fuo non exaudiendo preces illius tam inftanter ipfum deprecantis? Mirum refponfum & paradoxon eft, quod affignat D. Auguftinus, fed Catholica veritas eft, audite ipfius verba: *Si Deus fuos oratores non exaudit, hoc non facit ad eorum infipientiam, vel odium: imò ad amorem, quia fecum vult eos affociatos; dicit enim Propheta: non ad infipientiam mihi non audis, fed ad amorem.*

Num. 11. Vultifne dilucidiorem huius rei probationem, perlegite Epiftol. 2. Cor. cap. 12. & cap. 1. lib. Iob ibi reperietis, quòd S. Apoftolus afflictus & in maximâ conftitutus tribulatione tribus vicibus Deo enixè fupplicauerit, vt eundem liberaret: *Ter Dominum rogaui, ne difcederet à me.* loc. cit. verf. 8 nullam tamen obtinuerit gratiam, neque fuerit exauditus. Defiderabat autem diabolus affligere Iob, petit propterea licentiam à Deo, & ampliffimam obtinet: *Ecce vniuerfa, quæ habet, in manu tua funt* loc. cit. verf. 12. mirum fanè N. non capio hoc paradoxon. Poftulat gratiam quandam Paulus, & ei dicitur: *fufficit tibi gratia mea.* loc. cit. verf. 9. poftulat & gratiam diabolus Deo rebellis & quidem contra intimum & perdilectum Dei amicum, & confeftim illam confequitur. Et quid eft hoc? Abfit omnis admiratio N. Deus enim fummopere amabat S. Apoftolum, & odiò habebat Sathanam, & ideò non illum, fed hunc exaudiuit. Conceptum hunc expreffit D. Auguftinus Epift. 121. quando dixit : *Nonnull impatientibus Dominus Deus, quod petebant, conceffit iratus, ficut Sathanæ fecit Iob affligendi cupido : ficut è contra Apoftolo negauit propitius dicens: fufficit tibi gratia mea.* Sicque quod Deus interdum negat petitam gratiam, id facit ex merâ pietate & compaffione, & fi importunè rogatus & follicitatus eandem concedat, id facit ex mera indignatione: *Multa Deus concedit iratus, quæ negaret propitius*, inquit idem S. Auguft. in 2. Sen. fen. 25. plurima nobis videntur inconuenientia & damnofa, quæ tamen conuenientiffima funt & vtiliffima nobis; furripit tibi Deus, ô Chriftiane, & totam fubftantiam, & fanitatem? gratiam tibi præftat quàm maximam; per hoc namque medium tibi elargiri intendit cœleftem paradifi gloriam: *Multa Deus concedit iratus, quæ negaret propitius.* Quid petis mulier? dignitates, honores, aut virtutes pro filio tuo? *Negat propitius.* Quid petis, ô homo? num fortaffis bona temporalia? *Negat propitius.* Quid follicitas, ô adolefcens, fanitatem? *Negat propitius.* Deus namque peroptimè nouit, quid conducat faluti animæ tuæ : vnde idem dixit D. Auguftinus Deus indignatum plurimas nobis elargiri gratias, quas propitius denegaret : *Deus cum malè aliquid petitur, dando irafcitur, non dando miferetur.*

Progrediamur ad fecundam rationem, Num. 12
cur

cur nimirum Deus nonnunquam non exaudiat preces nostras. Et vnde id prouenit? totum ex nobis, nos sumus in causâ; quia non petimus à Deo gratiam viuâ fide, vti petenda est, & quia valde exiguam habemus fidem, quid mirum igitur est, quod petitam non consequamur gratiam: *Postulet autem in fide*, ait S Iacob. cap. 1. vers 6. *nihil hæsitans*. Qui desiderat è cœlo aliquam obtinere gratiam, hanc viuâ expostulare debet fide absque vlla prorsus vacillatione, & quid inde sequitur? *Non ergò æstimet homo ille, quod accipiet aliquid à Domino*. loc. cit. vers. 7 q.d. non est, quod speres aliquam gratiam à Deo, nisi illam postulaueris verâ & indubitatâ fide.

Num. 12. Perpulchrè nobis hîc inseruit, quod narratur Marc. 8. attulerant incolę Bethsaidæ ad Christum Dominum cæcum quendam, vt eum illuminaret, pientissimus Saluator motus compassione conspiciendo hunc cæcum & redditurus ei visum apprehendit manum eius, & duxit illum nonnihil extra viam: *Apprehensâ manu cæci eduxit eum extra vicum* loc. cit. vers. 23. ibidem imposito sputo oculis cæci huius interrogauit illum Christus, num quid videret: *Et expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret*. loc. cit. propositæ huic quæstioni respondit cæcus: *video homines velut arbores ambulantes*. loc. cit. vers. 24. mirum profectò id mihi videtur responsum; arbores subsistunt immobiles, earumque radices terræ infixæ hærent; quomodò ergo hisce comparari possunt homines? Id euidens videtur esse signum, cæcum illum nondum perfectè recuperasse visum. Quid facit Christus? De nouo admouet manus, easque imponit oculis cæci: *Deinde iterum imposuit manus super oculos eius*. loc. cit. vers. 25. & ecce subito cœcus perfectè recepit visum: *Et cœpit videre & rest tutus est ita, vt clarè videret omnia*. loc. cit. hic moueo difficultatem: duos alios curauit idem Redemptor noster cæcos, vnum solo voluntatis suæ imperio: *& Iesus dixit illi: respice*, Luc. cap. 18. vers. 42. alium solo tactu liniendo oculos eius luto: *Fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius*, Ioan. cap. 9. vers. 6. *& venit videns*, loc. cit. vers. 7. neque vllam prorsus in curandis hisce cæcis sensit difficultatem; cur igitur solum illum ab incolis Bethsaidæ oblatum non curauit statim, vt primò eundem tetigit? quam ob causam secundò eum tangere debuit? *Deinde iterum imposuit manus super oculos eius*. Num fortassis fuit defectus ex parte potentiæ Christi? id affirmare aperta esset hæresis. Quâ de causâ ergo non curauit illum primo attactu; sed necesse fuit, applicaret manus secunda vice? *Deinde iterum imposuit manus super oculos eius*. Respondet Theophylactus in hunc locum & dicit, cæco huic defuisse perfectam fidem, dum primâ vice illuminabatur à Christo; suspicabatur namque & dicebat intra seipsum: estne possibile, quòd homo ille habeat potentiam restituendi mihi pristinum visum? Res hæc facta sat difficilis est, difficulter id credere possum; & quia cæco defuit fides, ideò ad primum contactum non videt, redeunte & tangente Christo Domino de nouo, cæcus se disponit ad sperandum firmiter visum & ad firmam Christo faciendam fidem, & statim quod sperauit & credidit obtinuit. Audite Theophylactum: *Quia neque cæcus ille perfectam habuit fidem, idcirco non statim ipsum respicere facit sed sensim, vipotè integrâ carente fide; iuxta enim fidei magnitudinem & sanitas datur*. Vnde mirum non est, quód nostra modica fides occludat cœlum, Deo illiget manus, ne nobis concedat, quod ab eo nostris precibus efflagitamus.

Alia causa, cur Deus nostras frequentissimè non exaudiat preces, est, quia illum non accedimus debitâ & profundâ humilitate, cùm hæc sit maximè necessaria ad efficaciam orationis. Ad hoc pro- Num. 13.

positum pulchrum considero locum ex Canticis, vbi ait sponsus: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui.* Cant. 4. vers. 9. per oculum intelligit hic Theodoretus orationem, & per crinem humilitatem; intendebat igitur innuere Spiritus sanctus, quod petiturus & adepturus à Deo gratiam aliquam orationi connectere debeat humilitatem, & abs dubio oratio penetrabit cœlũ, transibit ad aures Dei & exaudietur. Ita asserit sapiens: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet donec altissimus aspiciat.* Ecclesiast. cap. 35. vers. 21. quem locum ponderando S. Bernardus Serm. 82. in Cant. dixit: *Quando fidelis & humilis oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit, vnde certum est, quòd vacua redire non possit.*

Num. 14. Imò audeo dicere, orationem fulcitam humilitate certo quodam modo imperare & dominari Deo, quem quasi tenet ligatum & subiectum suæ voluntati. Plinius lib. 2. Histor. natur. refert pro miraculo naturæ, quod piscis Remora tametsi sit minima, attamen affixa carinæ nauis, eandem plenis velis etiam sulcantem maris vndas retardet & immobilem reddat. Ad eundem modum res se habet in vasto pelago Christianarum virtutum, harum omnium minima existit humilitas; ast tantæ virtutis & efficaciæ est, tanto pollet merito apud Deum, vt illum in medio indignationis & furoris cursu immobilem faciat, ne vltra procedere valeat ad pœnam.

Duo ad hoc idem propositum stupenda adducit exempla Rupertus Abbas in cap. 4. Amos lib. 4. primum est de magno legislatore Moyse, qui cùm videret Deũ indignatum contra populum & iamiam paratum ad condignas ei infligendas pœnas, accessit interponendo se inter Deum & populum, ac tantâ instantiâ & humilitate Deum exorauit pro populo, perijt veniam, vt ipsemet Deus precibus Moysis quasi funibus ligatus populum castigare nequiuerit: *Moyses,* inquit Rupertus, *quomodo Deum tenere potuisset dicentem: dimitte me, nisi quia virtute humilitatis confortabatur; stans sicut psalmista ait, in confractione; id est nimiâ mentis humilitate in conspectu eius?* humilitas ergo Moysis tantæ fuit efficaciæ, vt vincere potuerit inuincibilem.

Secundum exemplum, quod adfert Rupertus, est de S. Patriarcha Iacob, de quo dicit: *Et quomodo putamus Iacob potuisse cum Deo luctari, inualuisse cum Angelo, nisi per magnæ humilitatis virtutem, quæ vera est fortitudo?* Si quidem ipsummet deuincit Deum ac facit, vt Deus animæ orantis exaudiat preces quemadmodum prædixit regius Propheta Dauid: *Respexit in orationem humilium & non spreuit preces eorum.* Psalm. 101. vers. 18.

Verùm quid dicemus de perseuerantiâ? Hæc virtus adeò necessaria est, vt absque illâ non consequamur Dei gratiam. Magni ponderis consideratio est, quam facit S. Iohan. Chrysostomus homil. 39. in Genes. dum considerat ætatis annos relatos à Spiritu sancto, quos habuit Isaac, quando nupsit sponsæ suæ Rebeccæ, & quot annos habuit, cùm genuit Iacob; dicit namque eum fuisse quadraginta annorum, quando nupsit Rebeccę, *Abraham genuit Isaac, qui cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam.* Gen. cap. 25. vers. 20. quando deinde Rebecca vxor eius genuit Esau & Iacob, erat Isaac sexaginta annorum: *Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli.* loc. cit. vers. 26. adeoque sterilis mansit Rebecca viginti annis, & toto hoc tempore (ait D. Chrysostomus) perseuerauit Isaac in oratione, rogando Deum vt sibi optatam elargiretur prolem: *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore suâ, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum & dedit conceptum Rebeccæ.* loc. cit. vers. 21. quamuis securus esset promissionis factæ sibi à Deo de obtinendâ prole, nullus tamen

tamen transibat dies, quo non diuinæ misericordiæ pulsabat fores.

Quid igitur nobis faciendum est, qui preces & petitiones nostras nescimus esse licitas & iustas, nec vllius securi sumus promissionis? perseuerantia igitur necessaria est, ait S. Basilius in constit. monast. cap. 2. *Etsi mensis præterijt, etsi annus, etsi triennium, & quadriennium, etsi anni complures; acriter tamen perseuerato, donec impetres.* Ad hanc perseuerantiam seriò exhortabatur sororē suam S. Bernardus cap. 49. & dicebat: *Soror dilecta, ora cum lachrymis, indesinenter, ora iugiter, precare Deum cum lachrymis diebus ac noctibus, oratio sit sine cessatione, oratio sit frequens, oratio de ore tuo non cadat, insiste orationi, surge in nocte ad precem, pernocta in oratione, rursus ora.*

Sed, vt obtineamus à Deo, quod ab eo nostris petimus orationibus, præ omnibus necessarium est N. prædictas vitutes comitetur innocentia vitæ, & orans habeat animam puram & liberam ab omni peccati maculâ. Hinc plurimùm cœlestis sponsus deprædicauit sponsam à dulci & suaui, quam edebat, voce: *vox tua dulcis*; sed statim subiungit: *& facies tua decora,* Cant. 2. vers. 14. vbi ponderat S. Bernardus verba illa, & ait: *Non potest esse loquela orationis dulcis, nisi facies conscientiæ sit decora.* Nostra igitur conscientia munda sit ab omni peccati maculâ necesse est, si nostras preces exaudiri optemus, secus aquam hauriemus cribro: euidens illius dabit testimonium Dauid Propheta: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Psalm. 65. vers. 18. quem locum expendendo S. Augustinus ait: *Propterea exaudiuit me Deus, quia iniquitatem non conspexit in corde meo.*

Num. 17. Dicitote mihi, amabò, N. si accederet vos homo quidam vanus, vagus & raptus quasi, manus habens defœdatas sanguine & peteret à vobis gratiam aliquā, ac sanguinolentis illis manibus vos amplexaretur & constringeret, æqui bonique idq; susciperetis, aut grauiter exinde indignaremini? abs dubio pedibus eūdem protruderetis & repelleretis. Eodem prorsus modo (dicit S. Basilius) agit peccator cum Deo accedens eum petit tum aliquam gratiam: *cùm extenderitis manus vestras* (inquit Deus per os Isaiæ cap. 1. vers. 15. *auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Origenes hom. 1. in Iosue, & S. August. 10. de ciuit. cap. 8. dicunt multiplicatas & calidas orationes esse instar duarum manuum, quæ fortiter constringunt & amplexantur Deum. Et vere, Beda super Exod. ca. 1. affirmat esse veluti manus sanguinolentas. Ergóne admiramini, ô Christiani, ait Deus, quod sæpissimè meas frequentetis Ecclesias, fundatis orationes, multiplicetis preces, & ego aliò respiciam, vos non exaudiam, sed loco exauditionis plures vobis immittam tribulationes, & calamitates vultisne scire causam? *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Et quis est iste sanguis? peccatum, respondet S. Hilarius super Psalm. 138. & aliâ quadam vice dixit Deus per os eiusdem Prophetæ: *Peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret* Isaiæ 59. vers. 2. legit Chaldæus: *peccata vestra fuerunt in causâ, quod auerteretur facies Maiestatis eius à vobis, vt non susciperetur oratio vestra*

Quomodo igitur, ô ingrate peccator, audes dicere in oratione Dominicâ: *Pater noster,* Matth. 6. vers. 9. si continuò tum cogitationibus, tum verbis, tum actibus te indignum ostendis eius filium? Num. 18.
Quomodo audes subiungere: *qui es in cœlis.* loc. cit. si instar bestiæ viuis, & monstras te non credere aliud superesse cœlum, nisi præsentem & momentaneam illam voluptatem, quam tibi subministrant tui peruersi sensus; quomodo dicis: *sanctificetur nomen tuum.* loc. cit. si blasphemijs & periurijs dehonestas illud

illud sacrosanctum & venerabile nomen? quomodo asseueras: *adueniat regnum tuum.* loc. cit. vers. 10. si sensibus carnalibus offeras sceptrum, aliud non petas regnum, quàm mundanas tuas commoditates? quomodo profers verba illa: *fiat voluntas tua.* loc. cit. si diuinæ voluntati obstinatè & perfidè resistis? quomodo petis: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* loc. cit. vers. 11. si cœlestem spernis prouidentiam, & per illicita media tuæ attendis satietati? quomodo orabis: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* loc. cit. vers. 12. si à corde tuo propulsasti charitatem, si à pectore tuo exulat commiseratio, & odio, irâ, indignatione æstuans hostibus tuis non vis remittere offensam? quomodo supplex rogare potes: *& ne nos inducas in tentationem.* loc. cit. vers. 13. si vltrò te offers tentationibus, earum fidum te ostendis imitatorem? quomodo concludes: *sed libera nos à malo.* loc. cit. si tibi ipsi infers mala & damna, si illa exoptas, desideras & amas? Ah Christiane, non est ille modus orandi petendique à Deo gratiam, conscientiam mundam & puram ab omni maculâ peccati habeas oportet, si diuino frui desideras fauore, donis & gratijs.

Vnde Dauid, qui peroptimè nouerat, quàm intensè Deus adamaret preces supplicantis animæ, inuitando omnes fideles dixit: *afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum* Psalm. 28 vers. 1. ac si diceret, exponit hîc S. Basilius: *Prius curate, vt filij Dei sitis per charitatem & gratiam; inde vtero afferte holocaustum orationis, ait enim, lauamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum, & venite arguite me.* Mundi ergo corde, ô fideles, Deum deprecamini, vt diuina possitis impetrare dona & beneficia.

Passio D. N. Iesu Christi.

DISCVRSVS LVI.

De oratione Christi D. N. in horto, agoniâ & sudore sanguinis, ibidem profuso.

Num. 1. Erenissimus Rex & sanctissimus Propheta Dauid diuino repletus afflatu vidit quadam vice, tametsi à longè, rigidam ac laboriosam vitam, quam ducturus erat venturus Messias in hac lachrymarum valle à die natiuitatis suæ ad tempus vsque passionis & mortis, & in personâ Saluatoris lachrymantibus oculis ardentibusque suspirijs in hæc prorupit verba: *Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus,* Psalm. 30. vers. 11. ac si dixisset: toto illo, quo inter mortales demoratus fui, tempore vitam egi in doloribus & angustijs, & annos meos insumpsi lachrymis. Vnde S. Bernardus serm. 3. de pass. auream hanc & deuotissimam reliquit cordibus nostris insculpendam sententiam, *Volue & reuolue vitam boni Iesu, & non inuenies eum nisi in cruce; ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœnâ fuit, in amaritudine & angustiâ.* Et alio in loco: *Crux Iesu Christi non fuit vnius diei, sed*

tota vita illius crux fuit. Et expendendo hæc verba Isaiæ: *Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius.* Notauit singulari cum acumine Prophetam non sine magno mysterio natiuitatem Christi Domini coniunxisse cruci sub Symbolo imperij, vt nobis significaret, quod à natiuitate suâ cœperit portare crucem, & pati pro salute humani generis: *Crucem quam imperij nomine significauit,* (ait idem mellifluus Doctor serm. de vitâ Chrysost. cap. 37) *natiuitati statim adiungens, quia profectò à natiuitatis exordio passio crucis exorta est.* Et S. Hieronymus exponendo vers. 16. Psalm. 87. *in laboribus à iuuentute meâ,* dicit Regium Prophetam ibidem loqui de Christo Domino, & vult innuere, labores, afflictiones & sudores eius ab illo incepisse momento, quo cœpit fieri homo, & ideò explicat ille dicens: *in laboribus à iuuentute meâ, id est, à tempore carnis assumptæ.* Quod confirmat S. Bonauent. in opusc. de perfect. vit. cap. 6. hisce suauissimis verbis: *à prima die natiuitatis suæ vsque ad vltimum diem mortis suæ Christus Dominus semper fuit in passionibus & doloribus sicut ipse testatur per Prophetam dicens: in laboribus à iuuentute meâ.*

Num. 2. Post eiusmodi igitur laboriosam, rigidam, austeram & pœnalem vitam venit tandem aliquando tempus, quo decreuit se in sacrificium offerre pro salute humani generis in altari crucis. Ergo condito testamento (veluti fidelissimus pater ordinare & disponere solet coram filijs suis charissimis de bonis paternis) absoluto sermone cœnæ & dicto consueto hymno in gratiarum actionem, cœnaculo exiuit cum vndecim discipulis & Apostolis, ripam alteram petijt torrentis Cedron, vbi erat hortus, & hunc more solito ingressus est: *Egressus eius* (inquit Iob cap. 18. versic. 1.) *cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius.*

O egressum plenum dolorum & laborum Domini mei? & vnde, amabo, prouenit, quòd pijssimus Redemptor passioni suæ daturus principium incipiat ab horto? à ciuitatibus, templis, cathedris, aut alijs locis celebrioribus incipiendam erat, non ab horto, cùm ipse toto vitæ suæ tempore ne micam habuerit gaudij, recreationis & exultationis. Respondet huic dubio S. Cyrillus Alexandrinus lib. 14. in Ioan. & dicit, Saluatorem nostrum voluisse primordia passionis suæ facere in horto, siquidem in hoc habuit originem peccatum, miseria & ruina humani generis, vnde quia eodem in loco facienda erat hominis reparatio, ideò primò omnium Christus petiuit & ingressus est hortum: *in montem oliuarum* (inquit cit. Doctor) *vbi erat hortus, post cœnam abijt Dominus, vt, vnde ruina originem traxit, inde ortum haberet reparatio.*

Vt orationis attigit locum pientissimus Iesus, relictis cæteris tres duntaxat, Num. 3.
Petrum, nempe, Iacobum & Ioannem secum conduxit Apostolos, sicque cùm horrendam recogitaret mortem, quæ sibi imminebat, dum animo volueret pœnarum & tormentorum atrocitatem, quam breui tempore sustinere debebat, cùm ponderaret copiosum illud pretiosi sui sanguinis iamiam profundendi profluuium, cùm denique perpenderet opprobriorum iniuriarumque patienter sustinendarum multitudinem, *cœpit* (ait S. Matth. cap. 26. versic. 37.) *contristari & mœstus esse.*

Timet, mœret ac tristatur benedictus Dominus, inquiunt Doctores, non tanquam Deus, sed vt homo, idque ob rationes quamplurimas. Primò, ad demonstrandam veritatem naturæ humanæ, quòd veram ipse haberet animam & verus esse homo, ita asserit S. Athanasius orat. contra Arian. Deinde, vt eo plus satisfaceret; etenim quò plus patiebatur, eò magis augebatur, seseque extendebat satisfactionis eius cumulus, ita sentit D. August. contra. Iulia. Tertiò, vt demonstraret

straret nobis, quàm caro nos comparasset pretio, & quantum oportuisset ipsum pati, vt nos redimeret, huius opinionis existit S. Iustinus Martyr contra Tryph. Quartò, vt consolaretur Martyres futuros Ecclesiæ militantis, vt & ipsi, quibuscumque afficerentur pœnis & tormentis, voluntariè & patienter ea sustinerent, & huic opinioni subscribit S. Bernardus serm. 1. de Andr. Quintò, vt propriâ suâ tristitiâ nostram à nobis tolleret tristitiam, & huius mentis est D. Cyrillus lib. 10. Thes. cap. 2. Sextò, vt diabolus conspiciendo illum pauentem & mœstum censeret purum esse hominem, adeoque magis stimularetur ad ipsum tentandum & impugnandum, & hanc sententiam tenet Theophylactus in Matth. cap. 26. denique, vt nobis non habentibus dolorem sufficientem ad expungenda peccata nostra, ipse ex merito doloris sui mediante sacramento tantum adderet nostro dolori, quantum sufficeret, nosque ex attritis faceret contritos, ita S. Thomas 3. p. quæst. 46. art. 6.

Num. 4. Propter has & alias similes rationes tristatur & mœret dulcissimus Iesus, & mœstus ac constitutus in orationis loco vtrumque flexit genu proruitque in faciem: *& progressus pusillum procidit in faciem suam orans*. Matth. 26. versicul. 39. orat facie terram versus, ait quidam grauissimus Doctor Forerius in Isai. cap. 53. quia genu flexus sine morâ in se irruentem conspexit totam peccatorum nostrorum multitudinem, quæ se coniunxerant ad inuadendũ ipsum instar numerosissimi militum exercitus, quando Pater æternus concessit eis licentiam irruendi in filium suum vnigenitum, dicens per Zachariam Prophetam cap. 13. versic. 7. *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum*. Ac si dixisset: effundite, ò peccatores, iram & furorem vestrum in filium meũ, accurrite, dilacerate, discerpite & in terram eundum præcipitem agite, percutite, vulnerate, sauciate illum. Et ecce confestim obtentâ hac licentiâ abijt copiosus ille exercitus peccatorum totius mundi, & in humeris patientissimi Iesu castrametatus est. Loquatur Propheta Isaias, qui horrendum hoc detexit spectaculum, quando dixit: *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm*, cap. 53. versic. 6. vel vt Vatabl. ex Hebræo legit: *& Deus irruere fecit in eum iniquitatem omnium nostrûm*. Vt ergo numerosus admodum exercitus accessit Saluatorem, illum mihi videor dixisse Redemptori verba hæc Prophetæ Isaiæ cap. 51. vers. 23. *incuruare, vt transeamus*. Et quid insolenti huic petitioni dulcissimum Iesum respondisse opinamini, ó Christianæ animæ? O cœli! ô stellæ! ô Angeli paradisi! audite responsum Creatoris vestri, & obstupescite: *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem*. Psalm. 37. versic. 7 ac si dixisset, Ecce caput meum inclino, & curuo me in terram vsque. Et hęc est causa, cur dicat Euangelista: *procidit in faciem suam, Qui est omni cœlo altior* (exclamat hic admirabundus D. Chrysostomus hom. 83. in Matth.) *ad terram vsque curuatus procidit in faciem suam*. Et quis non fleret, & plangeret tantam Creatoris cernens humilitatem & amorem, vbi etiam ipsæmet petræ erumperent in lachrymas. Mirum sanè & paradoxon est, ô anima peccatrix, quod mea & tua peccata tantæ fuerint virtutis & roboris, vt ipsum filium æterni Patris in terram dederint præcipitem, & prolabi eum fecerint in faciem non sine graui cordis dolore, & ideò clamat: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Matth. 26. vers. 38. *hîc mecum Christiane lector* (dicit deuotus Forer. in in Isa. cap. 53.) *considera, peccata tua ac mea, partem illius exercitus extitisse, qui in Christum irruit*.

Orat mœstissimus Christus facie terram versus, dicunt quidam alij, in signum Num. 5.
magni doloris cordis, quem percipiebat pro-

propter æternam ruinam & deperditionem hominis, quem currentem videbat ad præcipitium æternæ damnationis. 3. Regum cap. 18. legitur, quod Propheta Elias, cùm imminentem præuidiſſet Dei punitionem, motus compaſſione populi & pro illo Deum deprecaturus aſcenderit montem Carmeli, & facie inter genua poſita ſupremum exorârit Monarcham, vt placatus miſereretur populo, præuidebat & pientiſſimus Dominus noſter indignationem & iram, quam conceperat Pater eius æternus in hominem propter peccatum, futuram pariter videbat pœnam iam iam toti humano generi imminentem, quapropter mœſtus & triſtis ingreditur hortum, & ibidem proſtratus pro homine orat & ſupplicat, ac propterea: *procidit in faciem ſuam orans.*

Num. 6. Obſeruate inſuper N. differentem orandi modum inter Chriſtum & Moyſen; hic (vti habetur Exod. cap. 17.) dimicante populo exorauit Deum in vertice montis manibus eleuatis & extenſis in cœlum; Chriſtus è contra facie inclinata terram verſus: rationem huius aſſignat quidam deuotus contemplatiuus & dicit: Moyſen exoraſſe, vt à Deo conſequeretur diuina dona, gratias & beneficia, veluti & actu ea recipiebat; nam quamdiu extenſa in cœlum tenebat brachia, populus vincebat & profligabat hoſtem; quare quia non longè ab eo aberant gratiæ & dona, extendebat & brachia & manus, vt illa reciperet & caperet; aſt orat contriſtatus Jeſus facie inclinata terram verſus; nouerat etenim, quòd dumtaxat non eſſet conſecuturus gratiam & beneficia, ſed quod diuinæ iuſtitiæ eſſet cædendus flagello, & ideò hoc modo proſtrauit ſe in terram, ac ſi vellet dicere: Ecce, clementiſſime Pater, paratos & promptos humeros, Ecce humeros denudatos, ecce me totum diſpoſitum & paratum ad ſuſcipienda flagella & verbera: *Quoniam ego in flagella paratus ſum,* Pſalm. 37. verſ. 18.

Hoc ergo modo in terrâ proſtratus benigniſſimus Ieſus profunda humilitate ſupplicat Patri æterno & dicit: *Pater mi ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu,* Matth. 26. verſ. 39. ac ſi dixiſſet: Pater ſi poſſibile eſt, ſaluo decreto tuæ iuſtitiæ, paſſionis huius tranſeat à me calix, non fiat tamen, quod mea naturalis deſiderat voluntas, ſed quod tua præcipit voluntas diuina. Finitâ oratione, refert Euang. Lucas, Chriſto trementi & ſummoperè contriſtato apparuiſſe Angelum: *Apparuit autem ille Angelus de cœlo confortans eum.* Luc. cap. 22. verſic. 43. Vnde cùm iam iam inſtantem memoriâ recoleret paſſionem, crucem, flagella; tormenta & mortem pro redemptione humanæ naturæ ſuſtinendam, talem tantumque emiſit ſudorem ſanguineum, vt Scriptura dicat: *Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram,* loco citato verſiculo 44.

Num. 7. Verùm quis nouus modus ſudandi eſt iſte, ô Domine? Sudat ſanguine amantiſſimus Ieſus (dicit quidam contemplatiuus deuotus) quia eſt vicinus morti. Exod. cap. 12. legitur, quod Dominus Deus caſtigaturus Pharaonem & internecioni daturus omnia primogenita Ægypti præceperit Moyſi, vt virgâ ſuâ prodigiosâ conuerteret flumina & fontes in ſanguinem, quod & contigit. Sicque ſanguinolentæ aquæ demonſtrarunt miſerabilem caſum iam vicinum, inſtantem, nimirum, Ægyptiorum mortem. Ad ſummam indignationem homo iamdudum ſuis ſceleribus prouocauerat Patrem æternum, miſit hic eapropter vnigenitum filium ſuum in mundum, vt morte ſua ſatisfaceret: Iam, iam præ foribus aderat illa hora, cuius vt euidens daret teſtimonium demonſtrat diuinam ſuam frontem, vultum & omnia ſui ſanctiſſimi corporis membra adeò ſanguinolenta, vt ſanguis in terram deflu-

xerit: *Et factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.*

Sudat sanguine mellifluus Iesus, afferunt alij, quia considerabat ignominiosam mortem, quam sibi inferri prævidebat à perfidis & sceleratis Hebræis inimicis suis. 4. Reg. cap. 20. recenset Spiritus sanctus de rege Ezechia, quòd cùm audiuisset à Propheta Isaia infallibiliter se intra paucos dies moriturum, summo oppressus dolore & agonia conuerterit faciem suam ad murum, & amarè adeò plorare cœperit, ac si iam iam expirare deberet, planctum hunc tantus comitabatur sudor, vt totus vndique maduerit lectus. Stabat Christus Dominus in horto grauissimis oppressus doloribus propter tot tantasque offensas ab hominibus illatas æterno suo Patri; ita afflicto & contristato Saluatori apparuit ecce Angelus; & infallibilem ei annunciauit mortem opprobrijs & contumelijs oppletissimam, quam cùm consideraret sibi inferendam ab inimicis suis in publico mundi theatro, in monte Caluariæ, à tam peruersis tamque perfidis peccatoribus in medio quidem hominum infamium & latronum: hic, inquam, cogitatus adeò in ipsius præualuit mente, vt copiosissimas è corpore eius expresserit sudoris sanguinei guttas: *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Hinc non immeritò Venerabilis Beda serm. de pass. afflictum alloquitur Saluatorem hisce verbis: *O dulcissime Domine Iesu, quanta fuit passionis tuæ acerbitas iam exhibitæ, cuius adhuc absentis distincta apprehensio, ita naturam terrendo concusserat, ne sudare sanguinem cogeretur.*

Num. 8. Hinc est, proprium, verum & viuum fuisse sanguinem illum, quo Christus sudauit, neque vocabulum illud, *Sicut*, in textu sacro positum significat similitudinem, quasi sudor ille non fuisset verus sanguis; sed dicit veritatem & proprietatem, adeoque verissimus & propriissimus extitit sanguis, vti affirmant SS. Patres. Et quamuis creditu difficile videatur, quòd homo naturaliter sudat sanguinem, impossibile tamen non est; quia vt dicunt Physici sequentes doctrinam Aristotelis, homo intensissimo quodam oppressus timore & dolore tantam ac talem patitur alterationem: vt sudet sanguinem. Idem planè fatentur omnes medici ita edocti à suo Magistro Galeno de V. part. & de facto id contigisse, & experientiam docuisse refert S. Augustinus 2. de Trinit. cap. 10. & grauissimus quidam Doctor Maldonatus in cap. 22. Luc. recenset se vidisse Parisijs personam quandam sudantem sanguine, dum ei intimaretur mortis sententia. Imò scribit Galenus reperiri quosdam serpentes sanguinolentos, qui, vt momorderunt hominem, faciunt eundem sudare sanguine. Benedictus Redemptor noster in maxima tunc temporis constitutus erat anxietate & tristitia animi, & eò magis, cùm intellectus sui viuacitate, qui semper in ipso mansit imperturbatus præuideret pœnas & tormenta, quæ sustinere debebat, & propterea non fuit ei multum difficile, quòd sudauerit sanguinem, tametsi fuerit res supernaturalis & magnum miraculum, quod sudauerit & emiserit sudorem sanguineum in tanta copia & abundantia.

Plurimi hinc dixerunt contemplatiui, Num. 9. dolores internos Christi Domini fuisse maximos & immensurabiles, & ideò S. Anselmus in Spec. Euang. serm. de pass. Dominum in agonia constitutum hisce alloquitur verbis? *Angustias cordis tui, dulcissime Iesu, indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua in terra guttatim decurrebat*: Ac si dicere vellet: quamuis, ô benignissime Iesu, alias abscondere & celare voluisses tribulationes, afflictiones & angustias cordis tui, sat abundè nihilominus eas demonstras esse maximas & excessiuas per magnâ illâ tui purissimi sanguinis pluuiâ è corpore tuo sacratissimo promanante

ante omnem laborem, ante quamcunque operationem clauorum, spinarum, lancearum, vulnerum, plagarum, tanquam moneta & pretio amabilissimi fontis sanctissimi tui corporis, in tanta quidem copia, vt defluxerit in terram: *Sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Et in quadam reuelatione facta S. Brigittæ, vti legitur lib. 1. reuel. cap. 1. dixit Christus Dominus talem fuisse, quam tunc passus fuit, agoniam suam, qualis solet inuadere infirmum in agone constitutum: *Sicut sanguis infirmi* (sic habet reuelatio) *in omnibus neruis siccatur & consumitur; Sic ex dolore naturali mortis sanguis meus consumebatur.*

Veni igitur, ô anima Christiana, veni in hortum Gethsemani, veni visum Deũ tuum, qui pro te sudat sanguine, & dum spectator ades tanti spectaculi, diffringe cor tuum induratum; plora & plange amarissimè, & si nequeas ex oculis profundere lachrymas ex defectu amoris, plange & plura ad minus ob multitudinem tuorum peccatorũ; quæ causarunt tot tantosque dolores; siquidem sanguis ille copiosè vndique ex eius promanans corpore non iam extorquetur vi flagellorum, non spinarum clauorumque impressione; sed sanguis est, qui profluit & causatur ab ictibus tuorum peccatorum.

Num. 10. Et eò lubentiùs plorare debes, cùm conspicias sanguinem, quem modò spargit, non alium in finem, nisi vt salutiferum tibi paret balneum, quo te à lepra peccatorum tuorum curare possit. Et hic recogito infirmitatem Imperatoris Constantini, cui adhuc leproso communi Medicorum consensu persuasum fuit, vt lepræ curandæ causa ex tenerorum infantium sanguine balneum parari faceret, idque, quia placuit Imperatori, in effectum deductum fuisset consilium tametsi crudele & immane, nisi ei apparuissent in somno sancti Apostoli Petrus & Paulus suadentes, vt, si à lepra curari vellet, salutifero se immergeret balneo S. Sacramenti Baptismi. Et quid aliud eras, ô peccator, nisi quidam leprosus leprâ peccati protoparentis Adami infectus? ordinauit cœlestis medicus, vt nisi te immergeres balneo sanguinis cuiusdam Innocentis, nunquam à peccatorum tuorum curareris leprâ. Ecce hodie, ô te fœlicem ac fortunatum! fit executio ordinationis istius cœlestis medici; siquidem adest innocentissimus Christus Saluator noster, quo nullus in mundo fuit innocentior, nec erit, qui causâ curandæ tuæ lepræ peccati salutiferum è pretioso suo sanguine parat balneum; *& factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Et ideò S. Ioannes in sua Apocal. clamat: *lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc. ca. 1. vers. 5. Ac si diceret: lauit nos à lepra peccatorum nostrorum in balneo pretiosissimi sui sanguinis. Num. 11.

Quòd si igitur benedictus Redemptor copioso adeò sudauit sanguine, cum nimirum in finem, vt in illo tanquam in liberali & salubri balneo te, ô peccator, lauaret à lepra peccatorum tuorum; noli ergo eum spernere & flocci facere; ita ille ipsemet te obsecrat per Prophetam patientissimum Iob dicentem: *terra ne operias sanguinem meum.* cap. 16. versic. 19. quapropter, ô anima fidelis, propera, curre & noli tardare, ac prostrata in terra licentiam humiliter postula suauissimas illas pretiosi eius sanguinis lambendi guttas: *quid stas?* (inquit S. Anselm. in spec. Euang.) *accurre, & suauissimas illas guttas lambe.* Vade, festina magna cum confidentia; etenim quid non pro te præstabit, qui tui amore sudauit sanguinem? Vade denique, & obuiam procede tuo Christo trementi, afflicto & cooperto sanguine; exhaustum illum contemplare propter diuturnas vigilias, pallidam eius intuere faciem propter inexplicabilem agoniam; intuere illum à capite ad pedes vsque proprio conspersum sanguine. O quàm pretiosa tibi

offert consideranda, accede & dispone te ad contemplationem illorum, ad amorem & gratitudinem; non enim aliud à te expostulat.

De acerba flagellatione Christi Domini & Redemptoris nostri.

Num. 12. DAuid Propheta præuidendo in spiritu ludibria, opprobria, pœnas, dolores & cruciatus, quos venturus Messias nostri causâ subire debebat, inter alia prædixit eum acerbissimè fore cædendum flagellis: *& fui flagellatus tota die* (ait ille in personâ Christi) *& castigatio mea in matutinis*. Psalm. 72. vers. 14. quod vaticinium deinde adimpletum fuit, quando iniquus & iniustus Iudex Pilatus sperans hoc modo mitigare iram & indignationem sceleratorum ac perfidorum Iudæorum, qui non nisi innocentissimi Agni sitiebant & desiderabant internecionem, iussit Christum flagellari: *tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit*. Ioan. cap. 19. vers. 1. Quod modò in hac acerba flagellatione considerandum præcipuè est, infamia est & dolor, quem secum conferebat ignominiosa hæc pœna, ita vt (licitum sit mihi ita dicere) ipsimet Christo videatur pœna hæc difficilis imò impossibilis captu propter atrocitatem suam, quemadmodum innuit per os Dauid Prophetæ: *congregata sunt super me flagella, & ignoraui*, Psalm. 34. versic. 14. Videlicet tantam mihi hæc flagella intulerunt verecundiam, ignominiam & infamiam, vt verbis ea explicare nequiuerim; vt nobis significaretur, quod sibi, nostro loquendi modo, persuadere non possit, homines existere tantæ nequitiæ & peruersitatis, qui ipsum etiam Dei filium ausi fuissent flagellare; & propterea Doctissimus Genebrardus in hunc Psalm. legit ex textu Hebraico: *Super me venerunt flagella, me nec opinante.* Quod Deus & Redemptor noster prodeat in medium flagello castigans peccatores; res captu facilis est; ita legitur in S. Euang. Ioan. c. 2. v. 15. *& cùm fecisset quasi flagellum de funiculis* Sed quod ipsemet Dei filius flagellari conspiciatur à malignis & impijs peccatoribus, *à sæculo non est auditum*. Quod Deus dicatur *Dominus percutiens*, non est nouum quid; lecturi namque sacras paginas innumera reperietis testimonia; ast quod dicatur: *Dominus percussus*, quia *vidimus eum percussum à Deo & humiliatum*. Isai. cap. 53. vers. 4. Nunquam auditum est, quis vnquam id cogitasset? meritò igitur benedictus Saluator de tali sibi illata ignominia & infamia conquerebatur & dicebat: *congregata sunt super me flagella: me nec opinante*. Bone Deus? estne verum igitur, Creatorem cœli & terræ flagellatum esse? quid minùs conuenire poterat Diuinitatis eius splendori & magnificentiæ, quàm huiusmodi flagellorum virgarumque cæsio ignominiosa, quibus vilissima mancipia & homines feriales neque puniri & cædi solent? & si non erat licitum temporibus illis propter maximam, quam secum hoc supplicij genus ferebat, infamiam, teste Cicerone, cædere viris flagellisve ciuem Romanum, qua ratione dici poterit ipsummet Dei filium promeruisse flagella? & si Angeli obstupescentes & attoniti steterunt videntes Vnigenitum æterni Patris natum in stabulo, quid modò dicent conspicientes eundem tam ignominioso tamque infami affici supplicio? & nihilominus, ô magnam amoris vim & potentiam! rex cœli & terræ, totius mundi Monarcha & Dominus Dominantium se subdit durissimis & crudelissimis virgis & flagellis hominum impiorum, à quibus omnis exulauit pietas & misericordia, qui aliud non participant de natura humana nisi extrinsecam dumtaxat apparentiam; cæterùm ferociores sunt ipsis leonibus, crudeliores tigridibus, homi-

homines denique tales ſunt, qui ſummæ ſibi ducebant voluptati & recreationi, vt Chriſto omnem inferrent deſpectum, infamiam, cruciatus & tormenta. Et ille, qui omnia ex nihilo condidit, in cuius aſpectum vix audent proſpicere & Angeli & homines, ſed profunda eum adorant & laudant humilitate, ille, inquam, expectat diriſſimas virgarum cœſiones, flagellationes, verbera inaudita, & ex hiſce pretioſi ſanguinis ſui profuſionem. Vt iam in nobis aliquem excitemus deuotionis affectum & compaſſionem in hoc doloroſo flagellationis myſterio, magiſque penetremus, quàm exceſſiui fuerint dolores corporales Chriſti Domini, conſiderabimus aliquas circumſtantias, ob quas maximè ipſe ſenſit aſperitatem & ignominiam flagellorum.

Num. 13. Et prima circumſtantia, quæ meæ ſeſe offert conſiderationi, eſt, quòd ille, qui ſuſtinet hoc opprobrium & ignominiam, ſit Filius Dei delicatiſſimæ complexionis, quia ex puriſſimo Mariæ Virginis ſanguine ſuperueniente Spiritu ſancto formatus fuit, ſicque ob delicatam naturam perfectiores alijs hominibus habuit ſenſationes, viuaciusque ſenſit omnem etiam minimum dolorem, teſte D. Bonauentura in 3. diſt. 15. quæſt. 21. dicente: *Quia nullus potuit ei æquari nec æqualitate complexionis, nec viuacitate ſenſus, dolor illius omnium dolorum fuit acutiſſimus.* Et hoc ſignificaſſe videtur Zacharias Propheta, quando dixit: *ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.* cap. 3. verſ. 9. q. d. video petram quandam (per quam intelligitur Chriſtus iuxta Apoſtolum 1. Cor. 10. verſic. 4. *petra autem erat Chriſtus*) verùm quod me rapit in admirationem, eſt, quòd hæc petra vndique ſit plena oculis, quia ſecundum phraſin Scripturæ numerus ſeptenarius denotat Vniuerſitatem. Quid igitur ſignificabat hæc vnio ſeu coniunctio petræ & oculorum? petræ tam duræ & oculorum tam delicatorum, petræ inſenſatæ & oculorum viuentium & ſenſatiſſimorum, petra tam vilis & oculorum tam nobilium & excellentium? pro declaratione huius myſterij reſpondeo pulchrè & appoſitè reperiri in perſona Chriſti vnionem hanc petræ & oculorum; ſiquidem comparuit primitus tempore paſſionis ſuæ inſtar petræ & talis fortaſſis, de qua dixit Propheta regius: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli,* Pſalm. 117. verſ. 22 Lapis fuit tam ſtabilis & conſtans, vt nequidem aperuerit os in tormentis ſuis, ſed ſteterit immobilis & firmus, cùm ſibi infligebantur cruciatus & colaphi, cùm recipiebat flagella, verbera, ſputa & alia opprobria; vnde ait per os Iſaiæ Prophetæ: *Poſui faciem meam vt petram duriſſimam,* cap. 30. verſ. 7. Et ne mundus opinaretur benedictum Saluatorem noſtrum eſſe prorſus inſenſibilem inſtar petræ cuiuſdam, ideò coniunguntur huic oculi, vt nobis innoteſceret, quod tametſi conſtans & immobilis ſteterit tanquam petra ob infinitam ſuam patientiam in ſufferendis flagellationum verberumque ictibus; attamen caro eius fuerit tenerrima veluti oculus ad ſentiendos vivaciter dolores, ſicque pœnas & tormenta eodem ſentiebat modo, ac ſi offendiſſent & læſiſſent pupillam oculorum ſuorum. Teneram dilacerabant pellem innocentiſſimi Domini duriſſimæ catenæ, ſed huic correſpondebat dolor talis, quem ſenſiſſet pupilla tormentis affecta. Sauciabāt & dilaniabant delicatam Saluatoris carnem dira flagella; ſed talia erant vulnera, plaga talis, qualis inflicta fuiſſet pupillæ oculorum eius. Vnde deuotus Bernardus contemplando delicatam Chriſti Domini complexionem & crudelitatem impiorum Iudæorum flagellis virgiſque illum cædentium tanta cū ferocitate ita exclamat & dicit ſerm. 4 hebdom. paſſ. *O Iudæi lapides eſtis, ſed lapidem percutitis molliorem, de quo reſonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis.* Maximus igitur fuit dolor, quem in hac

acerba flagellatione sensit mellifluus Iesus ob teneritudinem carnis illius instar pupillæ oculi.

Num.14. Secunda Circumstantia, ob quam accurrerunt dolores Christi Redemptoris nostri, fuit qualitas flagellorum aliorumque huius flagellationis instrumentorũ; siquidem quidam deuoti Contemplatiui vt S. Vincentius serm. de parasc. & Lansperg. libr. 2. elucid. in pass. Dom. affirmant illum fuisse primò cæsum virgis omninò spinosis, deinde ferreis vngulis, & tandem catenis, quarum extremitatibus vncini retorti, ferrei & præacuti annexi erant, qui innocentissimam Christi carnem dilacerabant, & ad ossa vsque penetrabant; crudelitas sanè inaudita: *primò spinis & vepribus Christum flagellatum* (ait S. Vincentius) *mox flagellis aculeatis, tandem etiam catenis, in quarum extremitatibus vnci ferrei adhærebant, ideoq; spinis durè, flagellis duriùs, catenis durissimè flagellatum.* Et deuotus Lanspergius idem affirmans inquit: *Ligato Domino accesserunt sex viri robusti Christum flagellaturi, & flagellis, virgis ac scorpionibus, in quibus erant vnci ferrei, Christus flagellatus fuit.*

Quod confirmatur & quibusdam reuelationibus à B. Virgine factis deuotissimæ Brigittæ: *flagellis aculeatis, infixis aculeis & retractis non euellendo sed sulcando totum corpus eius flagellabatur.* Ita legitur lib. 4. reuelat. 170 & libr. 1. cap. 10. *Cùm retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur.* O crudele & miserandum spectaculum.

Num.15. Tertia circumstantia, ob quam adaucti fuerunt dolores Christi in flagellatione, fuit nuditas, quia nudus & vestibus spoliatus flagellatus fuit. Hæc est expressa mens SS. Patrum, præterquàm augustissima cœlorum regina Maria Virgo id reuelauit S. Brigittæ lib. 1. cap. 10. dicens; *Alligatus autem nihil omninò operimenti habebat; sed sicut natus est, sic stabat & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ.* Hæc pœna nuditatis ex eo magis magisque accreuit in persona Saluatoris, quod fuerit flagellis cæsus in publico prætorio præsente magna hominum caterua, qui attentè eum inspiciebant, iuxta illud Dauidicum: *ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me.* Psalm. 21. vers. 18. Ob hanc nuditatem veneranda Christi facies tanto suffusa fuit rubore & verecundia, vt per os eiusdem Prophetæ dixerit: *tota die verecundia mea contra me est, confusio faciei meæ cooperuit me.* Psalm. 43. vers. 16. ac si diceret: inter alia crudelia tormenta, quæ in passione mea sustinui, maximum fuit, quòd nudus steterim in conspectu tot tantorumque hominum, talis profectò verecundia præ reliquis cruciatibus me summè affligebat. Et Psalm. 34. vers. 15. hunc eundem exprimens dolorem dixit: *& aduersum me lætati sunt & conuenerunt, congregata sunt super me flagella, & ignoraui.* Quem locum exponit S. Anselmus de verecundia Christi Domini, quam habuit tempore flagellationis suæ; hæc enim tantùm ipsum affligebat, vt flagella in comparatione huius ei videbantur leuissima, neque illa senserit; vnde bene dicere poterat *& ignoraui.* Ita ait cit. Doctor tract. de pass. *tanta erat pudoris Christi vis, vt ne oculos auderet leuare, strepitum sæuientium militum audiebat, & ignorabat flagella, quæ degustabat.* Adam fugit Dei præsentiam, & sub paradisi sese abscondit arboribus; nullam tamen aliam habuit causam nisi illam quam dixit: *timui, eò quòd nudus essem* & ideò *abscondi me.* Genes 3. vers 10. Verùm quem fugiebat protoparens noster? ratione cuius verecundabatur, aut quem timebat? fortè animalia, quæ carebant intellectu? fortè arbores, quæ non habebant oculos, nec poterant videre? fortè vxorem suam, quæ pariter nuda erat? timet nihilosecius ille, quia opprobrosum est esse nudum: 1. Paralip. cap. 19. Aliud

non

non fecerant Moabitæ Legatis & Nuncijs Dauid, nisi quod præcederint & abbreuiarint eorum tunicas, & tamen hanc vestium duntaxat præcisionem tantæ illi sibi duxerunt ignominiæ & opprobrio, vt aliquot millia hominum ea propter internecione data fuerint. Quam non ergo ignominiam cepit exinde Christus, quod totus nudus omnium hominum expositus fuerit conspectui.

Num. 15. O spectaculum amaro planctu dignissimum! Deus conspicitur nudus, ille, qui cœlos sine vestibus adornat radiantibus stellis; ille, qui terram pulcherrimis vestit floribus; ille qui protoparentum nostrorum cooperuit nuditatem; denudatus est ille, qui virginea corpora Agnetis, Barbaræ, Flauiæ aliarumque innumerabilium à tyrannis vestibus spoliata cœlesti contexit splendore, ne nuda parerent hominum oculis; illius, inquam, sanctissimum corpus denudatum est in publico prætorio ab impia militum caterua.

Num 16. S. Chrysostomus hom. 13. de tribus pueris considerando factum illud stupendum trium puerorum, qui iussu impij regis Nabuchodonosoris proiecti fuerant in ardentem fornacem Babylonicam, obstupescit summopere, quod voraces illæ flammæ funes, quibus illi erant strictissimæ ligati, ne minimum quidem læserint, aut tetigerint eorum vestes; rationem tamen huius prodigij assignaturus dicit: *ob honestatem ignis pepercit vestibus.* Aliàs enim nudi visi fuissent à barbaris illis hominibus, quod magnam ipsis intulisset pœnam, indicibilem ruborem & verecundiam, ac inexplicabilem ignominiam & despectum. Et tamen Christum Dominum, qui ipsamet erat honestas & puritas, conspicimus nudum & vestibus spoliatum, & quidem in conspectu populi tam impij, tam perfidi & scelerati, quo omnis exulauerat honestas & verecundia. O amorem potentissimum? quid non valuisti in corde diuino.

Siste hic parumper, ô anima Christiana, & attentiùs contemplare hoc funestum & tragicum flagellationis Christi spectaculum ad pectora & corda ipso adamante duriora diffringēda sufficiens. Cùm Christus Redemptor noster columnæ esset alligatus, subitò comparuerunt sex ministri infernalibus quasi furijs exagitati & omnium, quos capiebat aula Pilati, robustissimi, qui omnis planè humanitatis expertes spirabant non nisi furorem, ferociores erant leonibus, tigridibus crudeliores. Ita testantur SS. Patres Hieronymus quem refert Gl. Sanctus Vincentius serm. de pass. Bonauent. libr. med. cap. 29. Chrysostomus in cap. 24. Matth. Theophylactus in Matth. Lanspergius. Hi ergo sanguinis sitientes Carnifices non omnes simul, sed bini & bini per vices spinosis virgis crudelissimè cædunt tenerrimum eius corpus nunc humeros, nunc collum, nunc brachia, nunc caput, nunc alia corporis membra, prout impellebantur furoris impetu. Ita meditatur B. Laurentius Iustinianus de triumph. Christi agon. cap. 14. *Ligatur, caditur, totoq; flagris corpore dissipatur. Nunc scapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura cingunt, vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt,* adeò vt propter infinitos ictus & vulnera ex sacratissimo eius corpore copiosi profluxerint sanguinis riuuli, & columna, flagella, catenæ, funes & terra sub pedibus sanguineo vndiq; maduerint cruore. Ita scribit S. Gregorius Nazianzen. oratione de Christo pat. *Fluebat sanguis & de paradiso illo cœlestis cruoris flumina manabant.*

Iam lassi erant, sed non saturi hi duo carnifices cædendo pientissimum Christum, & ecce comparent illicò duo alij cum flagellis ex durissimis compositis funibus, quorum extremitatibus annexi erant acutissimi & ferrei vnci, auidè Num. 17.

expectant primos, vt ipsi primis tormentis addituri maiora sint secundi, & Ecce cessantibus illis accedunt hi crudeliùs in eum sæuientes. Ohimè, ohimè! adeò horrendè cædebant sacrata illa membra, vt teste D. Bonauentura lib. medit. dilacerata totaliter sacrosancti corporis carne potuerint videri ossa Quod in figura significare voluit S. Iob hisce verbis: *tabescet caro eius: & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur*. cap. 33. vers. 21. ita vt omnia sigillatim potuerint numerari, iuxta illud Prophetæ: *Dinumerauerunt omnia ossa mea*. Psalm. 21. vers. 18. Ita B. Virgo reuelauit suæ deuotæ Brigittæ: *Vidi corpus eius verberatum vsque ad costas, ita vt costæ eius viderentur* lib. 1. Reuel. cap. 10. Comparent deinde duo vltimi feri ministri, qui ferreis catenis præacutis instructi vncinis ad crudeliorem se parant flagellationem, & cum tali immanitate dilaceratum iam vndique corpus cædunt & percutiunt, vt nunquam retraherent catenas & flagella, quin semper simul extraherent aliquas sanctissimæ carnis particulas. Ita reuelauit eidem S. Brigittæ dolorosa Christi Mater: *Vt anima Christi calore calescat, frequens sit in cogitatione consideratio passionis Filij mei, quomodo sit flagellatus vsque ad interiora, vt caro extraheretur cum flagris*. Et quia sanctissimum Christi corpus fuerat primò à pungentissimis spinis, à nodosis funibus dilaceratum, hinc catenæ vltimò adhibitæ non inuenerunt nec minimum locum sanum in sacro eius corpore; vnde plagis addebant plagas, vulneribus recentibus vulnera, conformiter prædixerat patientissimus Iob: *concidit me vulnere super vulnus*. Iob cap. 16. vers. 15. vel vt legunt alij: *Ita me vulnerauit, vt continuum vulnus sit*.

Num. 18. Summa, crudeliter adeò exceptus fuit mellifluus Iesus ab impijs & sceleratis illis ministris, vt si non venisset Romanus quidam ciuis Pilati aulicus conspiciens Christum diris adeò cæsum flagris, percussum, sauciatum, ne dicam decorticatum, eumque ex illorum violenter eripuisset manibus, à tam immani nondum cessassent flagellatione. Ita deuotæ Brigittæ reuelauit sanctissima Virgo dicens loco sup. cit. *Cumque Filius meus totus sanguinolentus, totus laceratus stabat, vt in eo non inueniretur sanitas. Tunc vnus concitato in spiritu quæsiuit: nunquid interficietis eum sic iniudicatum? Et statim secuit vincula eius*. Solutus à columna eneruatus Dominus, ita, inquam, sauciatus & plagatus ob nimiam corporis debilitatem præceps statim corruit in terram non modicum ex casu illo percipiens dolorem. Ita dixit in quadam reuelatione Mater Saluatoris S. Brigittæ: *Tunc locum, vbi stabant pedes Filij mei, totum repletum vidi sanguine, & ex vestigijs Filij mei cognoscebam incessum eius; quò enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine*.

Nec mirum est, quod ille ex tam acerba flagellatione non fuerit mortuus, quemadmodum plurimi sanctorũ Martyrum inter atrocia tormenta & cruciatus occubuerunt & mortui in terram corruerunt, vti testantur grauissimi quidam Authores; elegantem enim istius assignat rationem B. Laurent. Iustinianus, lib. de triumph. Christi agno. cap. 4. dicens: *Debuit planè mori tanto dolore transfixus, se tamen reseruauit ad vitam, vt his etiam grauiora præferret*.

Ecquod iam cor etiam adamantinum non emolliretur? ecquis iam affectus in feruentissimum amorẽ Dei non accenderetur? quis intellectus non raperetur in admirationem Dei considerans immensam Dei bonitatem & amorem? quis homo rationis compos firma iam non faceret proposita nunquam deinceps offendendi Deum, qui tanta pro nobis passus est, vt nos liberaret à pœnis nostris peccatis & erroribus debitis? Amemus ergò N. Deum, qui immensum suum in nos demon-

demonstrauit amorem,& cùm videamus eum nostri causâ adeò plagatum, percussum & vulneratum, cum D. Augustino libr. soliloq.cap. 4. dicamus ei ex toto corde. *Domine Iesu, cùm te videam flagellatum, nolo esse sine flagellis.*

De dolorosâ Christi Domini Coronatione, & de illusionibus, ludibriis, opprobrijs, alijsq; iniurijs illatis ei ab impijs Iudæis.

Num.18. IN sacris Canticis cap.3.inuitat sponsa vnumquemque fidelem ad considerationem coronationis perdilecti sui spōsi, & in hæc prorumpit verba: *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius & in die lætitiæ cordis eius.* loc.cit.vers.11,nimirum, ait S.Isidorus de pass. Dom.cap. 30. egredimini ad videndam coronam spineam, quam Christi capiti imposuit Synagoga. Decens igitur omninò est N. vt ad hanc dolorosam inuitationem properemus, & mente ibidem inueniamur præsentes.

Postquam iniquus & iniustus Iudex, sperans se mitigaturum hoc modo irā & furorem sceleratorum ac perfidorum Hebræorum mortem innocentis Agni auidè sitientium, præcepisset Christum flagellari modo suprà allegato.subiungit S. Euang. Marcus, dicens: *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem.* cap. 15. vers. 16. *& induunt eum purpurâ, & imponunt ei plectentes spineam coronam*, vers. 17. Et quamuis id fecerint hi scelerati ex instigatione dæmonis, cuncta nihilominus acta sunt ex libera Dei permissione, qui voluit sponte & voluntariè sustinere hæc opprobria & ludibria, nullaque erat actio, quæ vacabat mysteriis.

De rege quodam Phœniciæ dicto Saturno refert Ioseph Hebræus lib. 4. antiqu. quod propter extraordinarium quendam casum seu infortunium, quod ei acciderat, coactus fuerit, vt proprium filium offerret falsis Diis in sacrificium; at priusquam exequeretur cruentū hoc sacrificium, vestiuit filium regali purpurâ; *purpuratum filium sacrificio exposuit.* Fortè innuere volebat, non esse victimā communem & ordinariam, ac proinde nauam formam & normam adhibendam esse quoque huic sacrificio. Determinauerat quoque æternus Pater, vt vnigenitus filius suus offerretur in sacrificium iustitiæ diuinæ pro peccatis totius mundi; verùm vt demonstraret hanc inter omnes, quæ vnquam fuerunt, singularem magis extitisse victimam, voluit, vt vestiretur purpurâ; *Singularitatem sacrificij indicans veste visus est purpurea ante populum*; dicit S. Hieronymus in cap. 26. Matth.

Vel dicamus, Deum id permisisse, vt authēticum redderet morē & consuetudinem Lacedæmoniorum, de quibus ita scribit Quintus Curtius lib. 2. *Lacedæmones milites suos purpurâ ornatos bellum inire cogebant ne fluens è vulneribus sanguis eos deterreret.* Venit Filius Dei dimicaturus in passione suâ contra mortem & Num.20. Diabolum, & ne tanquam homo deterreretur ob effusionem tanti sanguinis, videndo tot vulnera, tot plagas corpori suo inflictas, ne, inquam, formidaret & timeret, veluti in horto contigerat, ideò induitur veste quadam purpureâ. *Veste purpurea circumdederunt eum, ne humanitas affligeret Iesum defluxione sanguinis, sicut in horto meditatione pœnarum.* ait S. Ambrosius in cap.22. Luc.

Hac igitur veste indutum Saluatorem nostrum imponunt milites & ministri Pilati alicui sedi, quâ eum magis magisque subsannarent, risui & ludibrio exponerent,in quem finem nouam apportant coronam non orientalibus gemmis & margaritis, sed acutissimis intertextam spinis,

spinis, quæ eum simul & dolore & ignominiâ afficeret, hanc illius sacrato capiti omni, quâ possunt, vi imponunt, vt ex vna parte summum pateretur dolorem, ex alia verò parte supremam ignominiam & opprobrium sustineret: *& imponunt ei plectentes spineam coronam.*

Coronant illum spinis, dicit quidam deuotus Contemplatiuus, in maiorem eius despectum & ignominiam, vt nimiũ illum reputarent ac declararent tanquam mancipium. Recenset Aulus Gellius de Rom. triumph. lib. 4. quod tempore illorum Imperatorum, qui regnabant temporibus Christi, solebant vendi mancipia pro vilissimo pretio, sicque ostentaturi magnificentiam suam magno aliquo comitatu seruorum exiguis pecunijs & sumptibus id præstare poterant. Vnde emptor in signum vilis pretij, quo plurima comparauerat mancipia & seruos, coronabat eos herbis, quæ vilioris erant æstimationis apud populum. Comparauerant impij Iudæi Christum Dominum à proditore Iuda vilissimo pretio, puta, triginta argenteis: *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Matth. 26. vers. 15. Voluerunt eundem ostendere & monstrare populo non tanquam Deum, sed veluti seruum & mancipium vilissimo emptum pretio, & ideò coronarunt eum spinis: *Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.* Matth. 27. versic. 29.

Vel dicere possumus, quod eum coronent spinis, vt ipsum tractent tanquam latronem, de quo summopere dolebat Saluator noster, quemadmodum benè notarant impij Hebræi, quando eis hortum ingredientibus & captiuum illum ducturis dixit: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me.* Matth. 26. vers. 55. Sic etiam videtis, quod illum postponant Barabbæ tametsi latronum coriphæo, ducant ad montem Caluariæ propriam ferentem crucem & duobus associatum latronibus, & tandem in medio horum latronum ipsum crucifigant. Sciebant insuper, quòd is se proclamabat regem Iudæorum, & propterea volunt ipsum opprobrio & ignominiâ afficere tanquam latronem & prædonem coronæ regalis; vnde hanc capiti illius imponunt: *Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.* Num. 1

Verùm vt transeamus de rubore ad dolorem, de ignominia ad tormentum, quod pientissimo Iesu attulit hæc corona spinea, sciendum est, eam non fuisse formatam, eo modo, quo communiter depingitur, sed instar pilei aut tegminis, ita vt sacratissimum eius caput vndique eâ fuerit cinctum, & septuaginta duobus crudeliter sauciatum & transfixum vulneribus. Ita testatur S. Vincentius serm. in die Parasc. *Et capiti eius imposuerunt coronam, quæ eius caput in septuaginta duobus locis crudeliter vulnerauit; nam erat ad modum pilei.*

Hinc piè meditari possumus, quàm magnum debuerit esse tormentum, quod Christum Dominus noster perpessus est diu gestando spinas illas infixas capiti, eò magis quòd fuerint ei impressæ violentis arundinis ictibus. Nullum est dubium, Redemptorem nostrum desiderio patiendi maiora tormenta pro salute hominis se sustentasse & conseruasse in vitâ, teste antiquissimo Tertulliano libr. de Car. Christ. *Dominica Christi tempora lancinauerunt mortiferis quidem vulneribus spinæ, sed nouarum pœnarum ardore sustentabatur amans.*

Consignarunt denique hi perfidi milites Saluatoris nostri manibus arundinẽ quandam, risu & ludibrio exponentes dexteram illam quæ regit cœlum & terram: *posuerunt super caput eius & arundinem in dextera eius.* Matth. 27. vers. 29. Significare volebant, quantum ego existimo, vanò hoc & leui Sceptro, quod sicut arundo naturâ suâ vacua est, ita caput Redemptoris esset quoque vacuum & vsus rationis expers, quod idem erat ac vocare eum stultum & amentem, eò quòd

quod proprio ore se dixerit esse regem; iudicabant namque, eum ob paupertatem, vilitatem vestium & miseriam discipulorum potiùs censendum esse miserum, quàm regem diademate cinctum, vt propterea tractari mereretur tanquam amens & stolidus.

Voluit benedictus Christus arundinem manu tenere, ait D. Hieronymus in cap. 26. Matth. quia cùm temporibus illis arundo erat instrumentum scribendi, & ipse iam paratam habebat chartam, quę erat propria eius caro, paratum quoque atramentum proprij sanguinis, & solum deficiebat penna, quâ posset ritè regulariterque formare characteres & describere hoc nouum amoris prodigium, quòd Deus, videlicet, moreretur pro homine, Dominus pro seruo, innocens pro peccatore; ideò consignatur manibus eius arundo, vt describat hoc stupendum amoris opus, hanc nouam & inauditam amoris inuentionem à summo dilectionis & Charitatis Architecto excogitatam: *Et posuerunt arundinem in dextera eius, quia calamus illi de erat ad scribendum nouum amoris opus, quod in se operabatur*, dicit cit. D. Hieronymus.

Vel dicamus cum D. Anselmo tractat. de pass. eum voluisse manu tenere arundinem, vt deleret & expungeret magnam illam debitorum summam, quam diuinæ iustitiæ debebat natura humana propter chirographum in peccato subscriptum à libera voluntate hominis: *Vt deleretur chirographum, quod aduersum nos erat per peccatum scriptum, arundinem assumpsit in dextera.*

Num. 22. Non adhuc saturi sunt impij illi ministri tot opprobriorum, pœnarum & tormentorum; deturpare insuper satagunt serenam illam faciem beatos illos spiritus recreantem turpissimis & fœtentibus sputis: *& conspuebant eum*, ait S. Euangel. Marcus cap. 15. vers. 19. quàm magna Christo Domino fuerit illata ignominia & infamia, facilè ex eo colligi licet, quòd temporibus illis, vti & nostris, talis actus adeò iniuriosus est, quemadmodum ex pluribus locis sacræ Scripturæ elicitur, vt quia est res summa digna admiratione & compassione, benignissimus Iesus hunc impium actum voluerit à Prophetis prædici. Sic loquitur per Isaiam: *faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* cap. 50. vers. 6. vel vt legit Pagnin. ex Hebræo: *faciem meam non auerti ab ignominijs & sputo.*

Cùm iam huic exercitio nequitiæ vacarent maledicta & immunda illa sceleratorum ora, non otiantur illorum impiæ & sanguinolentæ manus, quæ, ne quicquam cederent ori, fungebantur & officio suo ferocitatis in sanctam illam & venerandam faciem crudeliter sæuientes, cædentesque eam colaphis; quantum ij Saluatori nostro intulerint dolorem, vel ex hoc maximè liquet, quod ad faciem veluti ad partem corporis nobiliorem & potentiorem concurrant tot venæ, nerui & musculi. Sacratissima verò facies illa (veluti legitur in reuelationibus S. Mechthildis lib. 6.) centum & duabus vicibus cæsa & percussa fuit.

Quàm magna deinde & horribilis fuerit hæc iniuria, verbis explicari nequit; etenim quæ maior potuit esse peruersitas hominum, quàm cum ipsiusmet Dei faciem tanta cum iniuria percutiunt homines que tam peruersi & scelerati illum risu & ludibrio excipiunt, ad cuius præsentiam contremiscunt altissimæ cœlorum columnæ? Quodnam, amabo, delictum esset, si quis alapam infligeret alicui regi? quantò enormius scelus & delictum erit percutere Deum, & quidem tanta cum impietate & crudelitate? horrendum esset, si id fieret alicui reo iustissimè condemnato ad mortem, magis horrendum, si innocenti; maximè horrendum, si alicui benefactori? ast id facere Deo, nequaquam id piæ & patientissimæ etiam aures sufferre nequeunt; quapro-

pter

pter S. Chrysostomus os illud aureum hom. 5. de pass. totus attonitus exclamat: *Exhorrescat cœlum, & contremiscat terra: alapis & pugnis in faciem Deus percuti potuit? O Angeli qui hæc intuemini, quomodo siletis, quomodo manus continere potestis, quomodo pro Domino vestro non respondetis? an hoc ita facitis quod attonitos vos teneat tanta insolentia & tanta mansuetudo, tanta peruersitas & tanta patientia?*

Num. 23. Accrescunt pœnæ, tormentis adduntur tormenta N. siquidem, tametsi Christum benedictum crudelissimo affecerint martyrio, suo tamen furori iniquissimi illi Iudæi & canes plusquam rabie exagitati nondum se satisfecisse arbitrantur; quopropter nouum excogitarunt tormentorum genus, nouam adinuenerunt ignominiam, nimirum capillos euulserunt ex sacratissima illius barba. Quod prædixit Propheta Isaias in persona Saluatoris, dicens: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas, vellentibus,* cap. 50. vers. 6. Sed clariùs legit D. Hieronymus: *Tergum meum dedi percussoribus, & genas meas depilantibus.* Vatabl. traduxit ex Hebræo hoc modo: *Corpus meum dedi percutientibus, genas meas volentibus vellere pilos genarum & barbæ.* Et quamuis à sacris Euangelistis nulla fiat huius impietatis crudelitatisque mentio; nihilominus valde credibile est, Hebræos sceleratos & obcæcatos & à passione & ab odio, quo ardebant in Christum, hanc & maiorem ei intulisse ignominiam & opprobrium. Ita aduertit Nicolaus de Lira in cap. 50. Isaiæ dicens: *Licet Scriptura in Euangelijs non dixerit, quod euellerint barbam, tamen paratus fuit sustinere, sicut & alia maiora sustinuit, quia non omnia scripta sunt.*

Quàm grauis sit iniuria vellere barbam, satis liquet ex 2. Reg. cap. 10 cùm enim dimidia pars barbæ abrasa esset nuncijs Dauid, summo illi suffusi fuerunt pudore & verecundia; vnde ait sacer textus: *erant enim viri confusi turpiter valde,* loco citato vers. 5. quæ iniuria, vt refert S. Scriptura, tam magni æstimata fuit, vt eam solam ob causam Dauid indixerit bellum Ammonitis, eosque omninò deleuerit. Turpitudo huius ignominiæ pariter colligi potest ex eo, quod scribit Clemens Alexandrinus 2. pæd. ca. 5. cùm ait: *tanti fecit Deus hos pilos, vt eos cum prudentia simul adesse hominibus iubeat.* Sicque subiungit; *Nefas est barbam vellere, quæ est pulchritudo ingenita, pulchritudo generosa & ingenua.* Et propterea meritò considerandum est, hanc iniuriam illatam Christo Domino fuisse grauissimam; etenim si is minimum capillum Electorum suorum tanti æstimet, vt dixerit: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Matth. 10. vers. 30. & alibi: *Capillus de capite vestro non peribit.* Luc. cap. 21. versic. 18. quantò magis æstimandi sunt diuini capitis capilli & pili barbæ Christi Domini veri Filij Dei. Maxima & summa ergo fuit iniuria, quam ei intulerunt sacrilegi Hebræi, vellendo & dissipando illos tanta cum ignominia & despectu, ac si nullius extitissent valoris.

Attolle igitur in altum oculos tuos, ô anima fidelis, aspice Iesum Nazarenum, candidiorem lacte, rubicundiorem purpurâ, illum, inquam, qui inter omnes creaturas erat pulcherrimus, imò illum, qui cæteris rebus elargiebatur decorem; ecce quomodo illa serenissima facies, quæ alias ipso Sole solebat esse splendidior, modo omni orbata sit splendore & decore, eò quòd ex crudelibus & horrendis colaphis sit facta tumida, vnguibus confricata & quassata, sputis detœdata, sanguine obtenebrata adeò, vt neque amici eam agnoscant: *Non est species ei, neque decor & vidimus eum, & non erat aspectus & desiderauimus eum.* Isaiæ 53. versic. 2. *despectum & nouissimum virorum,* loco citato versicul. 3. dicebat Propheta Isaias de Christo D. N. Sed maiorem habet energiam traductio Vatabli ex Hebr. *cui nec forma est, nec decor: cùm videmus illum,*

illum, nihil habet pulchritudinis, vt cupiamus illum. Despectus est & contemptissimus virorum, vir inquam, dolorum; & qui infirmitatem est expertus.

Eiaculemur ergo N. calida è profundo pectore suspiria, erumpant in lachrymas non dumtaxat oculi, sed omnia membra, cunctæ etiam nostræ venæ, siquidem nos sumus in causâ harum pœnarum & tormentorum, quæ passus est pijssimus Redemptor noster. Concutiatur pariter dolore cor nostrum, imò totum dissoluatur in lachrymas; nos etenim Creatorem nostrum coronauimus nostris execrandis sceleribus & peccatis.

De laborioso & arduo admodum itinere, quod confecit Christus Dominus noster humeris suis deferens crucem ad montem Caluariæ, & quomodo dolorosam Matrem suam Mariam Virg. in itinere hoc habuerit obuiam.

ITEM:

De Crucifixione & Morte Saluatoris nostri in medio duorum Latronum.

Num. 24. Gloriosus Pater D. Augustinus serm. 71. de tempor. mirabili & diuino ingenij sui acumine contemplando mysticum illud factum Isaac, cùm à Patre suo Abrahamo jussu Dei doctus ad sacrificium propria detulit ligna, afferit per eum præfiguratum fuisse Christum Redemptorem nostrum proprijs Crucem suam deferentem humeris ad locum supplicij. De quo doloroso mysterio jamdudum prædixerat Propheta Isaias dicens: *Et factus est principatus super humerum eius.* cap. 9. vers. 6. tunc enim pientissimus Iesus humeris principatum suum habuit impositum, quando profunda cum humilitate portauit crucem suam. Quod significauit S. Euangelista Ioannes, dum post coronationem regis dolorum Christi D. N. subiungit, quòd condemnatus ab iniquo Iudice ad ignominiosam crucis mortem coactus fuerit ab impijs satellitibus proprijs humeris deferre ponderosum crucis lignum? *Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* cap. 19 v. 17.

Omninò jam decens & necessarium est, ô Christiane, ut obseruem cum attentione dolorosam hanc & lugubrem processionem, quâ benedictus Saluator noster conductus fuit ad montem. Intuere ergò ipsum & fune collum eius circumdatum, aspice illum coronâ pungentissimis intertextâ spinis cinctum & coronatum, inspice faciem ejus totam liuore & fœdissimis sputis oppletam & sanguine madidam, contemplare insuper illum humeris suis conquassatis, vulneratis & dilaniatis deferentem ponderosam crucem, cui à ferocibus ministris iam iam affigendus est.

Mente paulisper progredere, & videbis aliam crudelitatem & tyrannidem longè maiorem; Siquidem in Christum tam ponderosa oneratum cruce pueri & alij infimæ sortis homines jaciunt lapides, lutum, ligna, fustes & baculos, teste D. Anselmo dial. de pass. *alij lutum in Christum projciunt, alij lapides, alij ligna.* Sed maiori admiratione dignum est, quòd omnes à maximo ad minimum vsque insurrexerant in mellifluum Iesum, & nullus erat, qui non vel gestibus, vel verbis, aut alio modo ipsum infestatur & affligeret. Externi & peregrini, qui non agnoscebant eum, cum viderent illum miserè adeò incedentem duobus stipatum latronibus, ingenti illa crucis mole onustum, spinis coronatum, totum deformem & sanguine vndique conspersum, faciem ejus fœtentibus deturpatam sputis, tumidam & nigram ob infli-

ctas ei alapas, abhorrebant ipsum, & vultus suos cooperiebant, quemadmodum testantur Prophetæ: *Virum dolorum*, appellat ipsum Isaias cap. 53. v. 3. *& qua si absconditus vultus eius* l. cit. alia translatio habet: *& abscondebamus faciem nostram ab eo* Pagninus vertit: *erit ut is, quò quis absconderet faciem suam.* Nam cùm transiret per medium populum, non permittebant illum sibi approximare, imò protrudebant illum dicentes: apage seductor, discede à me, vade illac, ne me tuo commacules sanguine, ne me contingas tuis conspersis sanguine vestibus. Sicque Dominus & Creator Angelorum, pulchritudo & decor cœli factus est opprobrium hominum, veluti ipsemet fatebatur per os regii Prophetæ: *Ego sum vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis.* Ps. 21. v. 7. Sæpissimè etiam ab impiis Iudæis trahebatur trudebaturque nunc huc, nunc illuc, ut propterea nonnunquam pronus ceciderit in terram, & conquassaverit os, nasum, frontem & totam faciem; at omnium gravissima fuit afflictio quod immisericordes illi satellites traxerint patientissimum Dominum capillis tum capitis tum barbæ, de qua iniuria & crudeli opprobrio lamentabatur ipse apud S. Brigittam lib. 4. reuelat. c. 70. & lib. 1. cap. 20. dicens: *Ego percussus fui pugno in dentes, ego tractus fui crinibus cum digitis eorum.*

Num, 25. Hic meditantur & considerant pij Contemplatiui cum S. Brigitta, quomodò dolorosa & supra modum contristata Dei Mater Maria Virgo admonita & de omnibus informata à S. Ioanne perdilecto Christi discipulo, quæ eo usque contigerant in prætorio circa amantissimum suum Filium, festina domo egressa fuerit comitantibus illam Maria Magdalena, Martha aliisque devotis mulieribus. Considera ergo, ô anima deuota, quàm mœsta & afflicta steterit Mater Iesu Nazareni, dū acerba illa à S. Ioanne percepit nova, vnde sine mora per vicos & plateas currit ciuitatis Ierusalem, vt videret dilectum suum Filium; sed ecce, dum desiderio stimulabatur videndi illum, retardabatur ex alia parte compassione & cura colligendi pretiosi illius sanguinis guttulas; quæ guttatim ex sacrato & dilacerato Christi corpore decidebant in terram: *& ex vestigijs filij mei* (dixit illa S. Brigittæ, vt habetur lib. 4. reuel. cap. 77.) *cognoscebam incessum eius; quò enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine.* Sicque conuertendo se ad Magdalenam & Ioannem dixit: O dilecte Ioannes, ô charissima Maria Magdalena & reliquæ comites, quid opus est inquirere viam, quam pertransiuit: perdilectus meus Iesus? annon conspicitis sanguinem, signum hoc est, hàc illum transiuisse, sequamur hæc vestigia & omni procul dubio ipsum reperiemus. Cùm ergo paulisper perrexissent, innumeram Ecce à longe conspiciunt hominum turbam, qui Caluariæ petebant montem spectaturi funestam illam & tragicam crucifigendi Redemptoris nostri repræsentationē. Properat & accelerat gressum afflicta Mater volens Præuenire præcedentem hominum cateruam; at non poterat ob nimiam populi pressuram, quapropter compendiosiorem arripiens viam prævenit populum & impios satellites ad locum supplicii ducentes Salvatorem nostrum totum jam enervatum & viribus exhaustum, ipsumque cum reliquis mœstissimis mulieribus in loco aliquo, quem transire debebant, avidè præstolatur. Ita ipsamet dolorosa Virgo revelavit S. Anselmo dial. de passion. dicens. *Cùm autem educeretur filius meus cum duobus sceleratis extra portam civitatis cum ingenti pressura irruentis populi & insultantis, volui eum sequi & videre, sed non potui præ maxima multitudine populi, qua ad opprobrium filij mei convenerat; Sed tandem cum Maria Magdalena deliberabam, quod per viam obia-*

obiacentis plateæ circa quendam fontem cucurrimus, quatenus illi obuiam veniremus.

Cùm anxia adeo & afflicta Mater Dei hoc in loco expectaret amantissimum Filium suum, tandem Ecce conspexit à longè venientem impium quendam militem horrificam inflantem tubam, cuius sono veluti acuto gladio transverberabatur cor eius. Conspicit deinde ministros quamplurimos & milites, quorum aliqui ferebant clavos & malleos, alii scalas, alii funes, alii vas felle & aceto repletum, alii alia varia instrumenta ad crucifixionem necessaria; demum copiosam cernit turmam cataphractorum militum Reipublicæ Iudaicæ, quibus cinctus erat innocentissimus Iesus, qui ductus & attractus à feroci quodam milite catena è collo pendente & ponderosa onustus cruce, capite in terram inclinato totus anhelans montem petebat Caluariæ in medio duorum latronum.

Dolorosam hanc processionem conspexit desolata Virgo: verùm adhuc discernere nequiuerat, quis trium illorum dilectus suus esset filius; non enim illum agnoscebat, cùm omnis è vultu illius euanuisset decor & pulchritudo: *vidimus eum & non est ei aspectus, neque decor, & quasi absconditus vultus eius, vnde nec reputauimus eum. loc. sup. cit.* quare instanter petiit à Ioanne, vt sibi illum monstraret, vtpotè qui prius illum pessimè tractatum & deformatum conspexisset. Cui hoc mihi imaginor illum subiunxisse responsum; ecce Mater sancta, videsne illum ponderoso oneratum crucis ligno, cuius caput coronâ spineâ cinctum est, videsne illum plagatum, totum conspersum sanguine, latronibus stipatum, & catena ab impio illo satellite attractum? ille ipsemet est tuus perdilectus filius & charissimus Magister meus.

Considera nunc, ô anima deuota, quomodo iam certò agnoscens afflicta Mater suum Iesum hisce eundem allocuta fuerit verbis: Ohime! ergóne hic est meus filius? ergóne hic est Deus meus, qui tanta cum gloria & lætitia ex me natus est? cuius Angeli decantabant laudes, celebrabant festa in cœlis? quem reges & principes adorabant in terris? estne hic meus dilectus, qui nunquam admisit peccatum aliquod? ah bene aduerto illum ipsummet meum esse Iesum, ex incessu & progressu, optimè nunc ipsum cognosco ex amore & summo desiderio, quo anhelat ad montem Caluariæ; ast non ex aspectu adeò deformato, ut non videatur idem ille, qui fuit antea. Obuiant igitur sibi inuicem duo illa cœli luminaria Maria & Iesus, se inuicem aspiciunt, & mutuo illo aspectu feriunt corda; afflictissima verò Mater quasi semimortua confestim cecidit in terram ob nimiam Filii compassionem, adeo ut non liceret ei amplius loqui. Ita contemplatur B. Virginem mellifluus Bernardus lib. medit. cap. 77. *Cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat; & semimortua facta est præ angustia, nec verbum dicere potuit.*

Ex alia verò parte considera, ò anima Christiana, Christum Redemptorem nostrum aspiciendo afflictam & contristatam Matrem constitutam in tanto dolore, angustiâ & pœnis, quas illa ob tormenta, crucem instantemque Christi mortem adeò ignominiosam sentiebat, se afflixisse tam vehementer, ut dicere oporteat, eum non tantum sensisse proditionem Iudæ, tristitiam in horto, sudorem sanguineum, nec fugam discipulorum, nec Petri trinam negationem, nec alapas, nec verbera & flagellationes, nec spinas, nec vestem albam instar amentis! nec purpuream in prætorio, neque tandem magnum Crucis pondus, quantum sensit abundantes lachrymas, interna suspiria & inexplicabiles illos Mariæ Virginis & Matris suæ dolores; vnde vt eam consolaretur & aliquo modo confortaret, meditatur S. Anselmus

mus lib. de pass. afflictum Filium hæc aut similia afflictæ Matri suæ dixisse verba: Multum per omnem modum tibi debeo, ò dilecta Mater, quod tibi pro tot exantlatis pro me laboribus rependam, non habeo, nihilominus grates tibi refero quàm maximas, & ante omnia pro nouem illis mensibus, quibus in purissimis visceribus tuis me portasti, pro sancto illo lacte, quo me ab infantia nutriuisti, pro materna illa cura & labore, quem mihi impendisti circumligando me fascijs, pro tot tantisque mihi in infantia præstitis obsequijs & seruitijs. Ago tibi quoque infinitas gratias pro curis & laboribus illis, quando Herodis persecutionem fugiens me conduxisti in longinquas regiones Ægypti. Tibi refero grates pro excessiuo illo dolore, quem percepit anima tua, quando me perditum & amissum magna cura & sollicitudine tribus continuis quæsiuisti diebus. Ingentes insuper, ò Charissima Mater, ago gratias pro tot hucusque profusis pro me lachrymis, & pro illis etiam, quas post breuem moram sparges in monte Caluariæ, dum me in crucis huius ligno conspicies pendentem. Hæc dicens mœstissimus Saluator præ nimia cordis teneritudine & compassione concidit in terram oppressus graui pondere crucis. Spectaculum sanè funestum satis, luctuque & compassione dignissimum.

Viribus ita exhausto & eneruato bene-
Num. 26. dicto Saluatore nostro, refert S. Euang. Matthæus milites coëgisse certum quendam Simonem Cyrenæum è villa redeuntem, vt crucem ferret ad montem vsque Caluariæ: *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius*, cap. 27. vers. 32. & hoc fecerunt non ex misericordia aut compassione, quam haberent cum Christo, sed vt properarent ad eius mortem, & sic apprehendentes mansuetum Agnum catena è collo eius pendente, traxerunt illum hinc & inde per montem permittendo illum nonnunquam cadere supra durissima saxa, vt eò vehementior esset dolor eius.

Vt tandem locum accessit supplicij, dicit S. Lucas, quòd ipsum cruci affixerunt: *Postquam venerunt in locum, qui dicitur Caluaria, ibi crucifixerunt eum*, Luc. cap. 23. vers. 33. irruunt ergò illi Diaboli satellites tanquam lupi rapaces in mansuetissimum Agnum & militari insolentia proprijs eum spoliant vestibus relinquentes ipsum omni ex parte nudum; vnde quia ipsi omni erant denudati pietate, honestate & modestia, talem etiam volebant ipsum exponere conspectui totius populi, veluti ipsemet ille reuelauit S. Brigittæ lib. 1. cap. 19. dicens ei: *Ego sicut natus fui stabam nudus ante oculos inimicorum meorum.* Et hic considerare potes, ò anima deuota, quòd, quando impij illi milites Christum exuerunt vestibus, detraxerint simul cum ea partem pellis, cum pelle carnem, cum carne sanguinem & vitam, adeoque mellifluus & innocentissimus Iesus primò fuit decorticatus & postea crucifixus: *Spoliatur etiam & nunc tertia vice coram tota multitudine renouantur fractura per pannos carni applicatos*, ait S. Bonauentura lib. suar. medit.

Ita spoliatus, denudatus, imò decorti- Num. 27
catus ab infami illa plebecula conspicitur à desolata & afflicta Matre sua. O dolorem supra dolores! ò cruciatum inexplicabilem Mariæ Virginis! sed non potuit illa sufferre (vti asserunt quidam grauissimi Doctores) spectaculum adeò lugubre & deplorandum; vnde voluit denudatum perdilecti sui Iesu corpus cooperire, & quia aliud non habuit nisi velum aliquod, eò quòd erat paupercula, accepit illud è capite suo, & amore ducta accessit intrepido & cooperuit, quantùm potuit, nudum innocentis Filij corpus. Ita ipsamet illa reuelauit S. Anselmo in dial. pass. dicens ei: *Cùm venisset ad locum Caluariæ ignominiosissimum; nudauerunt Iesum vnicum filium meum totaliter vesti-*

bus ſuis, & ego exanimis facta fui, tamen velamen capitis mei accipiens circumligaui lumbis ſuis.

Verùm vt tranſitum faciamus ab ignominia & verecundia ad pœnas & dolores Saluatoris noſtri: conſidera anima deuota, quòd denudatum & decorticatum Chriſtum præcipitant impij illi ſatellites in crucem, ex ſuo caſu exceſſiuum ſenſit dolorem propter aperta corporis vulnera & plagas, propter coronam ſpineam, quam ſacrato capiti ſuo infixam cōtinuò geſtabat, deinde arroganter & ferociter inclamant & præcipiunt ei inſolenter, vt manus ſuas pedesque extendat cruci affigendos. Obediuit extemplò patientiſſimus Ieſus, & ipſemet abſque vlla reſiſtentia ſacratiſſima extendit brachia, & eò lubentius, cùm toto vitæ ſuæ decurſu aliud non deſiderauerit niſi crucem. At quamuis promptiſſimè ille porrigeret & extenderet brachia, quantùm ipſius permittebant vires, non potuit tamen ſufficienter iuxta impiorum illorum deſiderium ad determinata in cruce facta foramina extendere manus, neque id mirum videatur; nerui quippe ob multitudinem plagarum omninò erant contracti, venæ exhauſtæ, ſine ſanguine corpus debilia brachia & tremiſcebant manus; vnde duriſſimum alligabant manibus funem, & illo omni cum violentia manus ad foramina attractas clauis cruci affigunt. O dolorem! ò cruciatum! & quis illum verbis explanare, quis intellectus eum exprimere valeret? ſiquidem cum violentes ita diſtenderent manus & brachia Saluatoris infames & ſcelerati illi miniſtri, diſſolutæ fuerunt illæ ſacrorum membrorum iuncturæ, diſruptæ venæ & nerui, conceſſa & denudata fuerunt oſſa, ita vt omnia minutim dinumerari potuerint. De qua violenta membrorum diſtenſione ipſemet Saluator noſter conqueſtus fuit apud Prophetam regium, cùm dixit: *Dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Pſalm. 21. verſ. 18. Ac ſi vellet dicere iuxta interpretationem S. Bernardi tract. de paſſ. Dom. qui vndique plagatum Dominum ita introducit loquentem: *tantùm diſtenſus ſum dextrorſum, ſiniſtrorſum & à ſummo deorſum, vt corpore nudo in modum tympanica pellis diſtenſo facilè poſſint omnia oſſa mea dinumerari.* Et S. Theodoretus hunc eundem expendens locum ita loquitur in perſona Saluatoris: *Sic me, dum trahe-rent, ac cruci affigerent, extenderunt, vt facillimum fuiſſet cuilibet oſſa mea numerare.*

Num. 27. Poſtquam crudeles hi miniſtri affixiſſent manus mellifluí Ieſu procedunt deinde ad ſacros pedes, quos multum remotos conſpiciunt à deſignato foramine; quare & illos fune eis alligato adeò rabiosè & crudeliter diſtendunt, vt omnes pariter corporis nerui, venæ, iuncturæ diſrupti fuerint & ſoluti. Diſtenſos deinde pedes cruci affigunt. Tandem ſcelerati & rabioſi illi canes crucem in altum erectam tanta cum violentia in paratam ibidem foſſam ſinunt cadere, vt ex renouatis vndique vulneribus & plagis copioſus effluxerit ſanguis; idque indicibilem in Chriſto cauſauit ſitim; quare dixit *Sitio.* Ioan. cap. 19. verſic. 28 & deinde inclinans caput expirauit: *& inclinato capite tradidit ſpiritum,* loco citato verſic. 30.

Ecce, ecce N. dilectum animæ tuæ, Num. 28.
nouiſtíne illum? hic eſt vua illa matura pincernæ Pharaonis ſub torculari crucis diligentiſſimè compreſſa. Hic eſt innocens ille Abel ex odio impij Cain occiſus & mortuus. Hic eſt arcus ille cœleſtis varijs tinctus coloribus, quem, cùm reſpicit Deus memor antiqui pacti, mitigat furorem & indignationem conceptam in homines. Hic eſt innocens ille Iſaac, qui ſeipſum oblaturus in ſacrificium proprijs humeris portauit ligna. Hic eſt ille purus & caſtiſſimus Ioſeph, qui ex odio diuenditus fuit à ſuis fratribus.

Ecce N. adoleſcentem Dauid inermem & nudum ſolo crucis baculo armatum, qui

qui quinque plagis & vulneribus prosternit hostem suum. Ecce hominem illum, qui pro te mortem sustinuit. Agnoscisne hunc hominem pendentem in cruce? hic est benefactor ille tam liberalis & prodigus, qui præterquam te creauit & omni die sustentat & conseruat, tot & tanta pro salute tua pati voluit. Ecce ô peccator, hic est Deus ille, qui, cùm esset speciosissimus, voluit pro te fieri leprosus, vt te à lepra peccatorum tuorum sanaret. Ecce ô lasciue, hic est ille, qui, vt occluderet cor tuum, ne ad id pateret aditus lasciuiæ, cor suum aperiri voluit lanceâ. En auare, cognoscisne hunc crucifixum, vt manus tuas efficeret liberales erga pauperes, voluit suas clauis affigi cruci. Ecce vindicatiue, agnoscisne hunc hominem dilaceratum & sanguinolentum, vt pedes tuos tardos redderet ad vindictas, clauis suos configi fecit in cruce.

Verùm quid cogitas, ô Christiane? quid diutius moram trahis obstinatè viuendo & persistendo in tua peruersa voluntate? vísne esse homicida tui Dei Incarnati? Eia flecte tandem humiliter genua, & agnoscendo tuam ingratitudinem, quam ostendisti in Redemptorem tuum, ora & clama cum Propheta regio: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*, Psal. 50. vers. 3. Bene iam aduerto, ô Redemptor animæ, te nunquam fuisse passum tot & tanta tormenta, nisi adfuisset desiderium salutis meæ. Quapropter te deprecor, vt sicut ex tua infinita misericordia magnum hoc ostendisti amoris opus, ita mihi ingratissimo peccatori veniam misericorditer indulgere digneris & gratiam. Sis bono animo, ô peccator, annon conspicis ipsum in cruce pendentem inclinato capite, vt vnumquemque recipiat? Compatere igitur huic crucifixo Christo; sic enim fructus huius passionis & sanguinis te participem faciet concedendo tibi gratiam in præsenti, & gloriam in futuro.

Pax.

DISCVRSVS LVII.

De sancta pace, eiusque affectibus quos causat & adfert Christiano.

Num. 1. ARA & mysterijs plenissima nomina & encomia, celebres & excellantes in honorem venturi Messiæ titulos adducit Euangelicus Propheta Isaias cap. 9. suarum reuelationum, cùm dicit eum appellandum: Admirabilem, Consiliarium, Deum fortem, Patrem futuri sæculi & Principem pacis: *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* loco citato versic. 6. inter hos autem omnes titulos permagni facit Deus titulum principis pacis vltimo loco positum veluti cæteris digniorem: *Princeps pacis.*

Hinc ipso nato omnia resonant pace: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. versic. 14. *Rex pacificus magnificatus est.* S. Ecclesia. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*, Psalm. 71. vers. 7. in prædicatione sua non de alijs nisi de pace disseruit: *Audiam quid loquatur in me Domi-*

nus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, Psalm. 84. vers. 9. In conuersatione nunquam aliud quæsiuit nisi inire pacem etiam cum inimicis suis: *cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*, Psalm. 119. vers. 7. tandem in morte reliquit testamento pacem: *pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Ioan. 14. vers. 27. & postquam resurrexit à mortuis pacem pariter largiter suis discipulis: *Pax vobis*. Ioan. 20. versic. 21. *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

Summa N. tantùm Deus noster amat pacem, vt omnes cogitationes eius non sint de alio obiecto nisi de pace: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, Ier. 29. vers. 11. non aliud quærit & subintrat hospitium nisi pacem: *factus est in pace locus eius*. S. Ecclesia non alias nisi pacis ingreditur vias: *Viæ eius, viæ pulchræ & semitæ eius pacificæ*. Prouerb. 3. versic. 17. & tandem ille ipsemet est pax: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, canit S. Ecclesia. Quid mirum igitur, quod pacem hanc desideret & velit.

Num. 2. Rationem inuestigat S. Theodoretus cur Deus in exordio nascentis mundi solùm creauerit Adamum & Euam & præter hos nullos alios, cùm mundum replere decreuerat innumera hominum multitudine. Et respondet Deum id noluisse facere, quia diuersæ extitissent in mundo familiæ & prosapiæ & consequenter inter se non seruassent vnionem & pacem; quapropter volebat Deus, vt omnes homines in toto mundo descenderent ab vno Patre & ab vna Matre, vt inter eos conseruaretur pax, vnio & concordia at se inuicem vnicè amarent: *Voluit Deus* (ait sanctus ille Doctor 9. in Genes.) *ex vno viro & ex vna muliere subsistere vniuersalitatem hominum, vt in concordiam conuenirent tanquam ex vna radice florentes, cuius gratia vnum quidem virum, & ex eo vnum formauit mulierem, & ex eorum genere repleuit vniuersam terram.*

Alexand Calamato Sylua Conc.

Et ob hanc quoque causam N. misit Benedictus Christus per mundum discipulos suos binos & binos: *Misit illos binos ante faciem suam*. Lucæ cap. 10. versic. 1. vt significaret vnionem & pacem, quam vult vbique & in Ecclesia sua maximè conseruari, & pro illius conseruatione præcipit eisdem & dicit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*. Matth. cap. 10. versic. 9. & 10. rationem horum omnium reddit S. Ambrosius lib. 1. de Ioseph cap. 23. & dicit Christum Dominum ideò voluisse, vt Apostoli hoc modo irent per mundum, quo omnino tolleret occasionem frangendi pacem & vnionem summopere ab ipso desideratam: *Ob id misit discipulos sine sacculo & sine virga, vt incentiua litis & instrumenta eriperet vltionis.*

Genesis cap. 15. præceperat Deus Abrahamo vt offerret ei in sacrificium vaccam, capram & arietem, & prçterea turturem & columbam quandam: *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam*, loco citato versic. 9. Ocyssimè paruit præcepto diuino S. hic Patriarcha, diuisit animalia, at non volucres: *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium &c. aues autem non diuisit*, versic. 10. Quodnam, amabo, hic latet mysterium? pro intelligentia huius notandem est, quod in sacra Scriptura animalia, quæ viuunt super terram, hominum mundanorũ sunt Symbolum, quorum cor & affectus semper inhiat & inhæret rebus terrenis, per aues verò figurantur homines Apostolici & religiosi, qui omnibus mundi bonis & facultatibus renunciarunt. Per hoc igitur, quod Abraham diuiserit animalia terræ vtpote Symbolum hominum mundanorum, non verò diuiserit aues, vtpote, figuram & typum hominum Apostolicorum, nobis indicare voluit, discordias & inimicitias Num. 3.

regnare inter illos, qui instar bestiarum semper cogitant de rebus terrenis & transitorijs. Aues non diuiduntur, quia sunt figura pauperum spernentium res terrenas & mundanas, ac proinde inter illos semper viget & floret pax, vnio & concordia. Conceptus hic est Hugonis Cardinalis in cap. 15. Genes. *Animalia diuiduntur* (ait ille) *quia inter malos semper sunt iurgia & discordiæ, quia vbi quilibet quærit, quod suum est, non potest esse vnitas; aues autem non diuiduntur, quia boni semper seruant vnitatem pacis.*

Imò dico, tanti à Deo æstimari pacem
Num.4. inter fideles, vt inter eos ne quidem vmbram diuisionis videre aut pati possit. In probationem veritatis huius lego in S. Euangelist. Ioan. cap. 19. quòd, postquam infames & scelerati Hebræi crucifixissent Christum Dominum, non diuiserint vestem eius inconsutilem, sed coniecerint eam in sortem dicentes: *Non scindamus eam sed sortiamur de illa cuius sit*, loco citato versic. 4. quod obtigit ex diuina ordinatione, quemadmodum notat & obseruat S. Cyprianus; siquidem quamuis pientissimus Redemptor noster seipsum exposuerit tormentis, pœnis & flagellis, caput spinis, faciem sputis, collum funibus, manus pedesque clauis, os felli, aures iniurijs & opprobrijs, totum denique corpus doloribus; voluit nihilominus, vt vestis sua inconsutilis conseruaretur planè illæsa & intacta, idque ideò vt edoceret nos, hanc vestem Christi benedicti esse figuram & typum fidelium, & ideò noluit, vt diuideretur, quò ne quidem in figura vlla conspiceretur diuino. Auscultate modò verba S. Cypriani libr. de Vnit. Eccles. vbi in hunc modum discurrit: *Hoc vnitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in Euangelio tunica Domini nostri Iesu Christi non diuiditur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis ipsam potiùs indueret, integra vestis accipitur & incorrupta atque indiuidua tunica possidetur.*

Summa N. sicut nihil est in mundo, Num.5.
quod magis hominem extremæ exponit ruinæ & perditioni, quàm discordia, ita nihil est, quod eundem magis ab inimicis tam visibilibus quàm inuisibilibus tueatur ac defendat, quàm concordia. Probationi huius veritatis optimè nobis inseruiet stupenda illa visio, quam refert Daniel Propheta de statua Nabuchodonosoris, quæ habebat pedes compositos ex luto & ferro: *pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Dan. cap. 2. versic. 33. causam, ob quam non fuerint pedes illi vel ex solo luto, vel ex solo ferro compositi, sed ex luto & ferro simul commixti assignat Doctissimus Abulensis q. 17. in 2. Daniel & dicit, membra illius statuæ fuisse figuram expressam quatuor Monarchiarum mundi, nimirum, Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, & quia Romani fuerunt vltimi, qui totum possederunt mundum, ideò intelliguntur per pedes: & quia horum imperium præuidit Spiritus sanctus breui tempore deuastandum, significatum fuit per mixturam ferri & luti; sicut enim lutum & ferrum non possunt vllo modo simul vniri, ita etiam quia Romani non permanserunt concordes & vnanimes, vti fuerunt in exordio regiminis florescente eorum Republica, ideò amiserunt orbem & vrbem, imperium aliorum & sui ipsius: *Romanos mutuis bellis periisse ex statua colligetur* (ait hic Doctor) *cuius pars pedum quædam erat ferrea & quædam fictilis: testa enim ferro non benè conglutinatur, & sic fuit regnum Romanorum, quod propter mutuas dissensiones deletum est.* Vt hinc edoceremur, quòd pax conseruet stabiliatque respublicas & regna, discordia verò eadem destruat & ad extremam redigat ruinam & deperditionem; quamdiu namque Romanorum ciues concordes erant & animo vniti, tamdiu inexpugnabile & inuictum permanebat eorum imperium.

Vnde si dicerem vobis non posse cru- Num.6.

delius

delius diabolo indici & inferri bellum, quàm cùm sumus concordes, vnanimes & pace muniti, non mihi fortassis fidem faceretis; sed audite antiquissimum Tertullianum in cap. 1. Matth. quàm dilucidè id hisce ostendat verbis: *inueniat vos munitos & concordiâ armatos, quia pax vestra bellum est illi.*

Hoc modo dispositam conspexit ecclesiam suam cœlestis militiæ Dux, quando eam comparauit exercitui optimè ordinato & ad committendum prælium paratissimo: *terribilis, vt castrorum acies ordinata,* Cantic. 6. vers. 9. armata vndique, munita & terribilis diabolo. Hinc D. Gregorius homil. 10. in Ezech. commentando in hunc locum dixit: *Electorum multitudinem eò magis maligni Spiritus pertimescunt, qui eos per charitatis concordiam munitos contra se & conglobatos aspiciunt.* Animæ Christianæ vnitæ sunt destructio dæmonis, concordia fidelium est bellum hostium infernalium.

Num. 7. Res sanè grata & multum accepta apud Deum N. fuit concordia; & propterea à primis mundi incunabulis in productione rerum creatarum septem illorum dierum spatio illam nobis innuere voluit. Obseruate, amabo, quod habetur Gen. cap. 1. Deus omnipotentia sua creauit primo die lucem, & dicit sacer textus: *Et videt Deus lucem, quod esset bona.* loc. cit. versic. 4. Opus deinde inspicite tertij, quarti, quinti & sexti diei, & reperietis Deum omnibus rebus creatis dedisse hunc titulum boni: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Ast in opere, quod creauit secundo die, & fuit firmamentum, non comperietis hunc titulum boni: *Et fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita,* loc. cit. versic. 7. non dixit quod esset bonum: & tamen cœlum est opus pulcherrimum, cœlum nos protegit, cœlum radiantibus undique adornatum est stellis; cur ergo tam nobilis creatura, qualis est cœlum diuinis priuatur laudibus? rationem, cur nimirum Deus non applausit firmamento iam ab ipso creato tametsi nobilissimo, indicat S. Hieronymus in cap. 1. Gen. dicens: *Propterea secundus dies Dei sententiâ non comprobatur, quia vnitatem aufert & diuisionem facit.* Et quia Deus est amantissimus vnitatis, pacis & concordiæ, ideo laudare & approbare noluit opus, quod creauit secundo die, nimirum firmamentum.

Demum N. tantæ æstimationis est pax, vt misericors Redemptor noster discessurus ex hoc mundo & transiturus ad Patrem perdilectis suis valedicendo discipulis dixerit: *Pacem meam do vobis.* Ioan. 14. vers. 27. & postquam gloriosè de suis triumphasset hostibus, afflicto & desolato apparuit collegio Apostolico, & stans in medio eorum salutauit illos, & dixit: *pax vobis.* Ioan. cap. 20. vers. 26. ascensurus deinde ad cœlum triumphanturusque in cœlesti capitolio eadem de nouo replicat verba, dicens: *pax vobis.* Admiratione dignum est N. quòd Dominus noster abiturus ex hoc mundo ditiorem pace pretiosioremque non habeat gemmam, quam suis relinquat discipulis & triumphaturus in cœlis aliud non reperiat, quod donet Apostolis suis, nisi pacem. Vnde hoc prouenit? ergóne alia non sunt ei bona, nisi pax? Glossa ordinaria in cap. 24. Luc. respondet & dicit: *qui pacem dedit; vno verbo omnia bona dedit.* Perspicuum est, liberalissimum Dominum nostrum semper habuisse desiderium ditandi nos bonis & donis suis, & vt hanc perbenignam voluntatem suam ipso ostendat effectu, dixit perdilectis discipulis suis, antequam moreretur, quod eis relinqueret pacem, & post resurrectionem idem hoc replicat, vt nobis innotesceret, quod vbi regnat pax & concordia, ibi omnia simul iuncta reperientur bona & dona: *qui pacem dedit, vno verbo omnia bona dedit.* Num. 8.

Verùm quo modo consequimur & acquirimus hanc pacem? Dauid Propheta modum nos docet, cùm dicit: *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Psalm. 84. vers. 11. Ac si dicere vellet: heus filij Adam, qui tam auidè desideratis pacem, nescio num aduerteritis perpulchram hanc vnionem & coniunctionem, quam inter se habent pax & iustitia. Vultisne esse pacifici? Scitote hanc comitem esse iustitiæ; ideoque qui vult pacem, iustus sit, sanctéque viuat, necesse est.

Num. 9. Ita dicit D. Augustinus in hunc locum & serm. 2. ad fratres in eremo: *Amicæ sunt iustitia & pax, nemo est qui non velit pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam.* Subiungit deinde idem S. Doctor: *percunctare ab homine: vis pacem? vno ore respondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, volo.* Vultisne pacem, desideratisne quietem & serenitatem conscientiæ, quæ vos in cunctis vestris actionibus reddat lætos & hilares? nullus est, qui non dicet: amo pacem, volo, quæro & desidero illam. Ergo, dicit & concludit D. Augustinus: *ama iustitiam, quia duæ sunt amicæ iustitia & pax, ipsæ se osculatæ sunt; ideo si amicam pacem non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te.* Audi vir, audi mulier, qui prætenditis pacem & viuere quietè, scitote iustitiam & pacem non posse à se inuicem disiungi; Visne igitur pacem ò homo, piè & sanctè viue, non aufer ea, quæ sunt proximi tui, noli indulgere voluptatibus mundi & carnis, elargire eleemosynam pauperibus, & bonis vaca operibus, quia, *Iustitia & pax osculatæ sunt.*

Num. 10. Modò percipio N. quod volebat dicere regius Propheta? cùm ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Psalm. 4. vers. 7. S. Hieronymus legit: *Ortum est lumen tuum nobis, & facta est pax lætificans in corde meo.* q. d. conspexi animæ meæ exortum esse lumen bonæ conscientiæ, partum iustitiæ, & confestim talem in meipso sensi pacem, quæ me totum consolabatur. Quando igitur peccator in tenebris sedet & hæret peccatorum suorum, timet & tremit; ast si semel ei affulgeat lumen gratiæ, & præuenientibus diuinæ misericordiæ accendatur scintillis, ecce illico exoritur in anima illius pax, adeoque lætatur & exultat, ac Deo iure merito dicere potest: *Ortum est nobis lumen tuum, & facta est pax lætificans in corde meo.* Primo igitur necessarium est lumen gratiæ, quod est partus bonæ conscientiæ alicuius Christiani, & deinde sequitur pax. Vnde concludit S. Hieronymus in præfatum locum: *lætitia pacis non datur impiis.* q. d. illis qui in tenebricoso demorantur peccatorum ergastulo, nec viam capiunt versus lumen gratiæ, nec curant hospites esse iustitiæ, ijs, inquam, non conceditur hæc pax.

Sed excusate illos N. cæci enim sunt, & pacem inuenire nequeunt: *& viam pacis non cognouerunt*, inquit Dauid Propheta Psalm. 13. vers. 3. summopere conquerendo de hisce miseris peccatoribus: homines mundani quærunt pacem, at non reperient eam, & ratio huius est, quia: *non est timor Dei ante oculos eorum.* loc. cit. Tigurin. & Vatablus legunt clarius: *non est Iustitia cum illis.* Stultos planè esse indicant, qui cum cæcitate peccati viam pacis animæ & quietis conscientiæ adinuenire opinantur; etenim sine iustitia, sine timore Dei, qui nos facit viuere iuxta præcepta Dei non potest reperiri hæc pax, hæc tranquillitas cordis, teste D. Bernardo: *per semitas iustitiæ:* (inquit mellifluus Doctor) *inueniemus pacem: si peccatis quærimus viam illius, inuenire non possumus.* quia pluſquam verum est, quod ait sup. cit. Propheta Dauid: *Viam pacis non cognouerunt, non est iustitia cum illis.* Sicque ob iustissimam causam toto vitæ suæ tempore perpetuam quandam cordis Num. 11

sentient

ſentient inquietudinem, quæ continuò illos torquebit, nec illos permittet viuere in pace.

Verùm quomodo peccatores pacem habere poſſunt, cùm ſcriptum ſit: *Non eſt pax impiis.* Iſa. cap. 48. verſ. 22. Sit homo quidam omnibus & quibuſcumque ornatus virtutibus, ſi tamen non amat pacem, gloriam æternam conſequi non poterit. De gigantibus illis, qui demorabantur in terra promiſſionis, dicit Baruch Propheta: *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt ſtatura magna ſcientes bellum.* cap. 3. verſ. 26. proſequitur deinde idem Propheta dicens: *Non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ inuenerunt: propterea perierunt.* l. c. verſ. 27. & cur non fuerunt electi? cur reprobati perierunt? ratio ſatis clara in ſacro textu, ait S. Ambroſius lib. de Cain & Abel. cap. 5. *Scientes bellum.* Vnde is ſubiungit: *meritò non elegit, quia prælium, non pacem ſciebant.* Nunquam cogitabant de pace, omnes eorum cogitationes erant intentæ bello & pugnæ, & ideò tanquam hoſtes Dei indigni fuerunt cœleſtis paradiſi gloriâ.

Num. 12. Non ſic perſonæ iuſtæ, quarum cor iuſtitiæ receptaculum eſt, & ideò fruuntur pace ſimul & dulcedine, conſolatione & lætitia, quam ſecum pax adducere ſolet. Dilucidè id teſtetur Dauid Propheta dicens: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Pſalm. 118. verſ. 165. cui egregiè ſubſcribit D. Ambroſius dicens: *Etenim qui diligunt Deum profunda eſt eis confirmatæ mentis tranquillitas.*

Deſideratiſne quietem & ſerenitatem conſcientiæ? hanc vobis dabit pax: *Facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Cant. 8 verſ. 10. Vbi Gloſſa ordinaria ſic habet: *Facta ſum quaſi ſerenitatem animæ reperiens.* Quid vultis? abundantiam bonorum ſpiritualium? hanc habet & pax: *Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis.* Pſalm. 121. verſ. 7. quid optatis? abundantiam bonorũ temporalium? hanc & à pace obtinere poteſtis: *Poſuit fines tuos pacem & adipe frumenti ſatiat te.* Pſalm. 147. verſic. 14. quid petitis? conſolationem, gaudium & quietem cordis? habet illam pax: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Pſalm. 4. verſ. 9. Quid cupitis? propagationem veſtræ ſtirpis & familiæ, ne pereat? pax illam ſuppeditabit: *Vt videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſraël.* Pſalm. 127. verſ. 6. cupitiſne viuere quieti & hilares? id conſequemini mediante pace? *Delectabuntur in multitudine pacis.* Pſalm. 36. verſ. 11. vultiſne eſſe beati? pace euadetis: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth. 9. verſ. 9. dicamus ergo cum Propheta, *pax multa diligentibus legem tuam.* Vnde exclamat S. Auguſtinus in hunc locum: *O quanta, & quàm eximia eſt pacis virtus, quæ ex Prophetico ſpiritu multa appellatur!* ſed quid refert, ò ſancte Auguſtine, quod illa nuncupetur multa? *Quaſi diceret* (reſpondet ille) *multa bona ſub vna virtute contineri.* Vt nobis ſignificaret magnos pacis effectus, & quod homo vnica hac ſola virtute plurima animæ ſuæ acquirere poſſit bona: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Cùm igitur tot tantoſque pax in anima cuiusque fidelis producat effectus, veluti iam percepiſtis, mirum non eſt, eam nobis eſſe relictam à Chriſto Domino dicente: *Pax vobis.* Vnde ſi hanc ſanctam pacem non ſtudeatis conſeruare cum Deo, cum vobiſmetipſis & cum veſtro proximo, non vos Chriſtianos, ſed Turcis & infidelibus quibuſcunque peiores & peruerſiores proclamare potero. Quare non reperiatur quiſpiam inter vos adeò peruerſus, qui nolit pacem recipere à Chriſto, quilibet eam inquirat, amplectatur, amet & diligat, quia tandem in cœlis pace gaudebit perpetua.

Peccati culpa.

DISCVRSVS LVIII.

De grauitate peccati & damnis eius, quæ adfert peccatori.



Num. 1. REGIVS Propheta Dauid sermocinaturus die quodam de grauitate & damnis peccati, quæ infert animæ peccatrici, quasi hæc non posset verbis exprimere, prorupit in hæc verba : *Delicta quis intelligit.* Psalm. 18. vers. 13. q. d. quis vnquam sufficienter grauitatem peccati explicare poterit? hoc solùm sufficiat, quod si totus infernus, omnes tyranni mundi, Maxentij, Diocletian, Maximiniani, omnia supplicia, omnes equulei, patibula, tormenta, cuncta animalia etiam ferocissima, leones, pantheræ, vrsi, serpentes, basilisci, aspides, omnes denique creaturæ tam visibiles, quàm inuisibiles, tam corporeæ quàm incorporeæ sæuirent in te peccatorem, non tantũ tibi inferre posset damnum, quantum tu solus tibi ipsi peccando infers. Ne existimes velim hanc solùm esse exaggerationem quandam; Euangelica namque veritas est, quam etiam ipsi agnouerunt gentiles. Seneca Philosophus moralis Epist. 42. examinans & æqua rationis ponderans lance turpitudinem & deformitatẽ peccati hæc tanto homine digna protulit verba : *Si scirem Deos ignoscituros, & homines ignoraturos adhuc peccare nollem propter peccati turpitudinem.* Et diuinus Plato in Minoe, recensens leges & præcepta Minois Cretensis, quem ipse iustissimum pronunciat Legislatorẽ, primam omnium nostrarum actionum vult esse non offendere Deum : *primò* (inquit ille) *cauendum est, ne quid in Deum aut opere aut verbo peccemus.* Num quidam Hilarion, Macarius, Antonius vel Paulus, qui, vt occasiones fugerent peccandi horrida petierunt deserta, & habitare elegerunt cum bestijs, sanctiora potuissent proferre verba ?

Hinc & S. Anselmus lib. de similit. cap. 190. auream hanc posteris reliquit sententiam dignam profectò, vt aureis Christianorum cordibus insculperetur litteris : *Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem horrorem, & necessariò vni eorum deberem immergi, mallem purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.* Hinc etiam Eudoxia Imperatrix (vt legitur in vita S. Ioan. Chrysostomi apud Metaph.) cùm minitaretur mortem S. Ioanni Chrysostomo, admonita fuit ab aulicis suis hunc in modum; *Frustrà illum hominem terres, nihil ille nisi peccatum timet.*

Eadem hæc veritas satis dilucidè clarebit ex Dan. ca. 3. immania immanis Nabuchodonosor tribusillis adolescentibus minabatur tormenta; iã enim accensam parauerat fornacem, in quam proijciendi erant, nisi auream illam statuam adorarent. Quid ad hæc adolescentes illi? intrepidi profectò ferocem in ferocibus ferunt flammis, nec id mirum, quia solùm timebant peccatum, qui omnia ridebant & spernebant tormenta : *erat fornax accensa nimis* (ait os aureum homil. 16. ad populum) *illam verò pueri contempserunt; peccatum autem timuerunt : nouerant enim, quod incensi nihil passuri erant graue, impiè verò agentes extrema habituri.* Concludit idem S. Doctor hom. 5 Epist. 1. & dicit peccatum solum timendum & Num. 2.

cauendum esse; cæterum reliqua omnia esse meram fabulam: *vna dumtaxat res grauis, ac pertimescenda, peccatum nempe, reliqua verò omnia mera fabula.*

Num. 3. Et sanè N. solum peccatum animæ damnosum est & fugiendum. Idipsum innuere & declarare voluit Bethsabea verbis hisce: *Cùm dormierit Dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & Filius meus Salomon peccatores.* Reg. cap. 1. vers. 21. promiserat ei rex Dauid, & promissa iuramento confirmarat, quòd licet tot tantosque filios regis soli Salomoni esset tradendum sceptrum & diadema regium. Voluit nihilominus Bethsabea importunarum more mulierum in memoriam reuocare regi promissum, nec alio efficaciori ad id persuadendum vsus est medio nisi dicendo: scias velim, ô Rex, quòd si Adonias succedat in regnum, mortuâ tuâ sacrâ Maiestate, *erimus ego & filius meus Salomon peccatores.* Mira profectò & insolita propositio, ac minimè, meo calculo, apposita & apta ad persuadendum regi pristini promissi obseruantiam. Annon melius dixisset: erimus exules patria & gratia Successoris regni tui, perdemus nostrum respectum & honorem, euademus opprobrium hominum & vulgi fabula? aut saltem fuisset satis, si regi reuocasset in memoriam, vt pro conseruatione sui honoris & reputationis stetisset suis promissis. Cuncta hæc tamen ipsa præterit, & vt verum declararet futurum damnum, quod sibi & filio suo imminebat, nisi is succederet in paternam hæreditatem & regnum, istius solum facit mentionem, quòd solùm & verè est damnosum & nociuum: *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores.* Siquidem dicendo: erimus pauperes, miseri, nudi, mancipia, subiecti potestati inimicorum meliùs explicari nequit nisi per hunc loquendi modum: *Erimus peccatores,* nam peccatum hæc & plura alia ac grauiora causat mala & damna: erum est, paupertas, auditas, captiuitas, mancipatus, corporis videntur esse mala quædam; at non vera sed apparentia, imò nulla sunt respectu paupertatis, captiuitatis, mancipatus animæ; quæ omnia ab vnico & solo causantur peccato. Quapropter vt verbis significantibus verum explicet damnum, quod eueniet non securo promissionis effectu, ijsque rex eò efficacius moueatur ad promissi obseruantiam, satis est dicere: *Erimus ego & Salomon filius meus peccatores.* Ita acutissimè hunc locum expendit Hugo Cardinalis cùm ait: mulier dicens: *Erimus peccatores, omnium malorum congeriem dicebat.*

Optimè id intellexit Iudas, Genes. ca. 43 idque in suo declarauit iuramento, quando voluit satisdationem præstare Patri suo Iacob, quòd Beniamin postulatus à Ioseph fratre eius ad ipsum esset reuersurus. Num. 4. Cum enim magna inualuisset fames in terrâ Ægypti & in adiacentibus regionibus, illâ coacti fratres Ioseph terram petunt Ægypti allatum frumenta; accedunt præsidem & dispensatorem frumentorum, Ioseph nimirum, ipsis tamen incognitum. Post longum discursum hic præcepit eis, vt in signum fidelitatis adducerent fratrem suum minorem Beniamin, qui domi remanserat. Iussui Ioseph illicò obtemperarunt illi, & reuersi ad patrem, totum, quod obtigerat, narrarunt; ast Iacob tristia hæc percipiens noua noluit vlla ratione eorum petitioni annuere, ne & hoc orbaretur filio quemadmodum alio, quem existimabat mortuum & à feris deuoratum; vnde: *Non descendit*, inquit, *filius meus vobiscum.* Genes. cap. 42. versicul. 38. instar Ruben voluitque Patrem inducere ad consensum, & post multa promissa obtulit ei ambos suos filios etiam internecioni dandos, si ille casus succederet, neque reduceret Beniamin sanum & incolumem: *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi.* Genes. loco citato vers. 37. Flocci facit Pater hoc promissum, spernit sponsionem, nec quidquam mouetur

uetur, sed: *Non descendit, inquit filius meus vobiscum.* loc. cit. prodit & Iudas, instat, orat, exorat, petit & petitum repetit, quatenus benignissimus Pater suæ curæ & custodiæ dignaretur consignare dilectum sibi filium Beniamin, & tanquam cæteris cautior & astutior non offert perditionem filiorum, diuitiarum, vel honoris; sed quia cognoscebat solum peccatum esse homini damnosum, hoc solum sibi imprecabatur, nisi suis staret promissis: *Nisi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* Genes. 43. vers. 9. Vix hæc audierat verba prudens senex, quia cognouerat damnum peccati, absque vlla mora huic simplici promissioni consentit, & Iudæ consignat vnicam oculorum suorum pupillam & senectutis suæ solatium, perdilectum nempe filium suum Beniamin: *Sed & fratrem vestrum tollite.* loc. cit. versic. 13. Quia peroptimè cognoscebat, inquit magnus Origenes homil. 14. in Leuitic. peccatum esse ruinam & vltimum animæ exterminium. Et nominantem peccatum non posse maius nominare malum & damnum: *Iacob* (hæc sunt Origenis verba) *Pater ipsorum sciens multò esse grauius, quod promiserat Iudas, qui dixerat; peccator ero in te, ab eo, qui dixerat: occide filios meos, Ruben quidem non credidit filium, tanquam qui leuiorem elegerat pœnam; Iudæ verò tradidit sciens grauius esse, quod elegerat.*

Num. 5. Vultisne penitius cognoscere & videre, quàm graue malum sit peccatum, ecce efficaciorem probationem. Genes. 49. muribundus iam Iacob vocauit omnes filios suos, vt eis impertiretur benedictionem, & ecce loquendo filio suo Ruben dixit hæc verba: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei.* l. c. versic. 3. causam scire exoptas? quia tu admisisti quoddam peccatum: *Quia ascendisti cubile patris tui & maculasti stratum eius.* loc. cit. versic. 4. & ideò tu fuisti prima causa dolorum meorum, tu primus omnium me afflixisti. Rupertus Abbas lib. 9. in Genes. expendendo hunc locum dicit, quod Iacob, priusquam Ruben hanc intulisset Patri suo iniuriam & dolorem committendo peccatum illud, multas perpessus fuerat tribulationes & aduersitates, à fratre suo Esau grauissimas sustinuerat persecutiones, vagus obambulauerat mundum contristatus & afflictus, ergo Ruben non fuit principium doloris eius; cur ergò dicit *Ruben tu principium doloris mei,* tui causa, ô Ruben primum passus sum dolorem! Optimè & egregiè respondet cit. Rupertus: Iacob, inquit ille priores tribulationes nihili ducebat, ast peccatum, quod Ruben commiserat, solum æstimabat dolorem, solum iudicabat esse tribulationem, & tametsi plurima prius passus fuisset, nihil prorsus ea curat, dolores suos solùm numerare incipit ab illo die, quo Ruben filius eius peccauit, quia solum peccatum, ait Rupertus Abbas, est verum malum, vera ruina, vera miseria, & verum damnum: *Ruben principium doloris mei extitit, non quòd in nullo antea doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati primum in domo eius accidit.*

Verùm quid dico & demonstro miseriam ac damnum, quod in anima causat Num. 6 peccatum? quid, amabo, maius potest esse damnum, quàm vt efficiatur odiosus omnibus creaturis? memoria recolite infœlicem & miserum Cain: vix ille admiserat peccatum & vagabundus undique discurrebat, ipsa etiam timens animalia, quibus erat odiosus, & ideò dicebat: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur, qui inuenerit me, occidit me.* Genes cap. 4. versic. 14. heus Cain, dic, quæso, mihi, non tibi præcipit Deus, vt terra aperta te deglutiat, vti euenit Dathan & Abiron, Num. cap. 16. non vult, vt te absorbeat viuum infernus; sed post commissum delictum relinquit tibi sufficiens tempus pœnitendi, quomodo igitur dicere potes,

tes, quod te eijciat ex omni loco & terra. *Eijcis me hodie à facie terræ.* Ait qui sunt illi, quos te mactaturos times? dicens: *omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Abel Frater tuus perijt & occubuit manibus, nec alij in mundo supersunt homines nisi parentes tui Adam & Eua, à quibus, cum receperis vitam, non est quod speres mortem. Expulsus sum ego (potest is nobis respondere) ab omni terra; est, quod timeam, videlicet omnes creaturæ etiam rationis expertes sumant de me vindictam ob mortem fratris mei: quia cùm omnibus creaturis factus sim odiosus, nullibi terrarum securus viuo, & quodcunque animal mihi obuium timeo, ne tanquam diuinæ minister iustitiæ in pœnam fratricidij à me commissi iustam mihi inferat mortem. Ita in persona Cain loquitur D. Chrysostomus homil. 15. in Genes. & homil. 3. de verb. Is. & abs dubio secutum fuisset, qod ipse suspicabatur, nisi diuina misericordia fronti eius singulare quoddam impressisset signum, quod secundum D. Hieronmum in Genes. cap. 4. fuit tremor quidam omnium membrorum, & hoc signo malum illud, quod timebat, impediuisset: *Posuitq; Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum,* loc. cit. vers. 15. vt hinc doceremur, quod peccator omnia timeat & formidet: *Omnia pauet, metuitq; peccator* (ait D. Chrysostomus) *vmbras, parietes, ipsos lapides tanquam voces emittentes, omnia obseruat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos, qui norunt omnia eos qui nihil norunt.*

Num. 7. Sed quid dicam de remorsu conscientiæ, qui nunquam peccatorem relinquit quietum? non discedamus à præfato Scripturæ textu, quem de Cain hucusque examinauimus. Inquirit causam Philo Hebræus tit. 1. de profug. ob quam Deus posuerit signum in Cain, ne ab alijs occideretur, & acutissimè respondet dicens, peccatum fuisse principalem carnificem sui ipsius: *Posuit signum in Cain, vt omnis qui inuenisset eum, non interficeret. Cur ita? quia commisit illum immanior inimico, peccato scilicet.* Et S. Ambrosius dicit, quòd tametsi nullus percuteret eũ, semper nihilominus timebat; quia à propria sua iniustitia torquebatur? *Cùm adhuc percussor deesset, ipsa se iniusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret: non vt vita suauitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, vt peremptorem suum quotidiè timendo pateretur. Meruerat quidem, vt percussor adhiberetur; sed sine vlla intermissione ipse sui carnifex erat, ipse percussor.*

Hunc eundem tortorem & percussorem senserat & probauerat vice quadam Num. 8. Dauid Propheta; vnde dicebat alloquendo Deum: *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.* Psalm. 50. vers. 16. Doctissimus Agellius exponit hunc versum de sanguinibus Vriæ, & volebat significare, quòd David post commissum homicidium sentiebat stimulum quendam conscientiæ & remorsum, qui eum non relinquebat quietum, sed indies eum accusabat, & dicebat: ah scelerate, ah tu fuisti homicida ille, qui innocentem Vriæ profudisti sanguinem, Quia, vt S. Chrysostomus ait hom. 17. in Genes. *Peccatum mentem flagellat, cor laniat, & quouis tortore grauius apprehendit.* Et S. Augustinus in Psalm. 45. sic scripsit: *Inter omnes tribulationes humanas, nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum.* Quod confirmat Sanctus Hieronymus in c. 17. Ezech. *Portat tormentum suum qui propria torquetur conscientia, & in isto sæculo sustinet propriæ voluntate cruciatum.* Eloquentissimus quoque Cicero tametsi gentilis confessus est hanc veritatem, dum Oration. pro Roscio in hunc perorat modum *Sua quemq; fraus & suus terror, maximè vexat: suum quemq; scelus agitat amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes conscientiaq; animi terrent.*

Rem stupendam refert Cornelius Ta-

citus cap.27. de Tiberio Cæsare. Scripsit hic quadam vice ex Insula Cypri, vbi demorabatur, quasdam ad Senatum Romanum literas, in quibus hæc inter alia continebantur : *Dij me perdant, quem quotidie perire sentio.* Proh Deum immortalem! vnus Imperator Romanorum, qui tot tantisque gaudet delicijs & voluptatibus, non potest effugere extremos illos dolores & tormenta! & subiungit idem author : *Adeò flagitia & facinora in supplicium se verterant.* Et propterea dixit optimè Socrates relatus ab eodem Cornelio Tacito, quòd si homines haberent fenestram quandam, per quam transparerent & videri possent secreta cordis, abs dubio conspicerentur aculei, equulei, gladij, lanceæ, sagittæ, quibus transfodiuntur & sauciantur continuò peccatorum animæ. Vnde dixit Seneca Epist. 9. ad Lucil. *Prima & maxima pœna peccantium est peccasse.* Et peccata sunt carnifices adeò crudeles, vt quia peccator non potest sufferre eorum rigorem, eligat potiùs mori, quàm continuò tolerare tormentum malæ conscientiæ se remordentis.

Et hæc est ratio, cur Iudas proditor, quia sustinere nequiuerat stimulum & remorsum malæ conscientiæ, potius voluerit se laqueo suspendere & mori miserè, quàm diutius cum hac pœna viuere; sic enim loquitur D. Chrysostomus in Psalm. 7. cuius est hic conceptus : *Cùm non posset ferre iudicij conscientiæ dolorem, adaptato sibi laqueo vitam finiuit, ante supplicium vitium supplicium infligit, peccatum in se continet pœnam, antequam puniatur.*

Num 9. Addamus, peccatum non solum infert pœnas & tormenta indicibilia misero peccatori; verùm etiam, quia naturâ suâ grauissimum pondus est, semper illo peccator remanet oppressus. Ex quamplurimis S. Scripturæ locis id clarè demonstrari potest. Dixit quadam vice Christus Dominus : *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,* Matth. 11. vers. 28. S. Augustinus sermon. 120. de temp. existimat hoc in loco vocari peccatores, qui subditi sunt graui iugo peccati, & ideò Dauid summoperè premebatur ab insupportabili pondere, cùm dicebat. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Psalm. 37. vers. 5. Tam graue pondus est peccatum, vt quia illud non poterant sufferre humani humeri etiam robustissimi, necessaria fuerit fortitudo & potentia alicuius personæ infinitæ humana vestitæ carne, quæ illud ferret & portaret quoad pœnam : vnde dixit Propheta Isaias : *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* cap. 53. vers. 4. Scimus insuper Angelum quendam non posse decidi & prolabi in profundum, tametsi totâ esset onustus mundi machinâ; nihilominus quando Lucifer se onerauit graui hoc peccati pondere, tam ponderosus fuit, vt ad imum prolapsus fuerit inferni barathrum. Quàm ponderosus fuerit indicauit S. Ioannes in sua Apoc. cap. 12. *trahebat*, inquit ille, *tertiam partem stellarum cœli.* vers. 4. Audite S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum 2. p. The. titul. 3. cap. 15. *Adeò graue est peccatum, vt cœlum & terra superficies non valeat sustinere peccatorem, vt patet in Lucifero, qui existens in cœlo empireo ita grauatus est per superbiam, vt de cœlo lapsus in centrum terræ ruerit.* Nam vt ait D. Chrysostomus homil. 39. in Matth. *Nullo pondere grauius premitur anima, quàm peccati.* Quare Propheta Ieremias loquens de populo idololatra, qui grauiter Deum offenderat suis peccatis, dixit, illum esse onus Domini : *Quod est onus Domini?* Ierem. cap. 23. versic. 33. quem locum expendens Nicolaus Liranus dicit : *Onus importabile propter peccatorum vestrorum pondus.* Et Paulus Apostolus nuncupauit illud, *Omne pondus*, ad Hebr. 12. versic. 1. Vbi dicit Angelicus Doctor: *Id est peccatum perpetratum, quod dicitur pondus, quia animam deprimit ad infima.*

Peccatum

Num.10. Peccatum igitur est graue pondus, & tale vt exprimi nequeat. Mirabile & stupendum factum ad hoc propositum legitur in Iona Propheta cap. 1. Naui hic Propheta quodam die se commiserat nauigaturus contra Dei præceptum & voluntatem in Tharsis. Vt erat in medio mari, grauis ecce exorta est tempestas tamque horribilis, vt omnes opinarentur se iam iam submergendos: vnde quilibet studebat se à præsenti illo liberare vitæ periculo, hic tenebat clauum, ille colligebat vela, quilibet arripiebat lignum, quod primò habebat obuium, quò vitam suam saluare posset, Demum quotquot in naui erant merces & vasa, proiecerunt in mare, credentes se hoc medio euasuros periculum, ast nihil minus eò sedabatur maris tempestas, nec ipsi à periculo erant liberi; vnde si inobedientem Ionam (qui quasi importabile pondus iacebat in profundo nauis somno sopitus) prouidi nautæ non præcipitassent in mare, sine dubio omnes vnà cum naui perijssent & submersi fuissent. Huius opinionis est D. Chrysostomus homil. de Iona: *Plus enim ponderis habebat solum Ionæ peccatum, quam alia omnia, quæ nauis portabat.* Sed clarioribus verbis loquitur & scribit alio in loco: *Sarcina Prophetæ magisq; grauabatur non corporis magnitudine, sed peccati; nihil enim grauius & onerosius inuenies quàm peccatum.* Idipsum pulchrè confirmatur à D. Hieronymo in cap. 1. Ionæ cùm dicit: *Arbitrantur nauem solito onere prægrauari, & non intelligunt totum onus esse fugitiui Prophetæ, nihil enim peccato est grauius.*

Num.11. In confirmationem huius legimus in Testamento Nouo Matth. 14. quod vice quadam Apostolis in mari Galilææ piscantibus tam horrida exorta fuerit tempestas, vt omnes omninò arbitrarentur se viuos sepeliendos fore in mari; cum ita anxij & afflicti circumagerentur, accessit eos benedictus Christus ambulans supra mare: *Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos ambulans super mare* loc. cit. vers. 25. *& videntes eum super mare ambulantem turbati sunt, dicentes, quia phantasma est*, vers. 26 at Redemptor noster statim se illis manifestauit, dicens: *Ego sum, nolite timere*, vers. 27. vt Petrus hæc audiuit verba consolatus & factus nonnihil animosior dixit suo Magistro: *Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas*, vers. 28. concessit ei Christus hanc gratiam: *at ipse ait, veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* versic. 29. Durante miraculoso hoc itinere Petri, exoritur alia tempestas, & cùm ille inciperet timere & trepidare, incepit etiam paulatim demergi in aquas, & omninò submersus fuisset, nisi Christus Dominus eundem manu apprehendisset: *Videns verò ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum*, vers. 30. Causam modò inquirit magnus Pater Theophylactus in hunc locum, cur primò S. Petrus ita liberè ambulauerit super aquas, & post pauxillum temporis in tam apertum deuenerit submersionis periculum? & acutissimè respondet dicens, Petrum videndo furibundum illum ventum dubitasse nonnihil de omnipotentia Saluatoris nostri, qui illum propterea reprehendit, & dixit: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* versic. 31. Vnde sola illa vmbra peccati infidelitatis in anima Petri reddidit illum adeò ponderosum, vt vbi primò intrepidè & liberè gradiebatur super aquas, post vacillationem deinde in fide, fuerit in periculo submersionis: *Statim vt timuit* (ait Theophylactus) *cœpit submergi, quando enim fides infirma est, tunc in profundum descendit Petrus.* Quod iamdudum insinuauerat D. Hieronymus in ca. 2. Nahum dicens: *Qui ante leuis gressu pendulo calcabat vndas, postquam infidelitate aggrauatur, voratur à fluctibus.*

Et si diceremus vobis, quod peccatum Num.12.
ipsummet diabolum valdè oneraret, dif-

ficulter mihi faceretis fidem; sed clarissimè id demonstrabo ex Iob cap. 1. Comparuit quadam vice Satanas coram Deo, qui illum interrogauit: *Vnde venis?* loco citato vers. 7. respondit ille: *Circuiui terram & perambulaui eam.* loco cit. Quæso ego, cur Diabolus, qui alias est Spiritus velocissimus, pauxillatim nihilominus ambulet, & non currat velociter? respondet egregiè D. Gregorius Papa in hunc locum, quod Satanas erat oneratus graui peccati pondere, & propterea proprio fatebatur ore se ambulasse: *Circuiui terram & perambulaui eam.* Audite iam verba huius sancti Pontificis: *Cumq; se non peruolasse sed perambulasse insinuat, quanto peccati pondere in imis prematur demonstrat.*

Et quamuis peccatori videatur leue pondus peccati, id ex eo prouenit, quòd sicut Elementa in propria Sphæra non grauitant, bene quidem extra illam sentitur eorum pondus; ita peccatum, quamdiu reperitur in propria Sphæra præsentis vitæ, nullam omninò videtur adferre molestiam importabile eius pondus; attamen anima separata à corpore tandem aliquando sentiet graue eius pondus.

Num. 13. Verùm, vt transitum faciamus ad maiora damna, quæ infert peccatum animæ, audite N. & obstupescite: postquam Adam commisisset peccatum inobedientiæ, vestiuit eum Deus pellibus animalium. Et quid hoc vestitu vis insinuare ô Domine? non supererant igitur alia vestimenta, quibus vestiri poterat Adam, nisi pelles irrationabilium animalium? Respondet S. Ambrosius eum indutum fuisse à Deo huiusmodi veste, quia homo propter peccatum euaserat quædam bestia: *Vestiuit eum,* (ait S. Ambrosius lib. de Elia & ieiunio cap. 4.) *tunicâ pelliceâ: ecce Adam, quasi dicat, ecce amictus tuus, ecce dignum te indumentum, hic te vestitus decet, Qui diuina affectant, tali digni habentur ornatu. Ecce quò te tua culpa deduxit* Vnde & S. Bernardus in Psalm. *Qui habitat,* asserit, quòd si animalia possent loqui, & peccatorem sannis eludere, dicerent ei verba illa ex sacra Genesi cap. 3. vers. 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Ecce peccatorem ob peccata & scelera sua factum bestiam similē nobis sine iudicio, sine ratione: *puto* (ait mellifluus Doctor) *iumenta dicerent si loqui fas esset: ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est.*

Obseruate mecum N. verba illa sacræ Num. 14.
Genes. vbi dicitur: *Noë verò cùm quingentorum esset annorum.* Genes. cap. 5. versic. 31. textus Græcus habet: *Noë homo.* Et quod mysterium latet sub hac traductione? Voluit nobis significare Spiritus sanctus, quòd omnes homines propter peccatum facti fuerint bestiæ; Noë verò solus mereretur dici homo, quia se conseruauit in gratia, *Noë homo* Hæc est speculatio D. Chrysostomi homil. 33. in Genes. *Hic enim solus homo; cæteri autem non homines, sed humanam gerentes formam & ex hominibus in bestias mutati malitia voluntatis generositatem naturæ amiserant, quia cùm in malum declinant, & serui fiunt irrationabilium affectionum imponit illis bestiarum nomina.* Et hoc idem iamdudum dixerat Philo Hebræus libro de Abraham, qui summo id ascripsit encomio Noë, quod honoratus esset hoc titulo: *homo*, quasi aliqua prærogatiua, quæ plurimas alias comprehenderet excellentias: *Hominem non vulgari loquendi forma rationale animal vocat, sed per excellentiam eum, qui verè suo respondet nomini eiectis ex animo immansuetis, rabidis ferisq; vitiorum affectionibus.* Idem indicat alio in loco lib. de legibus: *Nemo iniustus est homo, sed potiùs bestia humanâ formâ prædita.*

Veritatem huius intelllexit Dauid Propheta & propterea ait: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis,* Psalm. 48. versic. 13. Paraphrastes Chaldæus relatus à doctissimo Genebrardo traducit & legit hoc modo: *Homo peccator in honore non commoratur cum iustis, assimilatus est bestia muta.*

Et si

Et si dicerem vobis, hominem ob peccatum euadere peiorem ipsis bestijs, vix mihi crederetis; Sed ad probationem. S. Chrysostomus serm. cum presbyt. esse desig. tom. 5. obseruat, at non sine lachrymarum profusione, quod Propheta regius in Psalmo illo, in quo omnes quasi totius mundi creaturas vniuersaliter invitat ad laudes Deo decantandas, non inuitauerit peccatores, cùm tamen inviter dracones, serpentes aliasque monstruosas bestias dicendo: *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi* Psalm. 148. vers. 7. *bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ.* l. c. vers. 10. quando hoc audiui, ait hic sanctus Doctor, præ admiratione tacui: *Non frustra, & temere intersilui, quia mentis cogitatio metu confusa est, & ad amaras vsque lachrymas grauemq́ eiulatum producta.* Et qua de causa, ô sancte Doctor tantum ostendis dolorem? tantum timorem? tot lachrymas? *quid, obsecro,* (respondet ille) *potest esse mirabilius? scorpij, serpentes ac dracones inuitantur ad laudandum Deum, à quo conditi sunt; solus peccator ab hac sacra chorea subductus est, idq́ iure optimo, mala bestia est peccator.*

Verùm parum est N. quod homo per
Num 15. peccatum fiat similis bestiæ, accedit hoc complementum eius miseriæ, quod per peccatum summus Dei euadit hostis & inimicus & priuatur eius gratiâ. Talis hæc est miseria, vt verbis explicari nequeat. Inquirit doctissimus Abulensis in cap. Iud. 16 q. 25. cur Philistæi postquam abrasissent Sampsonis capillos, & hi de nouo accreuissent, non abraserint, eosdem de nouo; cùm tamen scirent ipsius fortitudinem consistere in capillis? fortè id contigit ex eorum inaduertentia? & respondet negatiuè. Quænam igitur est causa: acutissimum sanè reddit responsum & dicit: *Quia putabant à Deo desertum esse.* Cùm enim Deus iam permisisset illum duci & teneri captiuum, arbitrabantur quòd Deus eum totaliter dereliquisset, adeoque tametsi conspicerent ipsius accreuisse capillos, non tamen id curabant; siquidem tanquam rem certissimam iudicabant, quòd Sampson à Deo derelictus non posset deinceps pristinum recuperare valorem & fortitudinem.

Hanc ruinam, quam causat peccatum, optimè cognouit infœlix Michas Iud. cap. 18. quando vndique repleuit loca lamentis & querelis suis, quod perdiderit nescio quæ idola argentea, quæ sibi confecerat & adorauerat; unde interrogantibus querelarum suarum & lamentorum causam respondebat: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis &c. & dicitis quid tibi est.* l. cit. vers. 24. Nullum planè dubium est, malè eum egisse deplorando amissionem Dei sui & idoli argentei, quod neque vmbram diuinitatis neque sensum habebat, sic nihil ei prodesse poterat; ast non errabat miser iudicans rem esse dignam planctu, dolore & lachrymis, quod amiserit Deum, ô te infœlicem & miseram animam peccatricem! annon aduertis Deum à te recessisse propter peccatum tuum? quid facies, quid incipies sine Deo? ad cunctarum calamitatum facta est colluuies & receptaculum.

Minitatus est Deus quadam vice populo Israelitico Diluvium quoddam pœ- Num.16.
narum & flagellorum, mare quoddam calamitatum & miseriarum, sterilitatem, famem, exilium, captiuitatem, exterminium patriæ, deuastationem ciuitatis, mortem filiorum & plura alia. Superśuntne, ô Domine, tuæ rigorosæ iustitiæ adhuc alia fortassis grauiora supplicia? sublata igitur eorum substantia, libertate & prole restátne adhuc peior à peccatoribus sustinenda pæna? ah ait Deus: *Væ eis, cùm recessero ab eis!* Oseæ cap. 9. vers. 12. Quid indicat hæc vox, *Væ?* Omnia tibi imaginare damna, imò infinita animo reuolue, omnia, inquam,

hæc inferentur animæ priuatæ Deo: *Va eis cùm recessero ab eis.* Quia, vt inquit S. Basilius in cap. 2. Isa. *Nulla atrocior pœna, cæteras omnes vincit calamitas hæc, deseri à Deo.*

O Deum immortalem! quomodo non omnibus contremiscimus membris hæc solùm cogitantes; & tamen reperiuntur nonnulli, qui tametsi conscientiam habeant mortali defœdatam culpâ, edunt, bibunt, dormiunt nihilominus, ac si salutis suæ essent securissimi. Admiratus fuit Cæsar Augustus, veluti refert Macrobius libr. 2. Satur. cap. 4. quod quidam plurimis aggrauatus debitis potuerit quietè dormire. Ast maiori dignum est admiratione, quòd is, qui habet infinita debita cum Deo, quæ post hanc vitam æternis soluenda sunt pœnis & tormentis, possit capere somnum. O miser! ô miser! quomodo potes unquam securè & quietè dormire? quod Elias (ait D. Hieronymus in cap. 1. Ionæ) dormierit sub umbra iuniperi, & Petrus in carcere, tametsi ille persecutionem grauissimam sustineret à Regina Iezabele, hic ab Herode, non est mirum, quia ambo erant iusti, amici Dei, & mors illorum aliud non fuisset nisi transitus ad æternam vitam; ast quod tu condemnatus ad æternas subeundas pœnas & flammas infernales non ab homine mortali, qui solùm potest occidere corpus; sed ab ipsomet Deo, qui *potest & animam & corpus perdere in gehennam,* Matth. 1. versic. 28. In vtramque dormias aurem sine timore, quænam mentis stupiditas est hæc? quænam vecordia & cordis stoliditas;

Damocles, vti testatur Cicero Tuscul. 5. quodam die assidebat mensæ opiparis instructæ ferculis & dapibus, & quando supra caput nudum è filo pendentem & ceruici suæ imminentem conspiciebat acutum gladium, animo ferè cadebat, cogitabundus & anxius hærebat, nec quidquam manducare poterat.

Quid faciet ergo ille, cui Deus minitatus est non duntaxat mortem temporalem, verùm etiam æternam, quæ subtilissimo suspensa est filo vitæ, cùm possit subitaneam obire mortem, & vesperi in lecto, mane verò possit reperiri in inferno? Non sitis, velim; vos ex illorum numero, curam diligentem vestræ habeatis salutis, dum tempus est, si æternas pœnas & tormenta impijs peccatoribus parata effugere desideretis.

Peccati pœna.

DISCVRSVS LIX.

Per quæ peccat, per eadem Dominus Deus eundem castigat.

Num. 1. IRABILEM & stupendam profectò sententiam N. pronunciauit Sapiens cap. 11. cùm dictante Spiritu sancto scribit in hunc modum: *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur,* loco citato vers. 17. siquidem Deus ijsdem medijs, eadem inuentione, quâ vsus fuit homo in peccando, vtitur in castigandis puniendisque peccatis illius, & ijsdem prorsus punitione sua insistit vestigijs, quæ tenuit homo peccando.

Huius rei innumera in sacris litteris reperiuntur exempla, quorum aliqua breuiter

uiter recensebo. Et primum sit, quod refertur de Absalone 2. Reg. 18. Filius hic erat regis Dauid, adolescens aspectu pulcherrimus, oblongos, gratiosos & auricomos quoque nutriebat & fouebat capillos, adeò, vt, quando tondebat illos (quod semel contingebat in anno) mulieres eosdem compararuerint pondere & pretio auri: *semel in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries*, 2. Reg. 14. vers. 28. Absalon ergo tantùm se iactitabat & gloriabatur in hac sua pulchritudine, & præsertim in superbis illis capillis, vt bellum mouerit contra proprium Patrem suum Dauid, non alium in finem, nisi vt coronaret diademate regio & paterno vanos illos capillos. Contigit, vt mulo insidens subter annosam & ramosam transiret quercum, & quia oblongos habebat capillos, flante vento innexi & inuoluti fuerunt crines ramis quercus illius; vnde mulus quidem subtus transiuit; ast ipse remansit ibidem quercu suspensus, donec tandem tribus confossus lanceis miserè finiret vitam & regimen, quod ambiebat: *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo: cumq; ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit*, loco citato suprà vers. 9 Quis vnquam hoc somniasset, quis, inquam, putasset, quòd capilli illi, in quibus tantum gloriabatur Absalon, ei intulissent & causassent mortem? sed digna fuit Dei punitio & conformis illius superbiæ ac ambitioni, inquit S. Chrysostomus in hom. sup. Psalm. 3. & sic permisit Deus, vt iidem capilli, quibus ille tam grauiter peccauerat & quos ille tanquam cordis sui idolum adorauerat, eundem etiam punirent & causarent illius mortem: *Coma tenebat comâ tyrannum, ibi eum confundens, vbi diadema paternum gestare contendebat.*

Num. 2. Non dissimilis huic fuit illa pœna, quæ data fuit Menelao duci exercitus regis Antiochi 2. Machab. cap. 13. Peruersissimus & sceleratissimus erat is omnium qui tempore illo vixerant; Prophanauerat enim sacrum templum, violanerat vasa sacra, & innumera alia admiserat sacrilegia; Deus grauiter indignatus voluit eum iuxta sua demerita & peccata castigare, sicque permisit, vt incurreret indignationem regis Antiochi; qui sine morâ iussit impium illum Menelaum duci ad summitatem templi & exinde præcipitari. Et ecce stupendum factum, quod tunc contigit; etenim in illam cecidit terræ partem, ubi solebant proijci & congregari Sacrificiorum cineres in pœnam despectus & contemptus, quem rebus Sacris intulerat: *Et quidem satis iustè* (ait Spiritus sanctus) *nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cuius ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est*, loco sup. cit. v. 8.

Exod. cap. 7. reperietis, quod prima pœna inflicta Ægyptijs fuit conuersio fluminis Nili in sanguinem, idque accidit, inquit D. Augustinus, iusto Dei iudicio: *Iusto Dei iudicio factum est, vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo infantum Hebræorum sanguinem fuderant*, ita D. August. quæst. 9. in Exod. Et quia eosdem infantes submerserunt aquis fluuij Nili, ideò, ait S. Theodoretus quæst. 25. in Exod. submersi fuerunt Ægyptij mari rubro: *tradidit iustissimus iudex exitio aquarum Pharaonem cum toto exercitu, quia per aquam interemerat infantes Hebræorum.*

Adiungit D. Augustinus Sermon. 89. de temp. quod quia Pharao peccauerat per aquas, ijs suffocando miseros Hebræorum infantes, ab aquis Deus desumpsit pœnam & virgam, quâ illum castigaret, nimirum ex aquis eripuit & leuauit eorum Moysen, qui eos postea suffocauit aquis maris rubri: *à fluctibus*, Inquit S. ille Doctor, *lingua Moyses nomen accepit, vt Pharaonis necem quam præparauerat in nomine, in flumine maris inueniat.*

Primus rex, quem deuicerunt filij Israël Num. 3.

raël post mortem Iosue, fuit Adonibe-sec, vti legitur lib. Iud. cap. 1. summa fuit crudelitas huius regis; nam septuaginta reges, quos bello superauerat & captiuos duxerat, crudeli affecit pœnâ & tormento, dum manuum pedumque eorum amputauit summitates, & miseros illos enutriuit sub mensâ repentes instar canum. Magna profectò fuit isthæc crudelitas nunquam ad illa vsque tempora à Barbaris adinuenta, multò minus excogitata; sed condignam & conformem suæ crudelitati recepit pœnam; etenim victus à filijs Israël hoc idem prorsus subiuit tormentum, quo primitus captiuos suos affecerat reges, & deinde captiuus & ligatus deductus fuit in Ierusalem, vbi solemnem illam & veracissimam emisit confessionem: *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensâ meâ ciborum reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Deus*, loco citato vers. 7. Ac si voluisset dicere: non possum neque debeo conqueri de Deo, bene mihi factum est; etenim crudelitatis huius ego primus inuentor extiti.

Herodes occidendo infantes innocentes nullam habuit compassionem, & Deus voluit, vt nullum etiam sentiret dolorem & commiserationem mactando tres suorum filiorum, *occidit multos pueros*, & in pœnam huius (inquit Author operis imperfect. supra S. Matth. cap. 2.) voluit Deus vt morti vicinus in plurimis imò cunctis membris corporis excessiuos sentiret dolores: *qui multos occiderat infantes. Quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur*, siquidem hunc stylum seruat Deus in punitione peccatorum.

Num. 4. Hoc modo sceleratus Achab in eodem loco, quo occidit innocentem Naboth, fuit ipse quoque occisus, iuxta ea, quæ ei dixerat Elias: *hæc dicit Dominus, in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum*. 3. Regum, 21. versic. 19. Imò diues Achab quia sepulturâ priuauerat pauperem Naboth, iussu & ordinatione diuinâ & ipse illâ priuatus fuit. Ita testatur S. Ambrosius lib. de Naboth cap. 11. *Inhumatum pauperem Deus aspicit, & ideò insepultum diuitem iacere decernit*. Hisce alia adhuc annectenda est pœna, videlicet, quia Achab septuaginta erant filij in Samariâ, permisit Deus, vt omnes mactarentur gladio, & quod consideratione dignum est, vt in signum victoriæ & gloriosi triumphi detruncata eorum capita imponerentur cophinis, quibus vti solebant in vindemijs ad colligendas vuas, & ea transmitterentur regi Iehu in Iezrael: *Tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iezrael*. 4. Reg. 10. versic. 7. Insolita sanè & noua triumphi forma est transmittere detruncata capita inimicorum in cophinis vindemiatorijs. Annon melius fuisset, si ea transmisissent suspensa hastis; vt ab omnibus regni incolis fuissent visa? Negatiuum dat responsum Diu. Chrysostomus, omninò namque decebat, vt tali succumberent morti, in pœnam grauissimi peccati Achab patris illorum, qui alienam vi rapuit vineam, eripuitque vitam innocenti Naboth, ac summoperè lætatus fuit, quando in Domum suam cophinos vuis repletos deferri conspexit: *vide* (ait D. Chrysostomus homil. de Achab & pœn.) *quomodo retributio peccato par? posuerunt capita in cophinis. Achab Nabuta pecc?uit botris aliquibus in corbes coniectis*. Et sic verificatum fuit illud dictum Sapientis: *per quæ peccat quis, per hæc & punietur*.

Perlegite c. 19. Gen. & mirabilem diuinæ Num. 5.
iustitiæ executionem reperietis in Personâ vxoris Loth in pœnam peccati sui. Quia scelerati Pentapolis incolæ Deum ad summam prouocauerant indignationem, eumque suis enormibus grauiter offenderant sceleribus, deliberauit Deus omnes illos igne & sulphure in cineres fauillas-

fauillasque redigere & vrbes illas funditus delere; atquia in ciuitate illâ adhuc morabatur seruus suus Loth, significauit ei, vt ocyssimè fugeret è ciuitate cum vxore suâ & totâ familiâ, ac se in vicino saluaret monte: *in montem saluum te fac*, loc.cit.vers.17. at seriò monuit ipsum, ne retrospiceret: *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione* loc.cit. Obediuit bonus Loth præcepto diuino, & cùm ipse & vxor & tota eius familiâ peterent montem, statim ecce de cœlo descendit ignis, & infames illas absumere cœpit ciuitates, Curiosa intereà uxor Loth, quidnam circa vrbes & ædes ageretur, scire cupiens, retrospexit, & eodem ictu oculi, Deo ita permittente, conuersa est in statuam salis: *Respiciensq; vxor eius post se, versa est in statuam salis*, loc. cit. versic. 26. Causam modo inuestigant Doctores sacri, cur Deus castigaturus inobedientem vxorem Loth conuerterit illam in statuam salis, & non potiùs in aliam solidiorem & durabiliorem materiam ad futuram posterorum memoriam? Varias adferunt rationes, quibus omnibus prætermissis solùm adducam eam, quam refert doctissimus Liranus in cap. 19. Gen. hæc sunt eius verba: *Dicunt autem Hebræi, quod hoc fuit, quia nocte præcedente peccauerat in sale, ut sic pœna correspondêret peccato, petenti enim Loth pro condimento cibi Angelorum, quos homines videbat, ipsa renuit apportare, quia secundum modum Sodomorum, inter quos habitabat, affectum ad hospites non habebat.*

Num.6. Inquirunt insuper Doctoris sacri, cur Dauid Propheta decrepitus & senex tametsi pluribus contegeretur vestimentis, nunquam tamen calefactus fuerit; uti legitur 3. Reg. capit. 1. versicul. 1. *Et rex Dauid senuerat, habebatq; ætatis plurimos dies; cumq; operiretur vestibus non calefiebat.* Et plurimas huius adferunt rationes satis acutas; sed egregiam adducit Nicolaus de Lira in hunc locum, quæ & nostro inseruiet proposito; sic discurrit ille: *Hoc fuit in pœnam peccati, quo abscidit oram vestis Saul, & ideò fuit punitus pœnâ correspondente, scilicet vt vestibus non calefieret in senectute, secundùm illud Sapientiæ: Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Et hanc ob causam Deus transformauit impium & crudelem illum tyrannum & regem Nabuchodonosorem in bestiam quandam, vti legitur Dan. cap.4. & non in unam duntaxat, sed in plures bestias Ponderatio & speculatio hæc est D.Paulini Epist 4. ad Sever. quid dicit: *Nabuchodonosor non solùm à regulis suis, sed etiam à sensibus exulabat humanis.* Ac si diceret: non solùm amisit dignitatem regiam, non dumtaxat sceptrum perdidit & diadema regale, verùm etiam ex homine transiuit & mutatus est in bestiam. Pergit vlteriùs idem sanctus Pater dicens: *Coma tristi Leonem, uncis unguibus vulturem, sensu & pabulo bouem referens.* Adeoque quoad crines erat Leo, quoad vngues erat vultur, quoad cibum & potum erat bos. Et cur, amabo, tot repræsentabat bestias, non sufficiebat vna? Petitisne huius rationem? audite S. P. Paulinum: *Ne vnius tantùm belluæ similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in moribus. Per quæ peccat quis per hæc & torquetur.*

Et ob eandem causam iustissimam subierunt pœnam Babylonij illi, quos in lacum Leonum iussu regis præcipitatos & à Leonibus in momento deuoratos fuisse refert Scriptura sacra Daniel cap. 14. versic. 41. *Porrò illos qui perditionis eius causa fuerant intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo.* Pœna sanè conformis delicto, quia impius ille populus peccauerat vi extorquendo Danielem à Rege: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te & domum tuam*, loco citato vers. 28. & innocentem illum Prophetam absque vllâ compassione impij & crudeles Babylonij proiecerant in lacum

Leonem: *qui miserunt eum in lacum Leonum, & erat ibi diebus sex*, loco citato v. 30. ideò ipsi absque vllâ misericordiâ in eundem lacum præcipitati in momento perierunt esca Leonum facti. *Per quæ peccat quis per hæc & torquetur.*

Num. 7. Magnus Pater Origenes homil. 2. in Cantic. obseruat locum illum S. Scripturæ Exod. cap 4. vbi legitur, quòd Deus sufferre nequiuerat summam illam superbiam impij regis Pharaonis ob varia & enormia, quæ admiserat, peccata; vnde dixit se induraturum esse illius cor: *Ego indurabo cor eius*, loco citato vers. 21. Sed cur, quærit hîc Origenes, vult illum hoc modo punire? non poterat aliâ viâ iustam de ipso sumere vindictam, quidni? at voluit non sine mysterio indurare eius cor, vt nimirum pœna correspon deret peccato; siquidem Pharao durè tractabat populum Dei, duros ei imposuit labores, pellem eorum insuper fecit obdurescere ad æstuantes solis radios. Ergo, inquit, Deus non aliter impium illum Pharaonem tractabo: *Ego indurabo cor eius* Cùm duæ, inquit, Origenes, conueniant proprietates Soli, illuminare & indurare secundum materiæ dispositionem, & cor Pharaonis esset materia aptissima ad hoc vt obduresceret, ideò ad radios solis iustitiæ obduratus fuit ob hanc abs dubio causam, quia Hebræos duris affligebat laboribus, dum illos coëgit, vt formatos lateres facerent indurati Solis eos exponendo radijs: *Indurasse dicitur Deus cor Pharaonis* (sic loquitur Origenes) *quòd talis fuerat materia cordis ipsius; quæ præsentiam solis iustitiæ non eâ parte quâ illuminat, sed eâ quâ adurit & indurat exceperit propter hoc sine dubio, quod & ipse affligebat Hebræorum vitam in operibus duris.*

Genes. cap. 18. relaturus sacer Chronista quàm grauia & enormia fuerint scelera ciuitatum Sodomæ & Gomorrhæ dicit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhaorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* loc. cit. vers. 20. & enarraturus deinde capite sequenti qualem Deus eisdem sceleratis hominibus inflixerit pœnam, dicit hæc verba: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Gen. cap. 19 vers. 24. Causam huius pœnæ inuestigat S. Ioann. Chrysostomus tom. 1. Sermon. de Adam & Sodom. cur nimirum Deus voluerit huic pœnæ adhibere pluuiam ignis, ac mandauerit, vt is contra propriam naturæ inclinationem descenderet? & respondet Deum id fecisse vt pœna quadraret peccato Sodomitarum, qui quia peccauerant contra naturæ ordinem, ideò ignis côtra naturæ ordinem & propriam inclinationem descendat eosque puniat, necesse fuit. Audite verba D. Chrysostomi: *Erat autem ista quadam retributio his, qui naturæ subuerterant leges fœminas in masculis quærentes, vt inuertatur & in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium ex igne quasi ex aquâ.*

Audite aliud stupendum factum. Inquirit Doctissimus Abulensis ob quam causam Deus permiserit, vt Sampsoni fuerint eruti oculi: *statim eruerunt oculos eius* Iud. cap. 16. versic. 21. & respondet id ideò contigisse, quia Sampson volebat nubere alicui mulieri Philistææ diuersæ religionis ab eâ, quam ille & parentes eius profitebantur; vnde tametsi sæpissime à parentibus increparetur, & audiret vrgentissimas rationes suadentes contrarium; noluit tamen ipse nobis parentum consilijs & monitis acquiescere, sed quasi cogendo Patrem dicebat ei: *hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis* cap. 14. versic. 3. Ecce, ait Abulensis in hunc locum; quomodo pœna sit conformis delicto: *Teneri potest, quod peccauerit Sampson accipiendo vxorem de Philistinis quia erat contra legem, & quod meritò eruti fuerint oculi eius.* Vt edoceamur plusquam verum esse, quod ait Sapiens: *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Num. 8.

Exod. cap. 9. præceperat Dominus Deus Moysis & Aaron, vt præter alias pla- Num. 9.

gas

gas & flagella, quibus affligebant Ægy- ptios, replerent etiam manus cinere de camino, & dispergerent illum per aerem; mirabiles namque exinde viderent cau- sari effectus: *Dixit Dominus ad Moysen & Aaron: tollite plenas manus cineris de camino & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone.* loc. cit. vers. 8. Idque sine mora executum fuit: *Tulerunt cine- rem de camino & sparsit illum Moyses in cœ- lum, & facta sunt vlcera vesicarum turgen- tium in hominibus & iumentis.* loc. cit. vers. 10. Posito quod Deus decreuisset Ægyptios punire mediante cinere, cur voluit illum esse de fornace? egregiè respondet doctissimus Oleaster in hunc locum & ait: *Laborare fecerunt Ægyptij filios Israël in decoquendis lateribus in for- nace; nunc verò fauillâ fornacis discrucian- tur.*

Et Spiritus sanctus Sap. 11. reddendo rationem seueræ istius punitionis ser- pentium ignitorum, quibus Deus casti- gauit populum suum, dicit ideam ob causam contigisse, quia illi sibi confece- rant aliquos serpentes, quos vt Deos suos adorarunt, & ideò ijsdem Deus vti- tur ad puniendos illos: *Quod quidam er- rantes colebant mutos serpentes & bestias su- peruacuas, immisisti illis multitudinem mu- torum animalium in vindictam: vt scirent, quia per quæ peccat quis per hæc & torquetur.* loc. cit. vers. 16.

Num. 10. Hinc sanctus Augustinus Epistolâ quinquagesimâ secundâ refert de Perillo Atheniense & fabro ingenio excellentissi- mo, quod is, vt placeret Phalaridi, venit Agrigentum antiquissimam nostræ Sici- liæ vrbem, & ex ære artificiosum fabri- cauit taurum, cui & ianuam in latere po- suit: vt cum inclusus reus subiectis igni- bus torqueretur, mugitum & non homi- nis vocem videretur emittere; pro quâ inuentione cùm munus à crudelissimo tyranno Phalaride, qui nouis eiusmodi hominum tormentis delectabatur, po- stulasset, tauro ipse, vt eam pœnam pri- mus experiretur, includi à tyranno iussus, ac suppositis ignibus exustus est. Sicque primos dedit ipse mugitus & vltima su- spiria, primos expertus est cruciatus quos alijs parauerat.

Confirmat hanc veritatem D. Chry- sostomus Epistol. ad Cyriacum tom. 5. dum examinat & ponderat asperam & seueram illam sententiam, quam Pater Abraham pronunciauit contra diuitem epulonem. Cùm miser & infœlix hic diues infernalibus exureretur flammis, oculis tandem eleuatis conspexit in sinu Abrahæ Lazarum: quare exclamauit & dixit: *Pater Abraham miserere mei.* Luc. 16. vers. 24. Et quid petis? vnam dunta- xat guttam aquæ per manum Lazari: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum di- giti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.* loc. cit. Nunquam id fiet, replicabat Abraham, nequaquam tibi concedetur illa: *Fili re- cordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* loc. cit. vers. 25. Bone Deus! ecquæ hæc est inurbanitas tua, O S. Patriarcha? annon tu es ille mi- sericors, liberalis & benignus Dominus, qui in ipso æstu & feruore diei egressus es domo, vt sitientibus exhiberes potum limpidissimæ aquæ! cur ergo non suc- curris modo huic misero non integrum vas, sed vnam duntaxat aquæ guttulam petenti? cesset omnis admiratio, inquit Diu. Chrysostomus, quia diues hic epu- lo pauperi Lazaro denegauit micam pa- nis, ideò Deus voluit, vt in pœnam huius immisericordiæ & delicti etiam ei dene- getur minima aquæ guttula, & sitim pa- tiatur per totam æternitatem: *micas ca- dentes* (ait os aureum) *de mensa pauperi non dedit, quid mirum, si guttam aquæ non accepit?* quod confirmat Diu. Augustinus de Verb. Dom. hom. 23. dicens: *Ideò ne- gatur in pœnis misericordia diuiti: quia dum ipse viueret noluit misereri. Ideò rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogan-*

Num. 11.

rogantem pauperem non exaudiuit in terris.

Num. 12. Vel dicamus cum D. Paulino Epistol. 33. ad Alethium, diuitem hunc maiora fuisse passum tormenta in linguâ quàm in alio membro; quia cùm lingua sit instrumentum vocis & locutionis, & diues epulo sæpissimè despexerit, contempseritque pauperem Lazarum, eique plurimas dixerit contumelias & opprobria petenti quandoque eleemosynam; hinc iusto Dei iudicio factum est, quod extremis lingua eius afficeretur tormentis & cruciatibus, vt sic pœna correspondereț culpæ. Audite D. Paulini verba sanè pulcherrima: *Vnde credo illum in Euangelio diuitem tartari, cùm totus (vt clamat) miser cruciaretur in illâ ignei gurgitis flamma, solius tamen linguæ refrigerium postulasse, qua sine dubio ideò vehementiùs cremabatur, quia in Lazarum ante ianuam suam stratum & canibus relictum sæpius superbo auarus ore peccauerat.*

Appositè hic inseruit casus ille, qui refertur in prato florido parte 2. cap 3. & successit in exequijs alicuius diuitis: erat hic homo valdè crudelis & auarus in pauperes; nam cùm die quodam ædes illius accederent pauperes petentes eleëmosynam propter amorem Dei, ipse indignatus imposito digito auribus obturauit eas, & tali actu eos abire iussit Mortuus est & diues ille, cadauer eius delatum fuit ad Ecclesiam, vt sepeliretur. Incepta est & Missa pro animâ huius defuncti, & ecce cum Clerus intonaret & inciperet introitum hunc: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.* Conspicit figuram Christi crucifixi supra altare positam, solutis à cruce manibus, auribus suis imponere digitos, quæ crucifixi figura in hâc formâ; nimirum digitis obturās aures suas, in hodiernum vsque diem videri potest. Voluitque Deus hoc formidabili casu nobis significare veritatem illam, quam ipse iamdudum per Sapientem tom promulgauit mundo: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Perseuerantiæ.

DISCVRSVS LX.

De Perseuerantiâ bonorum operum ad finem vitæ vsque, vt simus securi propriæ salutis.

Num. 1. VAM PRIMUM prouidus cursor tubæ audit clangorem aliudve signum deputatum, gradum quantocyus accelerat, & Euro quasi velocior volat destinatum petens locum & metam, vt obtineat præmium; ast si, priusquam attingat metam, moras trahit, lassusque ac debilis remoratur cursum, non dumtaxat desideratum amittet præmium; verùm etiam omnem in vanum expendet laborem & operam quam in principio adhibuit. Velocissimo fortassis Christianus quidam incedet passu, curretque per viam salutis, vt assequatur & præmium in cœlestibus thesauris repositum; verum si non prosequatur cursum suum, nec perseueret in eo ad mortem vsque, quæ est meta & terminus cursus & vitæ suæ, non solùm non assequetur supernaturalem beatitudinem tanquam præmium propositum, sed & omnis, quemcumque ante vitæ suæ terminum adhibuit, frustratorius erit labor &

& opera; quia, vt ait D. Gregorius lib. 1. mor. cap. 40. *Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia & frustrà velociter currit, qui deficit, priusquam ad metas veniat.*

Perplacet abs dubio Nerum omnium summo Artifici vitæ humanæ cursus, vult & præcipit, vt omni ipsi seruiamus tempore; ast quod à nobis specialiter expostulat, est finis: ita namque disposuit, vt perseuerantiâ, quæ vitæ completur termino, salutis nostræ comparemus pretium: *semper* (dicit S. Isidorus in Psal. 64.) *in vitâ hominis finis quærendus est, quia non respicit Deus, quales ante fuerimus, sed quales circa finem vitæ extiterimus.*

Pulchram hac de re adducit similitudinem Eusebius Emissenus homil. 5. ad Mon. postquam hoc idem hisce confirmauerat verbis: *Spes nostræ omnes in consummatione atque in fine consistunt.* Sicut enim, inquit ille, vana est, & parum prodest omnis, quam tempore veris viridantes promittunt agri, vbertas & fructuum abundantia, si deinde æstiuali tempore ea deperditur & perit aëris intemperie, aut aquarum inundantiâ, ac fine fructu metitur; ita nullum animæ fructum adfert salutis, si in iuuentute ipsa bene viuit & operatur, & in senectute deinde impiam traducit vitam, bonorumque operum destituta est perseuerantiâ; hæc enim sola vitæ coniuncta termino Deo grata est & animæ proficua, cùm sit vltima ad salutem dispositio.

Num. 2. Et S. Hieronymus, vt id nobis persuadeat, recenset exemplum Pauli & Iudæ: *Paulus* (dicit S. ille Ecclesiæ Doctor Epist. ad Furiam.) *malè cœpit & bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Quod confirmat D. Augustinus Sermone de Innoc. tom. 10. scribens in hunc modum: *Iudas in Apostolatu optimè incepit, & pessimè finiuit. Paulus malè incepit, & tamen vas electionis dignè vocatus est.* Ecce clariorem propositæ antithesis dilucidationem, vt necessitatem percipiatis perseuerantiæ. Malè cœpit viuere Paulus; examinaturi etenim ipsius iuuentutem, totam vitijs & sceleribus oppletam reperietis, Ecclesiæ persecutor semper extitit acerrimus, & quando fuit vocatus è cœlo à Christo: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini.* Actor. 9. vers. 1. Sed respice finem: *Vas electionis est mihi iste.* loc. cit. vers. 15. vitam finiuit cum perseuerantiâ bonorum operum, ac propterea iustificatus illam reportauit coronam, cuius ille meminit 2. ad Tim. 4. vers. 8. *Reposita est mihi corona iustitiæ.* Iudas bene incepit, Christi fuit discipulus, eiusdemque doctrinam vitæque exemplum aliquamdiu secutus fuit; at miser tandem ac desperatus: *Laqueo se suspendit.* Matth. 27. vers. 5. ideoque damnatus abijt. Sicque dicit idem D. Hieronymus in hunc locum: *Non quæruntur in Christianis initia, sed fines,* quia solâ perseuerantiâ nostram acquirimus salutem.

Hanc ob causam præcepit Deus lib. Leuit. cap. 3. vt in sacrificio pacificorum tota ei offerretur cauda animalis: *Offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino adipem & caudam totam.* l. c. vers. 9. Num. 3. Non est contentus aliquâ particulâ caudæ, sed totam postulat: *& caudam totam.* Et rationem istius assignat D. Greg. lib. 1. mor. cap. 40. *Caudam in altari offerre præcipimur, vt videlicet omne bonum, quod incipimus, perseueranti fine compleamus.* Multum arridet Deo operum bonorum perseuerantia, & hanc à nobis vnicè exigit. Ita quoque declarat glossa ordinaria in capit. decim. Matthæi, dicens: *Non cœpisse vel facere, sed perficere virtutis est; vnde cauda hostiæ iubetur offerri.*

Miles nunquam euadit victor, neque victoriæ reportat palmam ante finitum & completum certamen ac prælium. Prælium est & pugna sanguinolenta vita hominis, quamdiu viuit hic in mundo: *Militia est vita hominis super terram.* Iob cap. septim. versic. prim. vt igitur victo-

riosus euadat, & opima reportet spolia, necesse est, cum perseuerantia finem attingat, & tunc victor dici poterit. Ita dicebat S. Bernardus, cuius est hæc similitudo, sic loquitur Epistol. 120. ad Ianuens. *Perseuerantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus, prorsus absque perseuerantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam consequitur.* Ideoque statim subdit: *Scias diabolum, ô Christi miles, soli perseuerantiæ inuidere, quam solam nouit à Domino coronari.* Etenim tametsi anima permultis adornata sit virtutibus, nunquam tamen hæ quidnam merebuntur, nisi suffulciantur perseuerantiâ. Quapropter Sanct. Isidorus lib. de summo bono cap. tertio loquens de necessitate perseuerantiæ ait: *Salus perseuerantibus solum datur, non enim beatus erit, qui bonum facit, sed qui perseueranter facit.* Et Sanctus Augustinus Serm. de Latrone tom 10. concludit: *Nolite, quæso, laudare me, sed orate, vt valeamus vsque ad mortem perseuerare, quoniam finem nostrum Deus attendit.* Et ipsemet Christus Dominus compendiosiori id complectitur sententiâ dicens: *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:* Matth. 24. versic. 13.

Num. 4. Quando Iudæi dicebant Christo iam crucifixo: *descendat nunc de cruce & credemus ei.* Matth. 27. vers. 42. Poterat ipse tunc propriâ virtute descendere de cruce cui erat affixus; ast noluit id facere, vt compleret opus redemptionis nostræ, nosque doceret, ait S. Bernardus Serm. 1. de resurrect. vt, si desideremus attingere apicem perfectionis, necesse est, perseueremus ad finem vsque in exercitio bonorum operum. Et ideò cit. mellifluus Doctor respondet in personâ Christi & ait: *ideò, quia sum Christus non descendam de cruce, vt homines doceam in fine debere firmiores & constantiores in sublimi perfectionis, quo ascenderunt, permanere, & in cruce, quam in toto vitæ decursu susceperunt, perseuerare.* Et qui longo tempore perseuerasset in exercitio bonorum operum, & deinde renunciasset cruci tribulationum, haberetur tanquam extorris patriâ cœlesti, & bonis priuaretur æternis, quæ non nisi perseuerantibus in bonis operibus conceduntur: *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Matth. 10. versic. 22. Quapropter, quando tu, ô Christiane, mutasti vitam, perditosque deseruisti mores, quando cœpisti agere pœnitentiam, prosequere, perge alacriter, curre & scopum attinge; secus: *Mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò non est aptus regno Dei.* Luc. 9. versic. 62.

Denarius diurnus non datur incipientibus, sed perfectis: corona non ijs promittitur, qui currunt duntaxat, sed qui metam attingunt. Quid prodest, quod ferrum imponatur igni vt candescat, si exinde extrahatur, antequam sit ignitum? quod lucrum acquirit sibi artifex ille, qui opus inceptum non deducit ad perfectionem? quid conducit arare & seminare, si non metantur, triturentur & colligantur segetes, ac frumenta reponantur: vanus est & frustraneus omnis labor & nauigatio nautæ, qui nauem non deducit ad portum. Ad eundem planè modum quid Christiano homini nunc prodest, qui sit bonus, sapiens, instus & mortificatus, si non perseuerat in hisce virtutibus vsque ad finem vitæ suæ? *qui autem perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* Num. 5.

Saul quando fuit electus in regem Israël, erat bonus & optimus, nec melior ipso reperiebatur in toto populo; ast quia non obediuit voci Dei, spreuit Prophetam, persecutus est quendam innocentem, ideò miserâ & infœlici petijt morte. Salomon extitit sapientissimus, nec sui similem vnquam habuit; nihilominus deceptus fuit à mulieribus, templa exstruxit & consecrauit idolis, Deos adorauit gentilium, ac propterea nulla in scripturis fit mentio, quis illius fuerit

vitæ

vitæ finis. Quamplurimi reperiuntur hisce temporibus, qui seriò attendunt & student mortificationi sensuum, membrorum, desideriorum, affectuum, cogitationum, & cùm morti sunt vicini, tentationibus non resistunt, deficiunt in bonis operibus prolabuntur in quælibet vitia, nec assequuntur coronam. Ergo, ô fideles, necessaria est perseuerantia, si vitæ exoptetis attingere perfectionem: perseuerantiam coronat Deus, & ideò exhortatur nos D. Bernardus in quâdam Epistolâ: *studete*, inquit ille, *perseuerantia, quæ sola coronatur.*

Num. 6. In figuram istius Exod. 28. præcipiebat Deus fimbrijs tunicæ summi Sacerdotis per circuitum appendi tintinnabula aurea & mala punica ex hyacintho & purpurâ formata. Malum punicum inter alios fructus præclarioribus à naturâ ditatum est dotibus, eò quòd non solùm sub aspero cortice continet grana artificiosè coadunata & composita, non solùm dulcedine repletum est, verùm etiam coronâ dotatum est à naturâ, & planè gloriæ cœlestis symbolum est. Quòd igitur Deus præceperit, vt summi Sacerdos gestaret in fimbrijs tunicæ mala punica & tintinnabula, significare voluit, coronam gloriæ cœlestis non nisi perseuerantibus in exercitio bonorum operum vsque ad finem vitæ communicari. Ac propterea S. Ioannes in suâ Apocalypsi dicit, quod viderit in cœlo similem filio hominis oblongâ vestitum veste: *vestitum podere.* Quâ significabatur, inquit Hugo Cardinalis in hunc locum, omnes à perseuerantiâ coronandos esse.

Hoc idem innuere voluit sapientissimus Salomon, dum in portis illius augustissimi templi plurimos curauit exsculpi Cherubinos palmis inter se distinctos: *Et sculpsit in eis picturam Cherubin & palmarum species.* 3. Reg. cap. 6. vers. 35. Abs dubio templum illud (in cuius ædificatione summâ omnium admiratione nullus fuit auditus strepitus) typus & figura extitit patriæ cœlestis, in quâ *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.* Apoc. 21. vers. 4. Per Cherubinos illos venerabilis Beda intelligit iustos, qui tametsi viuant in carne, omnem tamen carnalem sensum & opera carnis abijciunt & despiciunt, & contemplationi diuinæ insudantes dicere possunt cum Apostolo ad Philip. 3. vers. 20. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Palma significat perseuerantiam in virtutibus. Hisce conformiter exponit D. Ambrosius locum illum Canticorum: *statura tua assimilata est palmæ.* Cantic. 7. vers. 7. per palmam intelligens perseuerantiam. Quòd igitur Cherubini exsculpti sint in portâ templi, significat eos, qui in terris vitam ducunt Angelicam, dignos fore cœlesti gloriâ; at quòd positi sint inter palmas, dilucidè nobis ostendit, solius beneficio perseuerantiæ, cui æternæ tribuitur palma gloriæ, omnes ad illam admittendos fore.

In confirmationem veritatis huius mirum & stupendum legimus passum in Canticis, vbi postquam Sponsa laudauit omnes partes & membra corporis Sponsi sui, accedens deinde ad pedes dicit eos esse aureos: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Cant. cap. 5. vers. 15. & quî hoc? ergóne pedes ex eodem, ex quo caput, confecti sunt metallo? *Caput eius aurum optimum.* loc. cit. vers. 11. dixerat superiùs. Mirum profectò N. quod vilior pars corporis eiusdem existat materiæ, cuius est caput nobilius vtpote corporis membrum. Ergóne pedes, qui terræ continuò inhærent sordibus, similes erunt capiti, & cum hoc æquali gaudebunt priuilegio? omninò. Vt nobis videlicet innotescat, quod, si pedes sint dissimiles capiti, si finis non correspondeat principio nimirùm, si opera tua benè incepta non perseuerent ad finem vsque, nullam merentur laudem, nulliusque existunt æstimationis & meriti apud Deum. Num. 7.

Dat

Dan. cap.2. Statuæ Nabuchódonoſoris caput erat aureum, & pedes partim ferrei: de monte decidit lapis, tangitque pedes ſtatuæ, & ecce tota illa corruit machina, cunctaque diſſoluuntur & deſtruuntur menbra. Quæro ego, cur non permanſerunt integra cætera corporis membra? quid ſolidius auro? quid ſtabilius argento? quid fortius ære? cur ergo lapis tangendo pedes totam in puluerem conuertit ſtatuam? ecce ratio in promptu eſt, quia cùm finis operis ſit diſſimilis principio; pedes quippe erant lutei, caput aureum, tota illa fabrica conuertitur in nihilum. Aureum exiſtat principium, argenteum ſit medium, ſi hiſce quoque non correſpondeat finis, totum abibit in nihilum. Quid prodeſt, inquit D. Gregorius lib. 1. moral. cap. 4. quòd Chriſtianus quidam per aliquod tempus bona exerceat opera, & tanquam Turca, imò ipſo ſceleratior tandem moriatur? vero igitur verius eſt, quod ait Chriſtus Dominus Matth. cap. 10. verſ. 22 *Non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.*

Num.8. D. Auguſtinus lib. 17. de ciuit. cap. 4. perpulchrè ad hoc idem propoſitum expendit verſiculum quendam ex cantico Annæ, vbi dicitur: *Dominus iudicabit fines terræ*, 1. Regum 2. verſic. 10. Quæ verba cit. S. Doctor tranfert in hunc ſenſum: *Dominus iudicabit extrema terræ.* Quænam ſunt hæc extrema? finis hominis cuius terminus, quo finitur eius vita, eſt mors: Quodnam igitur latet hîc myſterium? annon Deus iudicat etiam media vitæ hominis? annon huic minutiſſima de omnibus actionibus vitæ ſuæ reddenda eſt ratio? maximè; cur ergo dicit, Deum non niſi extrema vitæ hominis iudicaturum? reſpondet S. Auguſtinus, Deum plus reſpicere finem vitæ tuæ, ô Chriſtiane, quàm principium & medium eiuſdem; quantumuis principium & medium ſit ex luto, ſi tamen finis erit ex auro, noli dubitare, ſaluaberis: *Dominus iudicabit extrema terræ. Id eſt* (ait Sanct.) *extrema hominis, quoniam non iudicabuntur, quæ in melius, vel in deterius medio tempore committuntur, ſed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicatur*

Vnde ſi tuæ ſecurus vis eſſe ſalutis, incipe à primis annis bene operari, & perſeuera ad finem vſq; Ad id te seriò exhortatur D. Hiero. in c. 11. Eccleſ. *In adoleſcentia & in ſenecta æquus tibi labor ſit: ne dicas: dum potui, laboraui, debeo in ſenectute quieſcere.* Cuius aſſignat rationem: *Neſcis enim, vtrum in iuuentute aut in ætate longæuâ placeas Deo, nec prodeſt adoleſcentiæ frugalitas, ſi ſenectus ducatur in luxis. In quacunque enim die errauerit iuſtus, veteres eum iuſtitiæ liberare non poterunt.* Num.9.

Aduertat igitur vnuſquiſque, parum ſibi prodeſſe operum bonorum initium, niſi in iis perſeueret ad finem vſque. Corona gloriæ non datur benè incipientibus, ſed perficientibus & vitam bonis operibus terminantibus. Deprædicat & laudat pientiſſimus Saluator noſter diſpenſatorem quendam fidelem & ſedulum in officio ſuo, & dicit: *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* Luc. 12. verſ. 42. Conditio quam habere debet ſeruus quidam fidelis, eſt diſpenſare cibos aliaque vitæ neceſſaria tempore opportuno, & ſtatim ſubdit Saluator: *beatus ille Seruus, quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit ita facientem.* loc. cit. verſic. 43. Doctiſſimus Cardinalis Caietanus obſeruauit modum hunc loquendi Redemptoris noſtri, qui non vocat eum fortunatum & beatum, qui aliquo tempore honorificè ſuo functus eſt officio, ſuæque ſatisfecit obligationi, ſed qui in officio ſuo fideliter ſe exercuit ad vltimum vitæ ſuæ punctum vſque: *Inuenerit ſic facientem. Non quod ita fecerit* (inquit Caietanus) *ſed quod ita perſeueret faciendo.* Sicque magnum adferet emolumentum Chriſtiano homini, ſi inſtar generoſi militis ſtrenuè

deſcen

descendat in arenam, animosè pugnet & decertet cum vitijs, concupiscentijs & passionibus animi sui, & publicum indicat hostibus suis bellum, nec vnquam deficiat lassus in prælio, sed constanter & generosè perseueret in illo; sic enim æternâ dotabitur coronâ gloriæ.

Num.10. Verùm æquum omninò est N. vt sciatur, in quo consistat hæc perseuerantia, cuius necessitas tantùm commendatur, vt solâ ipsâ mediante dicatur quis acquirere salutem & cœlestem beatitudinem. Vt igitur quis dicatur verus perseuerans, primò necesse est, omnium planè obliuiscatur commissorum errorum & peccatorum, nec deinceps ea recogitet, ac de nouo committat. Ita innuit pijssimus Redemptor noster sub quâdam metaphorâ dicens: *Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Luc. 9. vers. 62. Qui vomere proscindunt terram, nunquam respiciunt retrò, sed ordinatè formare satagunt sulcos; ad eundem modum, qui se dignum reddere cupit regno cœlorum, omninò vitæ præteritæ obliuiscatur, necesse est, perseueretque in bono incepto opere, non deuiet à viâ commissa recogitando peccata, imiteturque Apostolum dicentem: *Quæ quidem retrò sunt obliuiscens; ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequar brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*, ad Philip. cap. vers. 13.

Num.11. Velocissimus erat cursus animalium istorum, quæ vidit Propheta Ezechiel, adeoque continuus, ut nunquam se verterint, retrospexerint, aut reuersi fuerint, vnde discesserant: *nec reuertebantur, cum ambularent.* Ezech. cap. 1. vers. 12. Quo facto manifestabat Deus Prophetæ huic perfectum iustorum motum cum perseuerantiâ.

Omnino mihi persuadeo symbolum huius fuisse præceptum illud diuinum, quo Deus seuerè præcepit eidem Prophetæ Ezechieli, vt omnes quotquot intrabant templum, per eandem non exirent portam, per quam ingressi fuerant, sed vlteriùs progrederentur & exirent per aliam; Valdè accuratum se monstrabat Deus in veteri lege, quòd diligentem adeò ingressus egressusque templi habebat curam, idque non immeritò: quia, cum ipse à populo illo exigeret tam interiorem, quam exteriorem cultum, noluit permittere, vt egredientes è templo per eandem portam ei verterent terga. Sed sub aspero hoc Scripturæ cortice dulcem inquiramus fructum spiritus. Discedit Christianus ille è statu peccati, vt animæ suæ consequatur salutem, ingreditur templum virtutum, progreditur, Deumque reperit cum gratiâ iustificante, quam sibi infundit; vt infusam conseruet, necessaria ei est perseuerantia, non retrocedat, non in priora prolabatur scelera, adeoque Deo non vertat tergum, necesse est; sed progrediatur vlteriùs, sicque in morte portam adinueniet & ingressum cœli.

Verùm non id sufficit ad veram perseuerantiam. Requiritur insuper, vt Christianus omnium, quæ egit, obliuiscatur bonorum operum, exerceatque nihilominus alia, nulla digna merito se fecisse sibi persuadeat, semper incipiat cum nouo feruore, & nunquam tepescat. Ita mandat & præcipit Ecclesiasticus dicens: *cùm consummauerit homo, tunc incipiet*, cap. 18. vers. 6. *Tunc incipiet* (ait in hunc locum Hugo Cardinalis) *id est se in inchoatione reputabit, & quasi nihil egerit, agere illa incipiet.* Idem insinuat Diu. Gregorius, dum in hunc locum commentatur & alij? *Nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare.* Num.12.

Desideratisne idæam quandam, in quâ clarè id perspiciatis, quod dicit Salomon? accipite Dauid Prophetam patrem eius. Perfectionis aliquem is iam iam attigerat gradum & terminum, quia eundem remissionis & veniæ securum reddiderat Nathan Propheta: *Dominus transtulit*

transtulit peccatum tuum. 2. Regum. 12. vers. 13. Nihilominus audiamus, quid ipse de se in hoc statu constituto sentiat: *Ego dixi, nunc cœpi.* Psalm. 76 vers. 11. Iam iam cum mutatione vitæ meæ incepi operari bene, nimirum, quanquam sim perfectus, numero tamen incipientium me annumerandum esse censui, ita hunc locum explicat Doctor Angelicus; vt omnibus innotescat, quòd vacantes exercitio bonorum operum semper veluti incipientes se reputare debeant, nec operentur cum mensurâ & limitatione, & hoc nobis significare voluit Saluator, quando dixit: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio.* Luc. vndecimo vers. trigesimo tertio. Modernus quidam Doctor in hunc locum ait: non vacare mysterio, quòd, tametsi quamplurima alia reperiantur instrumenta, quibus occultari & tegi possit lumen, benedictus nihilominus Saluator noster modij faciat mentionem, qui est certa quædam species mensuræ: vt videlicet hinc perciperemus, exercitium bonorum operum non debere fieri cum mensurâ, sed perseuerare nos debere in eo, quantùm possibile est, nunquam ab eo desistere, nunquam retrospicere.

Num. 13. Et in hunc finem reuocabo tibi, ô Christiane, in memoriam verba illa Domini nostri, in quibus te stupendo quodam exemplo ad idem exhortatur & dicit: *In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa, & qui in agro similiter non redeat retrò,* Luc. decim. septim. vers. trigesim. prim. *Memores estote vxoris Loth* vers. trigesim. secund. Diuinâ auxiliante gratiâ peccati deseruisti statum? noli instar canis ad vomitum reuertere, euita peccandi occasiones. Viam cœlum versus arripuisti? noli retrospicere existimando te satisfecisse, memor sis vxoris Loth, quæ, vti legitur in sacrâ Genesi capit. 19. quia non obediuit præcepto Angeli respiciendo Sodomam, illicò, conuersa fuit in statuam salis. Et sicut præcepto illo explicatur necessitas perseuerantiæ: ita stupendo huiusmodi facto edocemur, quomodo eandem acquirere debeamus, & ideo notat Rupertus Abbas lib 6 in Gen. vxorem Loth in salem & non in aliam materiam fuisse conuersam, vt suppeditaretur nobis sal ad condiendam mentem nostram: *Non enim in quamcunque statuam*, ait ille, *sed in statuam salis conuersa est, vt exemplum fieret & condimentum, vnde alij saliantur, vt nos scilicet tanquam sale condiret.* Nec minori cum elegantiâ dixit Origenes in hunc locum: *Hoc Dominus ita permisit, vt hoc exemplo perterrefaceret eos, qui bene cœpta deserunt.* Hoc igitur exemplo tua, ô Christiane, reprehenditur instabilitas, qui vix prauam deseruisti viuendi consuetudinem, renunciasti vitijs, statim ac è corde tuo peccatorum eliminasti affectum, exiguum exercuisti mortificationis ieiunijque actum, statim ac pœnitentiæ salutisque apprehendisti semitam, perfectum te iam existimas, remoraris gradum & respicis, ô te miserum! non aduertis, quòd amissâ perseuerantiâ pristina repetas scelera & prauum viuendi modum: *Memores estote vxoris Loth*, quomodo in medio montis constituta conuersa sit in statuam salis & nunquam eiusdem montis attigerit apicem; ita & tu nunquam peruenies ad cœlestem patriam, sed cum operibus bonis, quæ hucusque acquisiuisti æternis adiudicaberis supplicijs. Perseuerantia igitur necessaria est, & quia Deus dat velle & perficere, omnem in eo repone spem tuam & fiduciam, accede ipsum, & dic cum Prophetâ Isaiâ: *Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus es mihi in salutem,* cap. duodecimo versic. secundo.

Pœnitentia.

DISCVRSVS LXI.

De Necessitate pœnitentiæ, & quomodò non sit differenda.

Num. 1. Aluberrimum summeque proficuum extitit documentum illud, quod tradiderunt SS. PP. & Ecclesiæ Doctores S. Hieronymus in cap. 8 Isaiæ & ad Pammach. S. Ambrosius de Virgin. corrupta. Tertullianus lib. de pœnit. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 14. duos videlicet reperiri modos & non plures in sacris litteris, quibus homo consequi potest beatitudinem æternam; primus modus fit mediante vitæ innocentiâ, secundus mediante pœnitentiâ. Qui duo modi in scholis appellari solent duæ tabulæ, quibus nos omnes nauigamus per periculosum hoc mundi mare & afflante diuinâ Spiritus sancti aurâ tandem aliquando portum attingere speramus salutis æternæ. Et quia pauci saluantur mediante primâ tabulâ, cùm pauci reperiantur Baptistæ & Ieremiæ, hinc reliqui omnes homines adulti mediante secundâ tabulâ salutem suam operari debent, quemadmodum dilucidè patebit, si cunctos hominum status introspiciamus; videbimus namque inter reges Dauid, inter Pontifices Petrum, inter nobiles & generosos heroes Paulum, inter Mercatores Matthæum, inter sensuales Magdalenam, & quicunque alij homines, quotquot saluandi sunt, mediante secundâ tabulâ, quæ est pœnitentia, saluabuntur.

Cuius veritatem (vt speculatiuam prætereamus doctrinam) perspicuè ostendit D. Ioannes in sua Apocal. cap. 4. vbi raptus in Ecstasin vidit thronum regium & in eo Deum summâ resplendentem majestate & gloriâ: *Ecce sedes posita in cœlo, & supra sedem sedens.* loc. cit. vers. 2. & circa thronum vidit mare adeò tersum, vt repræsentaret quoddam crystallum: *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* loc. cit. vers. 6. Pulchra sanè semper æstimata fuit hæc visio, & quamplurimos de eâ sancti Patres formârunt conceptus; ast nunc placet mihi opinio Ioachimi Abbatis in hunc locum, qui existimat D. Ioannem fuisse raptum ad contemplandum mysterium sanctissimæ Trinitatis, dicitque, quod non viderit aliud nisi tres personas in vnâ solâ & indiuiduâ essentiâ. Ast quid significat mare illud, quod undique circumdabat thronum? per illud Carthusianus intelligit pœnitentiam, vt hinc edoceremur, impossibile esse quòd peccator attingat thronum cœlestis gloriæ, nisi primò nauiget per mare pœnitentiæ: *impossibile est*, inquit Carthusianus in cit. locum, *vt anima post peccatum ad thronum gloriæ perueniat, nisi mare pœnitentiæ nauigando peruaserit.* O fœlix & fortunatum mare! ubi non nisi peccatum submergitur. Fœlix mare, in quo plenis velis afflante benignâ Spiritus Sancti aurâ securè nauigantes ad fortunatas paradisi peruenimus & appellimus insulas. Hoc est mare illud, quo circumdatur thronus gloriæ: *mare vitreum simile crystallo.* Quid nunc videtur vobis de necessitate pœnitentiæ? scitote, non patere vobis aditum ad æternam gloriam, nisi pertranseatis hoc mare.

Hanc ob causam pœnitentia ab omnibus æstimata & proclamata fuit tan- Num. 2.

quam medium necessarium ad acquirendam æternam beatitudinem, impio excepto Luthero eiusque sequacibus, qui falsò affirmare ausi fuerunt, non esse necessariam pœnitentiam, eò quòd Christus suis infinitis meritis pro omnibus satisfecerit, quæ maledicta hæresis damnata fuit in omnib. sacris Concilijs: quia quamuis ipse pro omnibus æterno satisfecerit Patri, nostram tamen non excludit cooperationem, vnde dixit S. Aug. de correct. & grat. *qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.* Præterquam efficacia meritorum infinitorum Christi Domini dependet à nostra cooperatione, quæ prouenit à gratiâ Dei, quod nobis insinuare voluit Apostolus, quando dixit: *adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne meâ.* ad Colos. cap. 1. vers. 24. Ait quid deest, ò sancte Apostole, passioni Christi, quæ fuit infiniti valoris, & sufficientissima ad satisfaciendum pro peccatis infinitorum mundorum, si darentur? indicare nobis voluit Apostolus, quòd ultra merita Christi nostra requiratur cooperatio; etenim mediante libero arbitrio, quod in nobis est, operari debemus, & in hoc consistit complementum, quod S. Paulus docet adiungendum esse infinito valori sanguinis Christi.

Necessaria igitur est pœnitentia, & hanc nos docuerunt nostri protoparentes à mundi huius primordio, postquam nobis tradiderunt peccandi methodum committendo peccatum originale. Et propterea quamprimum diuinam transgressi fuerunt legem, asperis scabrisque se contexerunt ficuum folijs, idque, vt ait S. Irenæus hæres. 72. in signum pœnitentiæ, quam de commissis agebant peccatis; hoc enim modo macerabant carnem, & offensæ Deo illatæ satisfaciebant; vt nos omnes posteros docerent, quàm necessaria esset nobis pœnitentia.

Et hac magna pœnitentiæ necessitate compulsum credo fuisse primum Euangelicæ legis prædicatorem S. Ioannem Baptistam, quòd primam omnium concionum habuerit de pœnitentia, cùm in hæc prorupit verba: *Pœnitentiam agite*, Luc. 3. vers. 8. Vbi notandum est, eum loqui absolutè & indefinitè: *pœnitentiam agite*, non restringendo eam ad tempus aliquod determinatum, vt nobis significaret magnam illius necessitatem, quodque omni tempore, hora & momento facienda est.

Num. 4. Tam necessaria est, vt Christus Dominus nobis declaraturus illius necessitatem horrenda ille dixerit verba relata à S. Euang. Luca cap. 13. vers. 5. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Hic maximè notandum est illud Ly, *nisi*. Quod nobis ostendit non duntaxat necessitatem præcepti, sed etiam medij, ac si dixisset: non aliud vobis superest medium, quo intrare possitis in regnum cœlorum, nisi pœnitentia. Vnde sacra Scriptura eam nobis seriò inculcat, monetque, ne illam de die in diem differamus, sed subitò agamus.

Quapropter Sapiens in Ecclesiast. te, ò peccator, alloquitur & exhortatur, cùm dixit: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* cap. 5. vers. 8. & 9. Et Dauid Propheta omnes monet peccatores, vt quamprimùm audiant vocem Dei cordis eorum intonantem auribus, sine mora surgant è lecto peccati, in quo iacent, & amplexentur pœnitentiam: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psalm. 94. vers. 8. Et qui cogitat de remedio & pœnitentia agenda in senectute, de re valde dubia cogitat. Potest esse, quod ei succedat; ast quia res valde difficilis est, potest eiusmodi consilium nuncupari tentatio diaboli: vnde huc mentis suæ aciem intendisse credo S. Hieronymum Epist. 45. cùm peccatores exhortatur ad pœnitentiam & dicit: *Iungantur gemitus, lachrymas copulemus, ploremus & conuertamur ad Domi-*

Dominum qui fecit nos. quia si hæc pœnitentia non statim agatur, si non recurramus illicò ad remedium, quid fiet? *ne expectemus diaboli pœnitentiam.* inquit S. Hieronymus, si expectemus ad extremam vsque horam vitæ nostræ agere pœnitentiam & curare salutem animæ nostræ, illud erit curare pœnitentiam diaboli, quod idem est dicere: idem obtinget homini Christiano, quod diabolo, qui in perpetuum perijt sine remedio: *ne expectemus diaboli pœnitentiam.*

Num. 5. Nolo tamen per hoc dicere, quod, quamdiu homo viuit, nequeat mederi malis suis, quia veritas Catholica docet non reperiri peccatum adeò graue, quod non possit deleri vera contritione; sed dico tempus illud valde difficile ac periculosum esse, vt quis veram de suis peccatis eliciat contritionem, & vnum de impossibilibus est, vt quis credat id se facturum in vno instanti, quod nunquam fecit.

Perlegite N. cap. 17. Euangel. S. Lucæ & inuenietis Christum Dominum prædicentem Apostolis suis extremum judicij diem dixisse eisdem hæc verba: *memores estote vxoris Loth,* loc. cit. vers. 32. Sed quis loquendi modus est iste? SS. Apostoli scire desiderant horam finalis iudicij, & Christus Dominus reuocat eis in memoriam vxorem Loth? Diuinum sanè dedit responsum N. præceperat Deus improuidæ isti mulieri, ne exeundo è Sodomâ respiceret; ast ipsa ducta compassione amantissimæ suæ patriæ inordinatum suum haud potuit refrænare appetitum, sed respexit. Dicite iam N. annon creditis, ipsam, cùm respexit contra diuinum mandatum, existimasse & sperasse, quod deinde haberet tempus prosequendi iter suum? omninò: Nihilominus, ecce quomodo præter omnem suam opinionem & spem, statim vt respexit, facta fit insensibilis & immobilis statua salis: *& versa est in statuam salis.* Gen. cap. 19. vers. 26. Iam dico ego omnibus stolidis & negligentibus peccatoribus: vos omni die, imò omni hora & momento respicitis ignem lasciuiæ, iræ, auaritiæ, vindictæ, aliorumque vitiorum, & firmam nihilominus concipitis spem conuertendi vos in extrema mortis hora? & quis vos securos reddit huiusmodi conuersionis? timeo summoperè, ne veluti insensibiles euadatis statuæ instar vxoris Loth, & repentina abripiamini morte; *Memores estote vxoris Loth. Quæ* (subiungit Liranus in hunc locum) *nec habuit spatium respiciendi retrò, sed statim conuersa fuit in statuam salis, sic nec tunc homines habebunt spatium respiciendi retrò, id est intendendi alicui negotio, sed oportebit eos statim comparere conspectui iudicis,*

Et hæc est ratio N. quòd plurimi cautiores fuerint, & non distulerint negotium salutis suæ; sed statim illud executi fuerunt. Genesis cap. 20. hanc sollicitudinem & cautelam, quâ peccator deserere debet peccatum & amplexari pœnitentiam, præfiguratam reperio. Cùm magnus Patriarcha Abraham timeret, ne propter eximiam pulchritudinem Saræ vxoris suæ esset internecioni dandus, cunctis istius regionis incolis significauit ipsam esse sororem suam. Nunciatum fuit regi Abimelech aduenisse videlicet mulierem quandam peregrinam miræ pulchritudinis, quam subitò per seruos & famulos suos rex ad se accersiri fecit; sed Deo ita disponente illæsa permansit Sara nullo honoris sui facto detrimento; eâdem siquidem nocte Deus apparuit regi Abimelech, eique minitatus est mortem, nisi vxorem, quam violenter tulerat, remitteret Abrahamo sine morâ: *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium de nocte, & ait illi: en morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* loco citat. versi. 3. Perterrefactus rex ob minas illas diuinas eâdem illâ horâ circa mediam noctem surrexit è lecto, iussit ad se accersiri Abrahamum, & restituit ei vxorem illius: *Statimq; de nocte consurgens* Num. 6.

Abimelech vocauit omnes seruos suos, & locutus est vniuersa verba hac in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde, loco citato vers.8. Res mira N.quòd rex quidam mediâ surgat nocte totamque excitet & inquietet aulam. Annon expectare poterat, quousque dies illucesceret? ah dicere poterat Abimelech, agitur hîc de salute meâ, & expectarem ad diluculum vsque? nequaquam. Vt hinc nos edoceremur, esse meram stoliditatem & amentiam eorum, qui, dum sunt constituti in statu peccati mortalis, differunt pœnitentiam suam, non aduertentes grauissimum, quod eis imminet, periculum, perdendi animam.

Num.7. Percurrite cap. 8. lib. Exod. & comperietis vnam è maioribus plagis, quibus Deus afflixit Ægyptios, fuisse ranarum immissionem, quarum tanta extitit copia, vt Scriptura Sacra dicat: *Ascenderunt ranæ, & operuerunt totam terram Ægypti,* l.c. v.6. Omnes vici & plateæ, cunctæ domus, omnia cubicula & conclauia, etiam lecti, in quibus dormiebant, scatebant ranis; si volebant bibere, insiliebant in pocula, & in scutellas, cùm comedendi tempus aderat; lectos præoccupabant, dum decumbendum erat. Summa, tota concitatur Ægyptus, omnes murmurant, vociferantur, exclamant contra Pharaonem. Accedit Moyses, & motus commiseratione populi dicit regi: *constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis & à populo tuo,* loco citato vers.9. Audite, quid impius Pharao responderit: *cras,* quasi dixisset: adhuc tempus est, cras id facies. O stulte & stolide rex, ait in hunc locum S. Ambrosius, tam magnâ affligeris plagâ, quocumque te vertis, conspicis ranas, ranas in plateis, in aliâ, mensâ, poculis scutellis, lectis, non dumtaxat iunctis manibus genibusque flexis exorare, verum etiam sollicitare & cogere deberes Moysen, vt eâdem illâ horâ sine morâ tolleret ranas, & adhuc procrastinas, differs, respondesque *cras, qui respondit ei cras.* O peruerse (inquit Sanctus Ambrosius) *cur scelestè non hodie dixisti, sed in crastinum differs? nam meliùs esset continuò à te recedere malum.* Hæc cæcitas, hæc dementia, hæc insensibilitas Pharaonis, testibus venerabili Beda super Exod. & S. Gregorio Nysseno de vitâ Moysis, repræsentat nobis cæcitatem, amentiam & insensibilitatem hominum, qui innumera continuò committunt peccata, sciunt se circumdatos & oppressos non, quemadmodum Ægyptij opprimebantur ranis, sed peccatis mortalibus; & Deus, veluti Moyses faciebat Pharaoni, offert illis suam gratiam, eosque liberare conatur: & tamen, quid dicunt, cùm eis inclamatur & inculcatur pœnitentia? dicemus, faciemus cras, proximâ septimanâ, mense futuro. O rem stupore & admiratione dignissimam! vnusquisque (ait Philo Hebræus de Sacrificio Cain & Abel) attonitus hæret, cùm Pharaonem, qui per Moysen extemplo liberari potest à ranis, audit dicere *cras,* & quilibet in eodem cum Pharaone constitutus est casu; & nullus nihilominus seipsum demiratur, nec solùm cum Pharaone dicit cras, sed aliquot mensibus imò pluribus annis prolongat & differt pœnitentiam. Audi peccator, quid tibi dicat Spiritus sanctus: *ne glorieris in crastinum.* Prouerb. 27. vers. 1. in quem locum ait Liranus: *id est tempus futurum, credens in illo facere magna.* Delere bona illa proposita crastini diei aut alterius septimanæ; posset namque obtingere tibi mors quædam repentina aut febris maligna eripiens tibi iudicium & loquelam, aut fluxus quidam lethalis non indulgens tibi loquendi tempus adeoque moriens æterna subires inferni tormenta & supplicia.

Num.8. Non fecit hoc modo Zachæus N. cùm enim cuperet videre Christum Dominum, & non posset, quia staturâ pusillus erat, & copiosa populi multitudo Saluatorem

torem nostrum sequebatur, cucurrit ocyus ad arborem quandam vicinam, eamque ascendens commodissimè prætereuntem conspexit Redemptorem suum: *Et ecce vir nomine Zachæus,* ait S. Lucas, *& hic princeps erat publicanorum & ipse diues, & quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus,* cap. 19. vers. 3. & 4. benedictus Saluator mundi auidus salutis Zachæi dixit ei: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere,* loco citato vers. 5. & ecce sine morâ Zachæus descendit: *& festinans descendit,* versic. 6. O pulchram correspondentiam! ô celerem & festinam vocationem! ô promptam Zachæi resolutionem! siquidem subitò conduxit in domum suam Saluatorem, vbi & eidem dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum,* loco citato vers. 8. Ecquæ insolita hæc est mutatio? vnus Zachæus, qui primò aliorum bonorum erat auidissimus propriæ iam facultatis & bonorum liberalis euasit dispensator? *vnde hac subitò exorta mutatio?* (quærit D. Chrysostomus in hunc locum) *ex pœnitentia improuisò accelerata* (subiunxit idem S. Doctor) *vnde si festinans vocatur, festinans descendit.* Et ideò, *salus domui huic facta est.* Luc. cap. 19. vers. 10. Vnde S. Augustinus exhortatur vnumquemque hominem, vt modò, cùm tempus est, emendet vitam agatque pœnitentiam, & dixit: *Emenda igitur, frater, vitam tuam, dum tempus datur, implora nunc auxilium diuinum cùm locus datur. fleto nunc, dum lachrymis non intercluditur via: noli pœnitentiam differre, dum hoc in tempore viuis, in quo tantum eius fructus est vtilis.*

Num. 9. Expendit idem Diuus Augustinus serm. 120. de tempor. verba illa, quæ pientissimus Saluator noster dicit Matth. 7. versic. 7. *pulsate & aperietur vobis.* Et post pauca proponit parabolam de decem Virginibus, quarum quinque erant prudentes & quinque fatuæ, & hæ, quia non habebant oleum in lampadibus suis, petierunt illud à prudentibus: *Fatuæ autem prudentibus dixerunt: date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Matth. 25. vers. 8. Responderunt virgines prudentes: *ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* loco citato versic. 9. Abierunt hæ miseræ virgines comparatum oleum; interea venit sponsus subintrauit conuiuium cum quinque prudentibus, quæ paratæ erant, & statim clausa est ianua: *& quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua,* loco citat. vers. 10. Superueniunt & reliquæ Virgines fatuæ, fores pulsant & dicunt: *Domine, Domine aperi nobis,* loco citato versic. 11. Quibus responsum fuit: *nescio vos,* loco citato. Subintrat modò D. Augustinus & dicit: Domine, quòd hæ Virgines quinque verè sint censendæ fatuæ & stolidæ, eò quòd tempestiuè sibi non prouiderint de oleo, vltrò affirmo, nec nego; ast ex aliâ parte videntur quoque mihi excusatione dignæ, quia abierunt comparatum oleum, & deinde, ô Domine, annon dixisti superiùs: *pulsate & aperietur vobis,* cur igitur ipsis respondes modò: *nescio vos?* Verum est, respondet D. Augustinus, benedictus Dominus noster omnibus, quotquot intrare desiderant, promisit se aperire portam; verùm totus defectus fuit ex parte ipsarum, eò quòd nimiùm tardarunt intrare ad nuptias, quia dicit S. Euang. Matthæus: *Nouissimè verò veniunt, & reliquæ virgines,* loc. cit. versic. 11. Vbi subiungit glossa interlinealis: *per seram pœnitentiam.* Nimis tardè venerunt cum debuissent esse sollicitæ & promptæ, veluti aliæ quinque prudentes, & propterea iure meritò exclusę remanserunt: *pulsate & aperietur vobis* (ait D. Augustinus) *nunc cùm tempus est misericordia, non tunc, cùm tempus erit iustitia.* Et D. Gregorius hom. 11. in Euang. *Qui tempus congrua*

grua pœnitentia perdit, frustrà ante regis ianuam cum precibus venit Exemplum de fatuis Virginibus clamantibus, Domine, Domine aperi nobis Quibus responsum fuit: amen dico vobis, nescio vos, & clausa est ianua.

Num. 10. Quid dicis nunc peccator? si differs pœnitentiam ad vltimum vsque vitæ suæ terminum, actum est de te. Cape hoc in bono sensu: non dico, quòd Deus tibi pœnitentiam acturo non remittat offensam; sed dico quòd summam patieris difficultatem, vt tempore illo agas pœnitentiam. Ita innuere videtur Spiritus sanctus lib. Ecclesiast. cap 8. vers. 20. *Ante languorem adhibe medicinam.* Hugo Cardinalis exponit hunc locum & ait: *Ante languorem mortis adhibe medicinam pœnitentiæ vulneribus peccatorum tuorum.* Et dicere volebat: pœnitentiam, ô peccator, age de peccatis tuis, priusquam moriaris; hora namque mortis tuæ eandem facere non poteris, & sic delusus abibis.

Conforme huic proposito mihi occurrit exemplum, quod refert Galenus Comment. in Aphor. Hippo. de adolescente quodam infirmo, qui, quia ei debito tempore non fuerunt applicata medicamenta, cùm sanus & robustus erat corpore, sumpturus eadem medicamina infirmus existens dicebat, *non possum, non possum.* Nullam sumere valeo portionem, tollite eam hinc. Sicque miser ille obijt. Aduerte, ô peccator, tu qui prolongas pœnitentiam de die in diem, vide ne tibi idem contingat, & eandem, quando optabis, perficere nequeas. Sicque interrogatus ab amicis & consanguineis tuis: vis confiteri, vis te sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis præmunire? non respondeas, veluti Adolescens ille, dicendo: *non possum, non possum.* Adeoque æterna pereas morte. Audi D. Augustinum serm. 58. de tempore: *Erit tempus, quo peccator velit pœnitere, & non poterit. Quia quando potuit, noluit, & propter malum velle perdidit bonum posse.* Quapropter omnem quilibet impendat laborem & operam agendi pœnitentiam, cùm sanus est, si Dei misericordiam obtinere desideret; alias sine pœnitentia abhinc abibit, perdetque animam & corpus: *& ideò dilectissimi* (concludit S. Augustinus) *quicunque vult inuenire misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, vt sanus esse valeat in futuro.*

Refert Plutarchus in Apophr. quod vna vice quidam coniurauerant in vitam Archiæ Thebarum tyranni: vnus è fidelioribus amicis suis, cui res hæc innotuerat, scripsit ei Epistolam, in qua totam aperuerat coniurationis seriem, præcepitque nuncio, vt oblata Archiæ Epistola ab eodem sine mora perlegeretur, siquidem *seria continet.* Archias recepit Epistolam, & quia iucundæ amicorum quorundam & fortassis etiam mulierum hilariter epulantium intererat conuersationi, noluit eandem aperire & legere, ne fortè exinde ob quædam tristia noua affligeretur; quare serium amici spreuit monitum. Augustissime rex, subiunxit nuncius, perlege Epistolam, quia *seria continet.* Quid opinamini respondisse regem hunc improuidum & imprudentem? *seria in crastinum.* Ast quid contigit? eâdem illa nocte rex ab ijs, qui in eiusdem conspirauerant mortem, trucidatus fuit, & ciuitas Thebana ab illius tyrannico erepta est dominio. Quid hoc terribili exemplo significare intendo? ecce peccator, optimè nouisti, quâ ratione diabolus in tuam conspirauerit animam, teque nocte dieque inuadere, tentare & assilire non desistat, vt, cùm te in peccato mortali constitutum repererit, ad inferni barathrum conducat. Et ego tanquam indignus Dei nuncius & legatus tibi significo, agi hîc de re seria, de æterna animæ & corporis deperditione, de priuatione æternæ gloriæ: *seria continet. Legatione fungimur pro Christo* (vtar verbis D. Pauli Apostol. 2. Corinth. 5. vers. 20.) *tanquam Deo exhortante per nos.* Ne mihi dicas cum Tyranno illo; *seria in crastinum;*

Num. 11.

num, Tandem aliquando agam pœnitentiam; diabolus siquidem occideranimam tuam, sicque æternas cum ipso subibis pœnas.

Num.11. Et quam ob causam existimas regium Prophetam Dauid enixè supplicasse Deo, vt sibi donet pennas columbæ dicens: *quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Psalm. 54. vers. 7. Columbinas postulat pennas & non coruinas, ait Sanct. Augustinus in hunc locum, quia coruus egressus est ex arcâ, at nunquam redijt, & columba tametsi egressa fuerit, confestim tamen redijt; vt te columbam & non coruum esse doceret, si quandoque ob peccatum à Deo discedis, per pœnitentiam subitò ad ipsum reuertere; secus peribis magnam patieris ruinam & iacturam animæ tuæ. Ita fideliter tibi consulit Diu. Augustinus Sermon. 164. de tem. cùm dicit: *quando corriperis, quando mutaris? cras inquis. Ecce quoties dicis: cras, cras, factus es coruus. Ecce dico tibi, cùm facis vocem coruinam, occurrit tibi ruina; nam ille coruus, cuius vocem imitaris, exijt de arcâ, & nunquam rediit.*

Num.12. Hisce adiungendum, quod peccator differendò pœnitentiam ad finem vsque vitæ suæ iusto Dei iudicio, neque tunc illam agere allaborabit. 1. Regum. cap. 17. legitur, quod ingenuus adolescens Dauid gigantem illum immensæ molis Goliath prouocantem totam cohortem Israeliticam ad singulare certamen in terram prostrauerit; ast non alio armorum genere vel instrumento, nisi vili quodam lapide impofito fundæ, hunc robustissimus Adolescens tali violentiâ infixit fronti gigantis, vt & perruperit galeam, penetrauerit os frontis ad cerebrum usque, & ille ceciderit facie in terram mortuus. *Et infixus est lapis in fronte eius* (ait sacer Textus) *& cecidit in faciem suam super terram.* loc. cit. vers. 49. Subintrat hic doctissimus Abulensis & dicit, & qui hoc potest esse? si lapis proiectus à Dauid tantæ fuit virtutis, vt penetrauerit & galeam & os frontis ad cerebrum usque, cur ergo Goliath pronus cecidit in faciem suam? potius supinus cadere debebat & non pronus? causam exoptatis cognoscere? respondet Albulensis, maledictus hic Goliath nunquam in vitâ oculos suos eleuauit ad cœlum, nunquam recordatus fuit Dei creatoris sui, nunquam ei cura fuit de vitâ æternâ, & propterea Deus permisit, vt neque moriens oculos suos attolleret in cœlum, & ideò *cecidit in faciem suam super terram: quia non consueuerat hic oculos ad cœlum leuare.* Ad eundem planè modum accidet homini illi, qui toto vitæ suæ tempore nunquam habuit curam animæ suæ, nunquam cogitauit emendare vitam suam, condignamque de peccatis suis agere pœnitentiam, nunquam Dei iustorumque eius iudiciorum memor fuit, quando tandem aliquando extremum attinget vitæ suæ terminum, permittet Deus, vt neque recordetur salutis animæ suæ, neque oculos sustollat in cœlum, diuinamque inuocet misericordiam, neque commissorum scelerum suorum petat veniam; sicque morietur instar bestiæ facie terram versus: *quia non consueuerat hic oculos ad cœlum leuare.* Audi, quid de hoc dicat D. Aug. inscribe illud intimo cordis tui scrinio, ac semper illius memor esto. Serm. 3. de Innoc. sic loquitur: *Venient dies, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus se ab æternâ morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.*

Tandem cùm in procinctu mortis constitutus eris, adeò te remordebit tua conscientia, vt veniâ & auxilio diuino indignus videaris. Quare Dei timebis iudicium, neque mentem eleuare audebis ad Creatorem & Redemptorem tuum, vt ab eo postules misericordiam, sed confusus & desperatus ibi hærebis. Num.13. Vnde S. Hier. explicando verba illa Iere-

miæ: *In tempore afflictionis ſuæ dicent: ſurge & libera nos.* cap. 2. verſ. 27. dicit, *Imprudens poſtulatio ab eo quærere auxilium, quem in proſperitate contempſeras.*

Cape igitur Sancti Pauli Apoſtoli conſilium dicentis, 2. Cor. 6. verſic. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Illud ly, *nunc*, dicitur ad differentiam temporis futuri, ac ſi diceret: noli expectare tempus futurum, quia non erit tempus ſalutis; hoc namque conuenit tempori præſenti, quod ſi prætenire permiſeris, non id reperies in tempore futuro, ac proptereà ait S. Gregorius Nazianzenus in hunc locum: *Non certum aliquod tempus, ſed omne tempus deſignat, quod nullum craſtinum habet & qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*

Aſt dicet mihi quiſpiam: non ego prætendo prolongare pœnitentiam, ſed tantiſper gaudere volo voluptatibus mundanis, delitijs mundi me nonnihil recreabo, & poſteà vacabo rebus diuinis & ſpiritualibus; ſed audite, quid hiſce reſpondeat D. Auguſtinus lib. 6. de inhoneſt. mulier dicens: *quid dicis amens? percutiam me modò vulnere, poſtea ad medicum pergam: heu miſer neſcis, quod vnius horæ peccato vulnus accipitur, ſed vix longo tempore ſanatur? time, ne ſubitanea febricula, vel mors ſuperueniens te rapiat, & pereat dilatio, & ſuccedat æterna damnatio.* Audi etiam quid dicat Saluator noſter Ioan. cap. 9. verſ. 4. *venit nox, quando nemo poteſt operari.* Tempus mortis, quæ figuratur per noctem, non tempus operandi, ſed tale, quo quis operum bonorum conſequitur mercedem. Nolebat Deus in antiquâ lege Leu. cap. 11. vt ſibi à populo offerrentur noctuæ in ſacrificium; vt nobis indicaret, ait S. Cyrillus in hunc locum, non ſibi placere opera bona dilata ad obſcuram vſque mortis noctem: *Sacrificia nocturnarum auium, hoc eſt, opera dilata in ſupremas mortis anguſtias, atque obſcuriſſimas tenebras.* Quid clarius dici poteſt?

Attende quapropter exercitio bonorum operum, cùm Deus tibi tempus indulget, ſi tandem aliquando non velis decipi. Audi, quid Deo dicat S. Iob cap. 10. verſ. 20. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.* Quando & quo tempore? *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.* Quòd ſi igitur homo tam ſanctæ vitæ, de quo dixit Deus, quòd *non erat ei ſimilis in terra; homo ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo.* Iob capit. 2. verſ. 3. Quòd ſi homo tam eximiâ ſanctitate conſpicuus, qui tot tantiſque oppreſſus aduerſitatibus, tot cæſus flagellis *non peccauit labiis ſuis*, timet tremitque, ne ab improuisâ abripiatur morte, antequam deploret peccata ſua, precaturque Deum & dicit: *dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.* Quid igitur non faciet peccator quidam, qui toto vitæ ſuæ tempore offendit Deum? quomodo ille, *qui*, vt ait Propheta Iob cap. 15. verſ. 16. *Bibit ſicut aquam iniquitatem*, Horrendas diaboli tentationes euincere poterit, cùm intellectus corporali oppreſſus infirmitate obtenebratus erit, maximè qui in vitâ nunquam eiſdem reſtitit. Num. 14

Noli, ô Chriſtiane, differre pœnitentiam de die in diem, ait S. Baſilius hom. 3. de pœnit, quia tempus veniet, quo te graui correptum morbo deferent amici, cognati & medici, & quid miſer tunc incipies? quis tibi opem feret & ſuppetias? vocabis fortaſſis in auxilium ſanctos Angelos? aſt hi non potentes ſufferre ſcelerum tuorum fœtorem fugient. Fortaſſis te conuertes ad Deum, quem toties offendiſti in vitâ? ſed quâ facie, quo animo? & ipſe quoque tunc temporis ſe oſtendet ſurdum. Ecce, quid dicat, quamque dilucidè id innuat Prouerb. cap. 1. verſ. 24. *Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit, qui aſpiceret: Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* loc. cit. verſ. 26. Sicque aperies oculos, & Num. 15

Num.14 aliud non conſpicies niſi indignationem diuinam; ſubtus videbis infernum apertum, intus conſcientiam peccatis onuſtam, circa lectum legiones & turmas dęmonum paratorum ad conducendam animam tuam ad inferos; vnde clamabis cum Propheta: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me*, Pſalm. 17 verſic. 5. Ecce igitur, quàm graui te exponas periculo differendo pœnitentiam de die in diem; quapropter te exhortor cum D. Auguſtino Serm. 58. de Sanctis: *Emenda igitur, frater, vitam tuam, dum tempus datur, implora nunc auxilium diuinum, cùm locus datur, fleto nunc, dum lachrymis non intercluditur via, noli pœnitentiam differre, dum hoc in tempore viuis, in quo tantùm eius fructus eſt vtilis.*

Num.16. Inſuper idem D. Auguſtinus in cap. 30. Eccleſiaſt, congruam noſtro propoſito omniumque Chriſtianorum cordibus meritò inſculpendam protulit ſententiam, & dicit: *modo pro ineffabili pietate ſuâ non ſolùm nos admonet Deus, ſed etiam rogat, vt nos à peccatis mortiferis reuocemus.* Et concludit deinde: *Audiamus illum, dum rogat, ne nos poſteà nõ audiat ille, dum iudicat.* Verùm vt efficacius vos, ô peccatores, conuincam, qui differtis pœnitentiam: dicite amabò, vnde ſcitis vos victuros illo tempore? annon indies tot tantosque improuiſæ, repentinæ & violentæ conſpicimus ſuccumbere morti, qui vno eodemque tempore occidunt corpus & ſepeliunt animam in inferno? Sed dato & non conceſſo, quod ſuperuiueris; vnde ſcitis vos illo tempore plus facturos quàm modò, cùm humana voluntas ſit adeò variabilis, vt omni horâ de vno voluntatis actu tranſeat ad alium contrarium.

Dicetis fortaſſis, non ita futurum. Et ſi fieret modo iam dicto, quo in ſtatu verſaretur negotium ſalutis animæ veſtræ? aſſeretis aliter aliquando euenire; etenim quandoque homines mali & peruerſi euadunt boni, & grauiſſimi peccatores quandoque in morte conuertuntur. Et quid ſignificat hoc ly. *quandoq;*, cùm agitur de ſalute animæ, de acquiſitione vel amiſſione regni cœlorum? & ſi vnâ ſolâ vice non ita ſuccederet, quid fieret de nobis in perpetuum? ergóne tu vni *quandoq;*, vni *fortaſſis*, tali periculoſæ incertitudini vis committere & fidere negotium ſummæ vtilitatis & tantæ neceſſitatis, à quo dependet vita æterna? & hoc, quod aliquando ſuccedit paucis ex ſpeciali priuilegio & fauore accidit, ſemper euenire exiſtimas, & exinde vniuerſalem deducere vis conſequentiam? O ſummã amentiam & negligentiam propriæ ſalutis?

S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 23. in Epiſtol. 2. ad Corint. examinans hanc Chriſtianorum negligentiam, qui æternam ſalutem ſuam debilibus adeò vnius *fortaſſis* aut *aliquando* ſuperædificant fundamentis, diſcurrit eleganter in hunc modum: quis miles iturus ad bellum dicit: nolo modò condere teſtamentum, quia fortaſſis viuus reuertar è prælio? quis nubere volens dicit: volo nubere pauperculæ alicui mulieri, quia plurimi quando que ſic euaſerunt diuites? & quis eſt, qui domum fabricaturus dicat; volo iacere debile fundamentum, quia quandoque ædificia ſic conſeruantur ſtabilia? reperitúrne quis adeò mentis impos, qui has res terrenas & caducas tam fragilibus ſuperædificet fundamentis? *quare ergò* (inquit D. Chryſoſtomus) *cùm de animã vitaq; æternitate conſilium inis, imbecillioribus niteris fundamentis, fortaſſis, & ſæpè, & aliquando ponens? incertis ergo euentibus te ipſum committis.* Num.17

Verùm reſpondebitis mihi, bonum latronem, qui extremâ mortis ſuæ horâ ſe conuertit, ſalutem æternam fuiſſe conſecutum. Verum eſt, hunc fuiſſe conuerſum & ſaluum factum; aſt conſiderare oportet, caſum iſtum fuiſſe particularem, & exinde non licet deducere conſequentiam vniuerſalem. Conſiderandum

est eum salutem obtinuisse mirabili quâdam & stupendâ conuersione heroicis & excellentissimis dotatâ virtutibus, quæ rarissimè inueniuntur in morientibus ad quæuis patranda scelera assuefactis; siquidem confessus est Diuinitatem Christi, quando eum à toto mundo spretum & delusum conspexit. Confessus est ipsius innocentiam, quando vidit eum in medio latronum veluti prædonum antesignanum condemnatum. Confessus est ipsius regnum, cùm vidit ipsum spinis coronatum & purpureo vndique conspersum sanguine, confessus est in publico theatro ipsius gloriam & maiestatem intuens ipsum cruxifixum & trinâ vice renegatum à Petro. Ast supra omnia consideratione dignum est tempus, quo hanc singularem obtinuit gratiam, quod fuit nimirum tempus infinitæ misericordiæ, & propterea dixit ei Christus: *hodie mecum eris in paradiso*. Luc 23. vers. 43. Ac si dixisset: tale beneficium, tantum lumen, talis fides, talis spes, talis pœnitentia, talis gratia, vt nimirum post tot patrata scelera introducaris in paradisum, tibi conceditur hodie.

Hodie, nimirum hoc die, quo cœli cataractæ apertæ sunt, & diluuio inundat terra diuinæ misericordiæ. *Hodie*, hoc die, quo aperiuntur venæ & latus diuinum, vt sanguine eius resanentur omnes peccatorum plagæ. *Hodie*, hoc die, quo ob mortem creatoris sui plorant & plangunt omnes creaturæ insensibiles. *Hodie*, hoc die, quo Redemptor mundi in emporio crucis parato sanguinis sui pretio soluit æterno Patri redemptionem humanæ captiuitatis. *Hodie, hodie*, denique hoc die tam fauorabili hæc singularis tibi conceditur gratia, quæ tibi alio tempore non tam facilè concessa fuisset.

Num. 18. Plurimi temerariam hauriunt confidentiam ex exemplo boni latronis, qui ipso redemptionis humanæ die salutem consecutus est, & ego horrore & tremore concutior propter exemplum mali latronis, qui eodem redemptionis die damnatus est. Ecquis non timore tremoreque concuteretur, cùm videret duos indiuiduos comites in vitâ, in latrocinijs, & in supplicio crucis; in morte verò & in eodem Caluariæ loco diuidi & à se inuicem disiungi; vnus ingreditur viam paradisi, inferni alter. Quis non trepidaret & pertimesceret, dum intueretur moribundum quendam, cuius lecto assistit Christus, cuius pedibus astat Beatissima Virgo Mater Christi, ante cuius oculos moritur Saluator mundi manibus extensis apertisque corporis venis ob ipsius salutem, & quod nihilominus non conuertatur? repeto, quis non expauesceret, cùm videret hominem non ferrei sed carnei cordis, qui tempore illo, quo tremit & concutitur terra, rumpuntur petræ; obscuratur Sol, Centurio glorificat Deum, quo socius eum reprehendit & conuertitur, quo turbæ contristatæ & plorantes discedunt è monte Caluariæ de commisso errore agentes pœnitentiam, ipse nihilominus remaneat insensibilis in conspectu Christi crucifixi, & B. Virgin. Matr. Dei exhortantis illum ad pœnitentiam, induratus & obstinatus moriatur in peccato, & de cruce descendat ad infernum? Hoc, inquam, maiorem mihi incutit timorem & horrorem, quàm animum addit conuersio boni latronis. Non refero hæc, vt peccatores, qui toto vitæ suæ tempore neglexerunt pœnitentiam in morte prolabantur in desperationem; sed ne nimium fidant tam singulari exemplo, nec tam dubio se committant euentui, agantque pœnitentiam tempore opportuno; vnde de huiusmodi hominibus loquens sanctus Bernardus ferm. trigesimo octauo ex parte dicit: *Noli ergo huic periculosæ expectationi tradere temetipsum; si enim bene memini, in toto canone scripturarum vnum latronem inuenies sic saluatum.*

Noli ergo instar amentis mentem tuam ab inani persuasione obcæcari & seduci,



duci, vt modò mala perpetres opera, & bona referres ad finem vſque vitæ tuæ. Poſſibiléne eſt vt ſis Chriſtianus & fidei effulgeas lumine, compertumque habeas, pœnitentiam tardam eſſe raram & ſatis periculoſam, & tamen eam paruipendas, & inordinatis ſenſuum tuorum cupiditatibus habenas laxare pergas? vbi eſt, non iam timor Dei, hunc enim te non habere optimè noui, ſed timor perdendi animam? Eſtne poſſibile, mentem tuam adeò à peccato obcæcatam eſſe, vt vnum pedẽ habeas poſitum in cymba Charontis, & nihilominus non aduertas grauiſſimum illud periculum, in quo conſtitutus es, quamdiu moraris in ſtatu peccati mortalis? noli chariſſime differre pœnitentiam ad vltimam horam vſque, fac eam nunc, cùm tempus eſt, & tandem aliquando te moriturum cogita, nec aliud te habere perpende niſi animam quandam à Deo creatam, vt æternâ fruatur gloriâ. Quapropter concludo cum S. Bernardo ſermon. ad frat. *Ne differamus fratres, ne fortè in die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus.*

Prædeſtinatio.

DISCVRSVS LXII.

De æternâ prædeſtinatione iuſtorum & reprobatione peccatorum, & de ſignis, è quibus tum illi, tum hi dignoſci poſſunt.

Num. 1. AGNVS Pater Sanctus Auguſtinus libro de bono perſeu. cap. quinto definiturus prædeſtinationem, dicit in hunc modum: *Prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Ex qua definitione dilucidè conſtat, in actu prædeſtinationis duo conſiderari decreta voluntatis diuinæ; Primum eſt, quo Deus prædeſtinato determinauit dare gratiam in hac vitâ: ſecundum eſt, quo decreuit eidem dare gloriam in futurâ. Primum decretum appellatur à Scholaſticis electio ad gratiam; ſecundum electio ad gloriam, & in vtroque decreto conſiſtit actus prædeſtinationis: ambo decreta ſtabilia ſunt & infallibilia, vnum dandi gratiã tanquam medium, alterum dandi gloriam tanquam finem. Ita plane innuere videtur regius Propheta dicens: *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Pſalm. 83. verſ. 12.

Quòd ſi deinde cognoſcere velitis, qualem hæc duo decreta inter ſe ſortiantur ordinem, nimirum, quodnam ſit primum eorum, an decretum dandi gratiam, vel dandi gloriam? dico quòd tametſi in Deo non reperiatur hic ordo prioris & poſterioris (omnia ſiquidem intelligit ſimpliciſſimo actu intellectus, & ideò in eodem inſtanti eligit prædeſtinatum ad gratiam & gloriã abſque multiplicatione actuum intellectus) nihilominus ſacri Theologi noſtro intelligendi modo ſeſe accommodantes aſſignant in Deo certa quædam ſigna prioris & poſterioris, quæ vocantur ab eis ſigna rationis formata à noſtro intellectu; ſicque aſſerunt Deum in primo ſigno feciſſe vnũ, & in ſecũdo aliud. Hac igitur ſuppoſitâ doctrinâ, controuerſia oritur inter Theologos, an Deus in primo ſigno determinauerit dare gratiam & in ſecundo

gloriam; autè contra, an in primo signo decreuerit dare gloriam, & in secundo gratiam.

Num.2. Quidam grauissimi Theologi affirmarunt prius esse decretum dandi gratiam & deinde gloriam secundùm signa suprà allegata; sicque volunt, quòd Deus in primo signo videndo totam massam filiorum Adam velit saluare omnes voluntate illâ, quam vocant antecedentem, veluti id testatur & innuit Apostolus dicens: *Deus vult omnes homines saluos fieri.* 1. Timoth. 2. vers. 4. In secundo deinde signo determinat omnibus sufficientem dare gratiam, quâ mediante se possint saluare: in tertio signo determinat aliquibus dare gratiam efficacem: & tandem in quarto signo, quia conspicit hos beneficio gratiæ efficacis perseueraturos in exercitio bonorum operum ad finem vitę vsque, donat eis gloriam. Et si velimus hoc modo discurrere, apertè sequitur, decretum electionis ad gloriam esse post decretum electionis ad gratiam, & hi Authores innituntur huic rationi & fundamento, quia Deus dat gloriam *ex præuisis meritis*, ergo prior erit electio ad gratiam, & deinde ad gloriam.

Num.3. Alij Theologi existimarunt, Deum prius eligere ad gloriam & deinde ad gratiam, idque probant, quia sicut ille voluntate suâ antecedente decreuit in primo signo, vt omnes salui fiant, iuxta illud Apostoli sup. cit. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, ita in secundo signo omnibus donat sufficientem gratiam, vt possint salui esse; in tertio deinde signo determinat prædestinato dare gloriam, & in quarto gratiam, quæ tametsi tanquam medium ad assequendum finem, qui est gloria, prior sit fine in ordine executionis, quantum tamen ad ordinem intentionis prior est finis, qui est gloria, & posterius medium, quod est gratia, quia vt asserunt Philosophi: *finis prior est in agente in ordine intentionis, licet in ordine executionis sit posterior.* Quamuis ergo Deus donet gloriam prædestinato ex præuisis meritis, adeoque gloria videatur esse posterior; nihilominus in intentione Dei prædestinantis prior est gloria, quæ datur prædestinato; vnde in tertio signo dat illi gratiam per modum executionis, in quarto gloriam per modum intentionis, quæ est prior gratiâ, eò quòd sit primarius finis operantis. Sicque dicit Deus: volo Petrum, Iacobum & Ioannem eligere ad gloriam, & quia vult, vt hi illam acquirant mediantibus meritis, dat eisdem medium, & hoc est gratia. Vnde concludunt hi Doctores, electionem ad gloriam esse priorem electione ad gratiam. Vtraque sententia probabilis est quamuis difficile sit determinare, quænam sit probabilior & veritati conformior. Quoad præsens sufficit nobis prædestinationem consistere in hisce duobus decretis suprà assignatis, in electione videlicet ad gratiam & ad gloriam, & quodnam illorum sit prius aut posterius, parum refert.

Num.4. Quòd si me interrogabitis, vtrùm prædestinatio habeat aliquam causam ex parte nostrâ ex futuris & præuisis videlicet meritis? respondeo quæstionem hanc inter Catholicos potiùs esse de nomine quàm de re; resoluetur tamen omne dubium, si distinctione tollamus æquiuocationem vocum; vel igitur per prædestinationem intelligimus æternam electionē ad gloriam & præparationem mediorum ad acquirendam illam, vel executionem huius, nimirum, ipsum actualiter dare gloriam prædestinatis: huius secundi causa existunt nostra merita; primi verò alia non datur causa, nisi diuina voluntas & misericordia, veluti insinuauit Propheta Dauid, cùm dixit: *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Psalm. 17. vers. 20.

Et vt hanc gratuitam Dei voluntatem aliquo modo explicemus, reuocemus in memoriam perlepidam illam fabulam, quam fingunt Poëtæ, & refert Io. Car-

thag.

thag. tom. 1. de Christo, quemlibet Deorum elegisse sibi arborem quandam infructuosam pro insigni suo: Iouem quercum; Venerem myrtum, Apollinem Laurum, Neptunum pinum, Iunonem iuniperum. Factâ hac electione accessit Minerua Dea Sapientiæ, totaque stetit attonita, & rapta in stuporem petijt à Ioue, quam ob causam Dij elegissent sibi arbores illas infructuosas? respondit ei Iupiter: id maturo iudicio & rationabili ex causâ fuisse factum, vt nimirum arbores illæ intelligerent, non ob propria merita, sed ex merâ gratiâ & liberalitate Dei se esse electas. Ita pariter accidisse videtur in hoc facto prædestinationis: eligit Deus homines ad gloriam tanquam arbores infructuosas, quæ ex se nullum prorsus producunt fructum bonorum operum, veluti ait Ap. Paulus 2. Cor. 3. vers. 5. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Eligit igitur Deus hanc arborem infructuosam, & è perditionis massâ eam transfert in fertilem paradisi terram, vbi eam irrigat aquis diuinæ gratiæ, vt non se ex proprijs meritis sed ex merâ Dei gratiâ electam glorietur & cognoscat, quemadmodum idem attestatur Apostolus ad Tit. cap. 3. vers. 5. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Et Dauid Propheta: *pro nihilo saluos facies illos,* Psalm. 55. vers. 8. quem locum intelligit Diu. Augustinus de prædestinatione, & ideò exponit eum, & dicit: *pro nihilo, id est, nullis eorum meritis præcedentibus saluos facies illos.*

Num. 5. Et hæc est causa N. cur Seniores illi, quos viderat S. Joannes in Apocalyp. cap 4. *Mittebant coronas suas ante thronum.* loc. cit. versic. 10. vt edoceremur, quòd non de seipsis gloriabantur; sed totum deferebant honorem vero Domino, cuius meritis & misericordiâ paradisi receperant gloriam. Audite Rupertum Abbatem lib. 4. in cap. 4. Apoc. *Mittunt ergo ante thronum coronas suas, considerantes quòd non suis meritis, sed gratiâ præuenientis & subsequentis misericordiæ coronas assecuti sunt.*

Scio vos mihi dicturos: cùm in hac electione ad gloriam mediante gratiâ efficaci nullum ex parte prædestinati reperiatur meritum, sed meta sit gratia Dei, quòd homo saluus fiat; cur ergo Deus aliquibus hanc præstitit gratiam, aliquibus verò non? cur hos elegit & prædestinauit, & illos reliquit in massâ perditionis? difficillimum hoc dubium est, nec alia istius assignari potest causa, quàm voluntas diuina, & ideò Apostolus postquam dixit: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* ad Rom. 9. vers. 13. exclamauit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* ad Rom cap. 11. vers. 33. & S. Augustinus tract. 36. in Ioann. huic proposito conformiter dixit: *quare hunc trahat & non illum, noli velle iudicare, si non vis errare.*

Verùm vt quietus reddatur intellectus tuus, ô Christiane, sufficit tibi scire solummodo, omnibus animabus, quæ damnantur, sufficientem à Deo fuisse datam gratiam, opem & auxilium ad obtinendam salutem, nullam sine sufficienti deseruit gratiâ, semper Deus porrexit illis manus specialium inspirationum; vnde spontè & obstinatè seipsos damnarunt & propriam neglexerunt salutem, & hoc adeò clarum & perspicuum est in fide Orthodoxâ, vt à nullo sanæ mentis vertatur in dubium. Num. 6.

In confirmationem huius singulare quoddam auscultare mysterium. Iudas, vti nouistis, fuit Apostolus & proditor Christi Domini, & iam ardet & ardebit, ac æternis in omnem æternitatem affigetur tormentis; vnde propter eminentem gradum Apostolatûs, è quo præcipitatus est in miserum damnatorum statum, meritò potest esse typus & figura omnium præscitorum. Inquirit modò Diu.

Diu. Ambrosius lib. 1. off. capit.16.cùm iam Saluator noster sciret proditionem Iudæ, quod videlicet tam peruersè officio Apostolatus functurus esset, in quem finem ergo creauit illum in Apostolum, & anumerauit eum vndecim alijs probis Apostolis? Et acutissimè respondet & dicit, duos Saluatorem nostrum Iudæ præstitisse particulares fauores; vnum eligendo ipsum in Apostolum; alterum creando illum in expenditorem & procuratorem collegij Apostolici, quo demonstrare voluit magnum suum desiderium saluandi ipsum, & quia præuidebat pecunia eum stimulandum ad tradendum suum Magistrum, vt hanc ei tolleret occasionem, consignauit manibus eius loculos; vt hinc perciperemus, quod Iudas ob damnationem suam non haberet ansam conquerendi de Christo; siquidem huius ipsi non defuit auxilium, eò quòd surripuerit peccati occasionem, vtpote damnationis ipsius causam. Audite melliflua Diu. Ambrosij verba: *denique de Iudâ proditore hac colligere licet, qui & Apostolus inter duodecim electus est, & loculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret, commissos habebat, ne videretur aut quasi inhonoratus, aut quasi egenus Dominum prodidisse, & ideò vt iustificaretur in eo Dominus, hac ei contulit.* Et S. Ioan. Chrys. huic proposito habet conformia hom. 1. de ieiun. dicens: *Marsupium illi suarum rerum concrediderat Dominus, non ignorans quod furaretur, sed volebat dando hanc potestatem mederi illius auaritia.*

Num. 7. Summa. Tantum est Dei desiderium saluandi nos, vt etiam quantum est ex parte suâ optaret & cuperet illos saluos fieri, quos ex fide cognoscimus fore damnandos, veluti est Antichristus & eius sequaces. Veritatem hanc præfiguratam reperio in illâ visione Ioannis Apocalyps. cap. 21. & cap. 17. vbi S. Euangelista raptus in cœlum vidit duodecim portas & cuilibet inscriptum nomen vnû è duodecim Tribubus filiórum Israël.

Recenset deinde D. Ioannes omnes Tribus per ordinem, & ait: *Ex tribu Iuda duodecim millia signati, ex tribu Ruben duodecim millia signati, ex tribu Gad duodecim millia signati.* cap. 7. versiculo 5. & sic de alijs, at non facit mentionem tribus Dan. Quæro igitur, cùm in cœlo duodecim reperiebantur portæ, & cuilibet earum erat insculptum nomen cuiuslibet tribus, portæque erant apertæ, quam ob causam nulla fit mentio Tribus Dan? S. Augustinus qu. 22. in Iosue respondet & dicit, non absque causâ & mysterio S. Euangelistam Ioannem nullam fecisse mentionem Tribus Dan, quia ab hac Antechristus suam ducet originem, qui non intrabit in cœlum. Cur ergo illi assignata est porta aperta? vt nobis innotescat, Deum quantùm est ex parte suâ neque etiam ipsi Antichristo præcludere portam cœli, sed velle, vt & ipse intret in cœlestem Ierusalem, & ideò portas relinquit apertas, vt, si ipse nolit intrare, totum damnum asscribat sibi non Deo.

Verùm pro maiori veritatis huius confirmatione audite alium locum Scripturæ, quem & iamdudum ponderauit S. Ioann. Chrysostomus homil. 80. in Matth peccat Adam, & ecce Deus eum eliminat è paradiso terrestri, & huius custodem constituit vnum ex Cherubinis manu tenentem gladium ignitum, qui omnibus prohibebat ingressum: *Eiecitq; Adam & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vita.* Genes. cap. 3. versic. 24. Cùm deinde aduenire plenitudo temporis, filius æterni Patris humanam induit naturam, conuersatus est cum hominibus, eos erudiuit & mortuus est in ligno crucis, resurrexit deinde tertiâ die a mortuis, & subitò Petrum Apostolum constituit custodem & ianitorem portæ cœlestis paradisi, dicens ei; *tibi dabo claues regni cœlorum.* Matth. 16. versic. 19. Obstupescit summoperè hoc super facto S. Chrysostomus, & dicit:

& dicit, fuiſſe primâ fronte congruentius, vt in cuſtodum paradiſi cœleſtis eligeretur quidam Angelus, homo verò in cuſtodem paradiſi terreſtris, & nihilominus totum ſucceſſit contrarium; vt nos inſtrueremur, quòd conſtituto & creato Angelo in cuſtodem paradiſi cœleſtis, Samaritani, Latrones, adulteri, laſciui, vſurarij & ſimiles peccatores pulſaturi portam cœli & petituri illius ingreſſum, ab eodem Angelo veluti impeccabili repulſi fuiſſent, eiſque inclamaſſet & dixiſſet: diſcedite abhinc, nunquam enim hic vobis patebit aditus, qui non erubuiſtis offendere Deum ſummum illud bonum. Mutentur ergo cuſtodes & ianitores, inquit Deus, & Angelus cuſtodiat portam paradiſi terreſtris, & Petrus præficiatur cuſtodiæ paradiſi cœleſtis, quia nulli poterit denegare ingreſſum, cùm & ipſe fuerit peccator quemadmodum alij. Quod igitur Deus conſtituerit & elegerit in cuſtodem & ianitorem cœli peccatorem aliquem nobis ſimilem, oſtendere voluit magnum ſuum deſiderium noſtræ ſalutis, vt damnatio & perditio noſtra non Deo nobiſmetipſis aſcribenda ſit. Audite verba Diui Chryſoſtomi: *ideò non Angelis hæc eſt commiſſa poteſtas, qui nunquam peccauerunt, ſed homo paſſibilis ſupra homines ordinatur, vt dum in alijs ſuas recolit paſſiones, mitem ad eos ſe præbeat & benignum.*

Hinc in extremo iudicij die vocabit Deus iuſtos ad ſe, eiſque dicet: *venite benedicti Patris mei, percipite vobis paratum regnum à conſtitutione mundi.* Matth. cap. 25. verſ. 34. Deinde conuertet ſe ad præſcitos ſeu reprobos eiſque dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* loc. cit. Vbi notat magnus Pater Origenes homil. 9. in diverſ. Euang. loc. quòd benedictiones proueniant à Deo, maledictiones verò ſibimetipſis cauſent animæ damnatæ: *Conſiderandum eſt*, ait ille, *quoniam ſanctis non ſolùm dictum eſt benedicti, ſed cum additamento, Patris mei. E contra autem reprobis non dicitur: maledicti Patris mei; nam benedictionis quidem miniſtrator eſt, maledictionis autem vnuſquiſque ſibi eſt auctor.* Hoc idem voluit Deus ſignificare per os Oſeæ Prophetæ cap. 13. verſ. 9. dicentis: *perditio tua Iſraël*, gloſſa ordinaria exponit: *tu ipſe es cauſa tuæ perditionis.* Et propterea non de Deo, ſed de temetipſo conqueri deber.

Ponderat antiquiſſimus Tertullianus lib. 4. contra Marcionem ſtupendum illud factum, quod refert S. Marcus cap. 1. vbi nimirum parentes filium ſuum à dæmone obſeſſum conduxerant ad Saluatorem noſtrum, vt illum ab eo liberaret, & vt deductus fuit dæmon ad Ieſum dixit ei per os obſeſſi: *quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio qui ſis, ſanctus Dei*, loc. cit. verſ. 24. Subiungit deinde S. Euangeliſta, quòd Chriſtus illi immundo ſpiritui indixit ſilentium: *& comminatus eſt ei Ieſus, dicens: obmuteſce.* loc. cit. verſ. 25. Subintrat hîc Tertullianus ſolito ſuo acumine, & dicit, cur Chriſtus Dominus indixit diabolo ſilentium, qui tametſi capitalis illius inimicus tam celebre tamque honorificum de ipſo perhibuit teſtimonium? quia ſolùm dixit; *veniſti perdere nos?* Ecce myſterium, inquit Tertullianus, noluit Chriſtus benedictus, vt dæmones in laudem eius dicerent quòd veniſſet in mundum illos deperditurus: *Quaſi hæc eſſet ſumma gloria Chriſti, ſi ad perditionem dæmonum veniſſet, & non potiùs ad hominum ſalutem.* Tam magnum eſt deſiderium pientiſſimi Saluatoris noſtri ſaluandi nos, vt nolit laudari & dici à Dæmone; quod veniſſet deperditum eos, quia, ſi hic eſſet capax ſalutis, deſideraret quantùm eſt ex parte ſuâ, vt & hic ſaluus fieret. Imò dico, tam ardenti Deum flagrare ſalutis noſtræ deſiderio, vt præ nimio illius exceſſu videatur quaſi languidus. Quod cùm penitius ponderaret Origenes homil. 20. ſup. lib. Num. dixit Deum maiorem habere Num. 9.

bere curam hominum, vt salui fiant, quàm habeat dæmon eosdem pertrahendi ad inferni barathrum: *maior*, inquit ille, *cura inest Deo, vt homines ad veram pertrahat salutem, quàm diabolo, vt nos ad æternam damnationem impellat.*

Num. 10. Ex hisce iam dictis colligitur responsio ad argumentum illud, quod iamdudum in scholâ Sathanæ excogitatum & adinuentum est: omnes prædestinati saluabuntur, & illi qui sunt præsciti seu reprobi damnabuntur, ergo si ego sum vnus ex numero prædestinatorum, sim qualiscunque scelestus & peruersus homo, quomodocunque viuam, ero tamen tandem aliquando saluus: & si à contrario sum è numero reproborum, faciam, quodcumque possum, bonum opus; attamen tandem damnabor & æternis adiudicabor supplicijs. Argumentum fallax & erroneum, vti dicebam, traditum à patre mendaciorum, & qui hoc modo discurrit, peior est diabolo; peto enim à vobis: annon diabolus scit hanc propositionem esse verissimam, quòd omnes prædestinati infallibiliter saluabuntur, & præsciti damnabuntur? omninò. Si ergo istius habet notitiam, quâ de causâ nos tentaturus nos conficit hoc argumentum: Iste vel est prædestinatus vel reprobus; si est prædestinatus, in quem finem tentabo illum, cùm tandem saluus fiet & effugiet manus meas? si reprobus est, vt quid frustrâ impendam oleum & operam, cùm tandem erit meus? & nihilominus diabolus tot tantisque omissis argumentis & discursibus nos vndique tentare non cessat, nobisque nocte dieque insidias struit, quærens, quem deuoret. Et vos tam stolidè, tam insipientes argumentari vultis cum tanto præiudicio & damno animæ vestræ? sed ecce solutum argumentum: quando Deus prædestinat aliquem ad gloriam, non solùm vult ipsum saluare & dare ei gloriam, sed per talia & talia media, sicque si Christianus non vtatur his medijs, non saluabitur, quia voluntatis finis, non excludit media, cùm præmium supponat merita & labores, quemadmodum communiter asserunt SS. Patres, vt S. Augustinus, Prosper, Fulgentius, Bernardus & alij citati à Molina 1 p. q. 23. art. 4. in 4. disp. 3.

Dicite, amabo, N. si quispiam ex reuelatione diuina certam haberet notitiam, quod hoc anno magna erit abundantia vini, annon propterea putandæ erunt vites & colenda terra? omninò. Decreuit item Deus, quòd duo exercitus Fidelium & Turcarum sunt descensuri in arenam, fidelis euadet victor, & Turca in fugam conuertetur, num propterea fidelium exercitus nullam impendet curam & laborem, cessabitque strenuè dimicare & pugnare? nequaquam. Iam igitur, si gloria cœlestis paradisi erit fructus laboris bonorumque operum & corona præsentis militiæ & pugnæ, annon terram cordis vestri excolere debetis, vobisque strenuè pugnandum est? Nullum planè de hoc est, dubium, ô deuotæ animæ, quia esse prædestinatum, idem est ac esse electum ad perfectam diuinæ legis obseruantiam, & si à Deo quoque sunt determinata media, non discedite à saluberrimo S. Petri Apostoli consilio, qui ait: *Satagite, vt per bona opera vestra certam faciatis vocationem vestram.* 2. Petr. 1. vers. 10. Vnde dicit glossa ordinaria in hunc locum: *Certam facit vocationem suam, qui in bonis operibus perseuerat.* Et glossa interlin. exponit: *benefaciendo faciatis vos certos de præmio vestræ vocationis.*

Verùm pro maiori horum confirmatione exempla referam multorum, quibus in sacris litteris per diuinam reuelationem diuersæ promissæ fuerunt gratiæ à Domino Deo, & tamen, vt eam obtinerent, plurimum deinde insudare & laborare debuerunt. Genes. cap. 22. reperio, quòd Deus Patriarchæ Abrahamo ad se accersito dixerat hæc verba: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris*, loco citato vers. Num. 11.

vers. 17. Et tamen cap. 25. legitur, quòd Isaac, quia videbat Rebeccam vxorem suam sterilem, exorarit Deum, vt illam efficeret fœcundam: *deprecatus est Isaac Dominum pro vxore suâ, eò quòd esset sterilis*, loco citato vers. 21. Quod considerans D. Gregorius Papa lib. 9. Dial. ca. 8. inquirit; cùm Deus promiserit Abrahamo numerosam adeò prolem, quam ob causam Isaac conspiciens vxorem suam sterilem instanter adeò petijt à Deo, vt illam fœcundam redderet? & egregiè respondet promissionem factam Abrahamo, datam fuisse ei per talia & talia media, videlicet per orationem, quam facere debebat Isaac: *Ex hoc constat* (ait sanctus ille Pontifex) *quod prædestinatio precibus impletur, quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, vt filios habere potuisset.*

Decreuerat Deus ab æterno saluare Paulum, at mediante oratione sancti protomartyris Stephani, qui, veluti ait Diuus Augustinus serm. de S. Stephano, nisi Deum deprecatus fuisset pro illo, nunquam Paulus fuisset saluatus. Sic etiam per orationes & lachrymas S. Monicæ filium eius sanctum Augustinum determinauerat Deus deducere ad lucem veritatis Christianæ & ad salutem.

Prophetizauerat Ieremias Propheta cap. 25. quòd septem annis durare debebat captiuitas Babylonica & non vltra, & quamuis Propheta Daniel cap. 9. teste D. Hieronymo optimè nouisset, promissionem diuinam non vltrà se extensuram, humillimè nihilominus sollicitauit Deũ feruentibus precibus pro liberatione populi Hebraici; sciebat namque Deum determinasse præstare gratiam illam mediante oratione Danielis: *vt quod Deus* (inquit Diuus Hieronymus) *per suam promisit clementiam, per huius impleat preces.*

Num. 12. Perlegite N. Actus Apostolorum cap. 27. & mirabile inuenietis factum, quod contigit Paulo Apostolo. Nauem hic conscendit, vt Maltæ nauigaret in insulam, magnam nauis subijt tempestatem in hac nauigatione, & talem, vt omnes crederent se submergendos. Comparuit intereà Angelus quidam Apostolo media nocte dixitque ei, nullum in tali periculo tametsi grauissimo fore suffocandum: totum hoc prædixit Apostolus nautis & militibus: *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei*, loco citato vers. 24. *Cuius sum ego, & cui deseruio, dicens: ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* vers. 24. Petitisne N. maiorem certitudinem, quòd nec Paulus, nec aliquis alius ex ducentis sexaginta sex, qui erant in naui, sit submergendus? nihilominus cùm nautæ scapha tentarent capere fugam, dixit Paulus Centurioni & militibus: *Nisi hi in naui manserint; vos salui fieri non potestis*, loco citato versic. 31. O sancte Apostole, annon & securus, te non periturum iuxta diuinam reuelationem? quo fine igitur tibi necessarij sunt nautæ? superueniẽte deinde tempestate, in quem finem proijcitur anchora, contrahuntur vela, & magnam, vt se saluent, impendunt diligentiam? nauis deinde alliditur cuidam scopulo & frangitur, qui nouerant artem natandi, præcipitant se in mare, alij arripiunt tabulas, quibus se liberent è naufragio; ad quid natatio ista? ad quid inseruiunt istæ tabulæ, cùm Deus iam promiserit, quod omnes salui & incolumes deberent attingere portum? Ecce mysterium N. vult Deus nostram adhiberi operam. Passus es, ô Christiane, naufragium è naui gratiæ Baptismalis, quam subintraueras, vt ad securum peruenires paradisi portum? tametsi sis prædestinatus, si non arripias ocyus tabulam pœnitentiæ, non eris saluus, & ratio est; quia sic vult Deus, vt acquiramus gloriam; & si non apprehendit media, neque consequêris finem. Ac propterea dixit Christus benedictus Matth. cap. 19. versic. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;*

Vnde concludit Eusebius Emiss. ponderando hæc verba: *Non quæras aliam prædestinationem, in his enim verbis omnis & vitæ & mortis prædestinatio consistit.*

Euitimus igitur peccata, exerceamusq; bona opera; hæ namque optimæ & regiæ viæ sunt ad attingendum finem prædestinationis. Quod tam verum est, vt, quemadmodum ait D. Thomas in 2. sent. dist. 11. quæst. 1. art. 4. ad 6. Quantumuis ipsemet Deus reuelaret alicui ipsum fore damnandum; attamen is animosè deberet credere, totum id fuisse reuelationem minatoriam, & non definitam, veluti ex quodam exemplo, quod refert sanctus Antoninus, id dilucidè constat.

Num. 13. Narrat ergo hic S. Archiepiscopus p. 1. tit. 12. cap. 1. § 4. quod quidam ex sanctis Patribus discipulum quendam habebat valdè obedientem, modestum & deuotum; vnde instanter exorauit Deum, vt illi dignaretur reuelare, num is saluandus vel damnandus esset; & quia illi reuelatum fuit discipulum illum fore damnandum, quoties hunc aspiciebat, toties copiosas fundebat lachrymas. Aduertit bonus ille Adolescens senem illum in vberes nonnunquam effusum lachrymas, earumque petijt causam; ast senex illam recusauit ei manifestare. Tandem post multas preces & instantias dixit illi: ex compassione eius se plorare & lachrymari; siquidem sibi reuelatum esse, quod ille tandem esset damnandus. Audiens hoc obedientissimus discipulus illicò respondit ei: non est necesse, Pater, tam copiosas hanc ob causam effundas lachrymas, quia Deum noui esse iustissimum, neque me damnabit nisi ob mea demerita & peccata, & sicut latro patienter sufferre debet pœnam mortis, quam promeritus est; ita ego paratus sum ad sufferendam damnationem, si illam promeritus fuero; hoc siquidem exigit ordo iustitiæ diuinæ, cuius voluntati in omnibus me conformo. Quod ad me attinet omnem impendam laborem & operam faciendi omnia, quæcumque potero, bona opera, & Creator deinde agat, disponatque de suâ creaturâ, quod ipsi placet. Generosa hæc & sancta resolutio ac responsio Deo tantùm placuit ut nocte sequente sancto illi seni de nouo reuelatum fuerit, mutatam iam esse sententiam, & Adolescentem illum saluandum fore, non quia mutatam esset decretum diuinum, quod secundum se est immutabile; sed quia mutata est sententia illa minatoria, quæ respicit merita hominum. Fortè in discipulo illo erat quidam defectus absconditus, propter quem merebatur æternam damnationem, quo deposito promeritus est gloriam & salutem æternam. Emenda igitur, peccator, vitam tuam, pœnitentiam age de commissis peccatis, & Deus tibi largietur veniam & salutem.

Verùm credo vos curiosos esse ac scire Num. 14.
velle, num sitis è numero prædestinatorum, vel præscitorum seu reproborum. Auscultate ergò S. Gregorium Papam lib. sext. Epistol. vigesim. secund. qui refert domicellam quandam ex aulâ Imperatricis scripsisse sibi Epistolam aliquam huius tenoris: Sanctissime Pater Deum ter Optim. Maxim. exorari desidero à sanctitate vestra, vt sibi reuelet, an ego sim prædestinata, vel non. Et tametsi hoc negotium non fuisset difficile sancto huic Pontifici, cùm totus eum veneretur mundus tanquam patientissimum Dei seruum; attamen solitâ suâ humilitate illi respondit: *Rem difficilem & inutilem postulasti; difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat; inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis: quæ dies, quousque veniat; semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.*

Si tamen pro consolatione vestrâ aliqua desideretis cognoscere signa, è quibus quasi per coniecturam dignosci poterit, quis sit ex numero prædestinato-

rum

rum (id enim per certitudinem infallibilem ſcire nequit, ſiquidem: *Nemo ſcit, utrùm amore, an odio dignus ſit*, Eccleſiaſt. capit. nono verſic. prim.) pauca quædam in medium proferam ex SS. Patribus.

Et primum ſit ex Diu. Chryſoſtomo homil 8. in cit. locum, qui ait, tribulationem patienter toleratam propter amorem Dei eſſe ſignum prædeſtinationis, & ratio huius eſt, quia Deus iuſtiſſimus remunerator eſt. Iam verò non reperitur in mundo homo adeò iuſtus, qui ad minus veniale non committat peccatum, ait enim Scriptura; *ſepties in die cadit iuſtus*. Prouerb. vigeſim. quart. verſ. decimo ſexto. Debet igitur Deus punire hoc peccatum; idque punit pœnâ temporali, tribulatione, videlicet, infirmitatibus, perſecutionibus. Gaudete igitur, ô animæ tribulatæ, probabilia ſiquidem habetis ſigna prædeſtinationis veſtræ.

Secundum ſignum eſt, teſte Diu. Hieronymo ſup. Epiſtol. 1. Ioann. & Diu. Gregor. Nazianz. lib. de amor. pauper. quod aliquis ſit liberalis & charitate fulgeat erga pauperes, eorumque ſuccurrat egeſtati & neceſſitati.

Tertium ſignum ait Sanct. Bernardus eſſe perſeuerantiam in bene operando ad finem vitæ uſque, cùm ſcriptum ſit: *qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit*. Matthæi 10. verſ. 22.

Quartum ſignum dicit Diu. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 25. eſſe, libenter auſcultare verbum Dei: *Sicut nullum maius ſignum æternæ prædeſtinationis eſt, quàm audire libenter verbum Dei, ſic nullum maius ſignum æternæ reprobationis eſt, quàm nolle audire verbum Dei.*

Quintum ſignum eſt humilis & ſubmiſſa ſui ipſius æſtimatio, quod quis ſe reputet peccatorum maximum, deſideretque ſic aſtimari ab alijs.

Sextum ſignum prædeſtinationis eſt, eſſe promptum & paratum omni horâ & momento ad mortem, conſiderando delicias & voluptates mundanas eſſe tranſitorias, morteque terminari omnem pompam & gloriam mundi huius.

Septimum ſignum eſt frequentatio Sacramentorum & deuotio erga ſanctiſſimum altaris Sacramentum.

Octauum ſignum eſt, quod quis renunciet omni pompæ & gloriæ vitæ huius, nec aliud præter Deum agnoſcat æſtimetque bonum dicens cum Sancto Franciſco: *Deus meus & omnia*.

Nonum ſignum prædeſtinationis eſt horror & deteſtatio peccati, cùm quis verum contritionis & pœnitentiæ elicit actum, quotieſcunque ſuorum recordatur peccatorum, deſideratque ſe millies potiùs ſuſtinuiſſe pœnas inferni, quàm offendiſſe Deum.

Decimum ſignum prædeſtinationis eſt, cùm quis eſt illuſtratus lumine diuinæ gratiæ, non conſentit inordinatio voluntatis appetitui, ſed ſemper proſequitur & amplexatur bonum & fugit malum, teſte Diu. Auguſtino lib. 1. Confeſſ. cap. 10.

Vacate ergo, ô fideles, bonorum operum exercitio, patienter ſuſtinete tribulationes, pauperum ſubuenite extremæ egeſtati & neceſſitati, libenter auſcultate verbum Dei, de vobiſmetipſis non nimis altè ſapite, ſed humilem concipite exiſtimationem, parati ac diſpoſiti ſemper eſtote ad mortem, ad frequentanda Sacramenta, ad renunciandum pompis mundanis, peccata deteſtamini, bonum amplexamini & fugite malum. Quod ſi id feceritis, probabilia in hac vita habebitis ſigna veſtræ ſalutis, & in aliâ æternâ gaudebitis gloriâ in ſæcula ſæculorum, Amen.

Prouidentia Dei.

DISCVRSVS LXIII.

De diuinâ Prouidentiâ erga omnes creaturas, & speciatim erga hominem, ac de confidentia habenda in Deum.

Num. 1. Vanquam omnes Creaturæ sint veluti sonoræ & clangentes tubæ altissimum Dei deprædicantes & promulgantes prouidentiam, veriùs tamen & naturaliùs meo iudicio diuina repræsentatur & figuratur prouidentia per figuram ab antiquis depictam Ægyptijs, quam refert Pierius Valerianus lib. 4. Hieroglyp. verbo *Manus*. Depinxerant hi manum quandam, in cuius palmâ erat oculus apertus & vigilans, hoc ei apposito symbolo: *occulata manus*. Manus ab uno ad alium se extendens polum, cælesti omnia replens benedictione: *aperis tu manum tuam*, inquit Propheta Psalm. 144. versic. 16. *& imples omne animal benedictione*. Manus, quæ nos subleuat liberatque ab omni miseriâ & angustiâ: *Dextera tua, Domine, suscepit me*. Psalm. 17. vers. 36. Manus quæ nos per rectam deducit æternæ salutis semitam. *Manus tua deducet me*. Psalm. 138. vers. 10. Manus apertis & vigilantibus instructa oculis, quæ Deo infinito totius vniuersi prouisori manifestat omnia: *oculata manus*.

Sponsa in sacris Canticis cap. 5. sublime hoc expendet mysterium, cùm dicit *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*. loc. cit. vers. 14. Alia lectio habet: *Manus eius sicut cauda pauonis*. q. d. Manus dilecti mei est instar oculatæ caudæ pauonis. Et quia nos per manum diuinam intelligimus prouidentiam, iure merito dicere possumus, quod sicut cauda pauonis quasi tot tantisque repleta est oculis; ita manus altissimi innumeris apertis scatet oculis, qui in fauorem nostrum continuò nobis inuigilant & attendunt, vt nostris succurrant necessitatibus: *oculata manus*.

Et vt verum fatear N. quomodò in vitâ conseruari potuissent Angeli, homines, animalia, plantæ, nisi lac suxissent ex uberibus diuinæ prouidentiæ. Num. 2. Meritò, ait D. Augustinus lib. 4. de Ciuit. cap. 11. Antiqui descripturi naturæ Deum, qui omnibus rebus suppeditabat esse, viuentibus alimenta, depingebant illum in formâ humanâ, sed totum vndique repletum vberibus à capite ad pedes vsque, cuius vberibus adhærebant Leones, Vrsi, Leopardi, Elephantes & quæcunque alia animalia; ast ex speciali affectu hominem tenebat & fouebat inter brachia cibando & nutriendo eum dulci lactis liquore; vnde appellatus fuit Deus Ruminus, quod interpretatur, Deus vberum, quia vndique erat repletus vberibus. Sed transeamus ab hac antiquâ gentilium superstitione ad veritatem Euangelicam: quis nescit Deum nostrum verum esse prouisorem, qui suâ prouidentiâ gubernauit & etiamnum gubernat continuò totum hoc vniuersum? Deus verè vberum, sic appellatur in sacris literis iuxta traductionem Oleastri! *Deus vberum*. Et hoc idemmet Deus dixit per os Isaiæ Prophetæ capite sexagesimo sexto versic. duodecimo *ad vbera portabimini*, quem locum de diuinâ prouidentiâ intelligit D. Hieronymus.

Veritatem hanc perpulchrè innuit Si Propheta Dauid Psalm. 103. cùm dicit:

Saturabuntur ligna campi, & cedri libani quas plantauit, illic passeres nidificabunt, verſ. 16. & 17. Noſtro propoſito conformiter legit Hebræus: *Saturabuntur ligna Dei.* Sed quæ ſunt iſta ligna Dei? S. Auguſtinus in hunc locum dicit eſſe homines creatos ad amandum diuinam Maieſtatem, eique ſeruiendum, irrigatos pretioſo Saluatoris ſanguine, vt creſcant in fertili agro Eccleſiæ in altitudinem virtutum, & fructum producant æternæ vitæ. Cedri deinde in monte libani ſunt Angeli cœleſtes dotati gratiâ ſapientiæ, impaſſibilitatis, pulchritudinis. Præaltæ itaque hæ cedri & arbores Dei fient participes omnium bonorum, nihil eis deerit, idque propter diuinam prouidentiam.

Et ſanctus Iob hoc idem expoſiturus myſterium dixit: *quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibos,* cap. 38. verſic. 41. Sanè non poterat N.S. Iob conformiori & aptiori ſimilitudine diuinam manifeſtare prouidentiam, de coruo ſiquidem refert D. Gregorius lib. 30. moral. cap. 8. hâc eum præditum eſſe proprietate: poſtquam peperit pullos ſuos, videns illos degeneres ſibique diſſimiles in pennis, deſerit eos; vnde Deus diuinâ ſuâ prouidentiâ cœleſti eos paſcit rore & conſeruat viuos. O quàm verum eſt, quod, cùm creatura nequeas ſeipsâ ſibi prouidere de vitæ alimentis ſibi neceſſarijs, inſtar corui clamet ad vniuerſalem totius orbis prouiſorem, vt ſibi ſuccurrat, victumque neceſſarium ſuppeditet: & ecce Deus ſuâ non minus prodigâ quàm liberali illi ſuccurrit manu; *Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.* Pſalm. 146. verſ 9. inquit Dauid Propheta.

Stupendum diuinæ huius prouidentiæ habemus exemplum in lib. Geneſ. cap. 21. de infœlici illâ muliere nomine Agar; huius Domina & Patrona expulerat eam è domo, & cum deferret ſecum perdilectum filium ſuum Iſmaelem & paucam admodum vitæ alimoniam, poſt prolixum tandem iter horridum quoddam ſubintrauit deſertum, vbi conſumptâ, quam in vtre ſecum detulerat, aquâ, conſpexit filium ſuum Iſmaelem præ nimiâ ſiti languidum & infirmum, & quia miſera non habebat, vnde ei ſuccurreret, confidit in diuinâ prouidentiâ, & filium ſuum poſuit ibidem ſubter vnam arborem. Et ecce confeſtim apparuit ei Angelus quidam è cœlo, eique monſtrauit fontem limpidiſſimæ aquæ, quâ & ſeipſam & langueſcentem refecit puerum. Vnde Sacra Scriptura referens hoc factum dicit: *exaudiuit autem Deus vocem pueri,* loco citato verſ. 17. Aſt quænam erat iſta vox? extrema neceſſitas, hæc loquebatur, hæc clamabat, & Deus ſubitò illi ſubuenit, vt hinc edoceremur, quantâ is curâ & diligentiâ creaturis ſuis ſuccurrat.

Et quamuis ad omnes creaturas diuina ſe extendat prouidentia, homini tamen expreſſiorem videmus inſculptam illius idæam, ita affirmat Propheta Dauid; *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine,* Pſalm. 4. verſic. 7. Hebraica lectio habet; *Eleuatum eſt ſuper nos vexillum prouidentiæ tuæ.* Quid dicam de beneficijs, quæ continuò præſtat homini? ſi princeps quidam aut Dominus multarum prouinciarum quotidie propria ſeponeret negotia etiam maximæ importantiæ, ingredereturque conclaue viſitatum ſeruum ſuum, peteretque ab eo, quomodo tranſegiſſet noctem illam, & an deeſſet ei quippiam; quis non è vobis diceret, principem hunc ſpecialem ſerui illius habere curam? Nos ſumus inutiles ſerui diuino indigni fauore & gratiâ; ſed ô magnam Dei prouidentiam! non tot reperiuntur momenta diei, quibus nos non viſitet, noſtriſque ſuccurrat neceſſitatibus. Summopere hac ſuper re obſtupeſcebat S. Propheta Iob, vnde dicebat cap. 7. *Quid eſt homo, quia magnificat eum,*

Num. 4.

aut

aut quid apponis erga eum cor tuum? vers. 17. *Visitas eum diluculo, & subitò probas illum*, loco cit. vers. 18.

Et quomodo quilibet Christianus non recognoscet diuinam prouidentiam, dum videt, quod in fauorem & beneficium hominis tantam animalium creauerit varietatem; tantam auium, ferarum, pisciumque diuersitatem, tantum arborum plantarumque multitudinem? poterat Dominus Deus pro conseruatione nostrâ solùm creare, quod alimento nostrorum corporum fuisset necessarium; ast voluit insuper nos dotare & refocillare tot tantisque delicijs, tantâ plantarum varietate, tot tantisque fructibus alijsque innumeris rebus, quæ indies in mundo conspiciuntur, quod cùm consideraret prudentissimus Seneca lib. 4. de benef. cap. 5. 6. & 7. auream hanc protulit sententiam: *Neque enim necessitatibus tantummodò nostris prouisum est, vsque in delicias amamur. Tot arbusta non vno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum per totum annum digestæ, vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent.*

Num. 5. Summa. Tam magna est prouidentia Dei, quâ nostris succurrit necessitatibus, vt Deus, priusquam illas patiamur, nos exaudiat, ijs prouideat & opportunum adhibeat remedium: *& erit antequam clament* (dicit Deus per os Isaiæ Prophetæ cap. 65. versic. 24.) *ego exaudiam.* Dilucidè idipsum colligere possumus ex fame illâ, quam patiebatur Propheta Elias 3. Regum. 17. quam præuenit Deus, antequam bonus ille senex eam pateretur, cùm eum in finem (vti testatur Abulensis in hunc locum) iampridem produxerit coruos, vtporè futuros eius symmystas & architriclinos cibum ei allaturos, quemadmodum ipsemet Deus ei promiserat, cùm dixit: *Coruisque præcepi, vt pascant te ibi*, loco citato versic. 4. *Corui quoque deferebant ei panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi*, loco citato vers. 6. Et hoc significare volebat regius Propheta Psalm. 32. dicens: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius*, loco citato vers. 18. *Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame*, versiculo 19. O quàm bonus & benignus est noster Deus, qui semper stat oculis apertis vt prouideat & succurrat famulis suis in eorum necessitatibus.

Legite N. Prophetam Danielem cap. 14. & ad viuum delineatam deprehendetis prouidentiam Dei in seruos suos. Num. 6. Sanctum hunc Prophetam apprehenderant quâdam vice inimici eius, eumque præcipitarant in lacum Leonum, vbi septem famelici degebant Leones. Quo in loco nil aliud faciebat Daniel, nisi quod oculos eleuabat ad Deum, pro cuius honore & seruitio detinebatur in lacu. Quid facit Deus? conijcit oculos suos in Prophetam liberando eum à morte; feroces enim illi Leones confestim mansueti facti sunt instar ouium, seseque prostrauerunt ante pedes eius. Prouidit deinde eidem, cibosque suppeditat modo quodam miraculoso; siquidem mandat Angelum quendam in Iudæam ad Habacuc Prophetam, qui eodem tempore *ibat in campum, vt panes in alueolo ferret messoribus.* Ohe Habacuc Propheta, aiebat Angelus ille: *fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu Leonum*, loco citato versic. 33. cui respondet subitò Propheta ille: *Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio*, versic. 34. confestim Angelus apprehendit eum capillis capitis eius, & in momento illum per aërem defert ad lacum Leonum, vbi Habacuc vidit sedentem inter Leones Danielem, dixitque ei: *Daniel tolle prandium, quod misit tibi Deus*, loco cit. versic. 36. Attonitus stetit Daniel, & genibus flexis dixit: *Recordatus es enim mei Deus & non dereliquisti diligentes te*, loco citato versic. 37. O si vos fideles in necessitatibus constituti recurreretis ad Deum viuâ fide, firmâ spe,

spe, & perfectâ charitate, quàm subitò videretis & experiremini succursum & auxilium Dei, veluti experti sunt Elias & Daniel; vnde huic proposito conformiter dicit S. Cyprianus lib. de operibus & Eleemos. *Quandò factum est, vt iusto possent deesse subsidia vitæ, cùm scriptum sit: non occidet Dominus fame animam iusti. Elias in solitudine coruis ministrantibus pascitur, & Danieli in lacu ad Leonum prædam iussu regis incluso prandium diuinitus apparatur, & tu metuis ne operanti tibi & Dominum promerenti desit alimentum? vnde hæc incredula cogitatio?* Hinc Dauid in diuinam sperans prouidentiam exclamauit: *Dominus sollicitus est mei.* Psalm. trigesimo nono versic. decimo octauo. S. Augustinus traducit: *Dominus curam habet mei.* Et hoc idem est, quod insinuat Sanctus Petrus Apostolus, quando exhortabatur omnes ad habendam fiduciã in prouidentiam diuinam & dicebat: *Omnem sollicitudinem proijcientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.* 1. Petr. 5. vers. 7.

Diuina ergò prouidentia extendit se ab vno fine ad alium, amplexaturque omnes creaturas cœli & terræ, à supremo Seraphinorum ad vltimam vsque creaturarum, habetque curam de omnibus rebus, de vilissimis etiam vermiculis, qui repunt super terram. Et consequenter maiori cum diligentiâ & sollicitudine gubernat omnes homines, ita vt etiam habeat curam minimi capilli capitis. Et tametsi sint in magno numero, omnes tamen regit, ac si essent vnus solus, nec minorem gerit curam innumerabilium hominum, qui hodie existunt in mundo, quàm illorum octo demorantium in arcâ Noë, & solius Adami, quando morabatur in paradiso terrestri; quia bonitas eius, vtpote, infinita se extendit ad omnes, adeò, vt apud ipsum multi sint tanquam vnus, vnde dicere possum cum Diuo Augustino lib. 3. Conf. cap. 11. *O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm, tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos.* Vnde & dicam cum Prophetâ regio: *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Psalm. vigesimo secundo versic. primo. Gratias ago tibi, amantissime Pater, pro curâ illâ, quâ me tueris, protegis & conseruas, ac si solus essem in mundo, cùm sim omnium miserrimus.

Cùm igitur verum sit imò verissimum, Num. 7.
Deum esse diligentissimum prouisorem omnium creaturarum & specialiter hominis, omnis hinc exigit ratio, vt in eo solo spem nostram collocemus, & non in principibus & magnatibus mundi huius, qui deficiunt. Ita exhortatur nos Propheta dicens: *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.* Psal. 145. versic. 3. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in domino Deo ipsius*, loco citato versic. 5. Sed quâ de causâ dicitur Deus Iacob, & non potiùs Deus Abraham? respondet S. Theodoretus in hunc Psalm. & dicit, quia Iacob discessit è patriâ suâ & domo paternâ pauper & humano destitutus auxilio, & peregrinus mundum obambulauit committens solùm sese diuinæ prouidentiæ, ac propterea dixit: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in vitâ, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum*, Genes. cap. 28. versic. 20. *Reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum*, loco citato vers. 21. Cùm ergò videret Deus, quòd Iacob non in mundo sed in diuinâ suâ confidet prouidentiâ, subitò eum ditat temporalibus bonis, armentis, agris & saluum ac incolumem tãdem reducit in patriam. Auscultate modò egregia & præclara Theodoreti verba: *Deum Iacob non temere vocauit, sed admonet nos, quantam opem consecutus fuerit Iacob, cùm in Deo spem suam constituisset, & quos fructus spes percepit; vt in Deo & nos speremus, commonefacit.*

Noli igitur, ô Christiane, confidere Num. 8.
in mundo, sed in Deo dumtaxat spem

tuam repone, si vis effugere mala. Audi Dauid Prophetam: *Diuites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Psalm. trigesimo tertio vers. vndecimo legit S. Hieronymus: *Filij Leonum depauperati sunt; at verò pij non minuentur omni bono*, q. d. Filijs Leonum defuerunt corporis alimenta, & fame mortui sunt; ast confidentibus in Deo nihil defuit. Inter omnia animalia terrestria non reperitur aliquod, quod adeò sollicitè prouidet succurritque suis filijs, vti facit leæna: summo diluculo hæc è cauernâ suâ egreditur, campos celerrimè petit, & si quam venata est prædam, subitò eam dilaniat & dentibus discerpit, filiisque suis defert & distribuit. Significare igitur voluit Dauid: tam magna est prouidentia Dei in eos, qui confidunt in eo, vt potiùs leæna omitteret subuenire filijs suis, quàm obliuisceretur Deus succurrere & necessaria præbere illis, qui in eo spem & fiduciam suam collocant.

Miseri ergo illi sunt, quotquot confidunt in mundo & in eo reponunt spem suam, quia quando minus cogitabunt, omninò deserentur. S. Ioan. Chrysostomus exponendo verba illa Psalmi decimi: *in Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Psalm. decimo versiculo primo. Dicit passerem omnem spem suam reposuisse in perpaucis illis plumis, quibus fugam capere credit; at quando minus cogitat in venatoris incidit rete. Dicit ergo Dauid, non sum ego ex horum numero, sed *in Domino confido.* Quot sunt illorum, qui dicunt: ego nullius indigeo ope, prædiuites sunt mihi reditus, potentes amici & cognati, quando fortuitò mihi deesset quippiam, talem accedam Dominum qui mihi patrocinabitur; & ego tibi dico, hanc spem esse omninò vanam, & dum minus cogitabis, te deserent omnes.

Num. 9. Casus hic obtigit patientissimo Iob; vndè summo cum dolore lamentabatur de fictis & ollaribus amicis suis, qui eum in maximâ constitutum necessitate & miseriâ deseruerant, & dicebat: *Fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.* capite sexto versiculo decimo quinto. Vel vt Hebraicus habet Textus: *Amici mei fefellerunt me sicut torrens.* O perpulchram similitudinem! In hyeme, quando viatores & peregrinantes non indigent aquis, adeò pleni reperiuntur aliqui torrentes, tantoque currunt & rapiuntur impetu, vt è proprio exeuntes lecto integros inundent campos, euellant arbores altissimas, solo æquent palatia & turres fortissimas, cooperiant vias & semitas, peregrinantium sæpenumero præpedientes iter; in æstate deinde, quando hi ob intensum calorem & æstum solis desiderant haustum aquæ, adeò sicci inueniuntur & aridi, vt non nisi petræ conspiciantur & saxa. Tales se exhibuerunt amici Iob: tempore consolationis promiserunt illi aureos montes; tempore deindè necessitatis eum deseruerunt omnes: *fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim pertransit in conuallibus.* sic tibi, ò Christiane, continget, qui spem tuam collocas in mundo, scitò te tandem derelinquendum ab omnibus.

De castissimo & tribulato Ioseph legitur in sacrâ Genesi, cap. quadragesimo, quod, cùm pincernæ regis Pharaonis captiuo prædixisset, ipsum post tres dies liberandum fore è carcere & pristino restituendum officio, petijt ab eodem, vt is apud regem instaret pro liberatione suâ carceris, quo iniustè detinebatur: *Tantùm memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.* loc. cit. versicul. 14. *Quia furtim subblatus sum de terrâ Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum*, versicul. 15. Sed quid contigit? ingratus ille aulicus oblitus est benefactoris sui, nec vllam

vllam eius apud regem fecit mentionem nisi post duos annos. Ecquomodo possibile est N. quod nobilis hic aulicus obliuisceretur Iosephi, qui tam fideliter interpretatus fuerat illius somnium? O altum & secretum Dei iudicium! & quis istius rei dabit rationem? prodeat in medium Diu. Augustinus, & propositæ respondeat difficultati: Audite prudens & doctissimum illius responsum Sermon. 82. de temp. castus & innocens Ioseph, inquit ille, punitus est à Deo, eò quòd non confiderit se liberari potuisse à potentissimâ Dei prouidentiâ, & quia omnem suam spem reposuit in fauore & gratiâ vnius aulici: audite verba D. Augustini: *Sine vllâ enim dubitatione credendum est, quod ob castigationem sancti Iosephi non permisit Deus recordari Magistrum pincernarum vt in mente haberet, quod ei sanctus Ioseph, quando de carcere dimissus est, supplicauerat.* Idem dixit Sanct. Chrysostomus homil. 6. in Epist. ad Titum: *Meritò hoc passus existimatur, quoniam dixit memento, vt disceret in hominibus non esse confidendum, sed omnem spem in Deum esse dirigendam.* Causa ergò, cur Deus sæpissimè nos permittit affligi tribulationibus & aduersitatibus, est, quia non recurrimus ad eum confidenter, sed ad homines, qui non poterunt nos ab illis liberare.

Primo Machab. cap. nono legitur, quòd mortuus fuerit Iudas Machabæus, & in locum eius successerit Ionathas frater illius. Et capit. duodecimo refertur & huius mors ac successio alterius fratris eius nomine Simonis in locum ipsius qui pariter post aliquod tempus obiit. Quæ est causa, quòd hi generosi & strenui adeò duces, qui in multis prælijs toties euaserant victores, toties de hostibus triumpharant, modò, postquam cum Romanis fœdus inierunt & pactum, semper perdant & succumbant? rationem reddit Rupertus Abbas, dum commentatur in hunc locum, & ait, quod, quando ipsi sperabant in Deum, reportarunt de hostibus suis victoriam & triumpharunt; quando deinde fœdus inierunt cum Romanis & fiduciam suam collocarunt in hominibus, obliti fuerunt Deum, sicque deuicti fuerunt & mortui.

Tota ergo spes nostra reponenda est in Deo, si admirabilem eiusdem prouidentiam experiri velimus. Et fortè hunc in finem refert & testatur doctissimus Oleaster in capit. sext. Genes. quod, vbi reliquæ omnes naves habent fenestras laterales seu à latere positas; in arcâ Noë (vti legitur in Historiâ Scholasticâ apud Petrum Comm. & referunt Rabbini Hebræi) facta fuit fenestra crystallina, per quam intrabat lux; at non à latere posita erat, sed cœlum respiciebat, quia volebat Deus, vt Noë omnem succursum & opem speraret è cœlo, & in solo Deo reponeret spem suam, veluti faciebat Propheta Dauid Psal. centesimo vigesimo: *Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.* vers. 1. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* vers. 2,

Purgatorium.

DISCVRSVS LXIV.

De atrocissimis pœnis, quas patiuntur animæ in purgatorio. Et de earum lamentis, quibus à nobis expostulant succursum & auxilium. Et de medijs quibus eisdem possumus subuenire.

Num. 1. IMMENSITAS dolorum, acerbitasque pœnarum, quas benedictæ animæ in pœnali illo purgatorij loco patiuntur, nequeunt humanâ linguâ explicari: attentiùs solummodò illas considerantis sanguis congelatur invenit, palpitat cor, contremiscunt membra, obmutescit lingua, exhorrescit spiritus & capitis eriguntur comæ, totus denique hæret attonitus homo raptus in stuporem & ecstasin. O Maiestatem & iustitiam formidabilem magni Dei! Verùm vt saltem aliquâ ex parte, quantum fieri potest, eas expendamus, sciendum est, quòd secundum communem Doctorum opinionem hæ pœnæ bifariam possunt accipi: vna vocatur pœna damni, sensus altera; prima consistit in priuatione visionis Dei, secunda in dolore, quem animabus inferunt purgatrices flammæ.

Et vtriusque huius pœnæ extitit figura, veluti opinatur Rupertus Abbas lib. 3. de oper. Trinit. cap. 52. Cherubim ille, cui præcepit Deus, vt staret ante portam terrestris paradisi, de illo legitur cap. 3. quod ignitum manu tenebat gladium, quo omnibus inhibebat ingressum, significabatque nobis per gladium pœnam damni, & per ignem pœnam sensus, quam ibi quis patitur: *Flammeus gladius* (ait Rupertus) *atque versatilis ante paradisum est collocatus, vt quicumque deinceps admittendi sunt illic, transeant per examinatorium ignem.* Quamis vtraque hæc pœna sit acerbissima, pœna tamen damni grauior est, quia priuat animam summo bono, quæ priuatio maiorem infligit animæ dolorem, quàm pœna sensus; vnde iustissimâ cum ratione dicit S. Thomas in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 2. quòd illa superat omnem aliam pœnam. Quod confirmauit Sanctus Chrysostomus de reparat. laps. dicens: *Pone hic vnam solam pœnam damni, & pone hac ex parte centum ignes inferni; maior est hæc sola pœna damni, quàm ibi centum ignium inferni pœna.*

Et primitus intolerabilis est pœna damni, dum anima aliquo tempore priuatam se conspicit clarâ visione Dei. Num. 2. Quod significare voluit S. Iob, quando in figurâ illarum afflictarum animarum dixit cap. 13. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* vers. 24. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam;* vers. 25. vt nobis significaret, ait Diuus Gregorius lib. 9. moral. quòd si Deus totam suam omnipotentiam impenderet torturæ & afflictioni animæ, nunquam ei tantum infligeret dolorem & pœnam, quantâ eandem afficeret priuando illam aliquo etiam tempore beatificâ Dei visione; nam si eodem illo tempore, quo ei tormenta infligit, ostenderet & monstraret etiam ei diuinam suam faciem, nullam anima sentiret pœnam: ac propterea bene dicit Iob, quòd Deus ostensurus infinitam suam potentiam contra aliquam animam, abscondat ei faciem. Et hæc est pœna adeò magna & excessiua, tam atrox & crudelis, vt omnem aliam transcendat & superet pœnam,

nam, quæ poteſt alicui infligi à potentiſſimo Dei brachio: *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam?* quem locum expendens D. Hieronimus conformiter loquitur huic noſtro propoſito: *cùm faciem abſcondit, tunc oſtendit potentiam.*

Num. 3. Et ſi ex clariori Scripturæ loco cupitis cognoſcere atrocem hanc pœnam, quam infert animæ priuatio viſionis Dei, reuocare in memoriam ſtupendam illam iuſtitiam, quam in filium ſuum Abſalonem exercuit David, veluti refert ſacer Textus 2. Regum cap. 14. Depoſuerat iam beniguus Pater omnem iram & indignationem contra rebellem filium iuſtè conceptam, donauerat, etiam eidem erroris & ſceleris commiſſi veniam: *reuertatur*, ait, *in domum ſuam, & faciem meam non videat*, loco citato verſ. 24. Abſalon audito hoc regis decreto, ſummam ſenſit cordis anguſtiam & dolorem, exclamanſque dixit: *Obſecro ergo, vt videam faciem regis, quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me*, loco cit. verſ. 32. q. d. Potiùs mori paratus ſum, quàm vt viuus priuer viſione faciei regis Patris mei. Dicit modò D. Gregorius conſiderando hoc factum, quod quò vicinior erat Abſalon regis faciem ſibi denegatam viſurus, eò maiori affligebatur tormento: *quantò propinquior erat ad videndam faciem regis, tantò magis cruciabatur.* Expreſſa hæc eſt figura N. pœnarum tormentorumque, quæ patiuntur animæ in purgatorio, hoc ipſo, quo ſe priuatas conſpiciunt facie diuinâ, quæ ex hac diſceſſerunt vitâ ingreſſuri cœleſtem ciuitatem Ieruſalem & fruituri faciei viſione non iam cuiuſdam terreni regis ſed æterni Dei, qui ab ipſis amatur tanquam ſummum bonum & vltimus finis hominis. Hanc igitur priuationem tali modo apprehendunt & æſtimant, vt linguâ humanâ explicari non valeat, cùm ſine comparatione ſuperet quamcumque aliam pœnam, quam ſuſtinent in purgatorio.

Patientiſſimus Iob (vti cunctis innotuit) omnium dolorum cunctarumque calamitatum extitit receptaculum, nulla fuit tribulatio, aduerſitas nulla, quam non ſuſtinuit: pauper fuit & mendicus, totam amiſit ſubſtantiam, poſſeſſiones, filios, ſanitatem, à capite ad plantam pedis vſque plagatus & peſſimo percuſſus vlcere & à propriâ etiam ſpretus & deluſus fuit vxore; nihilominus totam percurrite Scripturam, nunquam ipſum de minimo etiam lamentatum aut conqueſtum fuiſſe inuenietis: vnde in ipſius ſubiunxit laudem: *In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis.* Iob cap. 2. verſ. 10. ſolùm vnâ vice exclamando dixit: *& in amaritudinibus moratur oculus meus.* Iob capite 17. verſ. 2. Quæ verba dum ponderaret antiquiſſimus Tertullianus lib. de pat. dixit: *De oculo queritur, qui totus in tormentis poſitus eſt*, quaſi diceret: ô ſancte Iob iuſtam conquerendi cauſam habes ob amiſſionem filiorum, quorum amor verbis explanari nequit, bonorum & ſanitatis, & tamen de oculo lamentaris? Magnum hîc latet myſterium N. doctiſſimus Carthuſianus ait, id intelligi de animabus purgatorij, in quarum figurâ Iob loquebatur: *In amaritudinibus moratur oculus meus, id eſt, oculus interior animæ in purgatorio.* Aſt qui fieri poteſt, vt totum tormentum ſibi vendicent oculi, cùm ſciamus animas atrociſſimis vndique circumdatas eſſe flammis? ecce rationem & reſponſum: tam magna & crudelis eſt pœna, quam ſentiunt benedictæ illæ animæ, dum nequeunt intueri Deum, vt in comparatione huius nihilo æſtiment quodcumque aliud tormentum; ideoque concluſit S. Auguſtinus in Enchir. *Abſentia Chriſti, quoad eius viſionem, omnibus pœnis eſt intolerabilior.* Num. 4.

Locuturi deinde de pœnâ ſenſus, quæ eſt cruciatus & dolor inflictus animabus illis ab igne purgatorij, qui tanquam inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ illas tor- Num. 5.

Qqq 3 quet

quet & excruciat, comperiemus ipsam iuxta opinionem SS. Patrum esse adeò magnam & atrocem, vt minima illius pars longè excedat omnes pœnas, omnes dolores, omnia etiam tormenta, quæ in hac vitâ sustineri possunt. Ita ante quoscumque alios dixit Sanctus Augustinus Sem. 41. de Sanctis: *ille purgatorius ignis durior est, quàm quicquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Et idem scripsit in Psalm. 37. dicens: *Grauior est ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vitâ.* Eiusdem opinionis fuit Sanct. Gregorius in Psal. 3. pœnitent. ita scribens, *illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem.*

Hinc Venerabilis Beda in Psalm. 27. dixit: *Pœna purgatorij grauior est, quàm quicquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quicquid graviùs homo possit excogitare.* Ad unum congregatæ sint cumulum, inquit Beda, omnes indignationes & furores Tyrannorum, inuentiones carnificum, rigores minarum, terrores suppliciorum; addatur craticula Laurentij, crux Andreæ, cultri Bartholomæi, lapides Stephani, rotæ Catharinæ, enses Iacobi, lanceæ Thomæ, serræ Thadæi, pellis excoriata Bartholomæi, Sagittæ Sebastiani, equulei & vncini ferrei Blasij, ollæ feruentis olei, picis & liquati plumbi innumerabilium martyrum, cuncta hæc tormenta nihil sunt in comparatione minimæ pœnæ, quam in purgatorio patiuntur miseræ animæ,

Num. 6. Et Sanct. Cyrillus Alexandrinus, quem refert Obitinus, dicit aliquid obseruatione dignissimum: *Mallet quilibet viuentium usque ad finem mundi omnibus simul excruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam huc usque tulerunt, quàm uno die in purgatorio morari.* Et ratio in promptu est, quam adducit S. Thomas 3. p. qu. 6. art. 6. ad 4. quia pœnæ alterius vitæ sunt generis & ordinis altioris & eminentioris, & major reliquis omnibus, quas ibidem sustinent animæ, est intensum illud desiderium videndi Deum summum & infinitum illud bonum, quo priuatæ sunt propter earum negligentias & culpas. Et tametsi spes obtinendi tandem beatitudinem eas consoletur, desiderium nihilominus coniunctum cum ardore ignis adeò eas molestat, vt teste D. Bonauenturâ in 4. dist. 21. nullum consolationi earum indulgeat locum; non tamen earundem iudicium & rationem turbat quantùm ad amorem Dei cæterasque mentis operationes. Solùm eas spes adiuuat ad sufferendas patienter pœnas, ast non alleuiat, aut diminuit pœnas.

Hisce addendum, animas electorum in purgatorio eodem torqueri igne, quo animæ reproborum excruciantur in inferno. Ita asserunt S. Augustinus in Epistol. 100 de mirac. S. Hier. S. Thomas. in 4. dist. 21. Carthusianus lib. de iud. & omnes communiter Patres. Vnde dixit Sanct. Gregorius Papa lib. 4. dial. cap. 8. & in Psalm. 3. pœnit. *eodem igne crematur damnatus & purgatur electus*, & nonnisi duratione differunt; nam ille æternus est, hic verò temporalis. Num. 7.

Acerbissimæ igitur & intolerabiles sunt pœnæ, quas sufferunt animæ benedictæ in purgatorio. Ac propterea sanctus Propheta Dauid inter alia, quæ instanter petebat à Deo, rogauit etiam eundem, vt se liberare dignaretur ab atrocissimis hisce pœnis, quando dicebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* Psalm. 37. vers. 2. quem locum exponit D. Gregorius vbi sup. & ait: *hoc solùm totâ cordis intentione efflagito, ne me in illo tremendo examine, vel cum reprobis ferias, vel cum purgandis flammis vltricibus affligas.*

Et quia sunt ita atroces & acerbæ hinc miseræ illæ animæ nunquam cessant clamare, petendo auxilium & succursum, & dicere cum patientissimo Propheta

pheta Iob: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me,* cap. 19. versic. 21. q. d. Miserimini mei, ô fideles, & vestris mihi suffragijs, vt ab hisce voracibus eripiar flammis, subuenite. Sed ô miseriam! clamant & non audiuntur: vociferantur, & nullus est, qui respondeat: petunt & supplicant, & non est, qui eis commisereatur. Sperabant & confidebant miseræ & afflictæ illæ animæ in compassione & misericordiâ illorum, pro quibus tot tantosque in vitâ sustinuerunt dolores & labores, quibusque tot tantaque contulerunt beneficia, & iam se spe suâ defraudatas experiuntur, nullamque recipiunt opem & subsidium. Magna profectò crudelitas; vnde exclamat sanctus Augustinus lib. de cura pro mort. *Heu grandis crudelitas! clamant ad nos quotidiè animæ illæ, quæ, dum in hac vitâ fuerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curamus.*

Num. 8. Voces sunt cuiuslibet animæ ardentis flammis purgatorij, quas protulit patientissimus Iob, quando conquerebatur de fictis amicis suis, qui in maiori eum necessitate deseruerant, & dicebat: *fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim pertransit in conuallibus,* Iob c. 6. vers. 15. Lectio Hebraica habet: *Amici mei fefellerunt me sicut torrens, qui raptim pertransit in conuallibus.* O egregiam similitudinem! in hyeme, quando viatores & peregrinantes non indigent aquis, adeò ijsdem scatentes inueniuntur quidam torrentes, tantoque currunt & rapiuntur impetu, vt proprium transilientes lectum integros inundent campos, arbores euellant altissimas, solo æquent fortissimas turres & palatia, cooperiant vias & semitas, peregrinantium sæpenumerò præpedientes iter; in æstate deinde, quando ob intensum solis æstum desiderant haustum aquæ, adeò sicci repeririuntur & aridi, vt non nisi petræ videantur & arena. Tales fuerunt amici Iob, qui tempore illo, quo omnia faustè fœliciterque succedebant, aureos ipsi promiserant montes; fugerant verò ab eodem tempore necessitatis. Idem planè accidit miseris illis animabus, quæ in purgatorio atrocibus affliguntur tormentis: siquidem dum præsenti fruebantur aurâ, cuncti hæredes, cognati, amici multa & magna promittebant illis, ô rapidi torrentes! sed quid? superueniente deinde necessitate, dum hæ illorum implorant opem & auxilium dicentes: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei,* aduertunt torrentem suffragiorum non currere; sed omnino aridum experiuntur & exiccatum, vt proptereà iure merito cum Iob dicere valeant: *Amici mei fefellerunt me sicut torrens, qui raptim currit in conuallibus.*

Verùm lecturi citatum Scripturæ locum ex Iob iuxta traductionem S. Hieronymi: *Chari mei & amici mei quasi contra lepram meam steterunt.* Egregium sanè & huic proposito conformem reperimus conceptum: nimirum, cùm anima constituta est in purgatorij flammis, videntur illius cognati & amici ipsam abhorrere & fugere, quemadmodum viui abhorrent & fugiunt videntes leprosum: *quasi contra lepram meam steterunt,* vnde & videntur imitari Sorores Lazari, quæ tenerrimè eum amabant in vitâ, ast post mortem primæ ab eo discesserunt: *iam fœtet.* Quapropter bene dixit Propheta regius: *perijt memoria eorum cum sonitu.* Psalm. 9. vers. 7. Quamprimùm cessant signa funebria mortem cognatorum indicantia, cessat quoque eorum memoria. Vbi, vbi iam sunt N. illi lachrymarum imbres, ardentia illa suspiria, refutationes consolationum, fugæ hominum, abstinentiæ ciborum? vbi, vbi iam sunt querelæ illæ de inconstantiâ fortunæ & vitæ nostræ? vbi clamores & lamenta mulierum? vbi dolorosæ illæ exclamationes, fictæ & apparentes crinum euulsiones, percussiones pecto- Num. 9.

ris,

ris, iterata illa in cœlum manum eleuatio. Vbi iam ille faciei pallor? Ah: *perijt memoria eorum cum sonitu.* Itote nunc, ô viui, & spem vestram reponite in tam fallacibus promissis. Ditate nunc, ô parentes, filios vestros amplissimâ hæreditate, illos, inquam, ingratos, qui exiguam vestri habentes curam attendunt luxui & voluptatibus mundi!

Num. 10. Celebris & famosa est illa historia relata Genes. cap. 40. vbi enarratur, quòd, postquam S. Adolescens Ioseph fideliter interpretatus fuisset somnium pincernæ regis Pharaonis, eique instantem post tres dies liberationem è carcere officijque restitutionem significasset, rogauit eundem, vt liber & sui recordaretur, ac pristinam apud regem sibi impetraret libertatem: *Memento mei cùm bene tibi fuerit, vt facias mecum misericordiam, ac suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere,* loco citato vers. 14. Idem mihi videtur facere filius cum Patre, Pater cum filio, maritus cum vxore, vxor cum marito, vnus amicus cum altero: ego ex hac discedo vitâ & transeo ad alteram, vbi ob peccata mea purgatorij detinebor carcere, tu, qui superuiues in Ecclesiâ militante, & poteris pro te militare, pro me satisfacere orationibus, ieiunijs, Missis, eleemosynis alijsque pijs operibus, memento mei. Oblitus fuit pincerna Iosephi benefactoris sui, & duorum annorum spatio nec mentionem nec memoriam illius habuit? & vos sæpissimè obliuiscimini illius, qui tot & tanta vobis contulit beneficia, tam amplis vos dotauit ditauitque bonis, ô magna impietas & crudelitas: crudelissima tigris es, eò quòd de malo alterius lætaris, & dum animam patris, matris, fratris aut sororis tuæ in purgatorij tormentis & flammis conspicis constitutam, nullam ei fers opem & subsidium.

Num. 11. De ingratis hisce filijs optimè dici potest, quod ait Propheta Dauid: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.* Psalm. 96. vers. 7. ac si dixisset in persona illarum afflictarum animarum: verum est, quod adhuc viui in mundo tanto nostros filios prosecuti fuimus amore, vt illos veluti idolum aliquod adorauerimus; nunc tamen adeò in nos existunt ingrati, vt nos omninò deserant, à nobis fugiant, nunquam nostri recordentur, neque suffragijs suis nos eripere & liberare cogitent ab atrocissimis hisce flammis; confundantur quapropter omnes patres & matres, qui amant filios suos, eos tanquam idola cordis sui adorantes & colentes, eò quòd ingrati se exhibeant erga illos: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis,*

Perlegite lib. Iob ca. 19. vbi pater quidam, cum atrocibus affligitur tormentis purgatorij, conqueritur de filijs suis & dicit: *Carnibus meis saturamini?* loco cit. vers. 22. *id est,* (explanat Guilelmus Paris. in 7. Psalm. pœnit.) *me durissimè in purgatorio flagellari permittitis, qui carnibus meis, id est bonis vobis derelictis, saturamini.* O filij, filij vnde vobis tanta crudelitas & impietas? ô cognati, amici, vnde ista prouenit ingratitudo vestra? *carnibus meis saturamini,* vestes illæ auro, argento gemmisque intertextæ & refulgentes, an non sunt carnes meæ? annon sunt carnes meæ magnifica illa palatia, quæ inhabitatis, amplissimi illi agri & possessiones, amœnissimi illi horti, quorum fruimine delicijs? *carnibus meis saturamini,* & nullam mei habetis compassionem, ne vllum quidem obolum ex tot tantisque vobis relictis pecunijs & diuitijs pro animæ meæ refrigerio exponitis? cur non exequimini pia legata? cur ingratos adeò exhibetis vos erga charum & perdilectum vestrum patrem? *carnibus meis saturamini.* Ah ô Christiani, tantam conspicientes miseriam, commoueamini ad compassionem & misericordiam, tam extremæ succurrite necessitati, suppeditate aliquod refrigerium miseris illis animabus

bus continuò nostram implorātibus opē & subsidium, efflagitantibus refrigerium in tam acerbis & tremendis earum pœnis & tormentis, ac exclamantibus: *Miserea mini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.*

Num. 12. Totum verò id, quod ijs prodesse potest, reducunt sacri Doctores ad ieiunia, orationes, disciplinas & alia opera pœnalia & meritoria; ast omnia excedit & superat Sacrosanctum Missę Sacrificium Oratio illis prodesse potest veluti opus pœnale, & hoc modo est satisfactorium; vel etiam & maximè tanquam medium impetratorium: quod magis proprium est orationi, cùm Deum ter Optim. Maxim. pro illis exoramus, & obtinemus ob eo remissionem pœnarum, quas patiuntur; quapropter Sanctus Ambrosius lib. 1. Epistol. ad Faust. de obitu Sororis, consulebat amico suo Faustino, ne nimium doleret & plangeret ob mortem Sororis suæ, sed succurreret ei sanctis orationibus, exoraretque Deum, vt dignaretur eam liberare ab attocissimis purgatorij pœnis, quas fortè sustineret: *Itaque non tam deplorandam quàm orationibus prosequendam reor, nec mœstificandam lachrymis, sed magis oblationibus animam eius Deo commendandam.* Et S. Ioan. Chrysostomus hom. 41 in 1. ad Corinth. hisce pariter conformia habet: *iuuetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus & eleëmosynis.*

Num. 13. Ast ad liberandam animam è pœnis purgatorij reperiri nequit potentius suffragium, efficacius remedium & thesaurus maioris valoris, vti iam dixi, quàm celebrare Missam & offerre Deo sacrificium pro illâ. Hinc est, quod ab exordio militantis Ecclesiæ voluit benedictus Deus, vt in Missâ specialis fidelium defunctorum fieret memoria & in auxiliū eorum salutaris illa offerretur hostia. Ita ante reliquos omnes attestatur S. Ioannes Damascenus lib. de suffrag. mort. *Mysteriorum conscij*, ait ille, *discipuli Sal-*

uatoris & sacri Apostoli sanxerunt in vinificis & tremendis sacrificijs & mysterijs memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt Et S. Chrysostomus hom. 69. ad pop. & ad Philip hom. 3. & Orat. 41. in 1. ad Corinth. ita sermocinatur: *Non temerè ab Apostolis hac sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio: sciebant enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.* Idem ait Sanctus Gregorius lib. 4, Dial. cap. 55. *Multum solet animas etiam post mortem sacrà oblatio hostia salutaris adiuuare, ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.* Et Sanctus Hieronymus in Mis. pro def. idem affirmat, quod nimirum mediante quâlibet Missâ deuotè celebratâ plurimi liberati fuerint è purgatorio. Adiungit idem S. Doctor, quòd animæ illæ, pro quibus Sacerdos orat in Missæ Sacrificio nullam sentiant pœnam & tormentum, quamdiu celebratur sacrum Missæ Sacrificium: *Animæ quæ in purgatorio torquentur, pro quibus solet Sacerdos in Missâ orare, interim nullum tormentum sustinent, cùm Missa celebratur.* Et ideò S. M. Ecclesia in Missis quas pro animabus fidelium defunctorum celebrat, particularem facit mentionem Sacrosanctæ Eucharistæ recitando Euangelium S. Ioannis: *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus.* cap. 6. versic. quinquagesimo quinto. Vt hinc edoceremur maximum suffragium pro animabus fidelium defunctorum esse Sacrificium Missæ.

Hoc consilium dedit Tobias senior iuniori dicens: *panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue.* Tob. 4. v. 18. Et per hunc panem & vinum Sanctus Ambrosius in hunc locum intelligit corpus & sanguinem Christi oblatum pro suffragio fidelium defunctorum. Huic nostro proposito inseruit, quod refert Thomas Cantiprat. lib. 3. apum cap. 54. de quodam defuncto, qui precibus alicuius sancti viri ad præsentem redijt vitam;

Alexand. Calamato Sylua Conc.

& inter alia, quæ referebat, dixit, quod in purgatorij adhuc constitutus pœnis viderit animam cuiusdam sui noti amici, quæ post grauissima perpessa supplicia ex improuiso proruperat in hanc exultationis vocem, dicens: *Eia misericordissime Deus nec in finem oblitus es mei.* Et cùm ille causam huiusmodi lætitiæ & iubilationis cognoscere cuperet, respondit illa: *Exultabunda tripudio, quia mihi scire à Domino datum est, in hoc instanti natum puerum, qui longè post futurus presbyter, in eius missâ, quam celebrabit primam, ab his pœnis ad requiem euolabo.*

Num. 14. Nolite igitur negligentes & parci esse ferendo fidelibus defunctis opem vestram & auxilium, qui, dum viuebant, innumeris vos cumularunt beneficijs. Perfringant cor vestrum clamores illi, gemitus & lamenta eorum. Moueant vos ad commiserationem & pietatem acerbi illi dolores, quibus affliguntur. Emolliant vos lachrymæ parentum vestrorum, planctus dilectorum filiorum, lamenta & gemitus vestrorum amicorum, succurrite afflictorum necessitati. Exiguum admodum est pretium, quo illis subuenire, eosque ab intolerabilibus pœnis & tormentis eripere possetis, vnicum solum ieiunium fortassis tanto ardori & dolori suppeditaret remedium, paucæ admodum lachrymæ extinguerent tam intensum ignis ardorem & tormentum. Non mouemini ad pietatem & commiserationem? dicat quilibet in subsidium & fauorem illarum afflictarum animarum cum S. Bernardo serm. 56. in Cant. *Surgam ego in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspirijs, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si fortè videat Dominus & iudicet, vt laborem conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam; his enim & huiusmodi officijs potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna.* Ita quilibet faciat, ita quilibet dicat, & benedictis illis animabus impetrabit liberationem, & illæ deinde in cœlis rogabunt petentque pro benefactoribus suis gratiam in præsenti & gloriam in futuro.

Sacerdos.

DISCVRSVS LXV.

De sublimi & altißimâ Sacerdotum dignitate, & de honore & reuerentiâ eis debitâ.

Num. 1. VANTAE dignitatis & excellentiæ sit nomen & officium Sacerdotis ex eo maximè constat, quod apud omnes nationes & populos mundi fuerit semper in magnâ veneratione. Nec ij dumtaxat, qui sancto fidei illustrati fuerunt lumine, id fecêre, verùm etiam gentiles & idololatræ sacerdotes tametsi falsos honore prosecuti fuerunt, quemadmodum refert & dicit S. Clemens Papa in Const. Apost. *Sacerdotes idololatrarum gentium in honore fuerunt habiti & Sacrosancti appellati.* Æthiopes venerabantur Sacerdotes tanquam iudices, ipsique constituebant pœnas & premia, vti dixit Plato Dial. 12. & affirmauit Ælianus lib. 4. cap. 34. de populis Ægyptiorum, & apud Athenienses abijt in morem, quem fortè hauserunt ab Hebræis, vt plurimi Sacerdotes apud illos administrarent iustitiam, veluti aper-

tè colligitur ex multis locis Sacræ Scripturæ.

Sacerdotes Æthiopiæ tantam pariter habuerunt authoritatem, vt castigarent delicta regum, si quæ committebant, eosque mulctarent morte, teste Alexandro ab Alexandro Genial. Dier. lib. 2. cap. 8. ac deinde nouos constituerent reges. Idem refert Cardinalis Baronius tom. 1. Annal. qui dicit reges illos, qui dominabantur populo Hebræo, fuisse semper subiectos Sacerdotibus, quod probatur facto illo Samuelis Prophetæ eligentis & priuantis regem Saulem regio diademate & sceptro. Imò consuetudo fuit apud Ægyptios, vt nullus potuerit coronari rex, nisi primò fuerit Sacerdos, quemadmodum scribit Marsilius Ficinus lib. de Christ. Relig. in procem. & ante ipsum id scripsit & retulit Clemens Alexandrinus lib. 5. strom.

Num. 2. Scribit Aul. Gellius, Sacerdotes idololatras, qui colebant Deam Vestam, magnâ gauisos fuisse libertate multisque priuilegijs. Dicit insuper Card. Baronius Valentinianum Imperatorem propter reuerentiam, quam Sacerdotum duntaxat deferebat nomini, plurima concessisse ministris idolorum priuilegia. Et Strabo apud Molinam lib. de instru. Sacerd. fatetur, quod Sacerdotes idololatræ apud diuersos reges & magnates in magnâ fuerint æstimatione.

Populi deinde Phrygiæ in tantâ Sacerdotes habuerunt veneratione, vt cadauera ipsorum nunquam fuerint sepulta in terrâ, sed propter reuerentiam tantæ dignitatis reponebantur in sepulchro præalto & marmoreo, veluti testatur supracitatus Alexander ad Alexandro.

Et vt silentij tenebris inuoluam innumeras alias authoritates in confirmationem iam dictorum, auscultate casum quendam notatu dignum, quem referunt Iosephus Hebræus lib. 11. antiq. & S. Augustinus lib. 18. de ciuit. cap. 45. de Alexandro Magno, qui grauiter indignatus in summum Sacerdotem dictum Iaddo, decreuerat interficere & perdere cunctos ordinis Leuitici viros, & tali animo profectus est Ierusalem. Quod cùm intelligeret Iaddo, nec ei sufficientes essent vires ad resistendum tàm potenti principi, deliberauit obuiam ei procedere habitu indutus pontificali aliorumque Sacerdotum simili condecoratorum vestitu stipatus catervâ, sperans hoc modo placare regis indignationem & iram, nec à suo aberrauit scopo; etenim hoc nouo spectaculo ita commotus fuit Alexander magnus ad reuerentiam ei exhibendam, vt descenderit ex equo, & Iaddo cæterisque sequacibus eius insolitos detulerit honores, ac cum eisdem pacificè ingressus fuerit ciuitatem, curauitque in templo offerri Sacrificia. Insuper tantam ipsis monstrauit benignitatem, vt omnia, quæcunque ad cultus diuini augmentum & maiorem gloriam Pontifex ille petierat, facilè obtinuerit, adeoque rex tametsi idololatra magnum detulit respectum hoc videbat exercitus, Attonitus factum hoc videbat exercitus, demirabaturq; inopinatam hanc & subitam Alexandri mutationem, & cùm istius causam exquireret Parmenion regis amicus, respondit Alexander: *Non hunc adoraui, sed Deum, cuius Sacerdotio fungitur.* Totum hoc referr D. August. in honorem Sacerdotij, vt videamus in quantâ veneratione apud gentiles etiam extiterint Sacerdotes.

Vnde S. Gregorius Papa lib. 3. regist. Epist. 75. scribens Mauritio Imperatori liberè eum reprehendit, quòd parùm æstimaret Sacerdotes, qui tamen magni æstimabantur ab Ethnicis: *Ante tempora Constantini*, ait sanctus ille Pontifex, *in republicâ principes fuerunt, qui Deum verum nescientes Deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum est, si Christianus Imperator*

veri Dei Sacerdotes dignatur honorare, dum pagani honorem impendere Sacerdotibus nouerunt, qui Deis ligneis & lapideis seruiebant? Meritò quoque indignatur S. Ioan. Chrysostom. hom. 65. in Gen. conspiciens Christianos exiguum deferre respectum Sacerdotibus, vbi gentiles summo ipsos honore prosequebantur. *Ne simus*, inquit ille, *deteriores infidelibus, qui propter errorem idolorum suorum adhuc tantum cultum exhibent eorum Sacerdotibus; sed quantùm distant error & veritas tantùm distant illorum & Dei Sacerdotes.*

Num. 3. Et sacras perlecturi paginas videbimus perspicuè, in quantâ fuerint semper æstimatione Sacerdotes. Iosue capit. 4. legitur, quod, postquam arca Domini transiisset flumen Iordanis, præcepit Deus magno duci Iosue, vt è flumine, vbi Sacerdotum positi fuissent pedes, seligeret duodecim lapides, erigeretque illos in titulum, vt quilibet eos veluti rem sacram veneraretur: *Elige duodecim viros singulos per singulas tribus*: loc. cit. vers. 22. *Et præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, vbi fixeritis hâc nocte tentoria.* Et totum hoc voluit Deus fieri à Iosue, dicit Abulensis in cap. 3. Ios. q. 34. & in c. 4. q. 1. propter reuerentiam Sacerdotum, qui non duntaxat honorandi sunt, verùm etiam illi lapides, quos tetigerunt eorum pedes.

Hanc quoque reuerentiam Sacerdotibus debitam, & quanto silentio eorum defectus prætereundi & celandi sint, significauit S. Patriarcha Isaac, qui morti vicinus & benedicturus primogenito filio suo Esau iussit, vt primo iret ad venationem, ferret pararetque ei escam syluaticam. Intellexit hoc vxor eius Rebecca, ideoque auida, vt Iacob tantâ dotaretur hæreditate, dixit ei, vt quantocyus caperet & mactaret hœdũ, coctumque præsentaret patri suo simulans se esse primogenitum, id timuit facere filius; ast animum ei addidit mater dicens: *sit super me ista maledictio.* Gen. cap. 27 vers. 13. Et vt maiorem ei adderet animum, cooperuit illum vestibus Esau, sicque vestitum conduxit ad patrem, qui confestim ipsum cognouit ex voce: *vox quidem vox Iacob est.* l. c. vers. 22. dubitauit nihilominus de tactu: *sed manus manus sunt Esau.* l. c. Cognouit ipsum etiam ex sapore cibi, nam gustans escam, cognouit non esse syluaticam: *quomodo*, ait, *tam citò inuenire potuisti fili mi?* loc. cit. vers. 20. ac si apertè dixisset: non est possibile has carnes esse syluaticas, quia difficulter huiusmodi capiuntur feræ. Voluit tandem eundem cognoscere ex odoratu, ideoque dixit: *accede ad me, & da mihi osculum fili mi.* loc. cit. vers. 26. *Statimque* (ait Scriptura) *vt sensit vestimentorum fragrantiam benedicens illi ait: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* loc cit. vers. 27. Subiunxit deinde benedictionem constituendo eum hæredem omnium bonorum: *det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*, vers. 28. Scitetisne causam N. cur Isaac non dederit benedictionem Iacob, quando locutus fuit, neque quando ipsum tetigit, nec quando gustauit cibos, neque quod tam promptè & celeriter obediuit, sed *vt sensit vestimentorum illius fragrantiam*, tunc benedixit ei? Pro intelligentiâ mysterij huius sciendum est, quales fuerint vestes illæ, quibus Rebecca filium suum cooperuit. S. Hieronymus vult, apud antiquos, priusquam Deus ordinasset Sacerdotium Aaron, morem fuisse, vt in Lege naturali primogeniti consecrarentur in Sacerdotes, quibus Deo consecratis parabantur & conficiebantur vestes Sacerdotales, & hisce induti offerebant Sacrificia, & vltimam à patrib. suis recipiebant benedictionem: *In hoc loco tradunt Hebræi* (inquit S. Hiero.) *primogenitos Sacerdotum officio esse functos, & habuisse vestimentum*

Sacer-

Sacerdotale, quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotem eligeretur, quod confirmat Carthſ. in Gen. 27. dicens: *& veſtibus Eſau valde bonis induit eum, quia in lege naturæ primogeniti fuerunt Sacerdotes, habebantque veſtes pretioſas & odoriferas, quibus induebantur in magnis ſolemnitatibus, dum Sacrificia offerebant, & quando à patre ſuo benedictionem accipiebant finalem.* Quæ eadem ferè verba refert doctiſſimus Liranus in hunc locum: *uſque ad legem datam tempore Moyſis primogeniti erant Sacerdotes; & ideò habebant veſtes ſpeciales, pretioſas & odoriferas, quibus induti in magnis ſolemnitatibus offerebant oblationem Domino.* Voluit ergo S. Patriarcha nobis ſignificare, quod, cùm videmus veſtem quandam Sacerdotalem, non poſſimus rationabiliter aliquid mali ſuſpicari, eò quòd ipſe omnem fraudis depoſuerit ſuſpicionem, quando nimirum, ſenſit odorem veſtimentorum Eſau, qui erat fictùs Sacerdos; nec aſpicienda ſit perſona Sacerdotum, ſed veſtes, quibus induti ſunt, reſpicere oportet.

Num. 4. Lib. 1. Machab. cap. 7. legimus, Hebræum quendam honoris dignitatiſque auidum dolo & aſtutiâ procuraſſe ſibi ſummum Sacerdotium, & quia à ſuis non potuit obtinere illud, adijt regem Demetrium, à quo non duntaxat obtinuit, quod deſiderabat, verùm etiam copioſum militum exercitum ad inuadendos, & capiendos illos, qui ſuæ prætentioni ſeſe oppoſuerant. Intellexerunt id incolæ ciuitatis Ieruſalem, nimirum Alcimum (ſic enim vocabatur) venire tanquam electum Sacerdotem & innumerabilem ſecum ducere exercitum; anxij quapropter & timidi, ne ab illo trucidarentur, cogitarunt aditum ad vrbem ei præcludere, fortiterque reſiſtere; aſt priuſquam id exequerentur, cauſam illius aduentus exploraturi miſerunt ad eum legatos, & reſpondenti illi ſe venire, vt fungeretur officio ſuo Sacerdotis, crediderunt, permiſeruntque aditum in ciuitatem. Aſt vix intrauerat vrbem Alcimus, & interfecit ſexaginta viros præcipuos totius populi. Quicunque hoc audit narrari factum, non poteſt non demirari ſimplicitatem, ſimulque culpare imprudentiam, ſtoliditatem ac negligentiã illorum ciuium, qui, quia optimè cognouerant crudelitatem & peruerſitatem illius hominis ac peſſimum illius affectum, portas ciuitatis illi occludere ſeſeque defendere debebant. Verùm qui penitiùs examinat & conſiderat hunc Scripturæ locum, dignos excuſatione ipſos comperiet, & cauſum ipſimet adducunt: *dixerunt enim* (ait ſacer Textus) *homo Sacerdos de ſemine Aaron venit non decipiet nos,* loco citato verſic. 14. Quando intellexerunt ipſum venire, tanquam Sacerdotem, perſuadere ſibi nequiuerunt, in corde eius reſidere talem ac tantam fraudem, ac propterea ipſi permiſerunt aditum: vt mundus propter eminentiam ſacerdotalis dignitatis ſuſpiciat ac veneretur Sacerdotem veluti quendam Angelum, qui omnis fraudis, omniſque imperfectionis & defectus expers viueret, tametſi nonnunquam à malis & peruerſis Sacerdotibus decipiatur.

Sed quid mirum eſt N. quod Sacerdotes in maximo habentur honore ab hominibus mundi, cùm ipſemet Deus omni diligentiâ & curâ eorum occultare ſtuduerit defectus? ideoque in antiquâ lege pro ſingulis peccatis particularia etiam aſſignauit Sacrificia; nullum tamẽ aſſignare voluit pro peccato Sacerdotis; nolebat etenim, vt populus ſciret ipſius defectus; ita teſtatur doctiſſimus Oleaſter in caput Num. 15. *Non vult Dominus ſaculares cernere aut ſcire defectus Sacerdotum; ſed, quoad poteſt, abſcondere & occultare nititur.* Et occaſione conceptus huius maximam quandam enodare poſſumus difficultatem. Moritur ſanctus Dei ſeruus Moyſes in monte, & Deus Num. 5.

 diſpo-

disponit vt nullus hominum habeat notitiam loci illius, vbi sepultum est ipsius cadauer: *Nesciuit homo sepulchrum eius vsque in hodiernum diem.* Deut. cap. vit. vers. 6. Asserunt aliqui, id Deum fecisse, ne Hebræi commisissent quandam idololatriam adorando corpus Moysis, qui tot stupenda patrauerat prodigia; ast hoc non potest esse, & rationem illius assignat Abulensis in hunc locum quæst. 3. dicens: *Non ideò abscondit Moysis corpus, quia timeat illud adorandum esse ab Hebrais, qui nunqaum homines adorauerunt.* Quam igitur ob causam id fecit Deus? *ne ipsius culpa transeuntibus esset aperta*: ait hic Doctor. Patrauerat Moyses peccatum infidelitatis, eò quòd non credidit è petrâ potuisse produci aquam, & Deus in pœnam permisit eum mori, priuabitque ingressu in terram promissionis, quod est conforme dictis regij Prophetæ: *& vexatus est Moyses propter eos.* Psalm. 105. vers. 32. vbi ait doctissimus Genebrardus: *Prohibitus est spiritus Moysis ab ingressu terræ promissionis.* Itaque ne cogitarent peregrinantes & viatores, Moysen propter peccatum suum fuisse exclusum ab ingressu terræ promissionis, disposuit Deus, ne vllus sciret, vbi sepultum esset ipsius cadauer: *Nesciuit homo sepulchrum eius vsque in hodiernum diem*, ne quis nimirum, hoc modo ansam acciperet dicendi: ah miser Moyses ob infidelitatem suam non fuit dignus, vt ingrederetur terram promissionis; volo propterea, inquit Deus, ne vllus quicquam sciat de hoc peccato, nec vlla istius conspiciatur vmbra, nec vllum de illo fiat iudicium, nullusque viuentium recordetur peccati Sacerdotis mei Moysis: *Ne ipsius culpa transeuntibus esset aperta.*

Num. 6. Non absimilem casum habemus libro Num. cap. 12. peccauit Aaron & peccauit Maria, quia contra Moysen fratrem suum murmurarunt: *locuta est Maria & Aaron contra Moysen.* loco citato versic. 1. Ast Maria tali fuit multata pœnâ, vt propter contagiosum morbum, & propter fœtentem lepram nequiuerit vllo modo intrare tabernacula, & Aaron, tametsi æquè grauiter murmurasset, vix secretò reprehensus fuit, eò quòd erat Sacerdos, idque ideò, vt Deus conseruaret honorem & reputationem ipsius: *& ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix*, loco citato vers. 10. Ita testatur P. Theodoretus quæst. 23. in lib. Num. dicens: *Quare cùm ambo conuitiati essent, Soror sola pœnas luit? cur & non Aaron? quoniam leprosus secundum legem immundus esse videbatur, Aaron autem radix & origo erat Sacerdotum, propterea & Deus parem pœnam non inflixit, sed per terrorem terruit.* Idem ait S. Ioan. Chrysostom. hom. 3. in Epist. ad Colos.

Et Angelicus Doctor S. Thomas 1. 2. Num. 7. quæst. 10 1. distinct. 2. ad 3. asserit, quòd cùm Sacerdotes in antiqua lege iudicando nonnunquam deciperentur, censendo nimirum mundos illos, qui erant verè leprosi, Deus particulari miraculo supplebat illam deceptionem sanando videlicet leprosos, & hoc ideò, ne reputationem & existimationem, quam habebant apud populum, perderent: *contingebat quandoque*, inquit S. Thomas; *vt diuino miraculo per ritum legis lepra corporalis mundaretur, quando Sacerdos in iudicio decipiebatur.*

Imò mox dicam Deum talem Sacerdotibus deferre respectum, quamuis sint reprobi & scelerati, vt per os Dauid Prophetæ ipsos apellet sanctos: *congregate illi omnes sanctos eius.* Psalm. 49. versic. 5. S. Chrysostomus declarat hunc passum de Sacerdotibus reprobis vocatis ad iudicium, vt condemnentur iuxta sua demerita. Ast si sunt reprobi, cur ergo illos vocat sanctos? respondet D. Chrysostomus: *ob reuerentiam Sacerdotij.*

Verùm audite maiora. Tanti Deus æstimat Sacerdotes, vt proprio ore eos vocet Deos, dicens vnicuique hominum: *Dijs non detrahes.* Exod. 22. vers. 28. quem locum,

locum, dum exponit glossa, intelligit ad litteram de Sacerdotibus, & rationem illius reddit D. Gregorius lib. 4. Epistol. 75. scribens Maurito Imperatori in hunc modum: *Deum ipsum voluisse concedere suum nomen Sacerdotibus, tam veteris quàm noui testamenti, quia videlicet non est aliud nomen, quod magis congruat deificæ eorum dignitati.*

Perlegite Psalmum 108. & varias reperietis imprecationes malorum fulminatas à Christo Domino nostro contra sceleratum Iudam, vti opinantur Sanctus Augustinus & Theodoretus in hunc Psalm. Perfidum ei primò assignat comitem diabolum: *& diabolus stet à dextris eius*, loco citato versic. 6 Vult deinde, vt dies vitæ eius abbreuientur: *fiant dies eius pauci*, v. 8. Vt filij eius remaneant orphani & vxor eius vidua: *fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua*, vers. 9. Vult, vt euadat adeò pauper, vt omnia illius bona inuadantur & possideantur ab vsurarijs: *scrutetur fœnerator omnem substantiam eius*, versic. 11. Vult, vt in miseriarum prolapsus abyssum, nullum inueniat, qui cum inde eripiat: *non sit illi adiutor*, versic. 12. Vult, vt in conspectu ipsius occidantur ab inimico filij eius: *fiant nati eius in interitu*, versic. 13. aliasque quamplures in Iudam fulminauit imprecationes. Cùm deinde mentionem faceret illius Sacerdotij, num fortassis maledicit ei? nequaquam; sed solùm vult, vt in locum eius subuehatur & eligatur quidam alius: *& Episcopatum eius accipiat alter*, versic. 8. & Actorum 1. versic. 20. & ideò: *cecidit sors super Matthiam*, loco citato vers. 26. idque ob reuerentiam dignitatis Sacerdotalis.

Si deinde mentis nostræ oculos conuertamus ad nouum testamentum, magnum videbimus respectum, quem Christus benedictus semper exhibuit Sacerdotibus. Primò itaque adhuc infantulus recens natus vult, vt ab oriente veniant Magi visitatum & adoratum se natum in stabulo, ac oblatum sibi munera, aurum, thus & myrrham: vbi scimus quod prostrati in terrà regiâ depositâ coronâ osculati fuerint pedes eius, eumque veluti suum verum Deum creatorem & Redemptorem coluerint & venerati fuerint: *& procidentes adorauerunt eum*. Matth. 2. vers. 11. Et ex aliâ parte, cùm demoraretur in Ierusalem senex Simeon auidus videndi Filium Dei incarnatum, non eum internâ ad se vocat inspiratione, quando marobatur in stabulo; sed die illo, quo sanctissima Mater eius iuit in Jerusalem in templo eum cœlesti Patri suo ablatum, inspirauit huic seni, vt interesset isti cæremoniæ, & eidem se manifestauit magnâ cum ipsius lætitiâ & iubilo. Cur, ò Domine, adeò differenter agis cum Magis istis & Simeone? cur vis, vt illi veniant ab oriente visitatum te in stabulo tanto cum labore & expensis, & huic te manifestas in sacro templo Ierusalem, vbi ipse demorabatur? ecce rationem assignatam à doctissimo Lirano in capit. 2. Lucæ: illi erant reges & hic erat Sacerdos, & ideò illis misit quandam stellam accersentem & ducentem ipsos ad stabulum; & huic significauit Spiritus sanctus, vt in templo expectaret Saluatorem nostrum: *& venit in Spiritu in templum*. Lucæ secund. versic. vigesim. septim. Illi prostrati in terrâ adorarunt ipsum, obtuleruntque ei munera, hic brachijs amplexatus est ipsum & benedixit: *& ipse accepit eum in vlnas suas & benedixit Deum*. loc. cit. vers. viges. octau.

Audite nunc, quid fecerit ipse, quando conuersatus est cum hominibus. Matth. capit. 8. refertur, à Christo D. N. sanatum esse leprosum quendam, qui ipsum quàm humilimè exorauerat, vt se à leprâ dignaretur mundare, & postquam Saluator noster optatam ei præstitisset gratiam, misit illum subitò ad Sacerdotem dicens ei: *Vade, ostende te Sacerdoti*. loc. cit. vers. 4. S. Cyprianus interpretando

terpretando hunc passum ait id fecisse Redemptorem nostrum, vt doceret nos respectum & reuerentiam exhibendam Sacerdotibus: *Sacerdotem appellabat, quam sciebat esse Sacrilegum.* inquit hic S. Pater Epistol. 63. ad Rogatianum, Non promerebatur ille ullum honorem ob sua, quæ committebat, Sacrilegia, & Christus nihilominus non vult ipsum illo honore priuare, qui exterius illi debebatur. Et S. Augustinus serm. 85. in Ioan. ait, quod tametsi Sacerdos ob peccata sua incapacem se reddat honoris, non propterea perdit honorem & respectum ipsi debitum.

Num. 9. Pergamus ad actionem, quam Christus D. N. exercuit in fine vitæ suæ, & reperiemus eum in tot tantisque tormentis inflictis ei à perfidis Iudæis nunquam de vllo fuisse conquestum, nisi quando fuit ei data alapa in præsentiâ Caiphæ; vnde temerario & excommunicato illi ministro se percutienti dixit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene quid me cadis?* Ioan. 18. versic. 23. Te modò interrogo, ô Redemptor animæ meæ, quam ob causam dirissimè flagellis cæsus, spinis coronatus, cruci affixus, tormentis afflictus, plagisque vndique sauciatus, nec vllum dicis verbum, taces, non respondes: tamque mansuetum & patientem te ostendis, vt Propheta Isaias stupore repletus dixerit: *& quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperet os suum.* cap. 53. vers. 7. & de vnâ tibi inflictâ alapâ conquereris & lamentaris? Audite responsum ex D. Cypriano lib. 4. Epist. 9. & obstupescite. Impius & peruicax minister ille censuit Saluatorem nostrum culpabilem ab exiguum respectum exhibitum summo Sacerdoti; vnde in pœnam erroris istius inflixit ei aladam dicens: *sic respondes Pontifici?* Ioan. cap. cit. versic. 22. Redemptor noster, qui semper dignitatem sacerdotalem honore prosecutus fuerat, ne opinionem de se relinqueret, quod paucum exhibuisset respectum summo Sacerdoti tametsi impio & scelerato, ab hac se purgauit calumniâ dicens: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cadis?* ac si dixisset: ego bene locutus sum & cum respectu & reuerentiâ summo Sacerdoti debitâ, & quia nulla prorsus in me est irreuerentiæ culpa, nullam habes causam me percutiendi. Audite D. Cypriani verba sanè perpulchra: *Dominus in Euangelio, cùm ei dictum esset: sic respondes Pontifici? custodiens & docens Sacerdotalem honorem seruari, contra Pontificem nihil dixit, sed innocentiam suam tantummodò purgans, respondit: si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cadis?*

Meritò igitur plurimi Sancti ad exemplum Redemptoris sui omni tempore & occasione honorarunt Sacerdotes. Perlegite Acta Apostolorum cap. 23. ac stupendum & huic proposito conforme reperietis exemplum. Cùm die quodam Paulus Apostolus ductus esset ad Ananiam Sacerdotem, præcepit hic ministro cuidam, vt percuteret os Apostoli, quod & fecit; vnde Apostolus conuersus ad Ananiam dixit ei: *percutiet et Deus paries dealbate,* loco citato versic. 3. Quod cùm intellexissent concilij illius Senatores indignati contra Paulum dixerunt: *summum Sacerdotem Dei maledicis?* loco citato vers. 4. Audiens hoc Apostolus excusauit se, non se id sciuisse, ipsum esse Sacerdotem: *nesciebam fratres, quia princeps est Sacerdotum,* vers. 5. Vt hinc nobis innotesceret, ait S. Chrysost. homil. vlt. in Epist. ad Rom. quòd Sacerdos, tametsi sit impiæ & malæ vitæ, honorari debeat: *Monstrare volens, quantum oportet Sacerdotibus Dei honorem exhibere ac reuerentiam.* Idem insinuat S. Cyprianus lib. 2. Epist. 3. hisce verbis: *Beatus Apostolus, cùm ei dictum esset: summum sacerdotum Dei maledicis? nihil contumeliosè locutus est aduersus Sacerdotem, quando & potuerit se constanter exercere aduersus eos, qui Dominum crucifixissent,* Num. 10

cifixiſſent, & qui iam Deum & Chriſtum & templum & ſacerdotium perdidiſſent; ſed quamuis in falſis & ſpoliatis ſacerdotibus vmbram iam ipſam inanem ſacerdotalis nominis cogitants dixerit: neſciebam, fratres, quia Pontifex eſſet ſcriptum eſt enim: principem populi tui non maledices.

Num. 11. De ſancto Antonio Abbate ſcribit magnus Athanaſius diſcipulus eius, quòd, quamuis in ſummâ haberetur exiſtimatione & honore, vt etiam Imperatores per litteras ſe ei recommẽdarent, obedirent promptiſſimè feræ ſyluaticæ, & ipſi quoque dæmones ei ſeſe ſubmitterent; tantâ nihilominus proſecutus fuit veneratione ſtatum ſacerdotalem, vt, quotieſcumque obuium habebat quemcumque etiam ſacerdotem genua flexerit, neque è terrâ ſurrexerit, donec oſculatus fuiſſet ipſius manum, obtinuiſſetque ab eo benedictionem.

De ſanctâ Catharina Senenſe ſcribit Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3. part. tit. 23. cap. 14. quòd, quando videbat Sacerdotem quendam tranſeuntem, oſculabatur terram, quam ille pedibus calcauerat.

S. Bonauentura in vitâ S. Franciſe refert de eodem Sancto, quod ſummum ſacerdotibus deferebat reſpectum & honorem; vnde dicere ſolebat, quòd ſi in viâ haberet obuios ſibi Angelum quendam paradiſi & etiam Sacerdotem Dei, primò ſacerdoti & deinde Angelo exhiberet reuerentiam.

Et in hiſtoriâ S. Remigij legitur, quòd cùm ſanctiſſimũ Euchariſtiæ ſacramentum deferret ad quendam infirmum, factus ei obuius quidam diabolus profundâ humilitate ſe proſtrauerit in terram, idemque fecerit redeunte illo. Cauſam petijt ab eo S. Epiſcopus, cur, nimirum, eandẽ ſibi nunc exhiberet reuerentiam, quam antea quando deferebat ſacrum Angelorum panem? reſpondit, quia eſſet miniſter Dei, & vt talis omni eſſet dignus honore & reuerentiâ.

Verùm tacito non eſt prætereundum pede, quod refert Seuerus Sulpitius de S. Martino Epiſcopo Turonenſe cap. 33. qui cum vice quâdam inuitatus eſſet ad prandium à Maximo Occidentis Imperatore, conduxit ſecum Sacerdotem quendam comitem ſuum. Imperatore, S. Epiſcopo & Sacerdote illo cum cæteris magnatibus, qui ibidem præſentes erant, menſæ iam aſſidentibus & prandentibus, prodijt pincerna primò, vti moris eſt, præbens potum Maximo Imperatori, qui iuſſit eundem primò præſentari S. Epiſcopo maioris venerationis ergo, ambiens illum acceptare è manibus illius. S. Martinus eâ, quâ par eſt, humilitate acceptauit hunc honorem & vt bibit, porrexit ſcyphum non Imperatori, veluti expectabant omnes, ſed Sacerdoti ſuo, quem omnibus menſæ accumbentibus digniorem cenſebat. Et ob hunc actum non ſolùm non fuit offenſus Imperator, verùm cum cæteris omnibus approbauit iudicium ſancti illius Epiſcopi.

Magnus pariter fuit reſpectus, quem Conſtantinus Magnus exhibuit perſonis Eccleſiaſticis, de quo narrat Euſebius lib. 4. in vitâ eiuſdem Imperatoris, quòd in primo Concilio Nicæno erecto ſteterit corpore, quouſque omnes in eo præſentes Epiſcopi ſediſſent: *& tunc non aliàs ſedere ſuſtinuit, quàm Sacroſanctus Sacerdotum chorus annuiſſet*, & quod admiratione dignum eſt, iuſſit ſibi adferri ſedem cæteris minorem, in qua magnâ cum ſui laude ſedens ſapientes auſcultauit Patrum illorum deciſiones & ſermones. Num. 12.

Quòd ſi ergo Deus, eiuſque Sancti, imò ipſi etiam dæmones, ac omnis generis perſonæ, Imperatores, Reges & mundi huius Monarchæ tantum Sacerdotibus exhibuerunt honorem & reuerentiam, quâ igitur non erit dignus pœnâ & vituperio Chriſtianus ille, qui non defert honorem & reſpectum Sacerdotibus debitum? Ah ô corrupta ſæcula! ſiquidem homines mundani non reue-

tentur illos, nec debita eis exhibent obſequia; ſed audent illos peruicaciter diffamare, vituperare & ſpernere, idque in præſentiâ omnium. Quot enormia delicta, quot horrendæ culpæ, quot ſcelera abominanda committuntur à ſæcularibus, & ipſi tamen peiores diabolis neque minimum Sacerdotum defectum & errorem tegere & celare cupiunt.

De Conſtantino Imperatore referunt Euſebius, Nicephorus, Theodoretus & S. Antoninus Florentinus, quod in tanto habuerit pretio Sacerdotum honorem, vt in confuſionem illorum, qui eos deſpiciunt & vilipendunt, dixerit hæc verba: *Si propriis oculis vidiſſem Sacerdotem peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.*

Num.13. Præterea, ſeculares debere ædificari ex bonis Sacerdotum operibus, & non quemcunque diſcutere defectum, quem ex fragilitate committunt. lib. Danielis cap. 2. legitur, quòd Nabuchodonoſor viderit in ſomnis ſtatuam caput habentem aureum, pectus argenteum, crura & tibias ferreas, pedeſque luteos, interea: *Abſciſſus eſt lapis, de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos* loc. cit verſ. 34. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in fauillam.* verſ. 35. Mirum ſanè prodigium N. quòd lapis quidam comminuerit debiliorem partem ſtatuæ. O proportionatum & appoſitum ſymbolum illius, de quo eſt Sermo! Reperiuntur hodierna luce in mundo homines adeò peruerſi, qui plurima in Sacerdotibus deprehendunt laude digna, quæ ſunt quaſi aurum & argentum, & quia homines ſunt & non Angeli, ita ſe gerere nequeunt, quin contrahant aliquam imperfectionem & defectum. Sed quid? iacit maledicus ille lapidem ſuæ effrænis & mordacis linguæ, & in quam partem? non in aurum ſeu virtutes illius Sacerdotis, non in argentum laudum eius, ſed in lutum aliquarum imperfectionum & defectuum, quos fortè admiſit ex fragilitate. Ita dicit S. Baſilius hom. de Inuid. *Vitæ ſplendorem, rectèque factorum magnitudinem nec aſpiciunt quidem; ad marcida verò mirum in modum feruntur.* Num.14.

Et hoc innuere voluerunt antiqui Ægyptij, teſte Pierio l. 3. Hierog. verbo *Sacerdos*, quando depingebant Sacerdotes ſuos cum vno horologio in manu dextrâ, & in ſiniſtrâ cum ſole quodam, qui patiebatur Eclypſin, & hoc ei apponebant Symbolum: *non niſi cùm deficit, ſpectatorem habet.* idque nos indies cernimus. Toto anni decurſu illuminat nos Sol, fœcundat terram, maturos efficit fructus, producit aurum, argentum in viſceribus terræ, alioſque innumeros in noſtrum fauorem progenerat effectus; nullus tamen reperitur hominum, qui horum recordetur beneficiorum, aut mentis ſuſtollat oculos ad conſideranda illa. Accidit deinde interdum, quòd Sol patiatur Eclypſin, nec ſplendentib. ſuis radijs illuminet hunc aërem: & ecce omnes intuentur ſolem Eclypticum, omnes de eo muſſitant, loquuntur & murmurant. Mirum ſanè, & quam ob cauſā, quando Sol clarâ & reſplendente ſuâ vos illuminat luce, non aſpicitis illum, veluti facitis modò? ah figura hæc eſt Sacerdotis per ſolem repræſētati, qui, *non niſi cùm deficit, ſpectatorem habet.* Is quidem toto vitæ ſuæ decurſu refulget bonæ vitæ ſanctorumque morum ſplendore & nullus tamen eum intuetur neque imitatur; aſt ſi vnâ duntaxat vice aliquo ſaltem obſcuratur defectu, omnes quamprimum in ipſum conijciunt oculos veluti cenſores ipſum obſeruantes & iudicantes, nec conſiderant, quòd ſit homo fragilis veluti alij, volat per omnium ora tanquam Sol Eclypticus. Num.15.

Idem prorſus ſignificare mihi videtur ſymbolum illud horologij, quod dextrâ

tenebat manu. Et ad hoc propositum obseruo locum illum Isaiæ Prophetæ dicentis: *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum!* cap. 52. vers. 7. Quem locum Septuaginta transferunt: *sicut horologium super montes.* Et quid indicat ho-
Num.14 rologium super montes? Sacerdotem videlicet, qui est tanquam horologium collocatum in quodam monte, vt regulet & dirigat suo motu reliquos omnes motus, mores & vitam populi. Quod si horologium vnâ solùm vice non moueatur, sed subsistat, vel sex ab eo audiantur dari signa ceu ictus, cùm danda sint septem, totus confestim populus obstupescit desuper, & murmurat de horologio, & de illo qui confecit, & de eo, qui dirigit illud. Et si à me petatis causam, cur tanta habeatur ratio & cura soni illius campanæ? Respondeo, aliam istius non posse assignari causam, nisi quia est campana horologij posita tanquam signum & regula omnium aliorum motuum, & propterea cuncti admirantur & obstupescunt, si semel deficiat. Ad eundem planè modum considerate Sacerdotes in sublimi Sacerdotalis dignitatis gradu positos tanquam horologia montium: *sicut horologium super montes.* Quapropter summè necessarium est, vt ordinatè & regulariter moueantur, curam diligentem habeant, vt ordinatos dent ictus & signa, bene loquantur, melius conuersentur & optimè viuant: quia eorum mores obseruantur, notantur & censentur ab omnibus. Et tamen mundani & sæculares scire deberent, Deum præcepisse: *Diis non detrahes* loc. sup. cit. ita faciunt homines piæ, sanctæ & timoratæ vitæ sequentes consilium Spiritus sancti: *in totâ animâ tuâ time Deum, & Sacerdotes illius sanctifica.* Ecclesiast. 7. vers. 31.

Num.15 Et quidem iustissimâ ex causâ Sacerdos nouæ legis honorandus est ab omnibus; siquidem supra vires & ordinem naturæ ipse quinque duntaxat verbis vnit & coniungit suprema infimis, cœlum terræ, inuisibilia visibilibus. Ita loquitur S. Gregorius cit. à gl. in cap. *si sanguis*, dist. 2. *Ad Sacerdotis vocem cœli aperiuntur, in eius mysterio Angelorum chori adsunt, summis ima sociantur, cœlestibus terrena iunguntur, vnumque visibilia & inuisibilia fiunt.* Et propterea ait S. Augustinus in Psalm. 37. *Super hoc tam insigni priuilegio stupet cœlum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, venerantur Angelorum ciues.* Et subiungit deinde stupendam quandam exclamationem, & dicit: *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in vtero virginis filius Dei incarnatur, & vno eodemque momento idem Deus, qui præsidet in cœlis, inter manus est Sacerdotis in sacramento altaris!*

S. Ambrosius lib. 3. de Sacerdotio di- Num.16.
cit dignitatem sacerdotalem posse etiam cognosci ex eo, quòd omnis generis personæ, comprehensis etiam Imperatoribus & regibus (si assequi velint regnum cœlorum) necessariò genua curuent ante Sacerdotes: *regum colla*, inquit ille, *atque principum submittuntur genibus Sacerdotum, osculantes eorum dexteram.* Deus namque claues paradisi denegauit Angelis, tradiditque manibus Sacerdotum: *cuinam Angelorum* (dicit S. Ambrosius) *dixit Deus: tibi dabo claves regni cœlorum?* Matth. 16. vers. 19 Et quamuis vice quadam Angelus instruxerit Cornelium Centurionem, potestatem attamen non habuit conferendi ei Sacramentum Baptismi, sed misit ad eum S. Apostolum Petrum, vti legitur in Actis Apostolor. capite decimo.

Quod si igitur tanta & tam magna est potestas Sacerdotalis, meritò exclamat S. Bernardus serm. 1. in cœna Domini, & dicit: *O præclara & veneranda Sacerdotis potestas, cui nihil in cœlo, nihil in terrâ valeat comparari.* Quia, vt iam dictum est, Angeli non vtuntur neque vti pos-

sunt clauibus paradisi. Non inuenitur in terris (dicit S. Augustinus cit. â gl. in capit. *quod si sanguis.*) potestas maior nec similis ei, siquidem hic omnis creatura operatur secundum regulas assignatas à naturâ, quas sine particulari priuilegio Dei authoris naturæ transilire nequit; ast Sacerdos potestate suâ transcendit vires naturæ, ordinem transgreditur ab eâ præfixum, quia solâ voce aperit cœlum.

Tam magna est potestas Sacerdotis, tam eminens est dignitas eius, vt aliqui dixerint eam esse maiorem dignitate Mariæ Virginis quantùm ad ministerium Sacramenti, & vt hanc sententiam aliquâ stabiliamus authoritate, producam in medium verba, quæ scribit Gabriel lect. 4. super Canon, *hæc* (loquitur de Reginâ cœlorum) *etsi in gratiæ plenitudine creaturas super gradiatur vniuersas; Hierarchis tamen cedit Ecclesiæ in commissi ministerij executione.* q. d. Quamuis ipsa fuerit omni gratiâ plenissima, omniumque virtutum pelagus profundissimum, & consequenter ditissimus diuinorum donorum & fauorum thesaurus ac promptuarium plenissimum omnium priuilegiorum, quæ concessa fuerunt aut concedentur cuicunque creaturæ; nihilominus non legitur, ipsam, quamdiu vixit in hac vitâ mortali, contulisse alicui Sacramentum, aut exercuisse officium Sacerdotis; imò potiùs legitur Beatissimam matrem Dei reuerenter recepisse corpus dilectissimi filij sub speciebus in actu communionis per manum Sacerdotis sui S. Euangelistæ.

Quòd si igitur tam magna & admirabilis est potestas & dignitas Sacerdotis Euangelici, mirum non est quod S. Augustinus in Psalm. 37. exclamet & dicat: *O venerabilis sanctitudo manuum! O felix exercitium! qui creauit me (si fas est dicere) dedit mihi creare se, & qui creauit me sine me, ipse creatus mediante me,*

Num. 18. Non possem maiori cum verborum efficaciâ reuerentiam, honorem & obedientiam, quam populus debet Sacerdoti, exprimere, quàm dicere, ipsummet Deum totum illum sibi ascribere honorem, qui exhibebitur ministro suo; cùm enim de hoc eodem proposito loqueretur Sacerdotibus, dicit: *qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. vers. 16. In quem locum S. Ioann. Chrysostomus homil. 2. in Epistol. 2. ad Timoth. discurrit hoc modo: *An ignoras, quid sit Sacerdos? Angelus vtique Domini est, si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinauit, dicente Domino: qui vos spernit, me spernit.*

Vnde si interdum reperiantur aliqui Sacerdotes scandalosi & malæ vitæ, nihilominus honorandi sunt, cùm, quoad officium, repræsentent personam Dei Ita dicit Abbas Paschasius in cap. 4. Ierem. *Quamuis mali sint Sacerdotes, non sunt contemnendi, sed in eis venerandus est ille & colendus, cuius sunt Sacerdotes, & cuius nomine ac personâ veniunt.* Vnde sanctus Franciscus (vti refertur ex speculo Exempl. dist. 9. Exempl. 191.) vt confunderet aliquos scandalizatos de vitâ inhonestâ cuiusdam Sacerdotis concubinarij flexis genibus ante eundem Ecclesiasticum reliquis omnibus astantibus reuerenter osculatus est illius manus, & meritò profectò hic sanctus à Deo illuminatus hanc laudabilem exercuit actionem; etenim Deus vult illos honorari tametsi peruersos & sceleratos: *Sacerdotes* (inquit Theophylactus in Ioan. ca. 20.) *honorandi sunt vt Deus, & quamuis indigni sint, quid hoc? diuinorum donorum ministri sunt, & gratiam operatur per ipsos; non enim indignitas nostra gratiam prohibet.* Sufficit ergo scire, quemcunque Sacerdotem dignum esse honore, tametsi existeret iniquæ & impiæ vitæ.

Prætermittere tamen nequeo, quin vobis significem, ô reuerendi Sacerdotes, quòd, quia vita nostra debet esse purissima & veluti Angelica, vbi in varia Num. 19.

incidi-

incidimus vitia, meritò à mundo reprehendamur: *necesse est* (ait S. Chrysostomus hom. de dignit. Sacerdotis) *Sacerdotem sic esse purum, ac si in cœlis ipsis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret.* Et propterea S. Franciscus, vt refert D. Bonauent. in vitâ illius, rogatus à multis iam ordinatus in Diaconum, vt susciperet quoque ordinem Sacerdotij: cùm hac super re plurimùm deliberaret, Deoque sese commendaret, Angelum habuit sibi obuium tenentem manu vitrum quoddam plenum liquore admodum resplendente claro & limpido, qui dixit ei: Francisce, instar liquoris huius clara & resplendens debet esse anima Sacerdotis; eratque tantus liquoris huius splendor, vt sancto Francisco, quanquam esset sanctissimæ vitæ, facienti comparationem nitoris animæ suæ cum illo splendore, visum fuerit, non se habere sufficientem dispositionem ad suscipiendum gradum Sacerdotij, nec vnquam ausus fuit illum suscipere.

Num. 19. Inquirit S. Ioan. Chrysostomus lib. 3. de Sacerd. vnde proueniat, quòd in mũdo homines demirẽtur imperfectiones vnius Sacerdotis quantumcumque minimas, quilibet eum notet, obseruet, ipsiusque agat censorem. Et respondet, quia quilibet eum respicit non tanquam hominem fragilem, sed veluti Angelum humanarum expertũ imperfectionum: *Sacerdoti omnes iudices esse volunt, vt carne nequaquam composito, vt humanam naturam non sortito; verùm vt Angelo & humanæ infirmitatis nequaquam participi.* Ex vnâ parte homines mundani, dum non compatiuntur humanis Sacerdotum defectibus, reprehendendi sunt, & in magno existunt errore, eò quòd considerare deberent, ipsos esse homines compositos ex carne, veluti sunt alij homines vitæ huius, in quâ quis viuere nequit sine aliquo defectu aut imperfectione. Ex aliâ verò parte iustam habent causam nec aberrant, quia cùm Sacerdos (ita id exigente dignitate illâ) sit veluti quidam Angelus, vitam ducere debet puram & ab omni defectu liberam.

Num. 20. Hinc notauit Philo Hebræus lib. 2. de Monar. Deum prohibuisse, vt vestis Sacerdotis conficeretur ex lanâ: *hæc autem erunt vestimenta quæ facient, rationale & super humerale, tunicam & lineam strictam.* Exod. 28. versic. 4. Sed cur voluit Deus, vt vestis illa esset confecta ex lino & non ex lanâ *quia lineæ* (ait citat. Philo) *non conficiuntur è mortali materiâ, sicut vestes laneæ.* Vestis linea gaudet hoc priuilegio, quòd ei non noceat cossus seu tinea, veluti ab eâdem corroditur lanea. Dum ergo præcipit Deus vestem Sacerdotalem confici ex lino & non ex lana, significare voluit, conscientiam Sacerdotis adeò puram & mundam debere esse, vt nunquam imperfectionis alicuius tineam aut peccati corruptionem generare debeat.

Et Sanctus Ambrosius acutè ponderat, quod referentibus sacris Euangelistis vestimentorum materiam & formam, quibus tempore passionis Saluator noster indutus fuit, S. Lucas faciat solùm mentionem vestis albæ, quâ eum vestiri præcepit Herodes, S. Matthæus coccineæ, & S. Ioannes purpureæ: *in Matthæo* (dicit S. Ambrosius in cap. 23. Lucæ) *inuenies solam chlamydem coccineam, penes Ioannem vestem purpuream tantùm, penes Lucam vestem albam.* Sed quod hîc latet mysterium? exponit illud S. Ambrosius & dicit: *Lucas nitorem sibi Sacerdotalis vestis elegit.* S. Lucas considerat Christum tanquam Sacerdotem, & ideò solùm facit mentionem vestis albæ; vt nobis insinuaret, Sacerdotem debere esse candidum purum & immaculatum.

Idem S. Ambrosius lib. de Viduis pulcherrimum & congruum admodum nostro proposito notauit conceptum. Legitur Matth. cap. 8. quòd cuidam leproso

accedenti ad Christum & pristinam ab eo petenti sanitatem respondetit Saluator noster: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis*, loco citato vers. 4. Idem fuit dictum decem alijs leprosis petentibus sanitatem *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Luc. 17. versic. 14. Et dicit Sacra Scriptura, quòd hi leprosi, *dum irent, mundati sunt*, loco citato. Subintrat modò Diuus Ambrosius, & ait: si hi leprosi, priusquam accederent Sacerdotes, mundati & curati sunt, cur mittuntur ad illos recuperandæ sanitatis ergo? & respondet S. Doctor: *Ideò curantur euntes, ne immundi se Sacerdotibus offerrent*. Quod si igitur ille, qui solum præsentandus est Sacerdoti, mundus esse debet, qualem ergo puritatem, nitorem & munditiem conscientiæ debet habere ipsemet Sacerdos? *Vide, Sacerdos* (inquit Sanctus Ambrosius) *si mundos eos, qui ante fuerunt leprosi, Christus iubet occurrere Sacerdotibus, quantò magis ipsum conuenit esse Sacerdotem?* Tandem concludit cum S. Hieronymo Epistol 58. *Clamat vestis clericalis animi honestatem, clamat status puritatem, clamat cultus castitatem, clamat professio religionem, clamat officium deuotionem, clamat studium contemplationem*. Itaque secundum Diuū Hieronymum Sacerdos idem est, quod sanctitatis quidam cumulus; etenim loquendo debet ædificare proximum, ambulando debet esse Magister grauitatis, esus & potus eius omnibus debet inclamare sobrietatem, vestitus illius deberet esse continua memoria primæuæ simplicitatis Apostolicæ, &, quemadmodum inquit S. Theodoretus in Leuit. *Sacerdotis vita temperantiæ typus esse debet.*

Seruus Dei.

DISCVRSVS LXVI.

De prærogatiuis, excellentiâ & potentiâ seruorum Dei.

Num. 1. Os semper fuit & consuetudo Regum & Monarcharum mundi, vt literis, decretis & publicis patentibus subscribāt maximum suum, quo gaudent, titulum: ita videbitis regem Hispaniæ se subscribere in hunc modum: *Yo el Rey*, idem facit rex Franciæ, & sic de alijs. Sciretisne modò dicere mihi N. quos vsurpent titulos potentissimi serui Dei in decretis suis? dicat id suprema illa authoritas, sublimis illa dignitas, potentatus omnium potentatuum totius mundi, dicat authoritas illa pontificia. Dicat id hodie Vrbanus octauus Pontifex maximus, quonam vtatur titulo? nimirum, hoc: *Vrbanus Episcopus, seruus seruorum Dei*. O magnificum & excellentem titulum! ô magnum & præclarum encomium!

De hoc titulo à primitiuâ vsque Ecclesiâ gloriabantur sancti Apostoli, & propterea Sanctus Iacobus Apostolus Epistolam suam Canonicam incipit: *Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus*. Inquirit Didymus Alexandrinus in B.B. V.V.P.P. tom. 9. in Epist. Iacob 1. quâ de causâ Apostoli se vocauerint seruos Dei? & acutè respondet: *Sicuti mortalem gloriam homines appetentes in suis conscriptionibus dignitates, quas putantur habere, proponunt: ita sancti viri in Epistolis, quas scribunt ad Ecclesias, principaliter proferunt seruos se esse Domini nostri Iesu Christi, æstimantes*

mantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere.

Num. 2. Et hanc ob causam Paulus Apostolus scribens Romanis voluit se nuncupare seruum Iesu Christi: *Paulus seruus Iesu Christi.* Poterat is rationabili ex causâ se appellare Apostolum Christi, Doctorem & Magistrum gentium, tubam Spiritus sancti; hos tamen titulos seponens & flocci pendens, seruum Dei: se nuncupauit, dicens: *Paulus seruus Iesu Christi*, ad Rom. cap. 1. vers. 1. Peroptimè nouerat, quantum hic sibi conduceret titulus, quantumque reliquos omnes antecelleret, & ideo de hoc solo gloriabatur: *Audistis* (inquit doctissimus Oleaster in capite. 42. Isai.) *quoniam Diuus Paulus hanc fecerit seruitutem, qui illius Epistolæ, quam ad Romanos dedit initio se seruum Iesu Christi quadam, vt ita dicam, inflatione vocauerit.* Sciebat sanctus Apostolus, per omnes illas gratias, fauores, dona & honores sibi à Deo concessos non se posse sublimari ad illum dignitatis gradum, ad quem euectus fuit per seruitutem Christi.

Hinc serenissimus rex Dauid considerando multitudinem beneficiorum, quæ à Deo receperat, cogitabat quomodo dignas ei posset referre grates, quare dicebat: *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Psalm. 115. versic. 12. & respondens sibi ipsi subiungit deinde: *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius*, loco citato versic. 14. Volo, ait Dauid, litteras quasdam facere authenticas coram omni populo, eique monstrare, quâ ei deuinciar obligatione; ast quonam, ô serenissime princeps, vis vti titulo? *ego seruus tuus*, loco citato vers. 16 ô insignem & præclarum titulum! ac si diceret: pluris æstimo hoc nomen & titulum hunc serui Dei, quam totum regnum & dignitatem regiam. Ita expendit hunc locum S. Irenæus, cùm dicit: *bene gloriaris rex Israël in seruitute Dei, quâ maior nulla dignitas inueniri potest.* Nec minus verè quàm eleganter dixit Philo Hebræus lib. de Cherub. *Seruire Deo maxima est gloriatio, non modò dignitate maior, sed & diuitiis & principatu & omnibus rebus, quas mortales miramur, pretiosior.*

Paulus Apostolus in Epist. primâ ad Hebr. cap. 11. Seruorum Dei assignans excellentiam, hæc scribit verba; *quibus dignus non erat mundus.* loc. cit. vers. 38. Quem locum explanans D. Basilius dicit: *pro quibus dignitas non erat in mundo*, quia in comparatione illorum omnes res mundanæ nihil sunt. Optime quoque philosophatur & commentatur S. Ioann. Chrysost. in hunc locum Apostoli, dicitque, si in vnâ bilance poneretur pretium seruorum Dei, & in alia totus mundus cum omnibus suis vanitatibus, pompis & voluptatibus, longè præponderaret illud: audite nunc verba S. Doctoris: *si enim ex parte vnâ seruos Dei, ex aliâ verò totum mundum comparem, illos inuenio virtutis pondere meliores.*

Sed quid mirum N. seruos Dei in tantâ esse existimatione; siquidem ipsemet totius vniuersi Dominus tanti eos æstimat, vt omnia faciat in fauorem ipsorum. Num. 3. Ita eleganter testatur regius Propheta Psalm. centesimo quadragesimo quarto dicens: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* versic. decimo nono. Vnde Sanctus Augustinus in hunc locũ hac super re obstupescens dicit: *quis magnitudini timentium Deum æqualem se audebit dicere, qui paratum habent Deum voluntati eorum?*

Hinc magna cum confidentiâ noua patrant miracula, prodigiosa signa & portenta. Præcipit Iosue Soli cap. 10. vt à cursu suo desistat: *Sol contra Gabaon ne mouearis.* loc. cit vers. 12. & Deus paret: *Obediente Deo voci hominis. & stetit Sol in medio cœli & non festinauit occumbere.* loc. cit. vers. 13.

Iubet Isaias, fusis ab Ezechiâ precibus, vt Sol reuertatur decem gradibus, & illicò id factum est: *& reducit umbram*

per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus. 4. Regum cap. 20. vers. 11.

Vult Elias, vt reuertatur anima pueri mulieris Sareptanæ, & ocyssimè id adimpletum est: *reuersa est anima pueri intra eum & reuixit*, 3. Regum capite 17. versic. 22.

Idem præcipit, vt claudatur cœlum, & ne quidem vna pluat guttula aquæ, & sic factum est: *Viuit Dominus Deus Israël in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia nisi iuxta oris mei verba*, loc. cit. v. 1.

Mandat de nouo, vt ignis descendat è cœlo, & absumat quinquaginta illos milites missos ad eum ab Ochozià rege, & Deus subitò exaudiuit illum: *Descendit itaque ignis de cœlo & deuorauit eum & quinquaginta, qui erant cum eo.* 3 Regum 18. vers. 45.

Præcipit tandem, vt pallio suo diuidantur aquæ fluminis Iordanis, quò possit cum discipulo suo Eliseo transire, & statim illæ diuisæ fuerunt: *tulit Elias pallium suum & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum*, 4. Regum 2. vers. 8.

Vult Eliseus, vt aquæ amaræ Iericho dulcorentur pauxillò salis, & sine morâ dulcoratæ sunt aquæ; *Sanatæ sunt ergo aquæ vsque in diem hanc*, 4. Regum. 2. vers. 22. vt pallio Eliæ diuidat aquas Iordanis, & quamprimum id executioni mandatum fuit: *Percussitque aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & transijt Eliseus*, 4. Reg. 2. vers. 14. Vt oleum multiplicetur in vasis pauperculæ viduæ, & confestim vasa repleta fuerunt: *cumq; plena fuissent vasa*, 4. Regum 4. versic. 6. Vt ferrum securis quod ceciderat in aquam, natet supra aquas: *Natauitq; ferrum*, 4. Regum cap. 6. vers. 6.

Quid plura? præcipit Moyses, vt mare exiccetur, quò & ipse & populus Israeliticus sicco pede transire possint, & subitò id contigit: *& ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris.* Exod. 14. versic. 25. Vt aquæ denuò congregentur, mare intumescat, submergatque Pharaonem cum suo exercitu, & totum id adimpletum est; *reuersaq; sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis*, loco citato vers. 28. vt è petrâ, quam percusserat virgâ, fluant aquæ in abundantiâ, & ita factum est: *percussit petram fluxerunt aquæ.* Psalm. 77. vers. 20. Vero igitur verius est N. quod *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Vnde videmus, quòd expellunt dæmones, mundant leprosos, resuscitant mortuos, visum restituunt cæcis, auditum surdis, loquelam mutis, multiplicant panem, satiant turbas, gressum dant claudis, domant feras, ambulant super mare & flumina, cursum inhibent fluuijs. O excellentiam! ô potentiam seruorum Dei! Bene igitur & meritò dicit D. Augustinus: *quis magnitudini timentium Deum æqualem se audebit dicere qui paratum habent Deum voluntati eorum?* q. d. Quis Regum aut Magnatum mũdi huius tam temerarius & præsumptuosus erit, vt se seruis & famulis Dei æquiparare velit, qui quod volunt & mandant à Deo obtinent.

Hanc potentiam, quâ dotati sunt iusti, Num. 4. cognouerunt etiam gentiles solo ducti naturæ lumine, Hippocrates scribens ad Abdericum dixit ei: *Beati profectò populi sunt, qui sciunt bonos viros sua esse munimenta, & non turres nec muros*, Ciuitatum aut castellorum videlicet. Hoc idem planè innuit Propheta regius dicens: *Circumdate Sion & complectimini eam, narrate in curribus eius*, Psal. 47. vers. 13. *Ponite corda vestra in virtute eius* loco cit. v. 14. De quo in hoc loco Propheta loquatur, expendit S. Ioan. Chrysostomus serm. de 12. Apost. ita enim sermocinatur: *Petrum & Paulum Dominus alloquitur: circumdate nouam hanc Sion, id est, Romam, & complectimini eam, hoc est, custodite, tuemini, precibus munite, vt quando irascar in tempore,*

pore, aspiciens vestrum sepulchrum, iram superet vestra deprecatio, quâ illa nititur, ligationemque suscipiam. Quod si igitur Deus beneficio istorum aridorum ossium remittit pœnam cuidam ciuitati, quid non faciet amore seruorum suorum adhuc viuentium.

Num.5. Genes.cap.18.in probationem veritatis huius stupendum legitur exemplum & factum.Indignatus Deus & puniturus infames illas ciuitates Sodomæ & Gomorrhæ vocauit ad se seruum suum Abraham dixitque ei: scelera ciuitatum Sodomæ & Gomorrhæ nequeo amplius sufferre, peccatum istorum incolarum ascendit in cœlum vsque, & clamat vindictam: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis*, loco citato vers.20. vnde cogitur iustitia mea ad seueriffimè illos castigandos. Heus Domine, aiebat Abraham, *nunquid perdes iustum cum impio*, loco citato vers.24. Ergóne etiam pœnâ & supplicio affliges iustos? obseruabísne etiam iniustam illam iniustissimi regis sententiam: *Purche il reo non si salui, il Giusto pera*: modò non saluetur reus, pereat iustus. Ah, ô Domine, siste, quæso, & quomodo tot tantasque audes deperdere ciuitates, vbi fortassis adhuc quinquaginta reperientur homines iusti? an non horum beneficio remittes offensam iniustis & malis? *Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?* loco citato versic.24. Verum dicis, ô Abraham, inquit Deus, quotiescumque agitur de iustis, cogor deponere omnem iram & indignationem, illi me flectunt ad misericordiam & concedendam gratiam. Vade ergo, & si in quinque istis ciuitatibus mihi rebellibus repereris quinquaginta iustos, omnibus remittam pœnam: *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos*, loco citato vers.26. Domine, replicabat Abraham, vt verum fatear, quinquaginta nimis multi sunt, adeoque tot difficulter reperientur; ast si fortassis reperirem quadraginta, an non sufficerent? omninò, sufficiunt, inquit Deus, *non percutiam propter quadraginta*, loco citato vers.29. Domine, subiunxit Abraham, penitiùs rem consideraui, quadraginta adhuc nimij sunt, si solum triginta inuenti fuerint, quid facies? *non faciam si inuenero ibi triginta*, versic.30. Sed si solùm reperirentur viginti? *non interficiam propter viginti*, versic.31. *Obsecro*, subiunxit Abraham, *ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel*, versic.32. Loquere, inquit Deus, quid adhuc optares? *quid si inuenti fuerint ibi decem?* perderésne populum istum cum decem illis iustis? *non delebo propter decem*, versic. 33. Petisne à me aliud? cunctis indulgebo, si ex quinque illis ciuitatibus adduxeris mihi quinque. Ecce N. ad quid reducitur hoc negotium, ad decem, nimirum, iustos, ad duos pro qualibet ciuitate, & tamen vnaquæque ciuitas numeroso abundabat populo. Sed quid? non vltrà processit Abraham, sed ori suo imposuit silentium, & Deus executus fuit statutam pœnam, vnde Sanctus Ambrosius lib.2. de Abraham cap.6. prorupit in hæc verba: *Discimus ex hoc loco, quantus murus sit patriæ vir iustus; illorum etenim nos fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit: Sodoma quoque si habuisset viros decem iustos, potuit non perire.* Et plures Doctores opinantur, quòd si Abraham dixisset: volo, Domine, vt cuilibet ciuitati sufficiat vnus iustus, cùm Loth reperiatur in Sodomâ, imò solus Abraham sufficiens fuisset pro omnibus. O excellentiam & potentiam seruorum Dei!

Hinc refert Patriarcha Paludanus in Genes. cap. 38. quòd cùm vice quâdam Num.6. hæc historia narraretur in præsentiâ Ludouici regis Franciæ, subiunxit hic: non est ergo, quod sibi timeat ciuitas Parisiensis, quia non est porta aliqua vel platea,

platea, vbi non sint religiosi & serui Dei.

Num.6. In confirmationem iam dictorum alium ex eodem lib. Gen. cap. 19. producam Scripturæ locum. Duo & iussu & ordinatione diuinâ proficiscebantur Angeli ad deperdendas nefandas illas ciuitates Sodomæ & Gomorrhæ: *veneruntque duo Angeli Sodomam.* loc. cit. vers. 1. Doctissimus Lippomannus explicans hunc locum quærit, quam ob causam venerint duo Angeli? an non vnus solus sufficiebat? an non vnus duntaxat Angelus totum potest destruere mundum? sic est, N. nihilominus dicit cit. author, vnum Angelum venisse ad deuastandas quinque illas vrbes, & alium ad eripiendum Loth ex incendio: *duo Angeli Sodomam accesserunt, alter quidem, vt eam vrbem euerteret, alter vt liberaret Loth.* Venerunt igitur Angeli in ciuitatem ad Loth, dixeruntque ei: tu abs dubio habes filias & consanguineos, indica eis, vt ocyssimè se expediant, & abhinc discedant: *delebimus enim locum istum.* loc. cit. vers. 13. Hîc subintrat difficultas; si vnus solus Angelus iuit destructum Sodomam & alius protectum Loth, quomodo ergo dicunt, *delebimus* cùm potiùs dicendum erat ab vno solo eorum: *delebo.* Ecce mysterium N. rationabiliter dixerunt Angeli sancti: *delebimus locum istum*; vt hinc intelligeremus, quòd vnus eorum destruebat Sodomam igne & sulphure, & alter euertebat eandem auferendo ab illâ sanctum Loth; etenim maior non potest infligi pœna alicui ciuitati, quàm priuare illam societate & conuersatione alicuius iusti; nam si Loth mansisset Sodomæ, non fuisset absumpta & destructa ciuitas illa. Ita dixerat Angelus: *Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* vers. 22. Imò Deus ob preces Serui sui non absumsit Segor, quæ erat parua quædam vrbs vicina Sodomæ, sed, vt ibi suum haberet refugium & habitationem suam cum vxore, filiabus & cognatis suis: *est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere.* loc. cit. versic. 20. Annuit Deus petitioni eius, & promisit illi conseruare locum sui refugij ab incendio: *in hoc suscepi preces tuas, ut non subuertam vrbem, pro qua locutus es.* versic. 21. O potentiam iusti! ô dignitatem, & priuilegium Serui Dei!

Verùm præclariores auscultate prærogatiuas Seruorem Dei: sola eorum vmbra sufficientissima est protegere & defendere mundum. In probationem veritatis huius non recedamus ab hoc facto Loth, quod hucusque examinauimus. Num.8. Quam ob causam Angelus euersurus & absumpturus igne Sodomam, non solùm vrsit exitum Loth, ne simul cum alijs ibidem periret: *festina saluare*, verùm etiam anxius sollicitat ingressum eius in ciuitatem Segor, dicens: *quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Quid impediebat potentiam diuinam, ne suam exequeretur iustitiam, tametsi Loth non intrasset ciuitatem Segor? annon satis erat ipsum exiuisse è Sodoma? obseruemus mysterium in eâdem Scripturâ. Quo tempore egrediebatur sanctus Loth? manè. Ita refert sacer Textus: *Sol egressus est super terram, cùm Loth ingressus est Segor.* Genes. 19. vers. 23. Quemadmodum viatorem præcedit vmbra vespertina, ita matutina sequitur eundem. Ecce ergò mysterium: non poterat Deus exercere iustitiam suam, nisi Loth primò intrasset Segor, quia vmbra eum sequebatur, & tantæ virtutis & efficaciæ erat vmbra huius iusti, vt diuina potentia (vt ita dicam) manserit ligata & impedita: *quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.*

Num.9. Et si dicerem vobis, non vmbram duntaxat Seruorem Dei impedire iustam Dei pœnam, verùm etiam imaginem & figuram iustorum, quæ in ciuitatibus asseruatur, vix mihi faceretis fidem, sed audite probationem illius. Dauid rex

summè

ſummè die quodam indignatus in Iebuſæos, cunctos internecioni dare decreuerat, & cùm ſe diſponeret ad huiuſmodi executionem, ex improuiſo ecce accedit nuncius dicens ei hoc modo: *non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.* 2. Reg. 5. verſ. 6. Quo ad ſenſum litteralem ſcio hiſce verbis ſignificari irroniam & ſarcaſmum, quo ipſi regem Dauid excipiebant, ac ſi dixiſſent: non ſatis maturè deliberaſti Dauid, quòd nos inuadere & expugnare cogitas; etenim vnus duntaxat cœcus aut claudus huius ciuitatis, abſque etiam eo, quòd milites arripiant arma, te repellere ſufficit. Sed relinquamus ſenſum litteralem, & dicamus cum Abulenſe in lib. 2. Reg. qui refert opinionem quorundam antiquorum Rabbinorum aſſerentium, in ciuitate illâ duas fuiſſe ſtatuas, vnam Iſaac, per quam intelligitur cæcus, nam teſte ſacro textu: *Caligauerunt oculi eius, & videre non poterat*, Geneſ. 27. verſ. 1. alteram Iacob, per quam intelligitur claudus, in luctâ enim, quam habuit cum Angelo, claudus factus eſt: *Tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.* Gen. 32. verſ. 25. Ergo illi volebant dicere: tu, ô Dauid, intendis expugnare & interficere Iebuſæos; aſt ſcias te nihil planè effecturum, niſi primò tollas ex hac ciuitate has duas ſtatuas iuſtorum hominum, nimirum, Iſaac & Iacob: quia quamdiu hæ remanent in ciuitate, incaſſum laborabis, fruſtrà ruinam minitaris & moliris, ipſæ ſolæ abſque alio auxilio & ſuccurſu ipſam vrbem defendunt, coſtodiunt & protegunt, & ideò: *non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.*

Num. 9. Indignatus erat quâdam vice Deus contra Core, Dathan & Abiron, eò quòd violenter inuadere volebant ſummum Sacerdotium, ac talem ſibi aſſumere honorem, quem Dominus Deus contulerat Aaron. Vnde cùm viuos illos decreuiſſet deglutiri à terrâ, inquit ſacer Textus, præcepiſſe Deum Moyſi & Aaron fratri eius, vt fugerent & diſcederent ocyus ab illorum ſocietate & conſortio; *locutuſque Dominus ad Moyſen & Aaron ait*, Num. 16. verſic. 20. *Separamini de medio congregationis huius.* verſic. 21. Quam ob cauſam Deus caſtigaturus hos ſceleratos iuſſerit primò Moyſi & Aaron, vt diſcederent ab eis, dilucidè id innuit ipſemet Deus: *vt eos repentè diſperdam.* loc. cit. Sicque Deus haud poterat iſtis infligere ſtatutam pœnam, niſi primò diſcederent Moyſes & Aaron; quaſi hi impediuiſſent executionem pœnæ. Ita affirmat doctiſſimus Oleaſter in hunc locum; ſiquidem ſerui Dei tantâ pollent potentiâ, vt ſuâ præſentiâ Deum quaſi ligare & impedire videantur, ne impios peccatores iuſtorum gaudentes ſocietate caſtigat & puniat: *Ecce* (dicit Oleaſter) *quid valeant iuſti populo & congregationibus, in quibus ſunt; videntur enim ligatum habere Deum, ita ut eis præſentibus ſæuire nolit in malos.*

Et ſanè N. quis conſeruat ſuſtinetque totum hunc terrarum Orbem, ne deſtruatur, niſi ſerui Dei: ipſi ſoli totum hoc ſuſtinent vniuerſum. Date mihi licentiam N. vt è fabulis & figmentis Chriſtianam eruam veritatem. Fabulantur Poëtæ, extitiſſe hominem quendam nomine Atlantem adeò potentem & fortem, vt humeris ſuis totum ſuſtinuerit mundum. Figmentum profectò riſu & cachinnis dignum, ſiquidem vbinam terrarum talis reperietur, qui totum hunc orbem ſuis imponet & feret humeris? nihilominus ſimilis phraſis & modus loquendi reperitur in Sacrâ Scripturâ, Iob cap. 9. verſic. 13. dicitur: *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Et qui ſunt iſti? & quomodo ferunt mundum? S. Hieronymus expendendo hunc locum propoſito reſpondet dubio dicens, hos eſſe ſanctos & ſeruos Dei: *portantes Orbem Sancti rectè intelliguntur.* Noui & viri in Atlantes ſunt ſerui Dei, & quo modo id faciunt? *Sancti* (ait idem S. Doctor.) Num. 10.

portant mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent.

Ponderat idem S. Hieronymus locum illum Scripturæ ex 1. Regum cap. 2. *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem* loc. cit. versicul. 8. Et dicit idem Sanctus Textum Hebraicum habere aliter: *Domini sunt afflicti terræ, id est, pauperes spiritu & humiles corde, & isti sunt, qui propriis meritis portant Orbem.* Sustentant mundum & ciuitates omnes defendunt, quæ ob indignationem & iram diuinam ruerent, & in cineres fauillasque penitùs redigerentur. Ac proptereà dixit S. Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel cap. 3. *Peritura vrbis & malorum imminentium hoc primum indicium est, si decidant viri sapientes & boni.* Væ mundo, nisi essent serui Dei, qui suis eum sustinent orationibus; iustorum etenim amore & beneficio conseruantur & non deperduntur iniusti: *Filij Noë* (ait S. Ioan. Chrysostomus hom. 24. in Gen.) *salute potiti sunt in honorem iusti; consuetudo enim misericordiæ Dei est, honorem hunc dare Seruis suis, vt propter eos saluentur & alij.* Non merebantur filij Noë cum perpaucis alijs animabus, vt liberati fuerint per arcam, & in communi illo diluuio euaserint mortem; ipsi quoque veluti infructuosæ arbores & zizania euellendi & eradicandi erant; ast conseruari fuerunt in honorem iusti, sancti nimirum istius senis Noë patris sui, cum quo degebant & viuebant. Et quod fecit quondam Deus cum Noë, facit nunc omni momento cum iustis, vt eos honoret, ostendatque, in quantâ ipsos habeat æstimatione: *Consuetudo enim misericordiæ Dei est, honorem hunc dare Seruis suis, vt propter eos saluentur & alij.* Et subdit idem S. Chrysostomus exemplum de Paulo Apostolo, cui nauiganti & furibundæ tempestatis agitato procellis, ac proinde in summo constituto vitæ periculo apparuit quidam Angelus, eique dixit ex parte Dei: *Donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Actor. cap. 27. vers. 24. Ac si voluisset dicere: ô Paule, Deus tibi illos præsentat in donum, qui tecum nauigant; ipsi etenim perire & ab vndis aquarum suffocandi erant; ast tuî causâ & amore saluantur & ab aperto eripiuntur periculo vitæ: *digni quidem erant* (explicat hîc S. Chrysostomus) *vt perirent* (quia erant idololatriæ & peccatores) *verumtamen in tui gratiam hoc fit.* O priuilegium & prærogatiuam Seruorum Dei!

Sed proferamus pulchriora. Postquam Iosue generalis dux exercitus Israelitici Num. 11. aduertisset filios Israel cecidisse animo, eò quòd se viribus & potentiâ superari perceperint ab hostium suorum exercitu, vt eos confortaret animaretque ad pugnam, dixit hæc verba: *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem ita eos possumus deuorare. Recessit ab eis omne præsidium.* Textus Hebraicus habet: *recessit ab eis vmbra.* Volebat igitur dicere Iosue, nullus ex vobis timeat aut deterreatur in prælio committendo cum hostibus nostris Chananæis, quia cùm perdiderint vmbram, facillimè superari possunt, veluti postea contigit. Quærit nunc Abulensis commentans in hunc locum, quænam fuerit hæc vmbra, quâ tanquam præsidio protegebantur Chananæi, & quâ destituti, tametsi fuerint bellicosissimi pugnatores, facilè tamen deuinci potuerint ab Hebræis? & respondet cit. Doctor. qu. 12. in Ios. *Aliqui dicunt illam vmbram fuisse beatam Iob, qui fuit in terrâ Chananæorum, & illum tunc fuisse defunctum, cuius meritis Deus sustinebat Chananæos, ideò perirent statim.* Quia vt verum fatear fortitudo ciuitatum non consistit in numeroso militum exercitu, qui ipsas custodiunt, neque etiam in murorum altitudine & latitudine, quibus circumdantur, neque in armorum copiâ & varietate, quibus defenduntur, sed in protectione cuiusdam

serui

serui Dei, qui moratur in illis, qui si Deo ita disponente discedat ex hac vitâ, destruuntur & euertuntur: *recessit ab eis omne præsidium, recessit ab eis vmbra.*

Num.12. Intellexistisne vnquam causam N. ob quam Deus voluerit sanctum Enoch ex hoc mundo transferre in paradisum terrestrem? *ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, ait sacer Textus Genes. cap. 5. versic. 24. Nec ulla istius assignatur causa. Doctissimus Oleaster in hunc locum opinatur id factum esse, quia cùm Deus vniuersali diluuio totum intendebat submergere mundum, rapuit sanctum Enoch ex hoc mundo, quasi ipso hîc remanente nequiuisset iustissimum hominibus infligere pœnam; quia si remansisset, fortè scuto suorum meritorum & precum iustitiæ diuinæ impediuisset executionem; vnde quamprimùm Enoch translatus fuit ad paradisum terrestrem, totus mundus abijt in perditionem & ruinam. Quare hic celebris Doctor facit quoddam præsagium dicens: *Est euidentissimum signum punitionis mundi iustorum ablatio, neque hoc mundus cogitat, sed putat eos casu esse sublatos.*

Num.13. Lecturi Act. Apostolor. cap. octau. mirabile quoddam reperietis factum ad demonstrandam Seruorum Dei potentiam. Lapidibus obrutus fuit & occisus S. Protomartyr Stephanus, & ne tam præclaro seruo Dei deesset debitus exequiarum & sepulturæ honor, inquit sacer Textus: *Curauerunt Stephanum viri timorati & fecerunt planctum magnum super eum*, loc. cit. versic. 2. Quærit modò Oecumenius Ecclesiæ Pater, cur illi copiosas adeò effuderint lachrymas ob mortem tam celebris Sancti? cur tempore illo, quo potiùs eis gaudendum erat ob triumphum & victoriam, quam S. Stephanus de suis reportauerat inimicis, contristati fuerunt? deplorandi potiùs erant illi, qui ei intulerant mortem, & non ille, qui fuderat & vitam & sanguinem pro amore Creatoris & Saluatoris sui. Respondet proposito dubio magnus hic Pater aureâ quâdam sententiâ: *planxerunt tanto præfecto, tanto patrocinio, tanta doctrina, tantisque signis priuati.* q. d. Planxerunt inconsolabiliter homines illi timorati Dei, non propter mortem S. Stephani, quem sciebant cœlesti iam coronatum gloriâ, sed propter amissionem & priuationem tam celebris, tamque potentis Patroni, qui suis precibus impetrabat à Deo populo gratiam & dona cœlestia, & qui præter patrocinium suum bonis illustrabat Ecclesiam documentis, prodigijs & miraculis, quæ operabatur in fauorem Christianorum & honorem Dei. Quod vt magis clareat, ait S. Scriptura referens Martyrium sancti protomartyris: *Facta est autem in illâ die persecutio magna in Ecclesia.* loc. cit. versic. 1. Vt hinc perciperemus, quòd nulla iactura tantis sit digna lachrymis, quantis amissio alicuius iusti, qui precibus & orationibus suis nos semper protegit ab irâ diuinâ.

Viderat die quodam Propheta Ieremias Deum adeò indignatum, vt totam decreuerit euertere ciuitatem Ierusalem; & ipse totus attonitus & confusus quantocyus egreditur domo. Quorsum tendis, ô Ieremia? *Ibo ad Optimates, & loquar eis.* Ierem. 5. vers. 5. q. d. Adibo magnates & rectores ciuitatis, si fortè quispiam inculpatæ vitæ reperiatur homo; siquidem apud populum ignorantem & ignarum nulla est iustitia, neque timor Dei: *Forsitan pauperes sunt, & stulti ignorantes viam Domini*, loco citato vers. 4. Ast quid facies, quid incipies cum iusto illo, si eum inueneris? vt iram placem diuinam, ne rebellem hunc castiget populum. Num.14.

Sed vnde tibi constat, Deum amore vnius iusti placandum ac remissurum offensam tot tantisque contumacibus? id dixit mihi: *Circuite vias Ierusalem, & aspicite & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium,*

& quærentem fidem, & propitius ero ei. Et si Ieremias vnum dumtaxat reperisset iustum in totâ ciuitate Hierosolymitanâ, qui se opposuisset Deo, non tantam illa passa fuisset iacturam bonorum, damna, sanguinisque profusionem, non atrocissimum illud probasset iugum captiuitatis Babyloniæ: *Non pro decem iustis* (exclamat hîc Sanctus Hieronymus) *sicut olim dixerat ad Abraham, liberat ciuitatem, sed si inuenerit vnum tantùm iustum in Ierusalem, ignoscit toti ciuitati propter illum.*

Num. 15. Permagnam hanc æstimationem, quam facit Deus de seruis suis, colligimus quoque ex libro Exod capite trigesimo secundo. Cùm Deus ter Optim. Maxim. traderet Moysi legem in monte, erexit populus Israeliticus vitulum aureum, eumque adorauit; vnde grauissimè Deus indignatus contumacem & impium illum populum ob commissam idololatriam castigare decreuerat; ast non statim executus est pœnam, sed vocato ad se Moysi mentem suam primitùs indicauit, petijtque ab eo licentiam: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, loco citato versic. decimo: ô verba mira & pustenda! Deus Creator & totius vniuersi Dominus ab vno homine capit licentiam? quòd amici Dei participes fiant secretorem eius, transeat: quòd eisdem manifestet thesaurum occultatũ suarum cogitationum, beneuolentiæ signum est; ast quod licentiam postulet ab homine, eique dicat: *dimitte me*, in summam me rapit admirationem. O supremam potestatem seruorem Dei! ô magnam Moysis potentiam! cui Deus (vt ita dicam) præstitit obedientiam, idque effectus declarauit; quia, vt denegauit ei licentiam, precibusque retardauit indignationem, non fuit executa pœna. Audite S. Hieronymum Epistol. ad Gaudent. *qui dixit: dimitte me, ostendit se teneri posse, ne faciat, quod minatus est; Dei enim potentiam serui preces impediebant.*

Causam modò percipio, cur Noë, dum iussu Dei ingressus est arcam, inclusus ibidem remanserit, ciusdem arcæ ostium clauserit Deus deforis: *& inclusit eum Dominus deforis*, Genes. cap. 7. versic. 16. Cur non permisit, vt ipsemet Noë clauderet ostium? respondet S. Gregor. Nyssenus in Orat. *Ne diuina vltio impediretur.* Quia si Noë apertâ arcâ magnam illam conspexisset stragem hominum causatam per vniuersale diluuium, motus compassione instanter Deo supplicasset, vt placatus indignationem & iram iustissimè ob peccata hominum conceptam deponeret, adeoque diuina iustitia non fuisset sortita effectum suum, & ideò *inclusit eum Dominus deforis*. Magnam etenim Deus seruis suis defert reuerentiam & respectum.

Et quâ de causâ arbitraris, ô Messana ciuitas, æternum Monarcham non infligere tibi pœnam condignam tuis sceleribus & enormibus peccatis, nisi propter iustos, propter deuotas & religiosas illas animas & personas, quæ te inhabitant? secus non tantùm supportasset fœtorem peccatorum tuorum ipsum continuò penetrantem cœlum. Num. 16

Matth. cap. 13 legitur, Angelis illis, qui aduerterant zizania sparsa per campum, vbi Deus seminauerat frumentum suum, seseque obtulerant, vt illa euellerent & eradicarent, in hunc modum respondisse Dominum: *sinite utraque crescere usque ad messem*, loco citato versic. 30. q. d. Nolo, vt ne vnum quidem ex eis tangatis folium; sed sinite ea crescere ad messem vsque. Subintrat doctissimus Oleaster in cap. 8. Genes. & causam inquirit, cur Christus Dominus tantùm voluerit parcere huic plantæ adeò damnosæ & nociuæ? & respondet, quia iuxta illam erat frumentum: vt hinc edoceremur, quod peccatoribus, qui intelliguntur per zizania, parcat Deus propter seruos suos significatores per frumentum, & propter horum merita Deus non castigat scelera illorum, & propterea dicit hic Do-

Doctor: *quid iusti mundo sint, parabola docet, quæ vniuersas & nociuas herbas eradicari non sint vsque ad messem propter triticum.* Idque verissimum est; nam si non essent iusti, quis posset cohibere iram Dei iustissimè punientis peccata mundi, quis posset, inquam, illum impedire, ne radicitus extirparet impios, eosque tartareis traderet flammis absumendos.

Vnde Sanctus Hieronymus lib. 16. in cap. 58. Isaiæ exponens hunc locum Isaiæ: *& vocaberis ædificator sepium*, cap. 58. vers. 12. dicit Symmachum traducere: *murum opponens cadenti.* Quia si Deus interdum indignatus ciuitatem animæ nostræ intendit euertere & destruere, iusti pro defensione eius se veluti muros opponunt: et ita fecerunt Moyses, Aaron & Samuel, qui se tanquam fortissimos
Num. 16. muros opposuerunt indignationi iustissimi Dei iam iam rebelles interfecturi: *quales fuerunt Moyses, Aaron & Samuel, quæ iræ Dei restiterunt, & quasi ædificato muro indignationi eius posuerunt terminum*, inquit Sanctus Hieronymus. Et nihilominus eousque redacti sumus, vt non solum non reuereamur iustos, non honoremus religiosos & seruos Dei, verùm etiam in publicis plateis de illis murmuremus, eisque detrahamus, imò ex minimo defectu magnum conficiamus & fabricemus molossum; attamen Deus omnia suffert, non punit, non castigat, quia idemmet ille religiosus & seruus Dei, quem tuâ infami offendis linguâ, idem, inquam, ille placat Deum, orat, intercedit pro remissione peccatorum tuorum. Ast caue tibi, ne Deus te aliquando priuet hisce personis religiosis, eris enim expeditus, & actum erit de te.

Superior.

DISCVRSVS LXVII.

Qualis debeat esse Superior, Rector & Prælatus.

Num. 1. LTVM officium, suprema dignitas abs dubio N. est Prælatura; verùm vt regimen diuinæ consonet & conformetur voluntati, necesse est, habeat conditiones quasdam, sine quibus nequit sortiri suum effectum. Primo non debent superiores & primatus alicuius Reipublicæ esse iuuenes, sed homines grandæui & senes, qui maturo pollent iudicio & ob longam rerum experientiam mortificatas habent passiones, & in quibus proprium commodum, quod maximè prædominatur iuuenibus, non impedit nec confundit rectæ rationis dictamen. Ita præ reliquis consulit eloquentissimus Cicero lib. 4. Rheto, ad Teren. dicens: *iure, inquam, senibus veluti prudentioribus & dignis gubernatoribus Deus rerum administrationes in manus tradit.*

Hinc persæpè causam inuestigaui, cur nimirum Christus benedictus plus amando Ioannem quam Petrum, aut alios Apostolos, non tamen illum creauerit in Vicarium suum, aut ei obtulerit primatum Ecclesiæ veluti Petro. An non poterat illam ei commendare eo modo, quo pendens in cruce commendauit illi propriam Matrem? nullus de hoc dubitat N. cur igitur non prætulit illum cæteris omnibus consignans ei Pontificatum, si omnibus præferebatur ardentiusque amabatur à Christo? *cur non Ioannes electus est*

Virgo vt caput esset Ecclesiæ? quærit Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouin. & non assignat aliam rationem, nisi quia: *ætati delatum est quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens & pæne puer progressæ ætatis hominibus præferretur.*

Dico ego, adeo necesse est, prælati & rectores sint homines maturi, & non iuuenes, vt, si contrarium accidat, iustissimè Deus subitos illos castiget, puniat & seuerum illis infligat supplicium. Ita lego in Isaiâ cap. 3. *Ecce enim dominator Dominus exercituum*, ait Propheta ille, *auferet à Ierusalem & à Iudâ validum & fortem*, versic. primo. *Fortem & virum bellatorem iudicem & Prophetam, & ariolum & senem*, &c. versic. 2. *& dabo pueros principes eorum*, versic. 4. Quem locum explanans Sanctus Theodoretus in Epistol. ad Rom. 3. dicit: *Cùm vult eos, qui peccant, castigare, à malis magistratibus regi permittit.* Maxima igitur, quæ reperitur in mundo, miseria est, habere rectorem & superiorem iuuenem imprudentem & ducem cæcum.

Num. 2. Secundo principalis conditio necessaria alicui prælato vel rectori est sapientia: beata profectò in hac vitâ sunt regna illa, ciuitates & Senatus, qui sortiuntur rectorem doctum & sapientem. Et ego vos securos reddo, Deum non posse alicui ciuitati maius præstare beneficium, quàm ei præficere rectorem doctum & sapientem; quapropter solebat dicere diuinus Plato apud Marsilium Ficinum in vit. Plat. *Fœlices illæ respublicæ dici possunt, in quibus aut Philosophi regnant, aut reges philosophantur.* Veritatem hanc clarè deducere possumus ex Ieremiâ c. 3. Eousque deuenerat populus Israeliticus, quia à Deo recesserat, vt esset opprobrium omnium gentium, & vnusquisque eum naso suspenderet. Commotus fuit Deus ad commiserationem, & hac eum perbenignâ reuocauit voce: *Reuertere auersatrix Israël, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum*, loco citato versic. 12. Sed quo medio vteris, ô Domine, vt populus hic pristinam recuperet fœlicitatem? audite: *& dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*, loco citato versic. 15. Vt nobis innotesceret, Dominum Deum non posse maiorem præstare gratiam alicui ciuitati & regno, quàm dare eis rectores doctos & litteratos.

Quod adeò verum est N. vt Deus castigaturus regnum aut ciuitatem aliquam non posset eidem maiorem infligere pœnam, quàm si permitteret eam regi ab aliquo indocto & ignaro, iuxta illud Ecclesiast. cap. 10. versic. 3. *Rex insipiens perdet populum suum*, indignabatur Deus die quodam in populum suum, eique minitabatur ruinam & perditionem; vnde dicebat: *Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ad te, & eijciam gladium meum de vaginâ sua, & occidam in te iustum & impium.* Ezech. cap. 21. versic. 3. Grauiores deinde adijciens minas subiungit: *Mucro, mucro euagina te ad occidendum, lima te, vt interficias & fulgeas*, loco citato versic. 28. Iam procedebatur ad executionem, & ecce Deus mandat mucroni, & ait: *reuertere ad vaginam tuam.* loc. cit. vers. 30. Quamuis etenim esset acutissimus, satisfacere tamen nequiuit iustissimæ Dei indignationi in populum suum conceptæ. Quare de nouo minatur ei se effusurum totum suum furorem: *& effundam super te indignationem meam.* versic. 31. Quam ergò populo immittet afflictionem aut calamitatem, quam ei minatur Deus? audite, quod subiungit: *daboque te in manus hominum insipientium.* loc. citat. Compendium & epilogus omnium malorum & miseriarum, acutissimus omnium gladius, quo aliqua respublica feriri potest, est superior & rector ignarus. Non est necessarium, vt Deus sumpturus vindictam de aliqua ciuitate aut regno, quod eum peccatis suis prouocauit ad indignationem, armatos paret exer-

exercitus, ignem immittat, famem & pestem; sufficit, si ei præficiatur præses & rector ignarus & indoctus. Hoc solo sufficientia ei infliget damna & calamitates: *effundam super te indignationem meam, daboque te in manus hominum insipientium.* Ad euitandam igitur grauissimam hanc pœnam aptius non inuenitur remedium, quàm vt eligantur personæ sapientes & doctæ. Hæc enim est secunda conditio Superiorum.

Num. 3. Tertia conditio necessaria cuidam Prælato & rectori est vigilantia: vnde dixit Homerus in Illiad. Principatum & vigilantiam esse gemellos vnius partus. Et Plutarchus lib. aduersus ducem imperitum scribit, quod rex Persiæ habuerit quendam Camerarium, qui illum excitabat summo diluculo, ac dicebat ei: *Surge rex, ac negotia cura.* Et hinc laudat plurimum Epaminondam, qui Thebanis dormientibus, vigilabat, tamque sollicitè operam debat expeditioni negotiorum & causarum regni, vt vigilans ea serio animo ponderaret, & dormiens somniaret.

Philosophorum Coriphæus Aristoteles lib. 12. Metap. adeò scrupulosum se ostendit in concedendo Deo somnum, vt si exiguo etiam tempore dormiret, non esset Deus: *Deus*, inquit ille, *si aliquando dormiret, non esset Deus.* Probat idipsum ratione: somnus arguit lassitudinem, si ergò in Deo esset lassitudo, quomodò esset infinitæ virtutis, quam habeat primus motor necesse est, veluti probat efficacibus rationibus in fine suorum librorum Metaph. Huic consentit regius propheta Dauid, dicens: *ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel,* Psalm. 120. vers. 4. Summa, volo dicere, tunc Principem, Superiorem & Prælatum esse quasi Deum in terris, quando vigilatissimam habebit curam suorum subditorum.

Atteftatur Spiritus sanctus non fuisse vnquam opus visum simile celeberrimo throno regis Salomonis: *non est factum tale opus in vniuersis regnis,* 3. Reg. 10. vers. 20. Quod vix capio, quantum attinet ad materiam, quia erat confectus ex auro & ebore, ast quantum ad mysterium inter alia erant in ascensu illius throni duodecim leones. Leo teste Pierio Valeriano lib. 1. Hierogl. est Symbolum vigilantiæ, siquidem aut nihil, aut parum dormit, idque apertis oculis, sicque, semper vigilare videtur.

Virgam vigilantem, quam vidit Propheta Ieremias cap. 1. dicunt multi expositores fuisse sceptrum regium, in cuius summitate, vti in more habebant Ægyptij, expressus erat oculus apertus & vigilans, & ideò dicta fuit virga vigilans: *Virgam vigilantem ego video.* loc. cit. vers. 11. velut alii legunt: *Oculatam vel oculos apertos & vigiles habentem.* Poëta Alciatus in suis Emblematibus expressurus manum Principis, oculum apertum in eius palâ depingebat hoc ei apposito elogio: *Oculata manus.* Et mysteriosa illa animalia, quæ viderat Propheta Ezechiel, erant vndique oculata: & totum corpus oculis plenum erat, Ezech. cap. 1. vers 18. quibus omnibus significare voluit Spiritus sanctus non solum Principem, Rectorem & Prælatum debere esse vigilantissimum & oculos semper tenere apertos, verùm etiam ipsummet thronum regium, qua regit sceptrum, & manum, qua regit sceptrum. Num. 4.

Hanc vigilantiam, quâ quilibet Rector & Prælatus præditus esse debet, commendauit summopere Christus benedictus Matth. 24. quando dixit: *Vigilate ergo, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit* vers. 42. in quem locum dicit Hugo Cardinalis: *Hortatur Dominus omnes ad vigilandum, & maximè prælatos ad vigilantiam & diligentiam, quos non tantùm vult esse vigilantes, sed etiam vigiles.*

Vnde meritò Christus Dominus reprehendit quoque somnolentum Petrum in

in horto Gethsemani: *Simon dormis; non potuisti vnâ horâ vigilare?* Marc. 14. vers. 37. non enim ei, qui regit populos, dominatur subditis, custodit gregem, conuenit esse somnolentum.

Num. 5. Hinc prudens & sapiens anus illa Macedoniæ ausa fuit reprehendere Philippum, eò quòd nimium erat deditus somno. Deprædicatur verò supra modum Traianus Imperator ob magnam vigilantiam, quam habuit in subditos, de quo legitur, quòd die quodam insidens equo pugnaturus cum hoste, & obuiam habens pauperculam mulierem queribundam, equo descenderit excepturus illius querelam & causam, quod summopere placuit Senatui.

Quàm proprium sit superioribus & prælatis vigilare & subditorum habere curam, cognouerunt ipsimet etiam gentiles; Homerus cecinit lib. 2. Iliad.

Non licet integram noctem dormire regentem,
Imperio populos & agentem pectore curas.

Plutarchus in suis Apoph. capite de Phil. scribit Philippum patrem Alexandri Magni omnium Principum fuisse vigilantissimum. Accidit quodam die, vt Rex sub meridiem nonihil dormiret & quiesceret; accesserunt interea nonnulli belli duces acturi cum eo de negotijs quibusdam summè necessarijs. Responsum fuit eis Regem dormire. Obstupescebant illi, quòd Rex, qui toties eis inculcabat vigilantiam, sub illam horam dormiret: respondit Parmenion magister Cameræ regiæ eorum imprudenti murmurationi dicens: *nolite mirari, si nunc Philippus dormit; nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat.*

Aliam quandam stupendam sententiam libro 8. de gestis Alexand. refert Ammianus de potentissimo orbis domitore Alexandro M. Loquebatur hic die quodam aulicis suis de exiguo somno, quem capiebat, eisque dixit: *Plus vigilare, quàm vos me certè scio, vt ipsi quietos somnos capere possitis.*

Et de Vespasiano Imperatore refert Suetonius, quod, tametsi grauiter laboraret infirmitate, grauissimosque pateretur dolores, nihilominus attendebat negotijs regni & imperij, audiebat legatos, intererat consilijs, expediebat decreta, cunctisque; assistebat negotijs & functionibus publicis, ac si fuisset sanus, consulebant ei Magnates & consiliarij, vt decumberet, recuperandæ attenderet saluti & sanitati & à tot tantisque se exoneraret curis & molestijs, quibus respondit ille: *Imperatorem stantem mori oportere.* Officium reginimis non est officium quietis & curandæ sanitatis, sed laboris & curæ.

Verùm relinquamus Authores prophanos, & sacræ Scripturæ ingrediamur Oceanum, veritatem iam dictorum vbiqui confirmatam reperiemus. Dum sponsa noctis tempore domo exiret, obuios habuit vigiles ciuitatis dixit: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Cant. 3. versic. 3. S. Bernardus homil. 76. in Cant. eleganter exponit, de quibus hic locus intelligi debeat, & dicit hos vigiles esse Prælatos, quibus semper vigilandum est. *Qui enim vigiles hi? nempe illi, quos Saluator in Euangelio beatos pronunciat, scilicet, cùm venerit, inuenerit vigilantes: quàm boni vigiles qui nobis dormientibus ipsi peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris.* Num. 6

Et S. Paulus Apostolus postquam recensuisset suas aduersitates & pericula perpessa, nullum horum magis exaggerat nomine multorum, quàm vigilias & ieiunia: *In vigiliis multis* (ait ille 2. Corinth. 11. versic. 27.) *in ieiunis multis.* S. Hieronymus Epistol. 36 de obseru. vigil. sic expendit hunc locum: *Ipse vigilantis quoque exemplum ponens in Catalogo virtutum suarum functum se vigiliis multis apud Corinthios gloriatur.*

Et tandem Luc. cap. 6. legitur Christum D. N. pernoctasse in oratione: *Erat per-*

pernoctans in oratione, loco citato versic. 12. *non ideò* (ait S. Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118.) *pernoctauit, quasi qui aliter patrem nobis reconciliare non posset, sed vt qualis aduocatus esse debeat, demonstraret, qualis Sacerdos, vt non solùm diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere.*

Num.7. In veteri quoque lege reperietis, quantâ cum vigilantiâ & curâ gregi suo inuigilabat S. Patriarcha Iacob: *Die* (ait ille) *noctuq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis* Genes. 31. versic. 40. vbi D. Chrysostomus subiungit: *Quæ ipsius vigilantiæ ratio, ne vlla ouis ferè captiua fieret; si verò tanta de irrationabili pecude cura, quales esse decet de rationali animâ sollicitudinem gerentes?*

Hunc in finem credo N. Deum dedisse modum Moysi, quo conficere deberet vestem summi Sacerdotis, ac dixisse; vt Rationale, Superhumerale ac tunica fierent stricta & ex lino: *Rationale & superhumerale, tunicam & lineam strictam.* Exod. 18. vers. 4. quodlibet horum consuetudine dignum est; ast consideremus modò verba illa, quæ nostro proposito inseruiunt: *tunicam & lineam strictam.* Legit Hebræus; *tunicam oculatam*, nummorum, veluti exponit Pagninus in sua paraphrasi: *tunicam opere phrygionico oculis contextam.* Vt hinc edoceremur, Prælatum & superiorem debere esse oculatum, vt inuigilet & diligenter attendat suis subditis, eosque ab omni tueatur & custodiat aduersitate.

Num.8. Præter vigilantiam requiritur etiam continua assistentia. Recenset S. Ioannes in suâ Apocal. cap. 4. se vidisse quatuor animalia: *in medio sedis & in circuitu sedis, quatuor animalia*, loco citato versic. 6 sed quomodo hæc quatuor animalia eodem tempore stare poterant in medio & in circuitu sedis? S. Euangelista magnum indicare volebat mysterium, ait S. Ambrosius, quia per quatuor illa animalia intelligendi sunt Doctores S. Ecclesiæ, Prælati & Rectores, qui habent curam animarum, ac continuò attendunt gregi, nec vnquam ab eo discedunt: *in circuitu sedis* (ait S. Ambrosius citatus à gloss. in hunc locum) *quatuor animalia stant, quia Doctores populum sibi commissum & à visibilibus & inuisibilibus hostibus, quanta virtute possunt, defendunt. In medio sedis consistunt, quia vnumquemque eorum, vt in bonis operibus proficiant, admonere non desinunt.*

In lib. Num. c. 12. simile & nostro proposito conforme reperimus factum. Murmurarunt quadam vice Maria & Aaron contra Moysen, nihilominus Deus puniuit Mariam leprâ, & Aaron transiuit impunitus: *Et ecce Maria* (ait sacer textus vers. 10.) *apparuit candens lepra quasi nix.* Causam modò inuestigant sacri Doctores, cur Deus noluerit punire Aaron, qui murmurauerat quoque contra Moysen? cur non ambos eadem affecit lepræ pœnâ, cùm vnius eiusdemque culpæ & peccati erant rei? Theodoretus quæst. 13. in lib. Num. & Abulensis ibid. quæst. 54. respondent, quia Aaron erat Sacerdos; sed peto ego, cur non est punitus existens Sacerdos? Respondent hi Doctores? quia leprosus erat separatus à commercio & conuersatione aliorum, veluti legitur lib. Leuit. cap. 13. & quia Aaron erat Sacerdos, cui erat commissa cura multarum animarum, necessarium erat, vt conuersaretur cum illis, eosque doceret viam salutis, & ideò noluit eum Deus afficere pœnâ lepræ; vt perciperemus, prælatum, iudicem & rectorem esse obligatum, vt vigilet & continuò assistat gregi sibi commisso.

Hinc quoque percipietis causam, ob quam ille apud Prophetam Isaiam cap. 3 se excusauerit, & non acceptare voluerit officium Principis populi: *Non sum Medicus* (ait ille) *nolite me constituere Principem populi*, loco citato versic. 7. non consignate mihi hoc officium, alios aptiores me eligite, quia non sum Medicus. Num.9.

Dicite mihi amabo N. quæ connectio reperitur inter Medicum & Principem, quòd ille in se suscipere nolit officium superioris, eò quòd non sit Medicus? duæ assignantur rationes à sacris Doctoribus; prima est, quia Medicus magnâ cum diligentiâ incumbit curæ infirmorum; ita Princeps attendere debet saluti subditorum suorum! *Sciunt* (ait S. Bernardus serm. 23. in Cantic.) *boni fideles, qui præpositi languentium sibi creditam curam habent animarum, medicos se esse non Dominos, parant confestim aduersus phranesim animæ non vindictam, sed medicinam.* Altera ratio est, quia sicut Medicus accipit curam omnium infirmorum, ita pastor animarum, succurrit ijs, imò vbi maius imminet periculum, ibi maiori cum vigilantiâ & diligentiâ attendit. Vnde animarum Medicus appellandus non est, qui non inuigilat saluti eorum.

Num. 10. Hisce addenda est alia quædam circumstantia Prælato & Rectori etiam necessaria, & est, quod seueritati coniungat clementiam & amorem, iustitiæ misericordiam; sed tali modo, vt misericordia semper excedat iustitiam. Sic enim practicatum est à regibus & principibus, quod, vt perpetuum sit imperium, dominari debeat pietas & clementia: scitis namque Romanos celebratos fuisse à Propertio, eò quòd potentiores extiterint pietate & clementiâ quàm armis: *Nam quantum ferro, tantum pietate potentes stamus.* Vnde etiam ait sapiens Prou. 20. vers. 28. *Misericordia & veritas custodiunt Regem & roboratur clementiâ thronus eius.* Hæc ad obtinendum potentior est, quodcumque desiderat quidam Dominus, quàm quicumque alius timor. Cognouit idipsum Plinius lib. 8. Epist. vlt. quando dixit: *Clementia longè valentior est ad obtinendum, quod velit, quàm timor.*

Seneca fuit Magister Neronis, cum ad imperium totius mundi euectus fuit discipulus, primus liber, quem in fauorem illius conscripsit, fuit liber de Clementiâ, volens discipulo suo significare, primum librum, cui ille studere debet, qui est euectus ad principatum, esse illum de clementiâ & benignitate erga subditos.

Ad probandam hanc veritatem idem Seneca lib. 1. de Clementia ca. 19. vtitur similitudine apum, quæ cùm sint ex naturâ vindicatiuæ, omnes præditæ sunt aculeo, solo excepto rege: *Iracundissimæ ac pro corporis captu* (inquit ille) *pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est.* Et illius reddendo rationem subdit: *Noluit illum natura sæuum esse, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit*, Concludit deinde: *Exemplum hoc magnis regibus ingens est.* Et S. Theodoretus quæst. 22. in Genes. conformiter loquitur: *Tardos ad vindictam, pœnamq́; sumendam esse oportet, qui maximas obtinent potestates, qui in obeundis vitæ officij non magis iustitiæ aculeum, quàm dulcem mellis clementiam ostendere debent.* Appositum fuit hinc illud Symbolum mali punici de Henrico IV. cum suo elogio: *acre dulce.* Indicando dulcedinem clementiæ & acrimoniam iustitiæ.

Et hoc mysterium temperatæ seueritatis Deus significare voluit, quando præcepit Moysi, vt in consecratione Aaronis & filiorum vngeret eos sanguine victimæ & oleo sacræ vnctionis, non oleo solo, neque solo sanguine, sed oleo & sanguine simul: *Cumq́; tuleris de sanguine, qui est super altare & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius & filios, & vestimenta eorum.* Exod. 29. versic. 21. Oleaster in cap. 8. Leuit. magnum in hac cæremoniâ notauit mysterium, nimirum, oleum esse Symbolum misericordiæ & sanguinem iustitiæ, quibus consecrari debebant in sacerdotes Aaron & filij eius; vt hinc intelligeremus, quòd Prælati & Rectores commiscere debeant rigorem iustitiæ cum misericordiâ & clementiâ: *Non enim*, ait Oleaster, *debuit esse in sa-* Num. 11.

cerdote

cerdote sine oleo sanguis, nec sine sanguine oleum, quia cùm constitueretur populi Iudex, non solum misereri, sed etiam punire reos debebat.

S. P. Gregorius lib. 20. moral. cap. 8. adducit ad hoc propositum exemplum Euangelici Samaritani, qui curauerat miserum illum peregrinum sauciatum & spoliatum, dicit non sine mysterio hunc curatum fuisse vino & oleo, ad innuendam perutilem hanc mixturam, quâ Magistratus & superiores curare debent vulnera suorum subditorum: *Vt per oleum* (ait Gregorius) *foueantur & per vinum vulnera medeantur: miscenda est lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate dissoluantur.*

Num. 12. Appositè acuteque notauit Petrus Cluniacensis serm. de transfig. illud factum, quod refert S. Euangelista Matthæus ca. 17. contigisse in monte Thabor, quando Christus Redemptor noster transfiguratus fuit, siquidè in medio Moysis & Eliæ visus fuit ab Apostolis: *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes*, loco citato versic. 3 quæ visio fuit expressum Symbolum perfecti iudicis, siquidem Moyses, quia fuit mansuetus habuit primum locum: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terrâ*, Num. 12. vers. 3. Elias à contrario erat rigorosus & zelosus. Vt Deus ergo ostenderet Superiorem debere primò vti mansuetudine & deinde iustitiâ, ideò vult vt dilectus eius filius compareat in medio Moysis & Eliæ: *Duo ergo illi Patres* (inquit petrus Gluniacensis) *alter mitissimus, alter immitissimus apparent cum Domino. Quare? quia misericors & miserator Dominus, quia iustus Dominus & iustitias dilexit. Misericors ergo misericordem, iustus iustum designat; vnde & congruè Scriptura non prius Eliam & postea Moysen, sed ante Moysen & postmodum Eliam ponit.* Et S. Petrus Chrysologus sem. 145. auream hanc sententiam paucis complexu fuit: *iustitia sine pietate crudelitas est.*

Plutarchus in suis Apoph. recenset Artaxerxem Regem Persarum cognomine dictum fuisse Longimanum, quia dextram manum longiorem habebat sinistrâ. Quod cùm quidam ei improperasset, non dumtaxat ex eo se non alterauit, sed & dixit illi: summè de hoc gaudeo & glorior; hoc planè modo debent esse Principes, nimirum, magis benigni quàm seueri. Vnde bene cecinit Poëta quidam:

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.

Bonus igitur N. erit Prælatus & Superior ille, qui nouit compati imperfectionibus subditorum, & si deficiat ei hæc virtus, ad regimen ineptus est. Constituerat Deus Moysen populi sui ducem, & loco gratiarum actionis pro tali sibi collatâ dignitate conqueritur humeris suis impar esse impositum onus: *Cur posuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Num. 11. vers. 11. Totam N. percurrite Scripturam sacram, & nunquam reperietis Deum dixisse Moysi, quod ipsum grauare voluit aliquo pondere; bene quidem ipsum constituere statuit ducem populi sui. Ah dixit Moyses, noui perè optimè, quid sit esse superiorem & ducem populi, non sum aptus tali officio, quomodo ergo tantum ferre potero pondus? Vt edoceamur Prælatos & Rectores vt bene fungantur suo officio, subditorum ferre debere imperfectiones, eisque compati ex charitate, ac si ipsimet illarum extitissent causa. Num. 13.

Quapropter S. Bernardus serm. 23. in Cant. exhortatur cunctos Prælatos ad hanc regiam mansuetudinis virtutem dicens: *Audiant Prælati, qui sibi commissis gregibus semper volunt esse formidini, vtilitati rarò: discite subditorum vos matres esse debere non Dominos. Studete magis amari, quàm metui, & si interdum seueritate opus*

opus est, paterna sit non tyrannica.

Num. 14. Ex hisce percipieris causam N. cur Deus vestimentis summi sacerdotis iusserit apponi laminas aureas, quibus insculptæ essent duodecim tribus, & sacerdotis cooperirentur humeri, Quid significant tribus illæ (inquit S. Gregorius in cap. 20. Exod.) in humeris summi sacerdotis, nisi quod constitutus in dignitate magnâ cum patientiâ ferre debeat onus regiminis & pondus subditorum. Et cùm S. Iob differeret de rectoribus & Prælatis, dixit: *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* cap. 9. vers. 13. in quem locum discurrit S. Gregorius Papa perpulchrè & ait: *Tantorum quippe pondera portat, quot sunt homines, quibus dominatur.*

Mirum igitur non est N. quòd Propheta Samuel in conuiuio, quod parauerat Sauli, præposuerit ei armum agni, dicens ei: manduca, *deinduſtriâ seruatum est tibi.* 1. Regum cap. 9. vers. 24. volens indicare illi necessarios esse fortissimos humeros & armos ad ferendum graue pondus dominij subditorum; veluti testatur S. Hilar. Cant. 10. in Matth. *ad designandum*, ait ille, *quòd Princeps debet habere fortitudinem ad sustentandum onus populi* & Guiliel. Paris. lib. 1. antiq. cap. 33. appositè quoque loquitur: *Cùm armus maximè valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret se non ad iocum, ad lusum, ad voluptatem, sed ad maxima onera ferenda, atque sustinenda vocari.*

Num. 15. Veritatem huius voluit quoque demonstrare Centurio ille, cuius mentionem facit S. Matth. cap. 8. qui cùm accederet Christum Dominum commendatum ei seruum suum infirmum, inter alia dixit illi hæc verba: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic vade & vadit, & alij veni & venit, & seruo meo, fac hoc, & facit,* loco citato vers. 9. S. Chrysost. summopere demiratur hunc loqendi modum & dicit, si is volebat describere potestatem & iurisdictionem suam, quam tenebat, cur ergo dicit: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus?* Imò potiùs innuebat illis verbis se esse subditum. Sed acutè & sapienter illum respondisse & locutum fuisse, ait S. Ioan. Chrysost. hom. 22. in cap. 8. Matth. *Illo vtitur loquendi modo, vt se cum dignitate laboribus obnoxium subditumque ostendat.* Optimè namque nouerat, quòd Superior debeat esse adiutor pauperum, sustentaculum infirmorum, frænum superborum, subleuator humilium, consolator afflictorum. Consiliarius ignorantium, liberator oppressorum, & tandem dux omnium.

Iam intelligo locum illum Isaiæ cap. 9. quando loquens de Messiâ dicit: *Factus est principatus super humerum eius*, loco citato vers. 6. S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 4. S. Augustinus serm. 71. de temp. & Tertullianus lib. 3. aduers. Ma. & Oleaster in cap. 9. Isai. dicunt ibi Prophetam loqui de imperio crucis; vt innotescat nobis, dignitati esse annexum pondus; qui aliter existimat, omnino decipitur: *Putant vsque hodie* (ait doctissimus Oleaster) *insensati filij Adam imperia, regna & principatus huius sæculi honores esse non onera, quos puer noster arguit, qui suum principatum quasi graue onus super humeros gerit.* Et concludit deinde: *Non ergo Prælate aut Princeps, cùm ad prælaturam vocaris, te ad honorem vocari putes, sed ad onus, & sub præfectura tibi gemendum puta, sicut onere graui.* Et S. Bernardus Epist. 42. ad Archiepiscop. Sen. scripsit: *Multi non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si esse scirent & onera.*

Num. 16. Vltima tandem & Rectoribus ac Prælatis maximè necessaria conditio est, vt sint homines piæ & inculpatæ vitæ, nec vllus minimum ipsis improperare possit defectum. Quare valdè sapienter dixit prudens Bethsabea Regi Dauid omnium subditorum oculos in eum esse defixos: *Domine mi Rex, in te oculi respiciunt totius Israel.* 3. Regum 1. versic. 20. vnde ne Princeps honoris sui faciat iactuam, necesse

cesse est, homo sit inculpatæ vitæ, bonis & sanctis imbutus moribus, & viuat sine maculâ.

Quando senatus Romanus extraordinariâ authoritate Valerianum in censorem creare voluit, iam dixerat (teste Trebonio Pollione in vitâ eius) *ille de senatu iudicet, qui nullum habet crimen, cui nihil potest obijci*. Quia multum sanè nos mouent exempla Principum, magisque stimulant, quàm leges ab ipso promulgatæ, cùm subditi semper principibus suis se conformare nitantur; vnde Claudianus in panegyr. dixit Traiano Imperatori:

——— *nec sic inflectere sensus*
Humanos edicta valent, quam vita regentis;
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Num. 17. Ante omnia superiores & iudices mundi non debent quærere proprium commodum. per hoc enim communiter corrumpitur iustitia. O quàm alienæ debent esse manus prælatorum & iudicum à proprio commodo, vt suæ satisfaciant obligationi & officio; vnde dico, quod, si reperiatur Iudex paratus & promptus ad recipienda dona, abs dubio est corrupta iustitia. Et vt clarè conspicimus periculum, quod donorum subest acceptationi, attendamus ad ea, quæ Deus præcepit Exod. 23. cap. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes*, vers. 8. pro cuius confirmatione dixit sapientissimus Salomon: *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus, in ore auertit correptiones eorum.* Ecclesiast. 20. versic. 31. Iansenius in hunc locum adducit traductionem textus Græci, qui ita habet: *quasi frænum in ore est Xenium iudici.* Quia sicuti fræno domantur equi, ita donis tanquam frænis domantur & compescuntur iudices, ijsque ducuntur, vbicumque placet datori, vt in fauorem eius proferant sententiam. Liranus in hunc locum legit hoc modò: *& quasi rana in ore*. Volens alludere ad certum quoddam genus ranarum, De quibus refert Plinius lib. 2. cap 9. quod sint valdè procliues ad insiliendum ori canum, vt eos latrantes compescant & mutos efficiant. Eundem planè effectum & operationem causant dona in iudicibus, mutos hos reddunt, vt nequeant aperire os & reprehendere errores & scelera. Et quod dona sint huius virtutis & efficaciæ, pereleganter expendit B. Petrus Damianus lib. 2. Epist. 29. Epist. 29. dicens: *Acceptis muneribus si contra datorem quid agere volumus: mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentiâ præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia dilitat iudicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem.*

Num. 18. Hæ sunt N. conditiones, quas necessariò habere debet quidam bonus Iudex, Rector & Superior; vnde si à rectâ deuiat semitâ, indignus planè est hoc nomine Iudicis & Superioris: imò Deus iusto suo iudicio tali eos priuat dignitate, quâ abusi fuerunt. Curiosam & huic proposito consonam mouet difficultatem Rupertus Abbas lib. 4 de vict. Verbi Dei cap. 10. cur nimirum Heli, qui quadraginta annorum spatio rexit populum Hebræum, non recenseatur inter alios iudices, sed tacito eundem S. Scriptura prætereat pede? *quam ob causam de numero iudicum tollitur Heli?* Et responsum notatu dignum ipsemet statim subdit: *Quia in diebus eius nimia ferè omnibus licentia fuit.* Vnusquisque, quodcumque sibi libebat, agebat, & ideò non est computandus inter iudices, eò quòd non est functus iudicis officio.

Ad eundem modum ponderat subtiliter D. Hieronymus modum loquendi S. Scripturæ de illis senibus iudicibus populi Hebræi: *Constituti sunt de populo duo senes iudices illo anno: de quibus locutus est Dominus: quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum*, Danielis cap. 13. vers. 5:

pulchrà

pulchrè non ait : qui regebant populum, sed qui videbantur regere, qui enim bene præsunt populo, regunt populum, qui autem tantùm nomen habent iudicum : & iniustè præsunt, regere videntur populum, magis quàm regant.

Num.19. Hæc doctrina ita tradita à D. Hieronymo & Ruperto monstrabit nobis viam ad soluendam quandam grauem difficultatem, cur nimirum S Ioannes in suâ Apocal cap.7. enumerando omnes Tribus, è quibus erant duodecim millia signati seu electi, subticuerit tribum Dan; quia hæc Tribus exercebat officium iudicis veluti ei prædixerat pater suus Iacob : *Dan iudicabit populum suum*, Genes. cap.49.vers.16.& quia in hoc officio valdè negligens extitit, ideò à numero aliorum iudicum excludenda erat.

Quid dicam de pœnis, quibus illi affligentur in alia vita? Angelicus Doctor S. Thomas lib.1. de regim. princip. cap.11. multum exaggerat pœnas infligendas eis à diuinâ iustitiâ : *Deus magis puniet eos, quos sui regiminis executores & ministros facit, si nequiter agant, Dei iudicium in amaritudinem conuertentes, aggrauatur enim eorum peccatum ex dignitate suscepti officij.* Omnes igitur iudices & Rectores proprium fugiant commodum, Dei solùm seruitio & animarum attendant saluti; secus væ ipsis.

Tribulatio.

DISCVRSVS LXVIII.

Tribulationes præsentis vitæ proueniunt à Deo in beneficium & fauorem nostri; ac propterea eas patienti animo sufferre, imò grates Deo rependere debemus pro tali fauore & beneficio.

Num.1. Mos Propheta, vt tollat à mundo vana quædam dicteria, vnde nimirum originem traherent plurimæ tribulationes; quas indies patiuntur homines, auream hanc protulit sententiam cap. 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* vers.6. Et dicere volebat : omnes tribulationes, quas sustinent aut sustinebunt homines, proueniunt à Domino Deo. Ast quî potest hoc esse, cùm Deus sit principium omnis boni, dicente S. Iacobo Apostolo cap.1. vers.17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum.* Theologi duo distinguunt malorum genera; vnum vocant malum culpæ, aliud pœnæ: primum non causatur à Deo, quia sic esset causa peccati, quod repugnat summæ bonitati & perfectioni diuinæ; bene potest esse causa mali alterius videlicet pœnæ, veluti de facto hanc causat cùm homines castigat, eisque varias in præsenti vitâ immittit tribulationes. Et de hoc malo sermocinatur Propheta, dum ait : *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* Ita explanat hunc locum D. Augustinus contra Adamant cap.25. *Dupliciter appellatur malum, vnum quod homo facit, alterum, quod patitur, pœna, de pœnis ergo loquebatur propheta, cùm hoc diceret.*

In confirmationem veritatis huius ponderare mecum, amabo, N. mysticam illam visionem, quam habuit Zacharias Propheta cap. 6. vidit ille die quodam quatuor

quatuor currus, qui egrediebantur è medio duorum montium æreorum: *Et conuersus sum, & leuaui oculos meos & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum mōtium & montes ærei*, v. 1. Stetit attonitus Propheta propter hanc visionē, petijtq; ab Angelo, vt illam sibi declararet. Qui promptissimè respondit ei: *Isti sunt quatuor venti cœli qui egrediuntur, vt stent coram dominatore omnis terræ*, loco citato vers. 5. Mira & insolita profectò N. hæc fuit visio; ast si penitiùs consideretur Catholicam nobis indicat veritatem, nimirum, tribulationes vitæ huius (quibus veluti furibundis ventis impetuntur homines) hoc ipse, quòd ascendunt in conspectum Dei, nobis significare, quod ante statum suum diuino se exhibeant conspectui, vt eis præscribatur modus, regula & tempus, quo nos impetere, agitare & flare debeant. Et sic videtur, quod illis Deus dicat: tantùm & non vltrà in domum illam irruite & impetum facite, morte opprimite filium istius viduæ, verumtamen substantiam illius seruate illęsam, agite, vt talis persecutionem patiatur tanto tempore nec vltra, & sic de reliquis discurrite, & hoc innuere volunt verba illa: *Vt stent coram dominatore omnis terræ*. Tribulationes igitur venti sunt, qui flant, quamdiu illis permittit Deus, quemadmodum legitur de patientissimo Iob, qui fuit traditus potestati Satanæ, vt tribulationibus & persecutionibus impeteretur, cùm hoc tamen ordine & pacto, ne tangeret vitam eius: *Ecce in manu tuâ est, verumtamen animam illius serua*, Iob cap. 2. versic. 6.

Num. 2. Occurrit mihi modò controuersia illa die quodam suborta inter populum ciuitatis Ierusalem, dum ab hostibus obsidione cingeretur. Causam nimirum inuestigabat, vnde tot ac tantæ prouenirent persecutiones & tribulationes? respōderunt alij ab oriente, alij ab occidente, at Dauid Propheta resolutè dixit eas prouenire à manu Dei iusti iudicis: *Neque ab oriente, neque ab occidente, quoniam Deus Iudex est*. Psalm. 74. vers. 7. ita ipsemet Dauid expertus fuit, quando, cùm eum persequeretur Absalon, dixit militibus suis: *festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos*. 2. Regum 15. versic. 14. ast ille quid fecit? Fugam fortè arripuit veluti alij? minimè. Sed cùm commodè fugam capessere posset aut conscendendo equum, aut planam ineundo viam, discalceatus & pedetentim numerosos inuiosque ambulabat per montes: *Porrò Dauid ascendebat cliuum oliuarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens*, loco citato versic. 30. idque ideò, quia cognoscebat Propheta Regius, tribulationes persecutionesque prouenire à manu Dei, & propterea fugere nouit; nouerat peroptimè, quod non persequeretur eum Absalon, sed Rex cœli & terræ, qui sic ipsum affligi mandauerat ad augendum ipsius præmium. Ita hunc locum interpretantur S. Dorotheus doct. de edif. & har. virt S. Augustin. lib. de grat. & lib. arb. cap. 20. S. Ambrosius lib. 1. de off. c. 48.

Et aliâ quadam vice idem Dauid conspexit Angelum quendam, qui euaginato & præacuto gladio occiderat in Israël à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum; vnde commiseratione motus, aspero vestitus cilicio, flensq; amarissimè dixit Deo: *Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me & contra domum patris mei*, 2. Regum 24. vers. 17. Subintrat hîc doctissimus Abulensis quæst. 38. & quærit, quam ob causam Dauid rogauerit Deum, vt placatus remitteret populo offensam cessaretque à pœnâ, & non potiùs Angelum, quem in formâ humanâ crudelem adeò conspexerat facere stragē? fit acutissimè respōdet dicendo, Angelum fuisse ministrum & instrumentum iustitiæ diuinæ; ast agens principale istius punitionis exticisse Deum; quapropter Dauid non Angelum, sed

sed Deum supplex exorauit, vt mitigaret iram & indignationem; quo nos edoceremur tribulationes & aduersitates præsentis vitæ ortum suum ducere à Deo tanquam ab authore & agente principali. Audite ipsamet Abulensis verba tanto ingenio digna: *Cùm dicitur: vertatur obsecro manus tua contra me, non dicitur ad Angelum, sed ad Deum, quia licet Angelus percuteret, sciebat Dauid, quod ipse de mandato Dei percussisset.*

Et aliâ quadam vice idem Propheta, dum persecutionem pateretur à Semei, consideratque hanc tribulationem sibi immitti à Deo, prorupit in hæc verba: *Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amoue à me plagas tuas,* Psal. 38. versic. 10. quem locum expendit S. Theoretus hoc modo: *Te enim,* inquit, *permittente ille perbacchatus est, & ille quidem similis erat flagello; tu verò per illum castigationem afferebas propterea silens flagella accepi.*

Num. 3. Et hîc subintelligimus quoque causam, cur falso Prophetæ Balaam, Num. ca. 22. maledicenti populo Israëlitico sese opposuerit quidã Angelus impediẽs eius passum & progressum præacuto quodam gladio, quo minitabatur ei mortem: nam inquirit hîc S. Theodoretus quæst. 43. quid refert, ô Domine, quòd Balaam maledicat huic populo? benedicat eidem tua diuina Maiestas, nec curet maledictionem falsi huius Prophetæ. Non ita agendum est, respondet Theodoretus, quia iam Deus ter Optim. Max. determinauerat, vt populus suus terram ingrederetur promissionis vndique afflictus, tribulatus & angustiatus. Quòd si igitur Balaam maledixisset ei, totus mundus non iam Deum, sed maledictionem Balaam proclamasset esse causam & authorem istius tribulationis & pœnæ; ad tollendum igitur hoc vanum iudicium & suspicionem è mente cuiuslibet hominis, non permisit Deus, vt hic falsus Propheta malediceret populo Dei: *Vt à Deo eruditi* (inquit Theodoretus) *non putarent propter maledictiones vatis calamitates euenire, non permisit vatem maledicere, vt amputaret hoc modo stultorum occasiones.* Omnino igitur verum est calamitates vitæ huius causari à Deo.

Pro maiori horum confirmatione ponderat S. August. Psalm. 148. in quo S. Propheta inuitat omnes creaturas ad laudandum Deum & creatorem suum, inuitat cœlos, Angelos & cunctas virtutes cœlestes: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis,* loco citato versic. 1. *Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius,* vers. 2. inuitat deinde Solem, Lunam, Stellas & lucem: *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen,* versic. 3. & de nulla harum creaturarum dicit, quòd faciat voluntatem Dei; quando deinde Propheta inuitat ad diuinas laudes ignem, grandinem, glaciem, fulgura & tempestates, subiungit, quod exequantur & faciant præceptum Dei: *Ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius,* loco citato vers. 8. Et quî hoc, ô Dauid? ergóne reliquæ creaturæ, quas primò inuitasti ad laudandum Deum non faciunt voluntatẽ Dei? ergóne Sol, Luna Stellæ, cunctaq; cœlestes virtutes nõ obediũt Creatori suo? omninò: quã ob causã igitur dicis, quòd ignis, grando, fulgura & tempestates Dei dumtaxat exequantur mandatum? *Faciunt verbum eius.* Respõdet. S. Augustinus dicendo, nullum prorsus esse dubium, quod Sol, Luna, Stellæ, Angeli, cæteræque creaturæ in suis motibus obediant Deo; sed quia dubitari poterat à quibusdam stolidis & insipientibus, cæteras creaturas, puta, ignem, grandinem, fulgura & tempestates non facere, quod iubet & mandat Deus, propterea de hisce loquens Propheta subdit: *Faciens verbum eius.* Audite verba D. Augustini: *Quare hic non addidit, quæ faciunt verbum eius? quemadmodum ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt*

faciunt verbum eius? Sic omnia, quæ vanis videntur in rerum naturâ temerè fieri, non faciunt nisi verbum eius, quia non fiunt nisi iussu eius. Sicque igitur, ô Christiane, si mundum interdum calamitatū vndique conspicis agitari procellis, id nonnisi permissione diuinâ euenire intellige. Si domus tua iacturam paritur & ruinam, ob multas, quas paritur tribulationes, diuinæ id ascribe voluntati: *Faciunt verbum eius.* Infortunia illa, tempestates illæ variarum calamitatū & aduersitatum proueniunt à Deo: *Faciunt verbum eius.* Summa, nulla euenit calamitas, tribulatio nulla, quæ suam à Deo non ducit originem: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.*

Num. 5. Plurimum allaborauit diabolus, vt persuaderet S. Prophetæ Iob, cunctas aduersitates infligi ipsi magis à creaturis quàm à Deo; ita nuncius ille, qui ei sigillatim cunctas calamitates, quæ euenerant, significatum ibat, semper perticulares quasdam creaturas nominabat, nunquam verò Dei faciebat mentionem: *Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Iob cap. 1. versic. 15. *Chadæi fecerunt tres turmas & inuaserunt camelos*, versic. 17. *Ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt*, versic. 19. Subintrat hîc D. Chrysostomus & ita: *Vides, vt nunquam Deum memoret punitorem, sed modò Sabæos modò Chaldeos, & modò turbines vehementes*, idque ideò, vt fallam suam doctrinam, nimirum aduersitates & flagella, quæ patimur, non prouenire à Deo, bene stabiliret. Et quia S. Iob optimè nouerat tribulationes procedere à manu Dei, ideò non tristabatur aut desperabat, propter mala illa, quæ patiebatur, sed patienti animo ea sufferens dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est Sit nomen Domini benedictum*, loco citato vers. 21. quem locum acutè expendit & obseruat D. August. in Psalm. 31. & ait, quòd non diceret Iob: *Dominus dedit, diabolus abstulit*, quemadmodum fortassis dixisset quidam stolidus peccator, sed dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, sciebat namque Dominum Deum omnium, quæ sustinebat, malorum esse causam & authorem. Eodem modo ponderauit præfata verba D. Gregorius in Fab. vnde dixit: *Sanctus vir tentante aduersario cuncta perdiderat, sed sciens, quia contra se Satan tentandi vires, nisi permittente Domino, non habebat, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit, sed: Dominus dedit, Dominus abstulit. Fortasse enim fuerat dolendum, si quod Dominus dedit hostis abstulisset; at postquam non abstulit nisi qui dedit, sua recepit cum nostra abstulit.* Ita quoque & tibi, ô Christiane, ait D. Augustinus vbi sup. quando aliqua te premit tribulatio; discurrendum est: *Ne dicas, hæc mihi diabolus fecit, prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem.*

Vnde si tu, ô homo, Deum agnoueris tribulationum authorem, facilè voluntatem tuam diuinæ subdes & conformabis voluntati. Consilium hoc dedit Seneca amico suo Lucillo Epist. 11. scribens in hunc modum: *placeat homini, quidquid Deo placet.* Ecce Seneca, non iam vnus Apostolus Paulus, non D. Augustinus, non D. Hieronymus, aut quidam alius Sanctus; sed Seneca, inquam, naturæ dumtaxat illustratus lumine hanc tradidit doctrinam: *placeat homini, quidquid Deo placet.*

Examinemus modò & consideremus finem tribulationum, ob quem videlicet Num. 6.
finem Deus immittat homini tribulationes & aduersitates. Et reperio Deum id facere in beneficiū & vtilitatem eiusdem hominis, vt tali medio surgat de terrenis ad cœlestia & se conuertat ad Deum Creatorem suum. Solent homines prosperitatis tempore omnem spem & affectum suum reponere in bonis fortunæ, in

ijsque veluti in quieto & commodo requescere lecto, vnde ne illorum amor & affectus rebus terrenis affixus hæreat: disturbat totum lectum, inuertit ceruical; imò totaliter hominem è lecto illo præcipitat. Si id parens quidam faceret perdilecto suo filiò, quid diceres? non illum benignum, sed crudelem pronunciares patrem, imò hostem infensissimum, eò quòd somnum interturbet & quietem filij; sed vt verum fatear, amantissimum & perbenignum se ostendit esse patrem. Cùm Dauid Propheta enarraret, quomodo Deus homini surriperet commoditates terrenas & mundanas & ab ijsdem affectum, vt illum conuertat ad se, dicebat: *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Psalm. 40. vers. 4 Gloriosus Pater S. Augustinus exponendo hunc locum dicit: *Per stratum intelligitur aliquod terrenum.* Et subiungit: *Volens Deus hominem non amorem habere nisi vitæ æternæ, istis delectationibus miscet amaritudines, vt & in his patiamur tribulationes, vniuersum stratum nostrum vertit in infirmitatem nostram.*

Num. 7. Singularem hunc fauorem experta fuit sponsa; vnde gloriabatur, quòd Deus è sinistrâ suâ manu composuerit, fecerit que ei puluinar, vt eò commodiùs quiesceret: *Læua eius sub capite meo.* Cant. 2. vers. 6. in quem locùm ait Origenes hom. 2. in Cant. *Læua sub capite, vt me faciat requiescere, & brachium sponsi fiat ceruical meum, & reclinet ibi anima mea.* Vbi significare videtur, quòd eâ de causâ tibi supponit læuam, quæ est tribulatio & calamitas, vt quietem capias, non quidem in hoc mundo, sed in illâ vitâ beatâ, vbi vera inuenitur requies. Et subiungit, non tibi expedire, ô homo, vt utaris illis ceruicalibus, quæ subsequuntur lamenta & lachrymæ: *Non expedit tibi habere ceruicalia sub omni cubito manus.* Væ illis, qui quoslibet sibi substernunt lectos commoditatum temporalium, ac in ijs quietè & commodè dormiunt; vnde Deus amantissimus pater totũ inuertit lectum, abijcit commoditates, pro ceruicali tibi supponit sinistram, & quod maximè spectandum, dexterâ te amplexatur, vt quando extremâ vitæ tuæ horâ lassus es quiescere in sinistrâ, illicò te excipiat eius dextera: *& dextera illius amplexabitur te.* Cant. 2. vers. 6. dextera, inquam, quæ est gloria & vita æterna; quia: *longitudo dierum in dextera eius.* Prouerb. 3. vers. 16.

Perpulchra huius extat figura bestia illa, quam vidit Daniel Propheta cap. 7. *Prima bestia quasi leæna* (inquit ille) *& alas habebat aquilæ, aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit & cor hominis datum est ei*, loco citato vers. 4. Hæc leæna est homo propter prosperitatem & diuitias factus crudelis & superbus; ast si ei euellantur alæ, mansuetum & humilem eum subitò conspicietis, imò hominem rationis compotem. Audite S. Ioannem Chrysostomum homil. 54. ad pop. *Cùm in secundis rebus homines plures efficiuntur inflati, omnibus inimici, iracundi, cùm adest potentia; cùm verò fuerit ablata (cùm euulsæ sunt alæ ait Daniel mansueti sunt homines & humiles, & in propriã naturæ cognitionem veniunt.* Leæna ferox & alata erant Nabuchodonosor primò rex Babyloniæ, sed posteà transmutatus in bestiã agnouit Deum Creatorem suum. Dan. cap. 4. Sæua & fera leæna erat quoque Antiochus ille, qui gloriabatur se posse imperare vndis maris, & staterâ ponderare montes, minitabaturque interitum & ruinam ciuitati Ierusalem, quam igne & flammis absumere decreuerat; ast deplumatus & afflictus vocem mutauit & dixit: *Iustum est subditum esse Deo & mortalem non paria Deo sentire.* 2. Machab. cap. 9. vers. 12 æquum & rationi consonum est, vt homo mortalis & miser se humiliet subdatque Deo; vnde, cùm Rex ille dimitteret alas superbiæ, ad Deum cucurrit.

Num. 8. Huius rei veritatem vaticinatus fuit Pro-

Propheta Isaias cap. 26. dicens: *Domine, in angustiâ requisierunt te*, vers. 16. glossa interlin. declarat hunc locum & dicit: *Percute eos Domine, quia non nisi in angustiâ requirent te*, q.d. immitte eis Domine tribulationes & calamitates, secus enim non emendabunt vitam suam pessimam. Sicque hominibus negligentiæ & tepori deditis valde necessariæ sunt infirmitates & angustiæ, vt propria agnoscentes scelera reuertantur ad Deum, humillimeque petant veniam.

Hunc in finem refert S. Gregorius Nyssenus in vita Moysis Deum præcepisse filijs Israël, quos viperæ momorderant, vt erigerent serpentem æneum, quo illum intuentes sanarentur à morsibus & periculo vitæ. Inquirit modò sanctus ille Pater, an non melius fuisset, quòd serpentes illi fuissent à Deo occisi, ne momordissent alios, quàm quod Deus morsu viperatum læsos & sauciatos indies pristinæ restituisset sanitati? ast magnâ id Dei prouidentiâ factum fuisse inquit S. Gregorius, quod viperæ illæ superuixerint, ac filios Israël momorderint, vt cognoscerent Deum in illis & per illas eis parasse remedium, quod omni curâ & diligentiâ quærere deberent; secus enim si se ab omni conspexissent liberos aduersitate & infirmitate, diuina obliuioni tradidissent beneficia; vnde appositè dicit S. Gregorius Papa in Past. *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.*

Num. 9. Verùm confirmemus prædicta alio quodam Scripturæ testimonio Exod. 2. Paral. cap 33. regnabat tempore illo Manasses homo talis, quo non reperiebatur pejor & sceleratior, adorabat quippe idola, destruebat templa & altaria diuino consecrata cultui, & innumera alia committebat crimina, summa, maximus erat peccator. Significaturus illi Deus peccata eius & pessimam, quam ducebat, vitam, admonet eum primitùs, vt sibi caueret, emendaretque vitam; ipse verò nullum horum curabat. Siccine, inquiebat Deus, mecum procedis, qui te paternè exhortor? non credis verbis meis? de verbis ergò procedam ad verbera: quapropter opprimitur, cingitur, capiturque ab exercitu regis Assyriorum: *Idcircò superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperuntque Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem*, vers. 11. Et benè Manasses, quid tibi videtur modò? quid cogitas; quid agis nunc? adhuc es obstinatus, vel duceris pœnitentiâ? Subiungit sacer textus: *Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum.* vers. 12. *deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses, quòd Dominus ipse esset Deus.* Et quid vobis N. videtur modò? an non tribulationes faciunt homines venire in cognitionem suorum peccatorum, & recurrere ad Deum suum? an non Manassen, tametsi sceleratam egerit vitam, pœnitentem & peccata sua deplorantem conspicitis? & vbi modò eius magnificentia & regia pompa? vbi nunc ipsius iactantia, & prophetarum internecio? Oh, respondet S. Ambrosius lib. de pœnit. cap. 15. tribulatio deducit nos in rectam semitam regni cœlorum? audite ipsius verba: *Denique congruo correptus flagello conuertitur ad Deum, in pœnâ constitutus agnoscit, quem in regno anteà positus non quæsiuit.*

Magnanimus ille & inuictissimus Alexander Magnus qui tanquam ipsiusmet Iouis filius in terris adorabatur & colebatur, tunc se agnouit creaturam mortalem, ait Seneca Epist. 6. quando è lethali vulnere copiosè conspexit emanare sanguinem & dixit: *Omnes iurant me Iouis filium esse sed vulnus hoc me hominem esse clamat.* Tribulationem veluti vnicum remedium adhibuit Deus, vt ho- Num. 10.

mines duceret in cognitionem suiipsius & ad Deum.

Rex Antigonus (vti refert Plutarc. in suis Apoph.) postquã periculosam euasisset infirmitatem, dixit: *Morbus submonet, ne animo offeramur, cùm mortales simus.* Vnde ait S. Chrysostomus hom. 5. ad popul. quòd Deus seruos suos visitat premitque tribulationibus & calamitatibus ne illi insuperbant & extollantur, iuxta testimonium regij Prophetæ: *Priusquam humiliarer ego deliqui.* Psalm. 118. versic. 67. & Pauli Apostoli: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* 2. Cor. cap. 12. vers. 7.

Num. 11. Si vnquam quispiam extitit, qui expertus fuit, quid sit mundi prosperitas & aduersitas, fuit profectò castus ille Ioseph. Expertus fuit & probauit ille aduersitatem, quia adhuc adolescens diuenditus fuit peregrinis & instar mancipij deductus ad exteras nationes & populos, deinde tanquam adulter, veluti infidelis & ingratus Domino suo accusatus, diffamatus, & vt talis carceri fuit mancipatus, vbi plurimis demoratus fuit annis. Expertus fuit quoque prosperitatem; siquidem non solùm de carcere transiuit confestim ad liberum statum, verùm etiam creatus fuit in Vice-Regem Ægypti, de seruitute transiuit ad dominium & principatum, de opprobrio ad honorem; ast quid arbitramini eum sensisse de tribulatione & prosperitate? S. Augustinus sermone 123. de tempor. id colligit acutè ex modo, quo se gessit, & egit cum Patre suo Iacob; obseruat siquidem & notat hic sanctus Doctor, quòd Ioseph, postquam fuit electus in Dominum & Vice-Regem Ægypti, commodissimè poterat significare patri suo, se non duntaxat superuiuere & è carcere liberatum esse, verùm etiam se dominari fertilissimis & amplissimis regionibus; etenim nonnisi centum ab ipso distabat milliaribus, & tamẽ nullum horum fecit, quousque ipsum accesserunt fratres eius. Sicque præteritis septem annis fertilitatis & incipientibus alijs septem sterilitatis terræ nihil adhuc indicauerat patri suo, multò minus iuit hunc visitatum significatumque ei dignitatem honoremque, ad quem euectus fuerat. Oh quàm exiguum affectum & amorem videbatur ille ostendere erga patrem suum! sed respondet D. Augustinus nullam hoc facto ostensam fuisse inhumanitatem, negligentiam aut diffidiam, sed magnum amorem & summam prudentiam, ac particularem Dei prouidentiam: *Vt sanctum Iacob velut aurum purgatum in futuro iudicio præseruaret*, nouerat peroptimè S. Ioseph, quã ingentem adferret vtilitatem tribulatio: sciebat patrem summoperè contristatum esse, eò quòd crederet ipsum iam mortuum & miserè perijsse; dicebat ergo Ioseph, si patri meo significauero me adhuc superuiuere, omnem seponeret mœstitiam & dolorem, summeque lætaretur & exultaret. Ah nolo eum tam ingenti priuare bono, non permittit filialis amor, vt rem adeò vtilem & fructuosam ei surripiam; quapropter relinquam illum in tam amaro planctu & suspirijs, imò dolori superaddam dolorem, eripiendo ei perdilectum eius filium Beniamin, intereà hac pœnâ, hoc dolore, quem & ego sentio ex illius absentiâ & distantiâ, tempe-rabo prosperitatem status mei, quæ alias magnum mihi inferre posset damnum & periculum.

Quòd ipse agnouerit tribulationem sibi vtilem, & persecutionem illaram sibi à fratribus summè proficuam, colligit Philo Hebræus lib. de Ioseph, ex eò, quòd Ioseph sacculis fratrum suorum imposuerit pecuniam, quam pro vendito frumento ab ijsdem receperat fratribus, quasi compensare voluisset beneficium illud, quod ipsum vendiderint & persecuti fuerint: *Adeò*, inquit ille, *pœnam ab eis abstulit, vt tanquam bene meritis daret munera reddito pretio, quasi eo vellet soluere bene-* Num. 12.

re beneficium persecutionis, iniectionis in cisternam, venditionis in Ægyptum.

Nec ab hac opinione Iosephi discessit pater eius Iacob, etenim quomodo eum in Ægyptum iuisse opinamini; quo animo, qua intentione, quo voluntatis affectu? nullum est dubium, diceret quispiam, tum iuisse animo læto & hilari, plus eum perrexisse desiderio, quàm pedibus, vt non dumtaxat videret perdilectum suum Ioseph, verùm etiam præcelso condecoratum honore & magnificentiâ viuumq; amplexaretur illum, quem tot annis iam crediderat mortuum, eumque conspiceret toti imperantem Ægypto. Verùm longè à veritate aberrat, qui hoc existimat; siquidem magno cum timore anxijsque ac sollicitis repletus cogitationibus peragebat hoc iter Iacob, adeò timens & tremens incedebat, vt supernâ indiguerit consolatione Dei eum subleuantis & exhortantis ad animosè suscipiendum iter illud; *Iacob* (dixit Deus Genes. cap. 46. versic. 3. *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in Ægyptum,* Ast quam, amabo, habuit formidinis occasionem & causam; non, vt cum hoste prælia committas, sed vt perbenignè humaniterque excipiaris ab amicis, capis iter, ô Iacob; in regionem cunctis abundantem fructibus pacificamque & non in horridum quoddam desertum & à latronibus circumdatum proficisceris; non ab aliquo tyranno, sed a perdilecto tuo vocatus es filio. Timet, inquit Ioseph Hebræus lib. 2. antip. ne nimia prosperitas & bonorum temporalium, quibus gaudere debebat in Ægypto, abundantia ruinam sibi causaret & interitum, sciebat namque prosperitatem damnosiorem periculosioremque esse aduersitate.

Num. 13. Progredior N. ad aliud quoddam beneficium, quod emanat è tribulatione, & est, quod veram ex eâ acquiramus cognitionem Dei, quem in prosperitate non cognouimus. Fidem huic facit S. Iob Magister & Doctor patientium, qui, postquam egisset de statu prospero, in quo primitus viuebat ante afflictionem, & de statu tribulationum & tormentorum à priori diuerso, in hæc prorupit verba cap. 41. *auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te,* versic. 5. Loquitur hic S. Iob de duobus statibus satis inter se differentibus & contrarijs; de primo, quando erat diues, potens & fortunatus; de secundo, quando erat afflictus & percussus à diabolo ex permissione diuinâ, & dicit: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te*: Ac si vellet dicere: dum lætus, hilaris, fortunatusque cunctis affluebam diuitijs & delitijs, ab omnibus excipiebar honore & reuerētiâ, magnaque cingebar famulorū cateruâ, cùm omnium ore prædiues, potens & beatus celebrabar & proclamabar. Et bene, ô sancte Propheta, quid tunc eras, quid tecum agebatur, quid agebas? *Auditu auris audiui te.* Rerum cœlestium nondum eram inflammatus amore, necdum aliquem attigeram perfectionis gradum, *nunc autem*, vt vento dirutæ & euersæ sunt domus meæ, occisi & oppressi filij: *nunc*, vt ignis cecidit è cœlo, deuorauit & absumpsit omnia armenta mea: *nunc*, vt venerunt Sabæi, deprædata sunt & rapuerunt omnia mea bona: *nunc*, vt Deus me percussit à vertice capitis ad plantam pedis vsque: *nunc*, vt me multiplici affecit dolore, pœnâ & tribulatione: *Oculus meus videt te.* Nunc, inquam, arbitror me videre & cognoscere Deum, quia vera Dei cognitio acquiritur mediante tribulatione & aduersitate pro amore illius perperssa. Ita expendit præfatum locum S. Gregorius commentando in Iob. cap. 26. dicens: *Designat Iob duplicem statum rerum; priorem prosperitatis, cùm quasi ex auditu Deum cognoscebat ad aurem locutum; posteriorem verò ærumnas, per quas in cognitione Dei valdè profecit, tantòque seipso melior euasit, quantò visus excedit auditum.*

De S. Francisco refert S. Bonauentu-

ra in

ra in vitâ cap. 14. quod cùm graui laboraret morbo, socius eius motus compassione dixerit ei: *Ora, ô Francisce, Dominum, vt mitiùs tecum agat; nam manum suam super te plus debito grauare videtur.* Tacuit nonnihil S. Franciscus, & respondit deinde: *Nisi scirem simplicem puritatem tuam, ex nunc tuum abhorrerem consortium, quia ausus fueris circa me diuina iudicia reprehensibilia facere.* Quia, nimirum, gratiam & fauorem, quem mihi præstat Deus, audes appellare effectum iræ & indignationis diuinæ, & deinde ad Deum conuersus dicebat: *Gratias tibi ago Domine Deus de omnibus his laboribus meis.*

Num. 14. Et quamuis Deus mittat nobis tribulationes & calamitates in nostrum commodum & vtilitatem, nunquam tamen nos affligit vltrà id, quod sufferre possumus. Ita testatur D. Apostolus 1. Corinth. cap. 10. vers. 13. dicens: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Nimirum, vti eleganter exponit S. Anselmus in hunc locum: *Illud facit prouenire quod potest humana fragilitas sustinere: cùm viribus tentamenta modificat, nec permittit vltra virium vestrarum mensuram tentationis pondus excrescere.*

Ita reperio in S. Scriptura, quòd Deus omnipotens demoliturus muros ciuitatis Ierusalem ob grauia illius, quæ continuò patrauerat, peccata, primò desuper sat diù deliberauerit: *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum.* Thren. 2. vers. 8. S. Gregorius Papa expendendo hunc locum pulcherrimum facit conceptum, nimirum, quòd Deus destructurus ædificium corporis nostri mediante tribulatione, destruit illud cum mensurâ quantùm vires nostræ sufferre possunt: *Tetendit funiculum suum.* Adiungit hîc glossa interlin. *vt nihil faciat sine mensurâ,* Mensurat & trahit lineam, ac dicit: deiiciatur & euertatur sola hæc pars ciuitatis, & residua conseruetur. Iubet, vt istum apprehendat iustitia, at ne perdat patientiam; vt istius infirmetur filius, sed sana conseruetur ipsius vxor, & sic de cæteris discurrite? *Tetendit funiculum suum, vt nihil faciat sine mensurâ,*

Sustinendæ igitur sunt patienter tribulationes variæ quæ nobis in præsenti imminent vitâ, cùm iam sciamus eas nobis immitti in commodum nostrum. Num. 15. Examinemus amabò locum illum ex Cant. cap. 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eá, omnis armatura fortium.* Quid est, quòd Spiritus sanctus intendens describere hanc armaturam, nullam facit mentionem gladiorum, lancearum & sagittarum aut aliorum instrumentorum, sed solùm armorum defensiuorum, nimirum clypeorum & scutorum? Cupísne percipere mysterium: mysticum indicat corpus S. Ecclesiæ, cuius caput est Christus, cuius collum (figura vtpotè animæ Christianæ) est principalior pars, & hæc quibus est instructa armis? *Mille clypei pendent ex ea.* Scísne ex quo colligitur fortitudo veri serui Dei? non in lædendo & sauciando alios, & eam ob causam nulla fit mentio gladiorum & lancearum, sed in retundendis ictibus persecutionis, carcerum & aduersitatum scuto & clypeo patientiæ, in sufferendis patienter tribulationibus pro amore Dei, in hoc ergò consistit fortitudo animi Christiani, & ideò *mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Non credas velim, animam iustam debere vti lanceis & gladiis, vt offendat & lædat alios; sufficit ei scutum patientiæ, vt diuinâ auxiliante gratiâ resistere valeat assultui tribulationum,

Et hoc idem aliâ quadam vice significare voluit Spiritus S. quando afflictam sponsam singulari laudum encomio depredicare volebat? dicens: *Quid videbis in Su-*

in Sulamitide, nisi choros castrorum? Cant. 7. versic. 1. S. Theodoretus plurimùm hîc demiratur, quòd arma coniungat choris, arma ad milites, chori ad religiosos referuntur. Innuere vult ergo Spiritus sanctus, quòd si quandoque nobis transmittat integros exercitus aduersitatum & tribulationum, omni eum tempore laudare, benedicere, summâ humilitate & deuotione arma illa acceptare, ijsque congratulari debeamus, non enim ad nos sauciandos, sed expurgandos nobis infliguntur.

Quando populus Dei captiuus ducebatur in Babyloniam, tantum senserunt dolorem, vt vix attingentes locum tribulationis certis quibusdam arboribus appenderint musica sua instrumenta: *In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra.* Psalm. 136. vers. 2. Vnde S. Hieronymus arguit eos amentiæ & stultitiæ, quia amici Dei cum musicâ & lætitiâ suscipere debent tribulationes. Propter quam causam laudat summopere S. Ambrosius in Hexam. cap. 11. Prophetam Ionam, eò quòd saltabat & tripudiabat in ventre balænæ gaudens & exultans in tribulationibus suis, cùm eam voluntatem Dei esse conspiceret: *Psallebat in ventre ceti qui mœrebat in terris.*

Num. 16. Et de sanctis illis Patriarchis Abrahamo & Isaaco dicit S. Zeno Sermon. 1. de Abrahamo, quòd cùm primus deberet esse carnifex proprij vnigeniti & amantissimi filij; & alius in flore iuuentutis suæ occidi manu parentis, non legitur vllum horum planxisse aut conquestum fuisse, imò vehementer exultasse lætitiâ inenarrabili. *Lætatus est pater* (ait sanctus ille vir) *filio quoque gaudente & eum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert.* Prosequitur deinde dicendo: *In tantis filij casibus lætatur & gaudet & se Dominum promeruisse triumphat, accepit iam præmia, quæ meretur.* Quibus verbis ostendit S. Zeno perfectissimum amorem Abrahami; siquidem ad aliud non aspirabat præmium, & pati propter amorem Dei non solum iudicabat esse meritum, verùm etiam mercedem suam ob ingentem illam, quam ille in patiendo sentiebat, lætitiam. Quicunque igitur Deum verè amat, nullam sentit pœnam in sustinendo, imò suum percipit gaudium, quia dum considerat calamitates & tribulationes à Deo ortum suum ducere, non possunt non esse ipsi acceptæ & gratæ.

Et de Paulo Apostolo S. Ioann. Chrysostomus homil. 1. sup. 1. Epist. 2. ad Corinth. habet hæc verba: *Beatus Paulus cùm videret quasi niuis cumulos tentationum quotidiè ingruentes, non aliter quàm si in medio Paradiso vixisset, ita gaudebat gestiebatque.*

De vrso scribit Plinius lib. 2. histor. nat. cap. 8. quod naturali ductus instinctu tempore nubiloso exultat; lætatur, ludit & iocatur cum alijs; cuius naturalium rerum Scriptores hanc assignant rationem & dicunt, hoc ex eo prouenire, quia post tempus nubilosum succedet serenum. Quo fine quidam Academicus perspicacis ingenij in diuersis constitutus tribulationibus demonstraturus orbi vniuerso, qualiter speraret se tandem aliquando ab ijs liberandum, sumpsit ac depingi curauit duos vrsos inter se colludentes & hunc eis apposuit motum: *Serenabit.* Ad eundem modum exoptarem vos facere in vestris tribulationibus N. quando namque vos opprimit aliqua calamitas, tunc vobis gaudendum est, quia tribulatio illa vigilia est alicuius celebris festiuitatis & consolationis, quam nobis benignus transmittet Deus.

Sic dixit S. Tobias quando se veluti in immenso aduersitatum & miseriarum Oceano conspexit positum; siquidem spe futuræ consolationis se confortans & ad Deum conuersus dixit: *Post tempestatem tranquillum facis: & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.* Tob. cap. 3. versic. 22. Post tempus nubilosum & obscu-

obscurum venit tempus lucidum & serenum: *Post tenebras spero lucem*, dixit alia quadam vice Propheta Iob cap. 17. vers. 12. quem locum explicat Burgensis in sua morali glossa hoc modo: *Post tribulationes spero dulcedinem consolationis.*

Num. 17. Insuper omnes & quæcumque vitæ huius tribulationes sufferendæ sunt animo intrepido & constanti, quia dilucidè conspicitur, quamcumque aliam aduersitatem & angustiam in comparatione illarum, quas perpessi sunt Sancti, & speciatim pijssimus Redemptor noster, esse aut exiguam, aut nullam. Ad hoc propositum recordor me quandam legisse Epistolam responsorialem, quam gloriosus Pater S. Hieronymus scripsit ad Pammachium, qui summè conquerebatur se plurimis opprimi tribulationibus, ita scribebat sanctus Ecclesiæ Doctor: *Vbi vincula? vbi alapæ? vbi sputa? vbi flagella? vbi patibulum? vbi mors?* Ac si dixisset: conquereris & lamentaris, charissime Pammachi; de varijs, quibus opprimeris, aduersitatibus, & ego peto à te: vbi sunt vincula, alapæ & alia innumera tormentorum genera, quæ perpessus fuit benedictus Saluator noster propter amorem & causam nostri? An fortasse eorum oblitus es? considera, veluti æquum esset, quanta ille passus fuit, & omnis tribulatio tuo iudicio maxima, nulla respectu eius tibi repræsentabitur, & deinceps te lamentari erubesce.

Et huic meo proposito optimè consonat, quòd S. Petro Martyri gloriæ & splendori ordinis Dominicanorum contigit. Demorabatur ille quadam vice Mediolani in paupercula sua cella, veluti recensetur 1. par. histor. S. Domin. lib. 2. cap. 31. & ecce tres ei apparuerunt sanctæ Virgines Agnes, Catharina & Cæcilia cum eo discurrentes de beatitudine, quâ perfruuntur electi Dei in paradiso cœlesti, celebrantes & deprædicantes bonitatem, pulchritudinem & magnificentiam cœlestis sponsi; ast tali cum libertate & voce adeò altâ, ac si nullum fuisset discrimen inter cellam eius & paradisum. Casu intereà transijt cellam illam quidã frater, qui audiuit colloquentes, sanctasque conspexit Virgines, & quia existimauit mundanas quasdam esse mulieres, ocyus accessit Priorem, eique rem totam significauit, qui nimis citò, ac decebat, credidit relatori, nec recordatus fuit sententiæ Sapientis: *Qui credit citò, leuis corde est*, Ecclesiast. cap. 19. versic. 4. vnde sine morâ totum conuocauit conuentum, iussit accedere Petrum, quem, vt errorem ei proposuit improperauitque, rigidè & seuerè puniuit; acceptauit ille pœnitẽtiam, tametsi innocentissimus absque vllâ prorsus excusatione & defensione, & post aliquot menses ab illo conuentu amotus & missus fuit ad aliam quandam ciuitatem, vbi carceri mancipatus aliam non habuit licentiam nisi solum audiendi sacrum.

Die quodam chorum adijt Missam audiendi gratiâ, & accedit, Deo ita disponente, Sacerdotem celebraturum diutiùs morari in Sacristiâ, & ecce S. Petrus imaginem Christi crucifixi, quæ ibidem ante oculos eius obuersabatur, cum stupore & admiratione inspiciens prorupit in hæc verba: *Et tu Domine vsquequo?* Ecce, ô Domine, nouisti optimè, ad quid iam deuenerim: orbatus sum pristino honore & libertate, repulsus sum ab altari, & nihilominus cognoscis me esse innocentissimum, quid feci. ô pientissime Iesu & Iudex æterne, quod me adeò innocenter condemnes, & tali me affici permittas opprobrio? Et ecce à Christo crucifixo loquente hoc audiuit responsum: *Et ego, Petre, quid feci?* Ah Petre, lamentaris, quòd innocens patiaris, num me fortassis existis innocentior? Conquereris te affectum esse ignominiâ & infamiâ: *Et ego, Petre, quid feci?* Hisce auditis verbis totum emollitum fuit cor illius sancti, & plorans amarè non audebat subleuare oculos, vt contueretur Christum

ftum crucifixum, fed dolens grauiufque feipfum accufans dicebat: Ah pientiffime Redemptor exigua hæc pœna eft, cuncta huic fuperadde tormenta mundi, *Omnia tormenta diaboli veniant fuper me, tantùm Chrifto fruar.* Sit Paradifus meus: vt propter amorem tui fuftineam crucem in terris, quò tecum deinde æternâ fruar gloriâ in cœlis.

DISCVRSVS LXIX.

De neceßitate Tribulationum, vt aßequantur deinde vitæ æternæ præmium.

Num. 1. CVM fanctus Paulus Apoftolus vice quadam fermocinaretur de Tribulationibus à nobis neceffariò fufferendis, ftupendam hanc prætulit fententiam: *Non coronabitur, nifi qui legitimè certauerit.* 2. ad Timoth. 2. verfic. 5. contra fenfus videlicet, mundum, carnem & dæmonem, contra inordinatos appetitus, patienter fufferendo aduerfitates & tribulationes, quas mittit illi Deus. Quod confirmat magnus Pontifex Gregorius hom. 36. in Euang. dicens: *Ad magna præmia perueniri non poteft nifi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator dicit: non coronabitur, nifi qui legitimè certauerit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, fed non deterreat certamen laborum.* Rupertus quoque Abbas in cap. 2. Apoc. approbauit veritatem huius, cùm ait: *Hoc ius legale eft apud cœleftem Regem, vt ficut ipfi Pater, ita ipfe difponat in regno præmium permanentibus cum illo in tentationibus eius, vt fi fuftineamus, conregnemus: fi compatiamur, conglorificemur, fi amarum calicem bibamus, confideamus in regno: fi configamur cum Chrifto cruci fauum millis deguftemus.*

Num. 2. Et hoc ius legale primus omnium obferuare voluit Saluator mundi; fiquidem non venit foluere legem fed adimplere. Quando poft refurrectionem fuam proceffit cum duobus difcipulis in Emaus, eofque doceret legem Dei, inter alia hæc dixit perpulchra verba: *Nonne hæc oportuit pati Chriftum, & ita intrare in gloriam fuam.* Luc. 24. verfic. 26 vt infinuaret, hanc legem patiendi, priufquam affequamur regnum cœlorum, effe adeò vniuerfalem, vt neceffe fuerit illam obferuari ab ipfomet Filio Dei; & propterea ipfi quoque fe parare deberent ad vincula, catenas, cruces, & tormenta: per hanc namque viam & non per aliam pateret aditus ad gloriam æternam. Et quia vidit, quod hanc ignorabant legem, maximè cùm de eâ loquerentur Prophetæ, ftultos eos appellauit & ignorantes: *O ftulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti funt Prophetæ*, loco citato verf. 25. Falleris igitur ô Chriftiane, fi te cœleftem beatitudinem abfque tribulationibus confequi poffe arbitraris: *Quare* (inquit S. Auguftinus lib. 6. de verb. Dom.) *vis peruenire delicatus ad illam rem, ad quam non perducit nifi dolor? attende Chriftum, pati venit, fed & glorificari.*

Nec me fallere poteft Princeps Apoftolorum S. Petrus, dum ait: *Chriftus paffus eft pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt fequamini veftigia eius*, 1. Pet. 2. verfic. 21. quem locum appofitè expendit venerabilis Beda dicendo: *Chriftus paffus eft pro nobis, vobis relinquens exemplum non quidem deliciarum, fed tribulationum, contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, fpinarum, crucis, vulnerum & mortis.*

Num. 3. Nunc percipietis quoque N. cur ipsemet mundi Saluator post transfigurationem suam in monte Thabor dixerit discipulis suis: *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat*, Matth. cap. 17. versic. 9. quod idem est, ac si dixisset: nolo, vllus loquatur de gloriâ meâ, nisi primò sustinuerit crucem & tribulationes: vt intelligerent homines, per tribulationes & aduersitates patere illis aditum ad regnum cœlorum: *Hac est enim via vitæ* (inquit S. Bernardus serm. 2. de Dom. Palm.) *tribulatio præsens, via gloriæ, via regni.*

Vnde Petrus Apostolus, cùm perdilectum Magistrum suum supra mare ambulantem conspiceret, eandem & sibi optauit ambulandi artem, quam subitò concessit ipsi Saluator noster. Verùm dicit S. Matthæus, non potuisse Apostolum perficere iter suum adeò miraculosum, priusquam cum periculo vitæ & submersionis magnam quandam passus fuisset tempestatem: *Ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum*. Matth. 14. vers. 29. *videns ergo ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamauit*, loco citato vers. 30. S. Maximus hom. 4. de S. Petro causam perquirit, cur videlicet Apostolus Petrus non potuerit peruenire ad Magistrum suum nisi per procellas & pericula? & respondet id contigisse, vt nos doceret, non aliam nobis superesse viã, quæ nos conducat ad Deum & æternam gloriam, nisi viam tribulationum, periculorum & aduersitatum: *Igitur fratres* (sunt ipsamet verba S. Maximi) *sanctus Petrus, dum fluit, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad Dominum, ostendens nobis, quod non nisi per pericula peruenitur ad Christum.*

Num. 4. Veritatem huius optimè cognouit bonus latro, quando simul cruci affixus fuit cum Christo Domino in monte Caluariæ dixit ei: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. vers. 42. aspiciebat illum (ait mellifluus Bernardus serm. 1. in rom. Pal.) tormentis afflictum & cruci affixum, quodque per hanc viam tenderet cœlum versus: *Euntem in regnum videt, quò cùm peruenisset, sui memorem rogauit*, & quia hanc intuit viam passionis & tribulationis, eodem ipse die dignus factus est regno cœlorum cum Christo Domino: *Sed si vis nosse*, concludit Bernardus, *quàm compendiosa via? eadem die meruit cum Domino esse in paradiso.*

Num. 5. Magno die quodam S. Moyses flagrauit desiderio videndi perpulchram Dei faciem; quare ab eodem hanc expostulans gratiam dixit: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Exod. 33. versic. 13. cui respondit benignus Dominus: *Ostendam tibi omne bonum*, loco citato versic. 19. quo audito Moyses totus festiuus & lætus expectabat, vt aperiretur cœlum, descenderent Angeli & omnes beatorum spirituum ordines cum Deo, & huius intueretur faciem; ast quando credebat videre summum illud bonum, quod beatos reddit Angelicos Spiritus, diuinum audit responsum: *posteriora mea videbis*, loco citato versic. 23. D. Anselmus exponendo hunc locum se continere nequit, quin exclamet: *ô bone Iesu, quid est in posterioribus tuis, in quibus faciem tuam & gloriam tuã videmus.* Et respondit in persona Christi: *Nihil aliud certè, quàm quinque millia flagellorum, ossa nuda, plagæq; crudelissimæ. Quasi dicat, nulla alia breuior ac rectior via ad faciem meam videndam, quàm oculos in posteriora mea configere: per tot passiones ego veni ad gloriam, & per eas peruenire debet quisquis illam mecum obtinere desiderat.*

Legite lib. Num. cap. 14. & inuenietis, quòd filij Israël indignati contra Moysen & Aaron, eosdem lapidare intendebant. Et ecce apparuit intereà gloria Domini toto aspiciente populo: *Cumq; clamaret omnis multitudo & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis videntibus filijs Israël*, loco

citato versic. 10. Magnus Pater Origenes hom. 9. in cap. 16. Num. dum ponderat hoc factum, mirum in modum obstupescit; siquidem in totâ sacrâ Scripturâ non legitur, Dominum Deum se ostendisse Moysi & Aaron ante hoc factum, nunc primò illis apparuit, cùm nimirum populus eos lapidare volebat, & reddit huius rationem ac dicit: *Quamuis magni sint vitæ meritò Moyses & Aaron, quamuis animi virtutibus polleant; apparere tamen eis Dei gloria non potuisset nisi in persecutionibus, in tribulationibus, in periculis, atque in ipsâ pæne morte positis.* Concludit deinde Origenes: *Et tu ergo non putes tibi dormienti & otioso apparere posse gloriam Dei*, quia hæc non nisi mediante tribulatione & passione obtinetur.

Num. 5.

Num. 6. Hinc in Prophetâ Ezechiele cap. 46. gratiosum quoddam reperio factum. Vocabat Deus ad se vice quadam hunc Prophetam, iubebatque ei, vt populo Hebræo promulgaret legem quandam inuiolabiliter obseruandam; lex autem talis erat: *Qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porrò, qui per viam portæ meridianæ ingreditur, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non reuertatur per viam portæ, per quam ingressus est, sed è regione illius egrediatur.* Ast quod templum, & quæ sunt istæ portæ? Domus & templum Dei est hic mundus, veluti testantur Origenes in Cant. S. August. ser. 1. de verb. Domin. in monte. Duas hic mundus habet portas: vna est fœlicitas, altera miseria & calamitas; tunc homo ingreditur hoc templum mundi, quando nascitur, teste D. Hieronymo in cap. 19. Isai. Ingrediuntur igitur per portam prosperitatis illi, qui cunctis affluunt delicijs & voluptatibus mundanis; per portam verò miseriæ intrant illi, qui nascuntur ad laborem, ad pœnas & aduersitates sustinendas. Sed quid? tandem hi & illi perueniunt ad egressum (teste S. Basilio in Psalm. 18 hom. 1.) quando nimirum moriuntur & hunc deserunt mundum. Et ecce portas mutatas, qui ingreditur per vnam portam, exit per aliam ad eundem modum, qui in hoc mundo plurimum laborauit, sudauit, multasque fuit perpessus aduersitates & tribulationes, egreditur per portam fœlicitatis, & ad beatificam procedit visionem Dei: qui verò à contrario beatus & fortunatus fuit in hoc mundo, cunctis abundauit delicijs & voluptatibus, exit per portam miseriæ, & ad æterna pergit tormenta & pœnas inferni.

Veritatem huius rei confirmabit regius Propheta Dauid, quando post varias diuersasque perpessas calamitates dixit ianitoribus cœli: *castigans castigauit me Dominus*, Psalm. 117. versic. 18. quamdiu demoratus fui in hac vitâ & mundo, non mihi pepercit Deus, bene me castigauit, & iteratis me visitauit tribulationibus; quapropter aperite mihi cœli portam: *Aperite mihi portas iustitiæ*, loco citato v. 19. S. Hieronymus legit hoc modo: *Aperite mihi portas vitæ æternæ*, quia: *Hæc porta Domini, iusti intrabant in eam*, loco citato versic. 20 vel vt transfert & legit Hugo Cardinalis: *Hæc tribulatio est porta Domini.* Volebat igitur dicere Propheta: detur mihi liber accessus & ingressus; Dominus etenim me ambulare fecit per viam tribulationis & aduersitatis: *Castigans castigauit me Dominus. Aperite mihi portas iustitiæ*, vnde exclamat S. Remigius in hoc loco: *ô castigationes itinera iustorum vos estis portæ per quam iustum deducit Dominus.* Num. 7.

Non miror igitur, quod dum inuictissimus Christi miles & Martyr Sanctus Laurentius supra prunas ardentes in craticulâ positus esset, propter certitudinem illam (quam ex tormentis hauserat) intrandi cœlum, dicebat, ac si cœlum iam ingressus fuisset: *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.*

Necessarium igitur est, ô Christiane, vt affligaris & patiaris in hac vitâ, si æui-

ternam desideras consequi gloriam ; & nisi fueris in statu tribulationis, te longè à viâ aberrare scias. Ecce clarè loquor idque ex cap. 14. Apost. versic. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* In quem locum dicit S. Ioan. Chrysostomus homil. 98. ad popul. Antioch. *Tribulari prorsus oportet, & nisi tribulemur hic, illic nos sauior manet tribulatio.*

Et si ipsimet Christo Domino necessariæ erant tribulationes & passiones, vt in Paradisi intraret gloriam : *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24. versic. 26. Multò magis tu subire debes tribulationes & angustias, vt æternæ euadas possessor gloriæ; secus toto aberrabis cœlo, si aliter rem hanc capias. Audi D. Chrysostomum in cap. vltim. Luc. *Christus intrauit in gloriam suam per passionem, & tu vis intrare in alienam sine cruce?* Magna profectò præsumptio & temeritas nimia; siquidem non nisi per viam tribulationis ascendimus ad cœlum & visionem Dei. Per hanc ambularunt Sancti & propterea ad cœlestem peruenerunt Ierusalem. Ita testatur Dauid in personâ iustorum dicens : *transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Psalm. 65. versic. 12. vnde S. Chrysostomus hom. 66. ad popul. improperat tibi, ô Christiane, temeritatem tuam, qui sine passione & cruce regnare desideras : *Tu neque Paulo melior es, neque Petro; si vis eadem assequi cum illis, quid contrariam ambulas viam? Si vis ad illam peruenire ciuitatem, quia digni sunt illi putati, illam perambula viam illuc ferentem.*

Num. 8. Et ne vlla tibi suffragari possit excusatio, & præsens veritas magis elucescat, dilucidis id tibi ostendit verbis Dauid Propheta, cùm personam iusti æternam iam possidentis gloriam mediantibus tribulationibus introducit loquentem in hunc modum : *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ* (in æternâ videlicet beatitudine) *ibi me collocauit.* Psal. 22. vers. 1. vel vt transfert Hebræus : *animam meam quietauit*, & dum assignat modum, quo permagnam hanc obtinuit quietem & tranquillitatem, subiungit : *Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum*, loco citato versic. 3. D. Augustinus legit conformiter nostro proposito : *Deduxit me in angustis itineribus*, & volebat dicere Propheta, aut deduxit me Deus per angustam & strictam semitam iustitiæ suæ, videlicet per tribulationem, per quam pauci ambulant : nam *lata est via, quæ ducit ad perditionem*, Matth. 7. versic. 13. & Christus Dominus cœlum intrare volentibus dicebat: *Intrare per angustam portam*, loco citato, per aduersitates & angustias nimirum, quia *arcta est via, quæ ducit ad vitam*, loco citato versic. 14. quibus consonant ea, quæ dicit Propheta regius Psalm. 72. versic. 16 *Labor est ante me donec intrem in Sanctuarium Dei.* Vero enim verius est, quòd, qui plorat, ridebit, oppressus miserijs æternâ gaudebit fœlicitate, carceri mancipatus libertate donabitur, qui suffert vituperia & opprobria, honore afficietur, Martyr coronabitur, operarius habebit mercedem, qui sustinet dolores, lætabitur & gaudebit.

Magnificum, opulentum & decorum admodum fuit templum Salomonis non quoad tectum dumtaxat, verùm etiam quoad pauimentum, & quamuis aliquot millia operariorum labori & exstructioni illius operam dederint, nunquam tamen auditus fuit ictus aut sonus mallei, lapides & ligna cædebantur in monte Libani, in eodem omnia poliebantur aptabanturque, quæ destinata erant pro templi huius fabricâ : *Malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo.* 3. Regum 6. versic. 7. Libanus significat Ecclesiam militantem, vbi dimicamus contra inimicos nostræ salutis : *Militia est vita hominis super terram.* Iob cap. 7. versic. 1. sufferendi sunt ictus molestiarum, exterioresque concussiones infir-

mitatum & miſeriarum, quouſque inuitati ab Angelis in noſtro fœlici tranſitu: *veni ab Libano, veni coronaberis*. Cant. 4. verſic. 8. ad myſticam poſſimus euolare Ieruſalem, & auguſtiſſimum cœli adire templum, ad quod omnibus patet aditus, quicumque hic in mundo tribulationes ſuſtinuerunt & moleſtias. Audite S. Petrum Damianum in Epiſt. 4. *In ædificatione enim templi omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum poſitione ſonus mallei audiretur; ſic & viui lapides, qui ponendi ſunt in illa cœleſti Ieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, varijs infortuniorum concuſſionibus poliuntur prius quàm in ædificio cœleſtis habitaculi collocentur*, vnde canit S. M. Eccleſia.

Tunſionibus preſſuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis,
Per manus artificis
Diſponuntur permanſuri
Sacris ædificijs.

De columbâ deargentatâ à Pſalmiſtâ
Num. 9. Pſalm. 76. dicitur, quòd habuerit tergum deauratum: *Poſteriora dorſi eius in pallore auri*. loc. cit. verſic. 14. Hugo de S. Victore ponderat hunc locum lib. 1. de beſtijs cap. 3. & vehementer obſtupeſcit, quod hæc columba non habuerit aurum in capite, vel pectore, ſed in dorſo, vnde quærit: cùm auro tanquam omnium metallorum pretioſiſſimo ſoleat exornari caput aut pectus, vt omnium exponatur conſpectui, vndè ergò prouenit, quod huius columbæ dorſum condecoretur auro? & pereleganter reſpondet: *In dorſo ſolent onera portari, & per hæc eadem poſſunt operum labores deſignari; per poſteriora verò dorſi deſignatur expectatio præmij: poſt tolerantiam ſiquidem præſentium laborum, in futuro ſubſequi credimus iuſtis meritorum præmia, & hæc in pallore auri eſſe credimus*. Ac ſi vellet dicere hic Doctor: quia per dorſum, in quo ferri ſolent onera & ſarcinæ, intelligitur tribulatio & labor mundi huius, quibus plurimùm aggrauamur, ideò illud præ cæteris corporis partibus auro exornatum apparet, nimirum præmio gloriæ æternæ per aurum ſignificato remuneratum: Deus enim ijs ſolùm, qui varias perpeſſi ſunt calamitates & aduerſitates præmium & mercedem elargiri ſolet: *Poſt tolerantiam præſentium laborum in futuro ſubſequi credimus iuſtis meritorum præmia*.

Nemo ergo reperiatur viuentium, Num. 10.
qui arbitretur ſe poſſe conſequi præmium gloriæ æternæ, niſi illud primò acquiſiuerit labore, tribulatione, aliorumque malorum perpeſſione. Perlegite Prophetam Iſaiam cap. 9. & inuenietis, quod, cùm differeret de fœlici illo tempore, quo poſt ingreſſum ChriſtiDomini in ciuitatem gloriæ homines illuc debebant ſubſequi, dixerit: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores captâ prædâ quando diuidunt ſpolia*. loc. cit. verſic. 3. Sed dicite mihi, amabò, N. deerant fortaſſis Prophetæ ſimilitudines, quibus explicaret gaudium & iubilum beatarum illarum animarum, vt ad exponendam hanc lætitiam neceſſariò confugere debuerit ad lætitiam meſſorum & victoriam militum? Omnino, reſpondet doctiſſimus Oleaſter in hunc locum, non ſine myſterio hiſce vti voluit mataphoris Propheta Iſaias; vt nos edoceremur, apertè illos decipi, qui abſque labore, tribulatione & moleſtiâ exiſtimant ſe conſecuturos gloriam æternam; nullus ſiquidem infiniti illius boni particeps erit, Si primò in hac vitâ inſtar militis gladio, aut inſtar agricolæ mediante labore & ſudore illud non promeruerit: *Nemo otioſus (ait ille) ſibi blandiatur, nemo negligens ſe decipiat, putans ſe ſine labore, aut ſine ſudore gaudio implendum. Audis hîc, qui ſunt, qui lætantur, & ſpolia diuidunt coram Deo? nempe meſſores & pugnatores, neque lætabitur, niſi, qui vehementer ſudauerit in meſſe.*

Et idem Oleaster trutinando verba illa dicta à Christo Domino discipulis eius : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum.* Luc. 22. versiculo 29. hanc, in locum citatum Isaiæ commentando proponit Redemptori nostro quæstionem : *Quomodo disposuit tibi pater regnum tuum, dic nobis, quæso, bone Iesu? per calicem, inquit, passionis.* Ac si diceret, Pater æternus cum hac lege & pacto mihi vtpote vnigenito suo filio dedit regnum cœlorum, vt non possem intrare illuc, nisi primò amarum gustarem passionis calicem, & cum eadem prorsus lege ego dispono vobis regnum. Adeoque si in hoc mundo non sustinebimus molestias & aduersitates, non poterimus in altero participes esse gloriæ. Cùm, vt ait S. Augustinus lib. soliloq. cap. 22. impossibile sit in vtroque sæculo affluere delicijs. *Nemo enim potest in vtroque sæculo consolari, nec potest quis hîc & in futuro gaudere, sed vnum necesse est vt perdat, qui alterum vult possidere.*

Num. 11. Summa, resoluamus nos necesse est, vt si velimus coronari cum Christo, primò patiamur cum Christo. Tempore Imperatorum Seueri & Aurelij exercitus eorum insignem de hostibus reportarunt victoriam: vnde dum singulis distribuenda essent præmia, omnes ordine steterunt ante Imperatorem, & cuilibet fuit imposita laurea, adeoque laureati & coronati abiuerunt. Sed contigit abeuntium vnum manu gestare coronam; vnde alij ab eo tantæ nouitatis petierunt causam, cur illam non deferret capiti impositam veluti alij? Respondit se esse Christianum, ac proindè non conuenire, vt in præsenti vitâ coronaretur, cùm expectaret coronam in cœlo. Magna hic suscitata fuit lis & controuersia inter Christianos, nùm deceret militem Christi coronari in hac vitâ; vnde Tertullianus sumpsit occasionem scribendi librum *de coronâ militis.* in quo concludit, coronam laborem & molestiarum hominis Christiani expectandam esse in cœlis.

Nunc quoque percipiemus N. verba illa Isaiæ, quando cuilibet animæ afflictæ & tribulatæ loquens dixit : *Et eris corona gloriæ in manu Domini.* Isai. cap. 62. vers. 3. quasi dicat, ô anima tribulata & afflicta, in solatium tui tibi dico, quod eris corona gloriæ in manu Domini Creatoris tui; vt nobis innotesceret, iustos, afflictos & tribulatos in hoc mundo esse coronam, quæ elaboratur à diuino Artifice in fornace tribulationis & passionis. Quando igitur, ô Christiane, quædam tibi obtigit tribulatio, vna persecutio, vel infirmitas quædam, vnum noueris esse ictum mallei; totam perdis & amittis substantiam, omnia bona: ecce alium ictum; emoritur parens, cognatus aut amicus tuus : alium ecce ictum; neque propterea attristari debes; hoc etenim modo elaboratur & politur corona gloriæ capiti tuo imponenda : *Et eris corona gloriæ in manu Domini.*

Num. 12. Et in signum veritatis huius vidit sanctus Ioannes in suâ Apocalypsi Christum benedictum, in cuius vestimento & femore erat scriptum : *Rex Regum & Dominus dominantium.* Apocalyp. 19. versic. 16. Stupenda & insolita profectò N. hæc videtur esse visio; siquidem femori accingi solet gladius, quemadmodum ait Dauid Propheta : *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Psal. 44. vers. 4. quî ergo dicere potest S. Ioannes, quod illo in loco, vbi accingi solet gladius, Christus Dominus noster gestabat coronam & sceptrum? Magnum mysterium hoc est, quo sacer Euangelista vobis innuere voluit, aptissimè combinari gladium & coronam, primò etenim præcedere debet gladius, vtpotè, Symbolum passionum & tribulationum, & deinde subsequitur corona, veluti Symbolum gloriæ.

Et cap. 7. Apocalyp. recenset idem Ioannes aliam se habuisse visionem : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare*

nemo

nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis: Stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. loc. cit. vers. 9. quòd si scire desideretis, quinam fuerint ii, qui hoc modo triumphabant: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt?* & respondebitur vobis: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ.* loc. cit. vers. 14. quia cùm in domo Dei nullus sit titulus nobilitatis, nihilque valeant maiorum merita, non respondetur ad: *qui sunt*; sed ad: *vnde venerunt.* Præmium namque æternæ gloriæ ei confertur à Deo, qui pro ipso laborat & patitur; non verò, qui nobilem se iactitat & gloriatur? vnde celebre est illud Alciati emblema: *præmium ex labore.* Quod & acutissimè considerauerat sanctus Hieronymus in Psalm. 68. cùm dicebat: *Non est enim personarum acceptio apud Deum, sed quicunque talem se præbuerit, vt regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personæ, sed vitæ paratum est.*

Num.13. Appositè hìc inseruit, quod Rex Antigonus, teste Plutarcho in Apopht. cuidam adolescenti respondit; cum enim is à Rege expostularet stipendium, quod iamdudum promeritus fuerat pater eius senex, hisce ei Rex respondit verbis: *At ego, ô adolescentule, non ob patris, sed ob proprias cuiusque virtutes mercedem & munera dare soleo.* Omnes appetimus, cuncti desideramus paradisum sine labore & sudore; scire tamen deberemus pro illius consecutióne laborandum & sudandum esse: *Quàm pauci* (inquit sanctus Bernardus Serm. 21. in Cant.) *post te, ô Domine Iesu, ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextra tua usque in finem propterea volunt omnes te frui, at non ita imitari: conregnare cupiunt, sed non compati.* O magna Christianorum cæcitas & amentia! plurimi volunt portare crucem, & tamen necesse est portare ipsam & sequi Christum, qui in cœlis cupit regnare cum Christo: *Qui vult venire post me* (inquit Christus Matth. 16. vers. 24.) *abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* & Paulus Apostolus, 2. ad Timoth. 3. vers. 12. dixit: *Omnes, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Quæ verba expendit S. Augustinus in Psalm. 35. & dicit: *Si putas te nondum habere tribulationem, nondum cœpisti esse Christianus, & vbi est vox Apostoli: omnes, qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur? Si ergò non pateris pro Christo vllam tribulationem, vide, necdum cœpisti in Christo piè viuere.* Hoc idem insinuat Spiritus sanctus per os Salomonis dicens: *vult & non vult piger.* Proverb. 13. vers. 4. quem locum pulchrè & appositè expendit glossa ordinaria: *Vult piger regnare cum Domino* (inquit illa) *& non pati pro eo, delectant præmia cùm pollicentur, terrent certamina cum iubentur, de quo Iacobus: vir duplici animo inconstans est in omnibus viis suis.*

Paulinus Author grauissimus narrat de quodam Doctore parisiensi magnæ sanctitatis viro, quòd cùm die quodam accessisset aulam Regis Franciæ, in eaque Regem reperisset Magnatum & Principum quamplurium stiparum cateruâ, aulam conspexisset pretiosis auroque intertextis tapetibus exornatam, cunctos denique, quotquot ibi erant, delicijs, vanitatibus & voluptatibus mundanis indulgentes, in hæc prorupit verba: *Ignari erant Apostoli, sanctus Benedictus, beatus Franciscus & sanctus Hieronymus ignari.* Num.14. Omnes audito hoc sermone scandalizabantur & insolitum illum præconem veluti amentem & vecordem grauiter reprehendebant ac hortabantur, vt dicta reuocaret. Subiunxit sanctus ille vir eundem sermonem: *Ignari, inquam, erant Apostoli, S. Benedictus, S. Franciscus, S. Hieronymus ignari.* Et reliqui omnes Sancti, si se potuerint saluare delicijs mundanis-

que voluptatibus indulgendo, vti vos ijs indulgetis, & non fecerint; ast si verum est, vti verissimum, eos fuisse sapientes & prudentes, cur potiùs voluerunt se exponere varijs tribulationibus, fami, frigori, siti & nuditati, vt gloriam consequerentur æternam? Necessariò ergo hinc concluditur omnes vos mente captos & insanos esse, si beatitudinem cœlestem tot tantisque delitijs assequi opinamini. Sicque N. quamdiu sumus in hac vita, laboremus, sudemus, & cum patientiâ sustinemus aduersitates & tribulationes, vt regnum cœlorum obtineamus.

DISCVRSVS LXX.

Tribulationes præsentis vitæ signa aperta sunt amoris Dei in seruos eius; quotiescumque verò nos impunitos dimittit, neque affligit, signum malum est, & quasi præsagium futuræ damnationis.



Num. 1. QVOD Rex cœli & terræ N. amet & quidem ardenter amet iustos & seruos suos, qui hîc in terris sanctam & cœlestem traducunt vitam, adeò euidens & clarum est, vt non indigeat probatione; sufficiet testimonium & authoritas regij Prophetæ dicentis: *Dominus diligit iustos*, Psalm. 145. vers. 8. quodque ex tali amore veluti è fonte crystallino millenæ innumeræque gratię, fauores & dona dimanent in eos, idem testatur Propheta: *quã bonis Deus Israël, his qui recto sunt corde.* Psalm. 72. vesic. 1. ast quòd fauores & gratiæ illos concernentes sint plerumque pœnæ, miseriæ, labores & tribulationes, paradoxon est & admiratione dignissimum; sed vt veritatem fatear, maximum amoris signum, quod Deus vnquam seruis suis ostendere potest, ex eò vel maximè colligitur, cùm ijs immittit tribulationes & angustias. Euidentissimè idipsum patet; quia, quandoquidem homo, quamdiu in præsenti demoratur vitâ, nescit, vtrum amore vel odio dignus sit, iuxta illud Ecclesiast. ca. 9. versic. 1. *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta*, mediante tamen tribulatione certum potiùs quàm probabile habere potest signum salutis suæ, & consequenter quod Deus eum amet & diligat.

Edicite, amabo, N. an non magni amoris signum esset, si Deus cuidam Christiano reuelaret ipsum euasurum æternas inferni pœnas? omninò. Euidenter namque id contestatur Dauid Psalm. 59. versic. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*, vel vt alia lectio habet: *dedisti tentationem*, ac si dixisset sanctus ille Propheta: Domine seruis tuis dedisti tentationem quandam, vt possint fugere à facie arcus, videlicet à pœnis inferni. Ita hunc locum exponit S. Augustinus.

Hac igitur suppositâ veritate peto à vobis, quod aut quale mysterium nobis insinuat varia hæc traductio? quam habet conuenientiam signum cum tentatione? Significare volebat Propheta, tentationem illam, videlicet, aduersitates & calamitates vitæ huius esse signum euidens, vt serui Dei fugiant à facie arcus, nimirum euadant æternas inferni pœnas: audite S. Augustinum in Psalm. cit. *Per tribulationes temporales significasti tuis fugere ab irà ignis sempiterni.*

Sicque verum est N, quòd Deus illos, quos

quos amat, castiget. Quò etiam maior est amor, eò grauior est pœna; ita priprio fatetur ore Apocal. 3. versic. 19. *Ego, quos amo, arguo & castigo.* Hinc S. Gregorius Papa exponendo Psalm. 22. *virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*, versic. 4. & loquendo de semetipso dicit Deo: *Non solùm Domine Deus in eo quòd parcis consolaris me, sed in eo quòd flagellas, quia quem pater diligit, corripit.*

Num. 2. Finxerunt Poëtæ, quòd Iupiter omnes sagittas, quascumque eiaculatus est & misit in terram; ignitas & candentes priùs effecerit in ardentissimo Vulcani fornace. Fabula est excogitata ab Ouidio lib. 1. Metam. ast Catholica veritas est Deum nunquam sagittas tribulationum, quas paratas tenet, eiaculari in terram, quin prius easdem temperet in ardentissimo fornace amoris sui. Ita asseruit Dauid: *Sagittas suas ardentibus effecit.* Psalm. 7. vers. 14. Textus Græcus habet: *Sagittas suas cum clamore impleuit*, & Hugo Cardinalis exponendo hunc Psalmum dicit: *Ex igne diuini amoris sagittæ amoris veniunt.* Sagitta est igitur, ò paterfamilias, quando tibi Deus è præsente vitâ surripit filium; Sagitta est, ò adolescens, quando tibi mittit infirmitatem; Sagitta est, ò frater, quando tibi obuiat aliqua persecutio; sed scitote omnes has tribulationes primitus fuisse temperatas in fornace diuini amoris: *Sagittas suas cum amore impleuit.*

Veritatem hanc docere voluit Deus benedictus seruum suum Moysen, Exod. cap. 3. *Pascebat Moyses oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* versic. 1. *apparuitq; ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet & non combureretur.* vers. 2. *dixit ergo Moyses vadam & videbo, visionem hanc magnam quare non comburatur rubus*, versic. 3. Sicque dum festinanter accurreret rem totam exploraturus, insolitam ecce audit vocem auribus suis intonantem: quid agis, ò Moyses? siste gradum: *ne appropies huc*, vers. 5. Ex voce itaque, imperio, & mandato illo dilucidè cognouit Moyses, Deum esse, qui in rubo illo tanquam in regio sedebat & latebat throno. Omnes expositores huius loci vnanimi asserunt consensu, Deum hac visione voluisse Moysi ostendere calamitates & tribulationes, quas patiebatur populus suus sub tyrannico impij Pharaonis imperio. Pero ego modò, an non Deus ad indicandam hanc miseriam meliùs apparuisset Moysi circumdatus spinis, quæ sunt expressum tribulationum Symbolum? Cur igitur apparet in rubo ardenti? igne illo veluti amoris typo significare voluit, quòd tribulationes illæ, quas patiebantur filij Israël in Ægypto, causatæ erant ab amore, quo Deus ipsos prosequebatur.

Confirmat hunc meum conceptum rarum illud & mysterio plenum factum, quod pauci fortassis animaduerterunt. Num. 3. Indignatus erat vehementer in Prophetam Dauid Rex Saul, adeò, vt hic ipsius vitæ sæpissimè insidias struxerit, quâ de causâ bonus Propheta fugam capere coactus fuit, nec vnquam aulam Regis repetere statuit nisi placato Rege Saule. Fugiens ergo Dauid obuium habet Ioanatham Regis filium & sibi imprimis amicissimum, â quo interrogatus cur fugeret; respondit, mortem effugio, quam mihi minitatur pater tuus.

Habeam ego huius negotij curam, subiungit Ionathas, totum ego accommodabo. Ast quomodo id experiar, replicat Dauid? *Dixitq; ad eum Ionathas: cras Calendæ sunt & requireris*, versic. 18. *requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes ergo festinus & venies in locum, vbi celandus es in die, qua operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel.* versic. 19. *& ego tres sagittas mittam iuxta eum; & iaciam quasi exercens me ad signum*, versic. 20. *mittam quoque & puerum dicens ei: vade & affer mihi sagittas*,

versic. 21. *si dixero puero. Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est. Si autem sic locutus fuero puero: ecce sagittæ vltra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus*, vers. 22 Mirum sanè factum, quod, si sagittæ sunt intrà: signum sint vitæ, si sunt extra, signum sint mortis, imò contrarium deberet esse.

Ah, ô Christiane, Deus modo contrario procedit: quando mittit flagella & tribulationes, signum est nos ab eo amari, vt deinde nobis elargiatur vitam æternam; vnde dicebat Dauid Propheta: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* Psalm. 37. vers. 2. & reddens rationem subiungit: *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi* vers. 3. quapropter, si quendam graui aliquâ premi cernitis tribulatione & miseriâ, non id malum præsagium, sed signum amoris diuini esse iudicabitis, aduersitatem censebitis esse sagittam cœlectem indicantem nobis Dei amorem. Ita sanctus Basilius ait in Annotat. in lib. 1. Reg. sagittæ, *quæ iuxta nos à potenti Dei manu interdum iaculantur, non ad interitum sunt, sed ad salutem, quoniam signa sunt amoris diuini non furoris*.

Expertus fuit idipsum, S. P. Augustinus lib. 3. Confess. cap. 6. & 8. qui ardentissimè à Deo has petebat amoris diuini sagittas, vndè dicebat: *Iacula tua Domine in me sint? & sagittæ amoris tui feriant cor meum, vt dicere continuò possim: Ego charitate diuinâ vulneratus sum.* Et cùm à Deo istam impetrasset gratiam, gloriabatur deindè; gratesque Deo referebat quàm maximas pro tali beneficio hisce gratiosis verbis: *Gratias tibi ago, Domine, qui me creasti, cùm nihil essem, qui hunc humilem vermem pascis omnibus bonis tuis, & sagittasti cor meum charitate tuâ.* Signum igitur euidentissimum diuini amoris est pati tribulationes & persecutiones in præsenti vita.

Num. 4. Hinc colligere poteritis N. quàm stolidi & insani existant ij, qui flante minimo tribulationis vento, illicò rediguntur ad impatientiam, confugiunt ad querelas & lamenta, dicentes: Deus me persequitur. O stolidam, imò impiam consequentiam! amorem potiùs ex tribulatione argumentari deberent; nunquam enim Deus suos sine amore affligit seruos, veluti excellenter explanat & testatur Salomon Prouerb. 3. vers. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* O afflicte & tribulate, non credas velim, Deum te castigantem & punientem impelli & duci odiò aut indignatione aliquâ; sed ardentissimo amore: *Quem enim diligit Dominus corripit.* Et non solùm Deus te amat tanquã propriũ filium, verùm etiã summam in te habet complacentiam & delectationem: *& quasi pater in filio complacet sibi*, vnde dicit S. Augustinus lib. 1. de Past. *Flagellat Deus omnem filiũ, quem recipit. Es tu fortè exceptus? si exceptus es à passione flagellorũ, exceptus es à numero filiorũ.*

In Oseâ cap. 11. postquam dixerat Deus: *In funiculis Adam traham eos*, subiungit: *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillam eorum*, loco citato vers. 4. legunt Num. 5
Septuaginta: *Ero illis quasi dans alapas homo super maxillas eorum*, quasi dicat, instar amantissimi patris agam cum hominibus, qui, vt corrigat filium suum, non percutit eum baculo, sed leui palmâ dat illi alapam, quod potiùs amoris & benignitatis quàm odij & percussionis signum est. S. Hieronymus in Oseam declarat hanc innatam beneuolentiam & amorẽ Dei instar amantissimi patris corrigentis inobedientem filium, dum palmâ eum leuiter tangit & percutit; vnde dixit: *Quia pater amans, lasciuientem filium palmâ percutit manu.* Et vt ostendat, quàm exigua sit illa pœna, concludit deinde & pulchrè, non dixit: *Ero eos alapis verberans, sed quasi homo dans alapas.* O inauditam benignitatem! ô inenarrabilem amorem patris! qui videns filium à rectâ deuiantem semitâ, castigat eum

eum varijs tribulationibus & infirmitatibus ex puro amore, vt ipsum ad rectum deducat virtutis tramitem.

Inquirit quidam modernus Doctor causam, ob quam supra Christum Dominum in monte Thabor transfiguratum descenderit Spiritus sanctus, æternusque Pater ipsum tanquam legitimum suum approbauerit filium dicens: *Hic est, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 17. v. 15 quando deinde cruci affixus in maximis erat constitutus angustijs ab eodem suo Patre adeò derelictus fuerit, vt Saluator noster exclamare cogeretur: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. v. 46. Et, vt verum fatear N. miror summopere hoc super facto; splendor namque vestium & gloria corporis Christi sufficientissimum erant indicium, quo quilibet cognoscere potuisset, ipsum non fuisse puram creaturam, sed verum etiam Deum, vnde non videbatur esse necessarium, vt Pater æternus attestaretur ipsum esse filium suum; magis verò necessarium erat meo iudicio, vt id fecisset in monte Caluariæ, vbi moriebatur tanquam malefactor & seductor populi; tunc etenim omnis à Iudaismo sublata fuisset mala suspicio & dubietas, an esset filius Dei nec ne. Cur igitur in monte Caluariæ omninò ipsum deseri, & in monte Thabor tanquam verum suum approbat filium? Respondet citatus Doctor, quod in monte Thabor magna erat omnium exultatio, dies erat lætitiæ & gaudiorum, quo, quia dubitabatur, num verus esset Dei filius an non, ideò necesse fuit, Pater publicà eum & viuâ approbaret voce, dicens: *Hic est filius meus dilectus*, at in monte Caluariæ, quia tot tantisque oppressus erat tribulationibus & angustijs, non erat necessarium hoc testimonium; siquidem ipsius passio, pœnæ & tormenta sufficienter testabantur eum esse filium Dei dilectissimum. Concludamus ergo morem & consuetudinem esse Dei, vt affligat illos in hac vitâ, quos feruentiùs amat.

Imò dicam audacter, pati tribulationes & persecutiones euidentissimum esse signum, quod anima illa, quæ patitur gratissima sit Angelis, ab ijsque summo afficiatur honore. Apocal. cap. 19, comparebat quidam Angelus S. Ioanni, qui cùm eum reuereri & adorare volebat, dixit Angelus: *vide en feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu,* loco citato versic. 10. O paradoxon! quoties sancti Angeli in antiquo testamento se ab hominibus permiserunt adorari? & cur Angelus modò renuit refutatque honorem, quem S. Ioannes ei exhibere volebat? fortè, quia iam Deus factus erat homo, & naturam humanam Angelus conspiciebat ad summos euectam honores, eò quòd assumpta fuerat à Deo, & propterea ab eâdem iam adorari noluit? hanc rationem communiter adducunt sancti Patres, S. Ambros. Rupert. Richard. de S. Victore, Beda, Hugo Cardin. in hunc locum & alij. Fortè quia Ioannes erat Virgo, & honor Virg. non id permittebat, quia tametsi Angelus existat beatior, non tamen fortior. Fortè quia Ioannes erat Sacerdos, & authoritate ac potestate hac sacerdotali longè præcellebat excellentissimos etiam Seraphinos? fortè Angelus respiciebat donum Prophetiæ, quod maximè fulgebat in S. Ioanne? Cuncta bene dicta sunt; ast dicam ego cum grauissimo quodam Doctore, Angelum noluisse adorari à S. Ioanne, quia in ipso aduerterat euidens signum amicitiæ, quam cum Deo contraxerat: siquidem S. Euangelista ob fidem tunc relegatus erat in insulam Pathmos, actu patiebatur propter Deum, singularis igitur erat amicus Dei. Quare Angelus dicere volebat: absit vt ego ab intimis Regis mei amicis me permittã adorari: *vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.*

Num. 5. / Num. 6.

Num.7. Ex quo colligo maiorem excellentiam & laudem seruorum Dei fuisse, quòd sustinuerint tribulationes & persecutiones in hac vitâ. Appositè propterea considerat D. Chrys. hom. 5. de pat. Iob sanctos & amicos Dei non fuisse adeò excellentes & illustres propter bona opera, quæ exercuerunt, vti fuerunt propter aduersa & mala ab ijs perpessa. Pondera ex vnâ parte, inquit D. Chrysostomus, actiones Iob & bona eius opera, quando nimirum defendit pupillos & Orphanos, largissimas pauperibus elargitus est Eleëmosynas, indies obtulit Deo sacrificia, considera, inquam, hæc cuncta opera bona adeò stupenda, actionesque valdè meritorias, & ex aliâ parte cunctas tribulationes & aduersitates sancti huius Prophetæ, & deinde dic mihi, quid ipsum illustriorem & laude digniorem effecerit? an nimirum illa bona & meritoria opera, aut saltem miseriæ & calamitates, quas perpessus fuit? *quando charior apparebat? cum illa operaretur, an cùm tristis pateretur?* & respondet S. Doctor, quod tametsi opera bona & actiones virtuosæ S. Iob fuerint merito & præconio summo dignà; nihilominus aduersitates, quas sustulit, ad maiorem ipsum euexerunt perfectionis gradum: *plus hæc, quàm illa eum clariorem ostenderunt.*

Vnde idem S. Ioann. Chrysostomus in cap. 4. Epist ad Ephes. hom. 8. dicebat audacter: *vinctum esse propter Christum illustrius est, quàm siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse. Si quis Christum diligit, is nouit, quid sit, quod dico. Si quis erga Dominum insanit, vt ita dicam, & ardet, is nouit, quæ sit vinculorum virtus.* Progreditur idem Chrysostomus, & loquendo de Paulo Apostolo dicit: *non ita beatum dico Paulum, quòd in paradisum raptus, atque quòd in carcerem coniectus est: non ita beatum existimo quòd verba audiuit ineffabilia, atque quòd vincula sustinuit. Non ob id adeò beatum illum prædico, quòd in tertium cœlum raptus est, atque propter vincula. Quòd enim ista reliquis sint maiora, audi ipsum, quomodo glorietur; non enim dicit: hortor vos ego, qui verba ineffabilia audiui, sed quid? hortor vos, inquit, ego vinctus in Domino.* Concludit deinde dicens: *Si aut mihi cum Angelis standum fuisset sursum, aut cum Paulo vinctum, carcerem utique peroptassem. Adhæc, si quis me aut in numerum & ordinem collocasset cœlestium potentiarum, earum etiam, quæ sunt prope thronum Dei, aut talem ligatum fecisset, talis vtique ligatus esse voluissem.*

Summa N. talis ac tantæ excellentiæ sunt tribulationes, quibus Deus visitat Num.8 seruos suos, vt, quia Christus Dominus videbat se incapacem flagellorum & pœnarum in cœlis, teste psalmographo: *& flagellum non approquinquabit tabernaculo tuo.* Psalm. 90. vers. 10. dixerit. D. Augustinus lib. de past. illum descendisse de cœlis & hominem factum; hunc in finem, vt sustineret passiones, aduersitates, miserias, aliasque pœnas vitæ huius: *Vnicus ille de Patris substantiâ natus aqualis Patri in forma Dei Verbum per quod omnia facta sunt, videns quia non habebat vnde flagellaretur, ad hoc carnem indutus est, vt sine flagello non esset.*

Nemo igitur obstupescat N. quòd S. Ignatius Martyr iam damnatus ad bestias, tigrides, Leones, vrsos, aliaque ferocia animalia, vt ab ijsdem dilaniaretur, dicebat: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar.* Et si propterea vos, ô mei filioli, me nimis crudelem & asperum appelaueritis: *ignoscite mihi filioli, scio quid mihi prosit,* quod nimirum pro Christo patiar. Idem hoc valde benè intellexerat Carmelitarum decor & splendor, sancta, inquam, illa & nunquam satis deprædicata Virgo Theresia, quæ magno cordis affectu cœlesti suo dicebat Sponso: *Domine: aut pati aut mori.*

Si

Num.9. Signum igitur magni amoris est tribulatio, quam patiuntur dilecti serui Dei in præsenti vitâ; vndè huic proposito conformiter loquitur B. Laurentius Iustinanus de cast. connub. cap. 19. *Hoc naturalis testatur ratio, hoc Sanctorum & maximè Verbi exempla confirmant, vt eò quisque durius in præsenti flagelletur, quò arctius amatur.* Et S. Ioan. Chrysostomus lib. de prouid. Dei concludit: *nullus vnquam ex his, qui maximè Deo chari sunt, & acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit.*

Ex hac doctrinâ verissimam nunc colligite N. conclusionem, quòd, quandò homo est constitutus in peccato mortali, & continuò offendit Deum, nullam sentit concussionem aut ictum tribulationis, & ab eo longè abesse videtur tribulatio & flagellum, maximè tunc sibi cauere & timere debet de salute suâ; signum namque est, Deum summè esse in eum indignatum. Ita asserit S. Hieronymus Epistol 25. ad Castrut. dicens: *magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus.*

Hinc per Prophetam Ezechielem minabatur Deus ciuitati Ierusalem magnam aliquam pœnam, nimirum, quòd ipsam relinquere vellet absque tribulatione: *auferetur zelus meus à te & quiescam, nec irascar amplius,* Ezech. cap. 16. vers. 42. Quem locum exponit D. Hieronymus & dicit: *Inter supplicia, quæ Deus Hierosolymis minatur, vnum est illud præcipuum, quòd vrbem statuat non punire. Ex quo perspicimus grandem offensam esse, ne quicquam curæ haberi à Deo, sed permitti hominem sceleribus suis atque peccatis. Auferetur, inquit, zelus meus à te, & requiescam, nec irascar amplius quasi alienæ, & quæ à me recesserit, & quam æternæ tradiderim nuditati.*

Num.10. Quandò Medicus N. deserit infirmum, malum est signum, desperatur de ipsius salute, nulla est spes recuperandæ sanitatis. Quando Magister eliminat è Scholâ discipulum, signum est eum esse incapacem scientiæ. Quando pater non corrigit filium, signum est, non hunc à patre amari. Deus his tribus fungitur officijs nobiscum, & primò officio patris: *Patrem vocabis me.* Ierem. cap. 3. vers. 19. Magistri: *vos autem nolite vocari Rabbi; vnus est enim Magister vester.* Matth. 23. vers. 8. Medici, de semetipso namque ait: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Matth. 9. vers. 12. At scias, quòd si hic Medicus amarâ tribulationis medicinâ non curauerit infirmitatem animæ tuæ, actum erit de te. Quòd si hic Magister punitionis & afflictionis virgâ non te docuerit viam virtutum, cœli quoque ignorabis semitam. Si hic Pater rigore suo paterno non te correxerit, non te veluti suum agnoscet filium; ait enim idem D. Hieronymus vbi sup. *Non erudit pater, nisi quem amat, non corripit Magister, nisi quem ardentioris cernit ingenij, & medicus si curare cessauerit, desperat.*

Vnde Dauid Propheta, ex eo quòd viderat Deum iratum in populum suum, argumentatur & colligit diuinam eius misericordiam: *iratus es*, inquit ille, *& misertus es nobis,* Psalm. 36. vers. 3. Theophylactus legit & exponit hoc modo: *iratus es, quia misertus es nobis.* Quia non resplendet relucetque magis diuina misericordia nisi inter angustias & tribulationes; quod idem innuit Sapiens, cùm ait: *speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis.* Ecclesiast. triges. quint. vers. viges. sext. Vnde Deus paternam suam beneuolentiam non per aliud signum manifestare videtur nisi per correctionem, punitionem & admonitionem; sicut à contrario infirmitatis incurabilis animæ indicium est, esse priuatum similibus paternis correctionibus & admonitionibus, quemadmodum sapienter docteque notauit S. Gregorius Nazianzenus Orat. in plagam grandinis, cùm agit de causis & effectib. tribulationis: *sicut paternæ beneuolentiæ* (ait ille) *argumentum*

tum est obiurgatio, ita omnis anima, quæ admirationis est expers, incurabilis manet. Impossibile videtur (volebat dicere hic S. Doctor) quod anima quædam, quam non tangit tribulatio, à graui peccati infirmitate surgere, & in Dei cognitionem deuenire possit, dùm semper prolabitur in noua peccata & scelera; vnde in maiorem desperationem deducitur salus animæ, eò quòd infirmitas magis magisque efficiatur incurabilis.

Num. 11. Quapropter regius Propheta loquens de misericordiâ, quam Deus exhibet illis; quos virga cædit tribulationum & persecutionum dixit: *Domine Deus noster tu exaudiebas eos. Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Psalm, 98. vers. 8. Quem locum in hunc modum expendit D. August. *vindicans propitius fuisti.* & Serm. 37. de verbis Dom. ait idem sanctus Doctor: *Magna misericordia est, nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modò flagello dignatur castigare.* Et deinde subiungit: *vis nosse, nulla pœna quanta sit pœna?* interroga Dauid Prophetam dicentem: *exacerbauit Dominum peccator.* Psalm. 9. vers. 25. Peccator peccatis suis mouit Deum ad indignationem, & quia grauiter in eum indignatus est, non castigabit illum; vnde subdit: *secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* loc. cit. Tunc timenda est ira diuina, quando omnia procedunt iuxta vota & desideria nostra, & hoc è supplicijs, quæ homini infligi possunt, præcipuum est: ita hunc locum exponit Diu. Augustinus dicens: *Multùm irascitur Dominus, dum non requirit, dum quasi obliuiscitur, & non attendit ad peccata. Nemo gratuletur homini, cuius peccatis deest vltor, adest laudator: maior hæc ira Domini est.* Idem confirmat S. Bernard. Serm. 42. in Cant. dicens: *Nec eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris: vides, quia tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur? misericordiam hanc ego nolo, super omnem iram miseratio ista est.* Quare Deo loquens dicebat: *volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis deuium. Non enim cùm nescio, sed cùm sentio te iratum, tunc maximè considero propitium.*

Et propterea S. Propheta Iob, cùm Num. 12. cognosceret commodum & vtilitatem tribulationis, dicebat: *hæc mihi consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* cap. 6. versic. 10. in quem locum ait D. Gregor. lib. 7. mor. cap. 7. *Feriri paterna correctione desiderant, & dolorem vulneris medicamina salutis putant, scientes, quòd ideò electis suis Deus non parcit, vt non parcendo in æternum eis parcat.* Dicit insuper idem sanctus Pontifex, valdè sibi timere Sanctos & seruos Dei, cùm sunt absque tribulationibus & miserijs; & ratio est: quia se orbatos esse hæreditate æternâ suspicantur: *cùm sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauidâ suspicione turbantur; timent enim vt hic laborum suorum fructus recipiant, & à præmijs vitæ sequentis inanescant.*

Et S. Ambrosius in Psal. 18. acutè examinat consideratque quod Dominus Deus binas populo suo inflicturus pœnas, ambas significauerit Ieremiæ Prophetæ: primam per virgam quandam vigilantem, secundam per ollam succensam: *quid tu vides?* respondit ille: *virgam vigilantem ego video.* Ier. cap. 1. versic. 11. Theodotion, apud S. Hieron. hic legit: *Virgam vigilantem & nimis festinè germinantem ac florescentem ego video.* Si homo pœnâ dignus & corrigendus castigaretur virgâ florescente & instructâ folijs, beneficium potiùs quàm pœnam esse assererem. Talis est Deus noster; in primâ pœnâ vitæ, videlicet, præsentis tantâ vtitur beneuolentiâ & mansuetudine cum hominibus, vt non sit appellanda pœna sed beneficium propter mansuetudinē quâ agit nobiscum, cùm per flores indicet nobis spem fructuum vitæ æternæ. Quapropter

propter dum peccator vilipendit hanc benignitatem & mansuetudinem, prodeat olla succensa, Symbolum nimirum pœnarum infernalium. Et ideò postquam Ieremias vidisset virgam florescentem, subleuans oculos secundâ vice conspexit ollam succensam: *ollam succensam ego video*, loco citato vers. 13. Audite modò S. Ambrosium: *Hieremias priùs baculum vidit, deinde ollam feruentem, sed cur priùs baculum, postea ollam? quoniam qui baculo non corrigitur, in ollam mittitur vt ardeat.* Hinc & dicebat magnus Pater Origenes in Exod. *Ego opto, vt dum in hoc sæculo sum, visitet Dominus peccata mea; ne in altero audire merear. Fili recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ.*

Num. 13. Proposito huic appositè inseruit, quod refert Cardinalis Baronius de S. Ambrosio, qui, cùm perficisceretur die quodam Romam, & Thusciæ quoddam intrasset oppidum, hospitio susceptus fuit à prædiuite quodam huius oppidi incolâ, à quo insuper intellexit, nunquam illum toto vitæ suæ tempore passum fuisse calamitatem aut miseriam aliquam; vnde S. Archiepiscopus exclamans dixit comitibus suis: *Surgite, quantocyus hinc fugiamus, quia Dominus non est in loco isto, festinate filij, nec in fugiendo moram facite, ne vos hic vltio diuina apprehendat.* Mira audite N. vix sanctissimus præsul ex loco illo discesserat, & illicò tota corruit domus, & diuitem semper antea fœlicem infœliciter posteà oppressit. Verum namque est, quod dixit Seneca libr. de prouid. Dei: *nihil eo infœlicius, cui nihil euenit aduersi: argumentum est à Deo illum contemni vt imbellem & ignarum.*

Hanc eandem veritatem agnouit Philippus rex Macedoniæ pater Alexandri Magni, de quo refert Plutarchus in Apoph. quòd, cùm tria eodem die fœlicissima recepisset nuncia: vnum, quòd natus sibi esset filius, quem auidè desiderauerat, qui fuit postea Alexander Magnus. Secundum, quòd exercitus suus celebrē de hostibus reportasset victoriam. Tertium, quòd quidam equorum suorum currendo reportasset præmium in ciuitate Olympiâ, totus turbatus & consternatus fuit Philippus, Deosque confestim exorauit, vt placati indignationem & iram in se conceptam, vti suspicabatur, deponerent, & deinde allocutus est fortunam: *ô fortuna pro tot tantisq; bonis exiguo me aliquo modo affice.* Et optimè dicebat, quia quo minus Deus punit peccatores in præsenti vitâ, eò magis ipsos affliget in futurâ.

Totum hoc confirmat S. Ioannes in suâ Apocal. cap. 2. vbi refert, quod Deus die quodam summè iratus in mulierem quandam nomine Iezabel, eò quòd hæc persequebatur Dei seruos, minitatus fuerit grauissimam ei infligere pœnam; vnde dixit: *ecce mittam eam in lectum*, loco citato versic. 22. Primasius antiquissimus Ecclesiæ Pater, quem refert Vega in cap. 2. Apoc. appositè hunc locum interpretatur & ait: *Itaque de Iezabel supplicij loco dicitur: mittam eam in lectum, vt nimirum impunè in hac vitâ peccant, & in suis peccatis quasi in mollissimo lecto quiescens ex vno scelere aliud nectat, & ita ad damnationem sibi viam muniat.* Ex quibus euidenter patet, maiorem indignationem quam Deus potest demonstrare in hac vitâ, esse non castigare & nullas immittere tribulationes, sed permittere, vt homo liberè peccet, inordinatis suis obsecundet appetitibus, cunctisque affluat delicijs. E contrario verò clarum amoris & misericordiæ indicium esse punire seuerissimè hominem, vt sic castigatus emendet vitam suam, ac in dies magis magisque se perficiat in statu gratiæ, vt tandem adipiscatur gloriam in cœlis. Num. 14.

Tribulatio.

DISCVRSVS LXXI.

De cœlestibus consolationibus spiritualibusque delicijs & voluptatibus, quibus frequenter perfruuntur serui Dei, qui patienter sustinent tribulationes & aduersitates in præsenti vitâ.

Num. 1. ALEM ac tantam Deus habet seruorum suorum curam, vt non tot reperiat mundus modos, quibus eos persequatur, quot Deus habet media, quibus eosdem consoletur & reficiat. Sacram mecum subintrare Scripturam, non minus pulchra quàm curiosa ibidem reperiemus argumenta hoc idem clarè probantia. Tempore diluuij timens ac tremens hærebat Noë inclusus arcæ, ab vndis & procellis inundantium aquarum agitabatur, & dum expectat mortem, ecce columba, quæ redeundo ad arcam ac deferendo secum ramum viridantis oliuæ, lætum simul ei adfert nuncium pacis & vitæ. Genes. cap. 7. & 8. Fugiens populus Hebræus ex Ægypto Exod. cap. 14. inter medias montosasque maris vndas timens ac contremiscens iter faciebat, tremebat, inquam, non tam propter strepitum armatorum militum se insequentium, quàm propter intumescentes maris fluctus instar montium ab vtraque parte erectos; interea ecce in profundo maris non sine naturæ prodigio prosilientes & germinantes conspiciunt herbas & flores odore suo viatores mirifice recreantes: *& campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio transiuit.* Legitur in lib. Sap. 19. versic. 7. & 8. Idem populus vastum & horridum percurrebat desertum; & cùm alijs oppressus miserijs insupportabili quoque affligeretur fame, descendit ecce manna de cœlis, quo suum satiauit & refecit appetitum Exod. capite 16.

Tres Adolescentes in fornace Babylonicâ à diluuio quodam flammarum videbantur non tam submersi quàm sepulti; sed ecce lenem & suauem spirantem auram, æstum caloris temperantem. Dan. cap. 3. Daniel Propheta iam iam in lacu constitutus deuorandus erat à Leonibus, & ecce Habacuc per aërem delatus ab Angelo ad lacum cibum attulit Danieli, quo reficeretur. Dan. cap. 14. Demum, vt concludam, Elias Propheta errans in solitudine fame quasi emoriebatur, & ecce coruus à Deo edoctus subministrauit ei cibum mane & vesperi. 3. Regum 17. Etenim, si magnas serui Dei patiuntur tribulationes, maiores sanè à Deo percipiunt consolationes & gaudia spiritualia in hac vitâ.

Sponsa in sacris Canticis, per quam Num. 2
significatur quælibet fidelis anima spiritualibus incumbens exercitijs, egregium nobis proponit ænigma, quo explicat spirituales consolationes, quæ percipiuntur ex tribulationibus, sic ait: *descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea & germinassent mala punica.* Cantic. 6. versic. 10. Ecquomodo ô prudens & Deo dilecta sponsa, ergóne in horto tuo permisisti plantari & excrescere nucem, cuius vmbra non exiguum vicinis plantis infert detrimentum & damnum? quid amœnitati hortorum conferunt & conducunt syluestres & damnosæ nuces? nihil boni profectò. *Descendi in hortum meum.* Et in quem

quem finem? *vt viderem poma conuallium* Quis vnquam è grossis prææltisque ramis inter lata asperaque folia prodire conspexit odoriferum & coloratum pomum? S. Ambrosius in hunc locum & in Psalm. 38. dicit per nucem significari seruum Dei, quia huiusmodi fructum extrinsecus demonstrat, Corticem habet adeò amarum & gustui minus gratum, vt omnia animalia propterea odio illum habeant; ast si illum aperias & introspicias, adeò dulcem & sapidum reperies fructum, vt antiquitus Deorum nuncupatus fuerit cibus. Et quid aliud sunt serui Dei, si extrinsecus illos consideres, nisi veluti nuces abiectæ, despectæ, afflictæ & tribulatæ? vnde dicebat Paulus Apostolus: *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.* 1. Cor. cap. 4. vers. 13. ast intus dulcis & sapidissimus inclusus continetur cibus Spiritus; quia quò in maioribus constituti sunt angustijs & miserijs, eò maiores percipiunt & experiuntur consolationes & voluptates cœlestes. Et ideò Sponso desiderabat videre poma inter ramos & folia nucum pendentia, vt mundi patefaceret deceptionem, qui notat & obseruat actiones seruorum Dei, easque arbitratur esse nuces amares, sed prædulcia & suauia poma sunt, quia si ex vna parte tribulationum gustant amaritudinem, ex altera parte maiores recipiunt consolationes: *Nux* (inquit S. August.) *foris amara & dura, intus est fructuosa & in medio dulcis: ita & tribulatio etsi videatur aspera fructum tamen dulcem habet absconditum.*

Num. 3. Hinc Paulus Apostolus supra modum gaudebat in multis tribulationibus Corinthiorum, quemadmodum euidenter colligitur ex 2. Epist. quam ad eos scripsit cap. 7. vers. 4. *Repletus sum consolatione,* dicebat ille, *superabundo gaudio in omni tribulatione vestrâ.* Sed si in fœlicibus successibus solùm fieri soleant congratulationes, cur Apostolus in grauissimis malis & calamitatibus, quas patiebantur Corinthij, congratulatur eis, idque non cum ordinariâ, sed superabundante lætitiâ & gaudio? *Superabundo gaudio.* Ecce rationem huius assignat Rupertus Abbas dicens in hunc locum: *Quia enim tribulationibus externis internæ consolationes copulantur, ideò repletur consolatione & superabundat gaudio Apostolus.*

Et de hisce cœlestibus consolationibus Sponsam in sacris Canticis loqui existimo, quando post descriptionem omnium membrorum dilecti sponsi, dicebat deinde de labijs eiusdem: *Labia eius lilia distillantia myrrham primam,* Cant. 5. vers. 13. & paulò ante; *Mel & lac sub lingua tua.* Cant. 4. versic. 11. Heus, ô dilecta sponsa, cùm labia & lingua sint sibi adeò vicina, vt nullus loqui nequeat absque coniunctione & vnione labiorum & linguæ, quâ ratione igitur fieri potest, vt myrrha labiorum non conuertat in amaritudinem mel & lac, vel lac & mel conuertat in dulcedinem myrrham per labia sparsam? En mysterium N. innuere volebat Spiritus sanctus, quod, tametsi in labijs, quæ sunt externæ corporis partes, conspicia-tur amaritudo mortificationum, nihilominus in vicinâ & occultâ parte animæ resident dulcedines spirituales: & ideò non dicit: *in lingua*, sed, vt declaret eas esse absonditas, ait: *sub lingua.* O percharas igitur externas tribulationes, internas adferentes dulcedines, adeò suaues, vt anima ijs inebriata exclamet cum Prophetâ: *Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam* Psalm. 93. vers. 19.

Neque consolationes has spirituales, quas in præsenti sæculo experitur anima tribulata & afflicta, communes & ordinarias censeatis N. imò adeò vberes & abundantes sunt, vt quasi tolerari nequeant. In cuius confirmationem aptiorem non reperio locum in sacris paginis ad explicandas delicias & gaudia, quibus perfruuntur afflicti famuli Dei, quàm stupendum illud Eliæ factum, cu- Num. 4.

ius fit mentio 3. Reg. cap. 19. Fugiebat hic Propheta impiæ Iezabelis furorem & minas, & cùm latitaret in speluncâ quâdam, & opem præstolaretur à Deo, vocem subitò audiuit præcipientem sibi, vt montem ascenderet: *Quid hîc agis Elia?* loc. cit. versic. 9. *egredere, & sta in monte coram Domino,* loc. cit. versic. 11. & ipse sine mora ascendit montem, vbi vehementem adeò & impetuosum audiuit ventum, vt hic montem ipsum euertere & durissimas petras confringere videretur: *Et spiritus grandis & fortis subuertens montes & conterens petras.* loc. cit. Audit & obstupescit summoperè Propheta; at non turbatur. Audit deinde ingentem terræmotum; adeò vt trepidarent omnia ædificia, & totus mundus videretur minitari ruinam: *& post spiritum commotio.* Totum & hoc spectat Propheta, miratur; ast imperterritus manet, vidit deinde ignem descendentem de cœlo, quo in plures partes diuiso circumdabatur mons vndique: *& post commotionem ignis,* loc. cit. vers. 12. demiratur Elias, cogitat & recogitat naturæ hæc prodigia, nulla tamen eum inuasit animi perturbatio. Tandem ecce serenum fit cœlum & aër tranquillus, spirabat insuper aura quædam lenis & suauis, inuitans aues ad cantum: *& post ignem sibilus auræ tenuis.* loc. cit. spectator & huius adest Elias, non iam miratur, sed perturbatur & consternatus hæret, ac totus repletus timore vultum suum proprio cooperit pallio: *Quod cum vidisset Elias, operuit vultum suum pallio.* vers. 13. Quid agis, ô Propheta? vehementi & valido flante vento intrepidum te ostendis, formidabili & tremendo excitato terræmotu animosus & immobilis persistis, audax & imperterritus non cedis voracibus flammis, & auram adeò suauem & leniter spirantem flatuque suo temperato te refocillantem pusillanimus tantùm times & formidas, vt vultum tuum tegas pallio? Ast non est mirum N. Eliam spirante aurâ adeò suaui fuisse perturbatum, quia intra illam continebatur Deus, qui tantâ eum refecerat consolatione, vt quia is nequiuerat sufferre cœlestes illas consolationes, coactus fuerit vultum suum tegere pallio. Sed quæ suberat ibi causa confortandi ipsum? Abs dubio tribulatio, nauigabat namque tempore illo Propheta Elias in immenso quodam afflictionum Oceano propter persecutionem impiæ Iezabelis, tantoque concutiebatur dolore, vt iam iam se mori debere omninò crederet; vnde dicebat Deo: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam,* loc. cit. versic. 4. q. d. Domine sustinere non valeo tot tantasque tribulationes & miserias, omninò impar sum ferendo persecutionem impiæ huius Iezabelis. Mortem ergò mihi dona, ô Deus meus; hanc enim potiùs sustinebo quàm furorem & rabiem illius crudelis reginæ. Sed quid? dum credebat iam iam se moriturum, ecce à Deo tenui & suauiter spirante aurâ circumdato, tot tantisque repletur consolationibus, vt iisdem quasi inebriatus, cùm ob nimiam copiam & abundantiam easdem sufferre non posset, coactus fuerit vultum suum cooperire pallio: *operuit vultum suum pallio.* conceptus hic est antiquissimi Tertull. lib. de pat. cap. 2. dum spiritum consolatorem alloquitur tali modo; *quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, dulcissime Spiritus, quam nec fortissimi quidem ferre valent.*

Num. 5. Amplissimam hisce fidem faciunt deuotæ animæ diuino accensæ amore, quæ adeò flammâ illâ spiritualium consolationum se accendi sentiunt, vt se ab illâ absumi existiment. Vnde S. Ephrem Syrus coactus fuit exorare Dominum, vt aliquantisper diuinarum dulcedinum retardaret vndas, quibus continuò irrigabatur & ditabatur: *contine Domine, contine vndas dulcedinis tuæ, quia sustinere non valeo,* Et S. Franciscus Xauerius tan-

tantorum sese iudicans incapacem consolationum exclamabat: *satis est Domine, satis est Domine.*

Et hæc est ratio N. cur sponsa quadam vice rogauerit cœlestem sponsum, vt instar capreæ summâ cum velocitate fugeret ad campos: *fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum,* Cant. 8. versic. 14. sed quid dicis, ô dilecta sponsa? an non tu paulò ante cucurristi per vicos & plateas, murosque ciuitatis obambulasti quæsitum illum, & tametsi spoliata grauiterque vulnerata fueris, nihilominus non alia ex ore tuo prodierunt verba nisi hæc: *num quem diligit anima mea vidistis?* Cant. 3. vers. 3. & inuentum deinde amplexatus fuisti eum ac taliter tenuisti, vt effugere nequiuerit: *tenui eum, nec dimittam.* loc. cit. vers. 4. quomodo ergo iam mutas mentem, eumque abire iubes, imò, vt fugiat, precaris? *fuge dilecte mi.* Ah N. adeo accreuerant spirituales consolationes & diuinæ dulcedines, quas sponsa hauserat ex præsentiâ cœlestis sponsi, vt tantorum gaudiorum incapax fuerit. Ita existimat Hugo de S. Victore in Cant. qui dicit: *quoniam sponsa incapax cœlestis dulcedinis est, vt fugiat sponsus, petit.* At interrogantibus me, vnde in sponsa tot tantæque originem traxerint consolationes? respondebo, ex tribulatione. Afflicta erat sponsa paulò ante, cum anxia & sollicita quæreret sponsum, pessimè erat excepta, percussa & vulnerata à militibus custodientibus ciuitatem Ierusalem; vnde cœlestis sponsus factus ei obuius, vidensque illam adeò afflictam & tribulatam, repleuit eam tantâ consolatione & dulcedine cœlesti, vt, quia se agnouit illius incapacem, exoret sponsum suum, vt abeat & fugiat: *Fuge dilecte mi.*

Num. 6. In confirmationem iam dictorum mementote illius, quod contigit Patriarchæ Iacob. Proficiscebatur ille ad exteras & longinquas regiones fugiens odium ac persecutionem fratris sui Esau. Lassus tandem à molesto itinere, destitutusque hospitio, ad quod diuerteret, sub dio è lapidibus componens sibi ceruical obdormiuit; sed dormienti stupendum obtigit somnium: *Viditque* (ait sacer textus) *in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam,* Gen. 28 versic. 12. Mirum mihi videtur N. quòd Angeli ascendẽdo & descendendo de cœlis indigeant scalâ, cùm spatio vnius momenti ab oriente ad occidentem transire possint: ast totum id factum est, inquit D. Chrysostomus, ad restaurandos & subleuandos labores perpessos à Iacob, vt nimirum cœlestes gustaret consolationes & dulcedines, quæ quamuis magnæ fuerint, noluit, vt Angeli iuxta eorum naturam velocissimè se mouerent; sed vt per gradus scalæ passum & gressum retardarent, vt motus istius intuitu diuturniores perciperet voluptates, sapidioresque fierent consolationes cœlestes: *Scala apponitur,* (ait Chrysostomus in hunc locum) *Angeli ascendunt & descendunt, vt per longiores moras, longiores Iacob reciperet consolationes.*

Quid mirum igitur, quòd iusti tantùm ament tribulationes, vt ne quidem post mortem ab ijsdem desiderent separari, sed eas secum exoptent, quantùm possibile est? Et hæc est opinio D. Ambrosij orat. de fide Resurr. qui dum consideraret, quòd Iacob iam mori vicinus rogauerit Ioseph, ne se relinqueret in Ægypto, sed vt ossa sua deferret secum in terram Chananæorum, vbi sepulti erant Majores eius: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Genes. 50. vers. 24. rationem reddit citatus S. Doctor, dicitque: *Sanctus Patriarcha Israël profugus patriâ, fratre, Parentibus, stuprum filiæ, generis necem fleuit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit, & transferri etiam ossa sua, ne vel mortuus requiesceret, obsecrauit.* Num. 12.

Pientissimus Saluator noster adeò passionis & sustinendarum miseriarum auidus fuit, vt de eo dixerit Ieremias: *Saturabitur opprobriis.* Thren. 3. versic 30. & hoc eius desiderium tam magnum fuit, vt non solùm contentus fuerit sola morte, sed mille tormentorum genera ante mortem subire voluerit. Vnde acutè dixit antiquissimus Tertullianus lib. de patient. cap. 3. Christum Dominum voluisse se tormentis & miserijs saginare & impinguare: *Taceo*, inquit ille, *quod figitur; ad hoc enim venerat, nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat*, quasi dicat, quod piissimus Redemptor noster moriatur cruci affixus, transeat; in hunc etenim finem in mundum venerat; ast quid opus erat, vt tot iniurias, contumelias, opprobria; flagella & infinita alia perferret tormentorum genera? An fortassis hæc erant necessaria morti eius? non profectò, sed quia ei ex hoc mundo discedendum erat, & eundem ad eum locum, vbi pati non poterat, voluit se primò tormentis, miserijs pœnisque alijs perferendis saginare, impinguare & incrassare.

Num. 8. Hanc consolationem & dulcedinem, quæ percipitur ex tribulatione præsentes vitæ, experta fuit religiosa illa soror, quæ in monasterio S. Theresiæ demorabatur, de quâ legitur in vitâ S. Theresiæ, quòd cùm aliæ sorores decantarent versum illum 82. Psalm. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes quando consolaberis me.* Ipsa voce sua dissonum reddebat totum chorum, quod aduertens S. Mater Theresia correxit illam, petijtque insuper ab eâ causam, cur nimirum, ipsa sola voce suâ dissonâ chorum totum perturbasset? Respondit hæc Dei famula: scito, ô Mater sancta, verba hæc me protulisse submissâ & suppressâ voce; nullam etenim consolationem desidero in hac vitâ; vnde si nullâ teneret officij huius obligatione, libentissimè præfata subticerem verba. Vt nobis innotescat, non posse Deum maiorem alicui animæ exhibere fauorem & gratiam, quàm vt eam continuâ affligat tribulatione.

Vnde Regius Propheta Dauid dixit Psal. 93. vers. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* In quem locum ita discurrit S. Augustinus: *Multi quidem dolores, sed multæ consolationes, amara vulnera, sed suauia medicamenta.* Consonat Theodoreti expositio: *Respondentem doloribus consolationem à tuâ bonitate accipiebam.*

Veritatem huius cognoscunt & deprædicant ij, qui illas probarunt. Dicat S. Petrus Apostolus, qui tametsi horrido & obscuro detineretur carcere, vinculis & catenis alligatus & vigilibus custoditus, quamuis ipsum Herodes perfido Iudæorum populo mortem Apostoli huius sitienti tradere de sequenti decreuisset; ipse nihilominus inter vincula & catenas adeò suauiter dormiebat, vt D. Augustinus serm. de S. Petro exclamat: *Admiror Petre, quietem tuam, in medio catenarum velut inter flores requiescis. Quod est hoc, nisi quia ibi tu iustus quietem reperis?* Imò ad ingressum Angeli, qui copioso suo lumine repleuerat carcerem; ad impetum terræmotus, quo locus ille terribiliter concutiebatur: ad strepitum & tumultum portarum violenter apertarũ ne minimum è somno excitatus fuit; vnde Angelus impetu lateri eius impresso è profundo ipsum excitaret somno, necesse fuit, quamuis ob iniustam persecutionem intrusus fuisset in carcerem. Act. c. 12.

D. quoque Chrysostomus homil. 8. in Epist. ad Ephes. 4. perpulchrum hunc Petri casum & factum attentius considerans aureis hanc notandam characteribus protulit sententiam: *Hic si mihi quispiam dixisset, elige virum velis: vis esse Angelus Petrum stimulans ac soluens, an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem esse, propter*

pter quem & Angelus descendit, vinculis istis potiùs libuisset.

Et si à me petatis causam, cur Petrus adeò suauiter dormierit tempore illo, quo ei vigilandum & cogitandum erat de tormentis & Martyrio, quod ei præparabatur, de morte, quæ ipsi imminebat? Aliam nescio assignare rationem nisi illam, quam suppeditat S. Hilarius in Matth. quando de iustis disserens dixit: *Sancti nunquam dulcius requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur.*

Num. 10. Idem hoc insinuare videtur Spiritus S. per factum illud Iacob, quando iam iam Deo redditurus erat animam; postquam enim filium suum Ioseph rogasset, vt is ossa sua deferret secum in terram Chanaam, eaque reponeret in sepulchro maiorum suorum, & postquam etiam Ioseph id se facturum iuramento confirmasset, subdit sacer textus, quod *adorauit Israël Deum conuersus ad lectuli caput.* Genes. cap. 47 versic. 31. Septuaginta legunt: *adorauit summitatem virgæ eius*, vel vt legit S. August. *in capite virgæ suæ.* Quid ô Deus, summitati virgæ cum lecto? quam, quæso, combinationem hæc duo causare possunt? in hominibus mundanis nullam, magnam in iustis & seruis Dei; siquidem iusti & serui Dei in molliori commodiorique nequeunt requiescere lecto, quàm cum tribulationis afflictionisque tanguntur & percutiuntur virgâ, variasque patiuntur aduersitates & miserias: *Sancti nunquam dulcius requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur.*

Num. 11. Et Dauid Propheta appositè dixit: *Ego dormiui & soporatus sum.* Psalm. 3. versic. 6. ast quando Dauid profundo sopitus fuit somno; quando eum persecutus fuit filius eius Absalon & propterea titulus huius Psalmi est hic: *Psalmus Dauid, cùm fugeret à facie Absalon*, & hic est ille lectus, in quo securi & ab omnibus curis liberi obdormiunt: *Sancti nunquam dulcius requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur.*

Hinc P. Origenes sup. Iob lib. 3. disserendo de patientissimo Iob ait, aliâ non fuisse eum refocillatum consolatione, quàm cùm se vndique plagis confectum & obductum conspexit. Quâ de causâ putredini & vermibus suis hos dignos attribuit titulos: *Putredini dixi: pater meus es: mater mea, & soror mea vermibus.* Iob 17. versic. 14. ac si dixisset iuxta expositionem Origenes: *vt autem pueri consolatores patres habent, sic etiam ego in re nullâ nisi in sanie quiescam, ab hac enim quasi à matre fouear.* Et hic est lectus, in quo requiescunt serui Dei, & propterea sanctus Petrus Chrysologus serm. 35. sermocinando de sancto Laurentio Martyre, dum craticulæ superpositus ab ardentibus torreretur carbonibus; dixit: *Beatus Laurentius craticulam supplicij lectum quietis putabat.*

A contrario verò, Dauid Propheta extra hunc lectum constitutus, neque quiescere, neque oculos claudere potuit: *Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.* Psalm. 56. versic. 5. Qui in commodo aliquo quiescit & obdormit lecto, si exinde postea tollatur & supra nudum collocetur pauimentum, necesse est, dormiat conturbatus, omnisque quietis expers sit. Hoc idem Dauid sibi accidisse asserit: dormiebat ille & optimè quiescebat in suaui quodam lecto persecutionũ & tribulationum, dum eum persequeretur Saul cum suo exercitu, quemadmodum legit S. Hieronymus ex textu Hebræo: *anima mea in medio leonum dormiuit ferocientium de Saul & eius militibus*, Dominus Deus sustulit eum ex hoc lecto: *& eripuit animam meam de medio catulorum leonum*, & quid aliud ex hoc sequi poterat, ô Dauid, nisi somnus inquietus? & ecce: *dormiui conturbatus*, quia: *Sancti nunquam dulcius requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur.*

Sed quid mirum, quod Sancti & serui Num. 12.
Dei

Dei tantam ex tribulationibus suis percipiant consolationem & lætitiam, cùm euidenter constet, tribulationes & aduersitates vitæ huius non esse veras & reales, sed fictas & apparentes? & fortè præfiguratæ sunt per splendidum & magnificum Salomonis thronum, expressam, vtpote, figuram æternæ gloriæ, de quo aptiùs dici & verificari potest: *Non est factum tale opus, in vniuersis regnis*, 2. Reg. 10. vers. 20. ascendebatur ad summitatem throni huius per sex gradus, & à latere cuiuslibet gradus sex erant leones: *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem*, loco citato versic. 18. *qui habebat sex gradus*, versic. 16. & in summitate gradus positæ erant duæ manus, & duo alij leones: *& duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas*, loco citato Affirmate mecum N. sex illos gradus & duas manus esse octo beatitudines in sacro propositas Euangelio, & leones illos significare calamitates & aduersitates mundi huius, per quas ad æternam peruenire debemus gloriam: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* Actor. cap. 14. versic. 21. O quàm terribilis Leo est paupertas Spiritus! sed quàm sublimis est gradus ad quem nos exaltat! *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Matth. cap. 5. vers. 3. O quàm formidabilis leo est planctus! sed quàm gratus & acceptus est gradus consolationis, quam nobis adfert! *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. loc. citato versic. 5. O quàm horrendus leo est fames & sitis! sed quàm diues & opulentus est gradus sanctitatis, quam nobis apportat: *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. versic. 6. O quàm feri leones sunt tribulationes & persecutiones! sed quàm potentes sunt manus, quæ nobis opem ferunt & auxilium, vt subleuemur in cœlum: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, vers. 10. Et si fortassis obijciatis, quòd nihilominus sibi cor timeat hos accedere gradus, quia leones agentes ibidem excubias magnum ascendenti incutiunt terrorem. Sed dicite, amabo, N. ex quo formati sunt? Fortassis viui sunt, ac rugiunt, quemadmodum describit illos quidam Propheta: *Leo rugiet, quis non timebit?* Amos cap. 3. versic. 8. Ah apparentes sunt & ficti: videntur esse leones, non quidem veri & viui, sed exsculpti sunt & ex auro fabricati, imò manus ascendentis sustentaculum sunt, oculorum oblectatio, & recreatio, & mentis subleuamen potiùs, quàm vt eandem timore & terrore concutiant. Tales sunt tribulationes, quotiescumque sustinentur propter amorem Dei. Et hoc modo eas depinxit Dauid Propheta dicens: *Qui fingis laborem in præcepto* Psalm. 93. versic. 20. in quem locum ait D. Bernardus in declam. *An non fictus in præcepto labor, onus leue, suaue iugum, crux inuncta*. An non magnus labor videtur tibi inesse præcepto Abrahamo dato, quando iustus, vt sacrificaret filium, consecrauit hœdum loco eius? An non solùm labor apparens est paupertas, planctus, fames, sitis, calamitas, dum pauperibus, plangentibus, famem, sitim, calamitatesque sustinentibus beatorum attribuitur titulus? Verum nihilominus est & vero verius, quod docet Boëtius Seuer. de consolat. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Quomodo ergo possunt esse pauperes, lugere, ieiunare, pati & simul esse beati? Non alio profectò modo, nisi aut ait Psalmista: *Qui fingis laborem in præcepto*, sunt pauperes apparentes, sed veri beati; sunt lachrymæ fictæ, sed cum sempiterno risu; sunt ieiunia apparentia, sed cum perpetuâ satietate.

Hoc idem ostendere voluit S. Apostolus Paulus, quando dixit tribulationes vitæ huius patienter toleratas à seruis Dei non esse veras tribulationes, sed habere certam quandam similitudinem & appa-

apparentiam tribulationum, & esse quasi quoddam somnium: *quasi tristes, semper autem gaudentes,* 2. Corinth. 6. vers. 10. vbi obseruauit D. Augustinus in Psalm. 48. quòd sanctus Apostolus rebus aduersis immisceat hanc dictionem *quasi*; ast consolationi & gaudio non adiungat *quasi*, dicit enim: *quasi tristes*; sed non subiungit deinde: *quasi gaudentes*, sed *semper gaudentes*. Et cur hoc? Respondet egregiè S. cit. Doctor: *non dicit Apostolus: quasi gaudentes, sed semper gaudentes, quia gaudium nostrum non habet quasi.* Et sanctus Anselmus in eundem locum scribens ait: *Sanctorum tristitia, dum in terris habitatur, habet quasi quia breuiter & quasi vmbra & somnium, non est verè tristitia; gaudium autem sanctorum non habet quasi.* Qui refert aliquod somnium, quomodo loquitur? quasi iter agebam, aut videbar iter agere; ad eundem modum se habent tribulationes & aduersitates iustorum, videntur esse somnia. Hanc meam doctrinam confirmat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 133. dicens, apud iustos afflictiones, tribulationes, persecutiones, opprobria, iniuriam esse veluti mera vocabula, & nudo gaudere nomine non verò substantiâ: *Dedecus, mors, paupertas mera apud nos vocabula sunt; res apud hesteros.* Idem quoque intellexit Seneca Epist. 72. idque breuioribus, sed pulcherrimis innuit verbis, dum ait: *Mala, si benè tulisti, non tulisti.*

Num. 13. Et quâ non afficitur consolatione anima tribulata N. cùm Dominus Deus seruo suo intrepido animo sufferenti aduersitates non tanquam auxiliator, verùm etiam veluti spectator adest? *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus*, dixit Apostolus Paulus 1. Corinth. 4. vers. 9. Textus Græcus habet: *Theatrum facti sumus*, quia non est spectaculum in mundo, quod Deum magis recreat, quàm cùm animam spectat patientē tribulationes. Et ideò tametsi Deus permiserit dæmoni affligere Iob in corpore, filijs, bonis & armentis, inhibuit tamen ei, ne tangeret ipsius animam: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.* Iob cap. 2. vers. 6. Subintrat hîc D. Augustinus in cat. Græc. & causam inuestigat, cur Dominus Deus se demonstrauerit adeò liberalem & tradiderit dæmonis potestati filios, bona & totam substantiam Iob, noluerit verò ei tradere ipsius animam? & acutissimè respondet in personâ ipsiusmet Dei dicentis dæmoni: *Obserua, ne quid in vita ratione patiatur; etenim si de medio illum sustuleris, theatrum nobis non plaudet amplius.* ac si dixisset: fac, quodcunque vis, ô Sathana, cum seruo meo Iob, caue mihilominus ipsius lædere vitam & animam; secus namque theatrum inuictæ eius patientiæ non applaudet mihi ampliùs; tantam enim Deus percepit voluptatem spectando constantiam Prophetæ Iob in tribulationibus. & Tertullianus lib. de pat. cap. 14. hunc locum obseruat, quod cùm Deus spectaret Iob seruum suum generoso animo sufferentem tribulationes, summam capiebat voluptatem, vbi diabolus præ nimiâ rabie quasi dissecabatur vindēs se delusum & superatum à quodam homine: *Ridebat Deus, dissecabatur malus, quoniam Iob immundam vlceris sui redundantiam magnâ æquanimitate destringeret, cùm erumpentes bestiolas pastas foraminosâ carne ludendo reuocaret.*

Theatrum diuino dignum aspectu fuit mons ille, in quo Abraham cum prodriâ pugnans naturâ præcipiente sibi, ne sacrificaret filium, & se ipsum nihilominus superans & vincens animo heroico euaginauit gladium. Vnde locus ille, vbi Deus stabat gratum adeò aspiciens spectaculum, appellatus fuit posteà: *Dominus videt.* Num. 14.

Et hanc voluptatem & oblectationem, quam capit Deus ex spectu serui cuiusdam sufferentis æquo animo tribu-

lationes, dum moralis conſideraret Seneca lib. de prouid, cap. 1. dixit: *Nullum ſpectaculum Ioue dignius, quàm virum fortem intueri cum aduerſâ fortunâ luctantem.* Eâdem voluptate recreatos fuiſſe Deos refert idem Seneca lib. quare bonis cap. 2. quando conſpexerunt Catonem medias inter aduerſitates immobilem: *Non video* (inquit ille) *quid habeat Iupiter in terris pulchrius, ſi conuertere animum velit, quàm ſi ſpectet Catonem partibus non ſemel fractis ſtantem nihilominus inter ruinas publicas,*

Hæc igitur cauſa eſt N. ob quam Deus non eripit ſeruos ſuos ex aduerſitatibus: *Ego verò non miror* (ait idem Seneca) *ſi quando voluptatem capiunt Dij, cùm ſpectant magnos viros luctantes cum aliquâ calamitate.* Sicque ob ſuam, quam percipit, voluptatem Deus non liberat eos à tribulationibus.

Perlegite N. Prophetam Iſaiam cap. 18. & reperietis, quòd, cùm Deus ſpectaret quadam vice populum ſuum afflictum & tribulatum, præceperit Angelis, vt extemplò ſuccurreret ei: *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam.* loc. cit. verſ. 2. & tu, ô Domine, quid interim facies? *Ego quieſcam & conſiderabo in loco meo.* loc. cit. verſ. 4. Pagninus addit: *in loco meo parato.* ac ſi dixiſſet Deus: abeuntibus Angelis & genti illi opem ferentibus ſedebo ego in regali throno meo iucundum hoc perluſtrans ſpectaculum. Et gloſſa interlin. ſubiungit: *& conſiderabo finem rei.*

Sic ſpectator adfuit Deus D. Antonio, cùm affligeretur à dæmonibus, de quo refert S. Athanaſius, quòd cùm die quodam acriter decertaſſet cum dæmonibus & victor euaſiſſet, petijt à Christo Domino: *Vbi eras bone Ieſu? vbi eras? quare non à principio adfuiſti, vt ſanares vulnera mea?* Et dicit D. Athanaſius, Redemptorem noſtrum hoc ei dediſſe reſponſum: *Antoni, hic eram, ſed exſpectabam videre certamen tuum.* Spectator etiam adfuit Dominus noſter S. Agathæ in tormentis conſtitutæ, & propterea ipſa allocuta eſt ſponſũ ſuum cœleſtem hiſce verbis: *Vidiſti me Domine & ſpectaſti agonem meum.* Spectator pariter fuit S. Stephani, cùm lapidibus obrueretur, è cœli namque theatro ſpectantem ſe conſpexerat Sanctus ille Protomartyr, vnde dixit: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei,* Act. cap. 7. verſ. 55.

Et eò magis conſolatur afflictus Dei ſeruus, quo ipſummet Deum ſe comitantem conſpicit. De S. Patriarchâ Ioſeph legitur Gen. 39. quod, quia conſentire noluit impudicæ iſtius pellicis voluntati, accuſatus falsò, innocenterque coniectus fuerit in carcerem: *traditque Ioſeph in carcerem vbi vincti Regis cuſtodiebantur.* loc. cit. verſ. 20. & eodem tempore (ô magnum prodigium!) è cœlo deſcenderit Deus, & in carcere comitem ſe illi adiunxerit, vti refertur Sap. cap. 10. *Deſcenditque cum illo in foueam.* verſ. 53. *& in vinculis non dereliquit eum.* verſ. 14. *quaſi*, ait gloſſa in hunc locum, *in eoſdem compedes ipſe quoque Deus manus & pedes mitteret.* & magnus P. Origenes in lib. Gen. hæc ſubiungit: *in carcere membro Chriſti conſtituto ipſe non eſt ſolutus à carcere qui, dixit: cum ipſo ſum in tribulatione.* quod confirmat S. Ambroſius lib. de Ioſeph cap. 5. dicens: *nihil mirum, ſi viſitet Deus in carcere poſitos, qui ſeipſum cum ſuis in carcere incluſum memorauit.* Num. 15

Ad idem hoc propoſitum inquirit Philo Hebræus lib. de Ioſeph, cur pincerna Regis Pharaonis oblitus fuerit Ioſeph in carcere poſiti? & reſpondet: *non decebat Ioſephum liberari à pincerna, ſed potiùs à Deo, quem comitem habebat in vinculis,*

Neque Deus tantùm deſcendit cum afflictis ſuis ſeruis in carceres & vincula, verum etiam vinctus & captiuus ſimul cum ipſis tenetur: ita innuit S. Propheta Dauid, Num. 16

Dauid, quando Deum, qui populum suum à durâ Pharaonis eripuerat seruitute, hunc in modum alloquebatur: *quem redemisti tibi ex Ægypto & Deum eius.* 2. Reg. 7. vers. 23. q. d. Domine, dum liberabas populum tuum ab iniustâ seruitute Ægyptiorum, liberasti & te ipsum, qui cum cæteris captiuus tenebaris. Vatablus eleganter declarat hunc passum dicens: *& cum illis pariter teipsum, qui videbaris affligi, cùm tui affliguntur.* Idem insinuat Propheta Isaias cap. 63. vers. 9. *in omni tribulatione eorum non est tribulatus*, traducit Vatablus: *cùm affligebantur Israëlitæ, ipsemet Deus affligi videbatur.*

Et huic proposito confirmiter obseruo prodigiosum illud factum Babyloniæ, quando Rex Nabuchodonosor in ardentem fornacem iussit præcipitari tres illos adolescentes, qui noluerunt adorare statuam. Vbi ait sacer textus, quod proiecti in fornacem ambulare visi fuerint in eo veluti in amœnissimo horto & illæsi transiuerint per ignem. Quod cum significatum fuisset Regi, extemplo contulit se ad fornacem, viditque quendam adolescentibus associatum similem filio Dei: *Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Dan. cap. 3. vers. 92. Nec id mirum est, inquit S. Chrysostomus hom. de tribus pueris Tom. 1. quia Dominus Deus non se ostendit & manifestat in statuâ aureâ, sed in flammis, solùm etenim reperitur in tribulationibus: *Ecce Dominus non in auro lucet, sed in flammis ostenditur; non in diuitiis, sed in egestate, in laboribus & ærumnis pro ipso perpessis.* Et antiquissimus Tertullianus lib. 4. contra Mar. asserit, Deum adiunxisse se comitem illis adolescentibus, vt eos consolaretur & refocillaret in istis flaminis, ne vllus animo caderet in tribulationibus, aut absentem crederet animarum sponsum: *vt ne quis animum despondeat in malis, vel dubitet de præsentiâ & ope sponsi.*

Et in libro Iob cap. 38. legi, quod Deus huic Prophetæ afflicto & plagis vndique repleto locutus fuerit: *respondens autem Dominus Iob.* loc. cit. vers. 1. non regali insidens solio, sed *de turbine*, de obscurâ, inquam, & tenebrosâ nube. Causam scire desideras? ait D. Gregorius, quia est amicus noster, & veræ amicitiæ præcipit regula, vt omnia sint communia inter amicos: *Cur videlicet de turbine est locutus? quia flagellato loquebatur; durabat nempe illa adhuc tempestas malorum, quâ Deus flagellabat Iob, idcircò non alius flagellanti, è quo loqueretur, conueniebat thronus, quàm turbo.*

Vnde appositè dixit S. Hieronymus in cap. 13. Daniel. *Quis ergo non gaudio exultet in summis afflictionibus, si tamen Dei seruus sit, & patienter sustineat, cùm audit à Domino: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* & S. Augustinus in Psalm. 90. concludit: *Noli ergo timere quando tribularis, ne quasi non sit tecum Deus fides sit tecum, & tecum est Deus in tribulatione.* Idem. in Psalm. 66. ait: *veniant plagæ, & veniant pœnarum genera, dummodo post plagas Christus adueniat.* & S. Bernardus Serm. 17. in Psal. *Qui habitat* expendendo verba illa: *cũ ipso sum in tribulatione,* ait eleganter: *vnde scimus, quod nobiscum sit Deus in tribulatione, ex eo vtique, quod in tribulatione nos sumus.* Deinde Christo benedicto dicebat: *bonum mihi Domine tribulari dummodo ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari; bonum in tribulatione magis amplecti te in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram.* Idem deinde melifluus Pater Serm. 16. super Psalm. 33. concludit: *omne gaudium existimemus fratres, cùm in tribulationes varias inciderimus, non modò quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum*

(Num. 17 in margin beside "Vnde appositè dixit S. Hieronymus")

gnum Dei, sed quoniam iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Et S. Ambrosius lib. de Ioseph cap. pariter nos hisce ex hortatur verbis: *Non turbentur innocentes, cùm falsis criminibus appetuntur, cùm oppressâ iustitiâ mittuntur in carcerem: visitat Deus & in carcere suos, & ideò ibi est plus auxilij, vbi est plus periculi.*

Num. 18. Cùm ergo nobis innotescant consolationes, quibus nos Deus in aduersitatibus constitutos recreat, procul igitur absint omnia lamenta & querelæ, exultemus & lætemur, quando nos visitamur à Deo tribulationibus & aduersitatibus: *Omne gaudium existimate fratres mei* (dicit S. Iacobus Apostolus cap. 1. vers. 2.) *cùm in varias tentationes incideritis.* Gaudeat vnusquisque ad imitationem (vt cæteros prætercam) deuotissimæ S. Meloniæ, de quâ refert S. Hieronymus Epist. 5. ad Paulam, quod cùm eodem tempore intellexisset mortem & mariti & duorum charissimorum filiorum, nullo excitato dolore & planctu coram quodam crucifixo prostrata, læta in hæc prorupit verba: *expeditius tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.* Idem hoc vnusquisque agnoscat disponatque se cùm Dauid dicendo: *quoniam ego in flagella paratus sum.* Psalm. 17. vers. 18. paratus sit qualcumque pro amore Dei sustinere tribulationes, & quemadmodum illas expertus est, qui summam ex eis hausit consolationem: *virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Psalm. 22. versic. 4. ita nos quoque, si patienter tolerauerimus tribulationes, mediantibus illis læti & pacifici viuemus in hac vitâ, & in alterâ consequemur gloriam.

Veritas.

DISCVRSVS LXXII.

De excellentia Veritatis, & quanto eam hodie mundus prosequatur odio.

Num. 1. VLCHERRIMA quæstio, & curiosa lis & controuersia exagitata fuit inter tres illos aulicos & Satrapas Darij potentissimi Regis Persiæ, disputabant, videlicet, & inuestigabant, (vti legitur lib. Esdr. 3. cap. 3 quidnam omnium, quæ reperiuntur in mundo, esset fortissimum. Vinum, respondit primus. Rex, subiungit secundus. Mulier, conclusit tertius, omnium fortissima est. *forte est vinum*, loco citato vers. 10. dixit primus, & ratio erat, ni fallor, quia ex sapiente facit amentem, si non bibatur temperate. *Fortior est Rex*, versic. 6. respondit secundus, quia Rex imprat & dominatur subditis suis, & quilibet eius subiacet legibus & mandatis, insuper ad nutum ipsius res etiam arduæ & factu difficillimæ transeunt in executionem. *Fortiores sunt mulieres*, versic. 12. subiunxit tertius, quia mulier tantâ viget virtute, vt suis adulatorijs & prædulcibus verbis liget & soluat Satrapas & Regem; mulier parturit Regem & cultorem vinearum, quæ proferunt vinum. Verùm vltimus aulicus dictus Zorobabel veritatis deprædicans encomia demonstrauit, omnia, quæ sunt & reperiuntur in mundo, cedere veritati, *super omnia autem vincit veritas*, vers. 12.

Ast, vt verum fatear N. summopere demiror,

demiror, quòd, cùm veritas tam ſpecioſa ſit & decora Mater, tam turpe, tam deforme & enorme pariat monſtrum, videlicet, odium; vnde cecinit Poëta Terentius: *Veritas odium parit.* Hinc nullus hiſce temporibus apertè & ſine timore verè veritatem dicere præſumit, ne deperdat vitam.

Num. 2. Ad hoc propoſitum gratioſam fabulam me legiſſe recordor, quod nimirum in ciuitate quâdam duo reperiebantur & colebantur idola, quorum vnum manifeſtabat cunctos errores & defectus, quos committebant ciues. Accidit igitur die quodam, quod prædo aliquis inſigne admiſerit furtum, & quia hic timebat id ab idolo manifeſtandum, acceſſit illud, dixitque: caue ne furtum à me patratum diuulgaueris, ſecus ſi feceris, impunitum haud tranſibis, & dignam lues pœnam. Hoc dicens paratum arripuit fuſtem, & egregiè ideò idolum illud excepit verberibus, vt confregerit & ruperit ipſius caput. Elapſo aliquo tempore acceſſit & ille, cui erant ſurrepta bona, petitum ab idolo, vt ſibi manifeſtaret prædonem & furem; at illud ſubticuit. Acceſſit propterea alterum: dolum rapinæ iſtius petens authorem, dixitque ei: adfui ſocio tuo, vt reuelaret mihi furem, qui mihi ſurripuit bona, nec vllum mihi dedit reſponſum, reuela, te rogo, mihi illum. Audite, quid ei reſponderit idolum; *Tempora periculoſa ſunt, ſi quis veritatem dixerit, frangatur ei caput.* Quapropter contineamus nunc ora, neceſſe eſt. Quid hiſce ſignificare volo? quando hodierno die dicēda eſt veritas, reprehendēda ſunt vitia, nullus eſt, qui poſſit ea audire, ſubitò ecce parantur inſidiæ, inimicitiæ, excogitantur vindictæ; & ideò nullus liberè veritatem edicere poteſt, quia timor & commodum mundanum eum retrabit. Et hæc cauſa eſt, cur ab hoc mundo exulet veritas.

Non eſt igitur mirum, quòd non ſit audita, nec cognita, imò prorſus ſit exterminata veritas ex omnibus mundi partibus. Deus amandauerat illam ad aulam Regis Balthaſaris; aſt quomodo? ſub formâ quorundam digitorū inſcribentium parieti celerrimè tria dumtaxat verba: *apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis.* Daniel. cap. 5. verſ. 5. ponderate hæc verba. Cur non tranſmiſit quendam hominem! quia ipſum interfeciſſent. Cur nō integrum brachium? Quia detruncaſſent illud. Cur non veros digitos? quia illos confregiſſent. Et propterea ſolùm: *Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis.*

Adeò exoſa eſt veritas, vt ſeruis Dei, Num. 3.
quoties eam auribus hominum intonare voluerint, nouæ neceſſariæ fuerint inuentiones; mira & inaudita ſtratagemata, quibus illam eis ſignificarent. 3. Regum cap. 20. reperietis, quòd Propheta quidam ex iuſſu Dei ſignificaturus regi Achab errorem eius, quem commiſerat parcendo vitæ regis Syriæ, cùm non poſſet habere acceſſum ad regem, à vigilibus quippe impediebatur, miram & inſolitam excogitauit inuentionem; dixit enim cuidam militi: *percute me*, loco citato verſic. 37. paruit ille, & percuſſit ac ſauciauit eum in facie. Propheta igitur proprio ſanguine & puluere totam obduxit & deturpauit faciem, adeò, vt amplius dignoſci nequiuerit, & hoc modo regis acceſſit aulam, cui vigiles exiſtimantes eum intrare aulam lamentatum de illatâ ſibi iniuriâ, non denegarunt ingreſſum. Conſtitutus iam coram rege dixit: *Seruus tuus egreſſus eſt ad præliandum cominus: cumq; fugiſſet vir vnus, adduxit eum quidam ad me & ait: cuſtodi virum iſtum: qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes*, loco citato verſic. 39. *dum autem ego turbatus huc illucq; me verterem, non comparuit*, verſ. 40. quid ergo faciam modò? Reſpondet ei Rex: *hoc eſt, iudicium tuum, quod ipſe decreuiſti*, loco citato q. d. tuo te ore iudicaſti. Quo dicto confeſtim Propheta

mundauit faciem suam abstersitque ab ea puluerem & sanguinem : *at ille statim abstersit puluerem de facie suâ, & cognouit eum Rex Israël, quod esset de Prophetis*, loco citato versic. 41. subiunxit tum Propheta : *quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*, ac si dixisset : Deus tradidit manibus tuis regem Syriæ, vt eum occideres, & tu condonasti ei vitam, impunem ipsum abire fecisti; quapropter tu pro ipso lues, & peribis: *erit anima tua pro anima eius*, loco cit. vers. 42. Ecce modò, ad quos simus redacti terminos, vt Propheta quidam Regis possit subintrare aulam veritatem promulgandi gratiâ, coactus fuit, vt fecerit faciem suam percuti, sauciari & incidi, & si hanc non excogitasset inuentionem, non habuisset accessum ad Regem.

Num. 4. Non dumtaxat nequit promulgari veritas; verùm etiam edicturus illā aperto se exponit periculo vitæ. Perlegite Acta Apostolorum cap. 7. & comperietis, quòd cùm gloriosus S. Martyr Stephanus Euangelicam prædicaret veritatem Hebræorum populo, inter alia improperauit ei, quod resisteret diuinis inspirationibus & Spiritui sancto: *Dura ceruice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis*, loco citato versic. 51. S. Augustinus serm. de S. Stephano considerat hic generosum & imperterritum animum huius militis Christi, & dum S. Stephanum liberè adeò veritatem edicentem contemplatur, alloquitur eum hisce verbis. *Mori vis, festinas lapidari, ardes coronari*, q. d. ô S. Protomartyr Stephane, euidenter iam aduerto, magno te flagrare desiderio, vt lapidibus obruaris: dum audacter adeò hisce Hebræis manifestam edicis & prædicas veritatem. An nescis, quod, qui dicit veritatem, manifesto sese exponat periculo perdendi vitam? idque planè contigit? siquidem tantum in S. Protomartyrem conceperunt odium, vt dicat sacer textus: *Dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum*; loco citato versiculo quinquagesimo quarto. Et tandem crudeliter ipsum internecioni & morti dederunt lapidantes eum : *& lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem : Domine Iesu suscipe Spiritum meum*, versic. 59. *Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino*, versic. 60.

Num. 5. Summa, N. nihil hodierno die in mundo adeò exosum est, quàm veritas. Stupendum ex Scripturâ Sacrâ audite huius rei testimonium lib. Iudith capite quinto legitur, quòd Holofernes dux exercitus regis Nabuchodonosoris ciuitatem Bethuliæ obsidione cingere & expugnare statuerat, ast primò veram de virtute, moribus, alijsque qualitatibus populi istius relationem & informationē exoptabat : *dicite mihi, quis sit populus iste*, loco citato versic. 3. Subitò in medium prodijt Achior, ducem informat, & prolixè ei recenset cunctas populi istius conditiones, virtutes & stratagemata, quòd, videlicet, effugisset manus Pharaonis, nunquam ei defuisset supernum Dei sui auxilium, essetque populus magna vigens fortitudine & valore. Summa, rem totam, vt in se constituta erat, recensuit. Et ecce, vix Achior finierat sermonem & relationem suam, quam dabat Holoferni, subiungit sacer Textus : *indignatus est Holofernes vehementer*, capite sexto versiculo primo. Et furore hoc exæstuans præcepit militibus suis, vt arriperent Achior, & captum traderent hostibus, quos adeò deprædicauerat, non multum transibit temporis, quin ibidem deplanget peccatum & errorem suum : *Tunc Holofernes præcepit seruis suis, vt comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israël*, capite sexto versiculo septimo Quæro ego nunc N. quid mali gessit Achior, propter quod mortem promeritus fuerit? an non Holoferni dixit veritatem eorum, quæ ab ipso petierat? omninò :

ninò: *Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens ait: si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo*, capite quinto versiculo quinto. Ah proditor, tune vis edicere veritatem? apertum te declaras hostem meum: *& praecepit seruis suis, vt comprehenderent Achior.* Rationem adducit Hugo Cardinalis in hunc locum & ait: *vt Achior comprehensus est veritatis amicus factus est Holofernis inimicus*, quia hodierno die valdè exosa est in mundo veritas.

Num. 6. Imò audacter dicam, veritatem apud omnes ferè censeri tanquam peccatum rebellionis. In Amos Prophetâ capite septimo legitur Prophetam hunc ex praecepto Dei iuisse die quodam in Bethuliam praedicatum. Magno ergo feruore coepit ibidem praedicare & reprehendere errores & scelera tum populi tum principis. Finito sermone dixit ei Amasias: *Fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi*, loco citato versic. 12. *Et in Bethel non adijcies vltrà, vt prophetes*, versic. 13. Ast quam ob causam inhibebat ipsi Amasias, ne praedicaret in Bethel? rationem ipsemet subiungit & dicit: *quia sanctificatio regis est & domus regni est*, loco citato q. d. hic enim moratur princeps, & propterea hoc in loco nullus tibi habendus est sermo, quo si velis fungi officio, alium pete locum: *& in Bethel non adijcies vltra, vt prophetes.* Verùm Amos, vtpote, zelosus defensor honoris Dei floccifecit haec verba & praedicationis suae officium prosecutus fuit. Quapropter Amasias nuncium misit regi Teroboam, eique dicit: *Rebellauit contra te Amos in medio domus Israël, non potuit terra sustinere vniuersos sermones eius*, versic. 10. Subintrat hic sanctus Hieronymus & dicit; quid fecit Amos, quòd tanquam rebellis declaratus sit: non aliud profectò, quam quòd dixit veritatem; ergóne hac de causa veluti rebellis censendus est? *Ergo veritatem manifestasse est contra regem inimicum rebellasse?* Summa. N. qui in mundo apertè edicit veritatem, tanquam rebellis appellatur aestimaturque, quia nullus illam audire cupit, omnes abhorrent illam.

Et quam ob causam, ait Haymo Sermone in Dominicam tertiam Aduentus, opinamini N. S. Ioannem Baptistam ab Herode fuisse coniectum in carceres & postea capite plexum; nisi quia voluit ei dicere veritatem, quod, nimirum, non ei liceret, habere vxorem fratris sui: *Dicebat enim Ioannes Herodi: non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Marci sexto versiculo decimo octauo & ideò: *insidiabatur illi, & volebat occidere eum*, loco citat, versic. 19. Num. 7.

Recenset Seneca lib. de benefic, capite decimo tertio miserabilem mortem celebris istius Philosophi Calisthenis discipuli Aristotelis. Postquam Vrbis & Orbis Monarcha Alexander Magnus celebrem illam de Dario reportasset victoriam, adeò insuperbiuit, vt se totius orbis Dominum proclamari, & veluti Deum adorari iusserit. Vanae huic Alexandri praetentioni restitit Calisthenes veritatem ei dicens, impossibile, nimirum esse, vt homo mortalis Deus euadere posset, minimeque licere, vt Deitatis sibi arrogaret honorem & titulum. Vix finierat sermonem hunc Philosophus, & ecce rex indignatus iussit illum tanquam coniuratum & hostem suum, detrucatis primò auribus, naso, labijsque, includi ferreo auiario cum cane quodam ferocissimo, & tandem crudeli eum affecit morte. Et sanè aliud à tali Monarchâ sperare non poterat, qui veritatem dicendo vanas stolidasque illius praetentiones & cogitatus ei improperabat.

Aduocauerat die quodam Deus ad se seruum suum Moysen, dixitque ei, quòd ipsum veluti legatum ad regem Pharaonem ablegaturus esset. Et ecce Moyses se excusans dixit: *Obsecro Domine, non* Num. 8.

sum

sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Heùs Moyses, familiari vteris colloquio cum Deo, & iam te excusas te non posse loqui Pharaoni? paradisi es aulicus, & non est tibi animus, vt loquaris regi terreno? Scitisne, cur se excusauerit Moyses? quia stylus loquendi aulæ cœlestis est dicere & loqui veritatem; ast aulæ istius, in quâ Moyses à iuuentute educatus fuerat, loquendi stylus erat loqui adulatoriè, & ideo Moyses timuit illuc ire. Ita hæc verba: *Ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* exponit & traducit Philo Hebræus dicens: *Ex quo locutus sum tecum, nescio loqui nisi verissima.* Lib. de vita Moysis. Et si propterea mihi loquendum est Pharaoni, cogor ipsius reprehendere scelera, & ipse, quia blandis & curialibus vult palpari verbis, non me intelliget, ac proinde nihil prorsus efficiam.

Num. 9. O quàm eleganter & appositè dixit Propheta Isaias disserens de veritate: *Corruit in platea veritas.* capit. quinquagesim. non. versic. decim. quart. Subiungit deinde Propheta: *& facta est veritas in obliuionem.* Traducunt alij ex Hebræo: *Facta est veritas in auersionem.* q. d. Omnes à veritate auertunt faciem suam. Ioannes Cluniacensis tom. 2. Sermon. 120. exponendo hunc locum dicit: *Sumpta est metaphora à cane in plateis mortuo, quem omnes prætereuentes vt rem fœtidam aduersantur.* Quando in publicâ aliquâ plateâ reperitur quidam canis mortuus, cuncti, quotquot locum istum pertranseunt, obturant nares, & faciem ab eo auertunt, ne fœtorem illum percipiant. Ad eundem modum dicit Isaias: *facta est veritas in auersionem.* Nullus est, qui non fugiat audire veritatem, omnes eam vti rem fœtentem auersantur.

Proposito huic inseruit, N. quod in S. Euangelistâ Ioanne cap. 18. legitur accidisse Christo benedicto loquendo Pilato, quia cùm huic diceret, se venisse in mundum, vt veritati perhiberet testimonium: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*, loco citato versic. 37. Petijt ab eò iniquus iudex: *quid est veritas?* loco citato versic. 38. Notat & obseruat S. Euangelista, quod: *cùm hoc dixisset, exiuit ad Iudæos*, loco citato. Vix petierat: quid esset veritas, & subitò vertit tergum Christo benedicto, qui prædicat veritatem. Ecce: *facta est veritas in auersionem.* Non est, qui veritatem veluti rem peste infectam non fugiat.

Et nihilominus scire deberet mundus, veritatem in tantâ esse æstimatione & pretio, vt Christus Dominus velit eam quoque deprædicari à dæmonibus. Quod euidenter constat ex facto illo, quando Redemptori nostro, teste S. Euang. Lucâ cap. 8. obuium facto cuidam à legione quâdam dæmonū obsesso diabolus altâ exclamans voce dixit: *qui mihi & tibi est Iesu fili Dei altissimi?* loco citato vers. 28. Dixit veritatem dæmon, quod Christus esset Filius Dei, & ideò eundem exorauit, ne eos mitteret in abyssum inferni, sed permitteret eis aditum & ingressum in gregem porcorum, qui ibidem pascebantur; quod & permitit illis: *& rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi, & permisit illis*, loco citato versic. 32. Petit nunc antiquissimus Tertullianus lib. 4. contra Mar. *Quo merito?* & respondet: *quia mentiti non sunt.* Dæmones infernales hoc, quod desiderabant, obtinuerunt, quia non dixerunt falsitatem, sed cum veritate affirmarunt Christum esse filium Dei. O excellentiam veritatis, quam Deus magni ducit & æstimat. Hanc igitur amplectamur omnes, si velimus vitam obtinere æternam.

Virginitas.

DISCVRSVS LXXIII.

De excellentiâ & prærogatiuis Virginitatis.

Num. 1. PERCELEBRIS & raræ virtutis Virginitatis prærogatiuarum nec minimam partem enarrare valet lingua humana; siquidem ipsi etiam gentiles eius cognouerunt pretium & valorem, & in summâ illam habuerunt æstimatione. De Persis refert Strabo rem (vt ait Alexander ab Alexandro) pæne incredibilem, nimirum in tantâ apud illos fuisse veneratione virgines consecratas Dianæ, vt crediderint eas absque vllo damno & detrimento potuisse ambulare super prunas ardentes, adeoque neque ignem potuisse ipsis nocere. Romani, veluti testatur alius quidam grauissimus author, tanti æstimarunt Virgines, vt, quando domo egrediebatur vna virginum Vestalium, magnus eam secutus fuerit comitatus hominum, quibus insuper se adiungebant consules, qui tunc in republicâ supremam obtinebant dignitatem. Et S. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum scribit in tanto pretio habitam fuisse virginitatem, vt si Imperatori, aut magno principi, aut generoso belli duci triumphali subuecto curru triumphanti per plateas vrbis Romanæ casu obuiasset vna virginum, omnes, quotquot huic aderant triumpho, cesserint ei, expectarint illam, & primò ei obtulerint & permiserint transitum; quia terram virginum conculcatam pedibus tanquam cœlum æstimabant, ac fœlices pariter se iudicabant, quotiescumque eam obambulabant: *in quanto honore* (ait S. Hieronymus) *virgines habuerint, ex hoc apparet, quia eis in viâ cedere soliti erant.* Imò addit Cœlius Rodigin. quòd si quispiam reus mortis ad locum supplicij ducebatur, & Romæ in plateis habebat obuiam virginem quandam Vestalem, liber remanebat & absolutus à pœnâ.

Et quia hæc virtus Virginitatis tantæ existit æstimationis, hinc Virgines in Ecclesiâ Dei altiorem & sublimiorem tenent locum. Audite, quod ait S. Ioannes in suâ Apocalypsi: *& vidi, & ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia*, cap. 14. vers. 1. *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt*, versic. 4. Virgines igitur demorantur in monte Sion, nimirum, in altissimo Ecclesiæ loco. Quod clariùs suo expressit testimonio Diuus Gregorius libro quinto in libr. Regum capit. quint. hisce verbis: *Bene in sublimi esse Virgines dicuntur, quia quod natura humana supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est; vnde & Virgo ille dilectus Iesu locum Virginum insinuans ait: Vidi supra montem Sion agnum stantem, videlicet, in monte quidem esse eum agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis & carnalibus delectationibus se diuidunt, in sempiterna Redemptoris gloria sublimantur.* Num. 2.

Verùm quid mirum est, N. cùm Virgi-

nitas toto sit altior mundo, & ipsis adæquetur Angelis, imò transgrediatur illos? an non dixit Saluator: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Matthæi vigesimo secundo versiculo trigesimo, quem locum Sanctus Ambrosius libro de Virginis intelligit de Virginibus: *Quid pluribus exequar laudem castitatis? castitas Angelos facit, qui eam seruauit, Angelus est, & qui perdidit, diabolus.* Et deinde conuersus ad Virginis ait: *De hoc mundo estis, sed non estis in hoc mundo: sæculum vos habere meruit, tenere non potuit.* Sanctus Cyprianus de Discip. & habit. Virgin. Angelis quoque comparat Virgines: *cùm castè* (ait ille) *perseueratis Virgines, Angelis Dei estis æquales.* Et Sanctus Augustinus libro de Virgin. capite vigesimo tertio dicit: Virginalis integritas angelica portio est. Et Sanctus Bernardus Epistol. 22. ad Henricum 6. Archiepiscopum: *Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum de homine facit? differunt enim inter se homo pudicus & Angelus, sed fœlicitate, non virtute, & si illius castitas fœlicior, huius tamen fortior esse cognoscitur: Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat.* Et Tertullianus libro quarto ad vxorem ante hos omnes dixit, pulchræ sunt Virgines coram Deo, cum eo discurrunt & negotiantur die noctuque, ipsi suas offerunt orationes, & ab eo vicissim copiosa recipiunt dona & beneficia: *Ac iam in terris non nubendo de familia Angelica reputantur.* Hanc ob causam titulus Psalmi quadragesimi quarti iuxta mentem septuaginta Interpretum est: *pro ijs qui commutabuntur,* versiculo primo Textus Hebraicus habet: *super lilia,* aut: *pro lilijs,* vbi sanctus Hieronymus per lilia intelligit Virgines, quæ transmutabuntur in Angelos, quorum in terris repræsentant puritatem.

Num. 3. Idque magis elucescet ex eo, quòd Angelus S. Ioanni Virgini ipsum volenti adorare dixit: *vide ne feceris, conseruus enim tuus sum.* Apocal. 22. versic. 9. Ac si gloriatus fuisset aliquo modo, quòd conseruus esset alicuius Virginis, & dixisset: nos sumus æqualis conditionis: Ego naturâ sum Angelus, & tu Virginitate, & sic æquali nobilitate & conditione dotati in aulâ cœlesti obsequia & seruitia nostra exhibemus Principi Deo. Audite B. Petrum Damianum Sermon. 1. de S. Ioann. Baptista: *Refugit obsequium ab illo Angelus suscipere, & noluit adoratorem, quem nouerat æqualem: fratrem recognouit, socium iudicauit, subiectionis obedientiam non accepit, quia in omnibus sanctis semper est Angelicæ munditiei contubernalis & cognata Virginitas.*

Verùm parum est, quòd Virgines superent Angelos, quia sunt æmulæ, quantùm licet mortalibus, diuinæ puritatis; Num. 4 siquidem sanctissimam Trinitatem propter summam puritatem diuinarum processionum, Diu. Gregorius Nazianzenus in Carm. de Virgin. vocat primam Virginem: prima Trias Virgo est. Hæc igitur puritas & hæc prima Virginitas repræsentant Virgines. Hæ, inquit S. Cyprianus libr. de discipl. & habitu Virgin. sunt flores sanctæ Ecclesiæ, honor & ornamentum gratiæ spiritualis: *Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Quibus concordant verba illa S. Basilij libr. de verâ Virginitate: *Magnum quidem, vt verè dicam, est Virginitas, incorruptibili Deo, vt summatim dicam, hominem, similem faciens.*

Hinc est, quòd in Psalmo secundo, vbi nos legimus: *appredendite disciplinam.* versic. 12. traducit Diu. Hieronymus Apolog. ad Ruff. & legit: *adorate puritatem,* vt ostendat, puritatem tanquam rem diuinam summâ veneratione & honore esse afficiendam. Quod bene obseruauit Constantinus Magnus, de quo

narrat

narrat Eusebius lib. 4. de vita Constantini, quòd summum post Deum exhibebat honorem Virginibus : *Virginum Chorum tantum adorabat.* Et propter hanc rationem gentiles inter alia signa cœlestia reposuerunt etiam Virginem tanquam rem diuinam, & adorarunt quoque Sybillas Virgines, teste D. Hieronymo lib. 1. aduersus Iouin. cap. 2.

Legite N. S Euangelistam Matthæum cap. 25. & parabolam ibidem reperietis quinque Virginum fatuarum & quinque prudentum. Reuersæ fuerunt illæ cum oleo, pulsaruntque portam Sponsi dicentes : *Domine, Domine aperi nobis*, versic. 11. responsum fuit ipsis non quidem à seruis, sed à Sponso : *nescio vos.* versic. 12. Subintrat hîc S. Theodoretus in Cant. cap. 1. & meritò obstupescit hoc super facto & petit, cur Sponso celebrante nuptias cum virginibus prudentibus, & præsentibus ibidem plurimis alijs seruis, ipsemet Sponsus surgens à mensa responderit? & reddens rationem huius dicit, id factum fuisse à Sponso: *ob reuerentiam Virginitatis.* vt mundo innotescat reuerentia, quæ debetur Virginitati; non enim ei videbatur conueniens, vt alius Virginib. fatuis improperaret negligentiam ab ipsis commissam, easque reprehenderet, cùm sint omni dignæ honore propter pretiosum hoc Virginitatis donum, quo præditæ erant.

Num. 5. Sed vt transeamus ad maiores prærogatiuas an non singulare Virginum vobis videtur esse priuilegium, quòd sint Sponsæ Dei? S. Ioann. Chrysostomus hom. 19. in Matth. acutè obseruat & notat expendendo Euangelium decem Virginum, quòd Christus Dominus varijs vsus fuerit parabolis, vt nobis altissima explicet mysteria, & nunc se repræsentet nobis tanquam Patrem familias, nunc veluti regem, nunc tanquam Mercatorem; sed quando agitur de Virginibus, solùm compareat veluti Sponsus; vnde tanta est vnio inter Christum Dominum nostrum & Virgines, vt ab inuicem separari nequeant; quia vbi demorantur Virgines, ibi & Christus inuenitur præsens. Et propterea valde benè dicebat discipulus ille ob virginitatem suam specialiter dilectus, quod Virgines *sequuntur Agnum, quocumque ierit*, capite decimo quarto versiculo quarto, semper conuersantur cum Agno, ab illo nunquam separatur, gaudent semper & amabili ac charissimâ illius fruuntur præsentiâ. Nec dumtaxat in cœlis Virginibus hoc conceditur priuilegium, verùm etiam in terris, idque excellentiori modo, quia vbi in cœlis dicitur, quod Virgines *sequuntur agnum quocumque ierit*, hic in terris dicere possumus, quòd Agnus sequitur Virgines, quocumque ierint.

Virgo erat Ioseph, & ideò, tametsi protrusus fuerit in carcerem, non dereliquit eum Deus: *descenditque cum illo in foueam & in vinculis non dereliquit eum*, Sapient. capite decimo versiculo decimo tertio. Idque pudicitiæ ipsius meritò rationabiliter attribuit S. Cyprianus lib. de pudicit. dum ait: *pudicus iuuenis, quia delicto conscientiam non miscuit in imum carceris traditur, sed sola non est cum carcere pudicitia; nam est cum Ioseph Deus.* Num. 6.

Virginitatis amantes pariter erant tres illi adolescentes coniecti in fornacem Babyloniæ, & propterea in medio eorum, vti ait Aponius in B. B. V. V. P. P. tom. 4. quidam apparuit similis filio Dei: *tres pueri Hebræi* (hæc sunt verba illius) *castitatis dilectione missi sunt inter Babylonicas flammas, in eis medius ardente fornace quasi inter lilia Dominus pascitur, eò quòd semper requiescat in cordibus diligentibus castitatem.*

Si affirmarum N. Virgines effici immortales mediante hac nunquam satis laudatâ virtute Virginitatis, difficulter mihi fidem faceretis; sed audite probationem. S. Isidorus Pelusiota lib. 4. Epistol. 157. proponit quoddam dubium

tanto profectò intellectu dignum. Mirum sanè, ait ille, si lex Leuit, cap. 21. præcipiebat: summus Sacerdos *ad omnem mortuum non ingrediatur omnino*, loco citato versiculo vndecimo. Cur Moyses transportare ausus fuit ossa Patriarchæ Ioseph de vno loco ad alium, veluti S. Scriptura refert Exod. cap. 13. *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum*, vers. 19. fortè quia ipse tanquam legislator ab hac obligatione legis exemptus erat? at hoc non conuenit personæ Moysis, suo namque bono exemplo alijs prælucere, primusque legem obseruare debet; & ipse ergo nullâ attentâ lege ossa Ioseph de vno loco ad alium tangere & transferre audet? quod me attinet, ipsum sanè excusare nequeo; sed subsistite hîc parumper, inquit Isidorus, Moyses minimè transgressus est legem. Quid præcipiebat lex? *ad omnem mortuum non ingrediatur omnino*. At Ioseph non erat mortuus. Sed quomodo potest hoc esse: si Moyses iam transtulerit ipsius ossa? non erat mortuus, respondet Isidorus, quia quando lasciuos ille deuicit assultus impudicæ illius pellicis, quando triumphauit de impudico & lasciuo illo amore, triumphauit pariter de ipsamet morte, & tametsi ipsius ossa persuadeant & demonstrent contrarium ipsa intuentibus, attamen res aliter constituta est, quia inter ossa illa immortalis sepulta est vita; quapropter Moyses non est transgressus legem, siquidem ossa Ioseph potiùs erant trophæum vitæ, quàm triumphus mortis. Audite excusationem Moysis per os Isidori: *Non violo, non soluo legem, sed per hoc ostendo rem ipsam, & quæ per Scripturam ac verba legis significantur, diligenter esse attendenda; ego enim eum, qui castitatem coluit, pro mortuo non habeo.*

Num. 7. Duos inter plurimos excellentes eximiosque Dei famulos comperio in S. Scripturâ; sed vnum conspicio mortuum & sepultum, & alterum ante mortem per viam immortalitatis contemplor currentem. Moyses fuit primus dux populi Dei, liberator Ægypti, ille nimirum, qui è potestate Pharaonis eripuit dilectum populum, ille, inquam, adeò intimus Dei amicus, Secretarius diuinarum cogitationum, promulgator legis; postquam totà benignâ Dei manu recepisset dona & beneficia; postquam è durissimâ petrâ limpidissimas fecisset scaturire aquas, quibus sitim sedauit populi; postquam erexisset serpentem in salutem & remedium eorum, quos momorderant serpentes; postquam denique tot ac tanta patrasset prodigia & stupenda opera, finiunt vitam suam: *Mortuus est Moyses seruus Domini*, Deut. cap. vlt. vers. 5. Ex aliâ parte imaginamini vobis Prophetam Eliam, qui & stupenda pariter patrauit miracula & prodigia, quemadmodum de eo refert sacra Scriptura; at non reperitur, quòd sit mortuus; bene quidem, quòd curru igneo abhinc abductus & per viam immortalitatis sit in cœlum translatus: *Ecce currus igneus & equi ignei*. 4. Regum 2. versic. 11. *Et ascendit Elias per turbinem in cœlum*, loco citato versic. 12. Peto ego, N. quænam hæc est differentia? Moyses moritur, & Elias viuit adhuc quasi immortalis? S. Hieronymus lib. 2. in Iouin. dubium hoc resoluit & dicit, quod Moyses, quia non permansit Virgo, proclamatur à Spiritu sancto mortuus; ast Elias propter Virginitatem suam ante mortem pronunciatur quasi immortalis: *qui Moysis nuptias & Eliæ Virginitatem considerant, breuiter audiant Moysen mortuum & sepultum, Eliam verò igneo curru raptum ante immortalem esse cœpisse quàm mortuum.* O Virginitas! ô puritas! ô castitas! quæ homines quasi reddit immortales, & in Angelos transmutat.

Huic quoque optimè inseruit proposito, quod legitur in S. Euangel. Ioanne, postquam nimirum Christus significasset S. Apostolo Petro, eum moriturum in cruce, subitò retrospexit S. Apostolus, vndi- Num. 8.

vndique dilectum discipulum se sequentem, dixitque suo Magistro: *Domine, hic autem quid?* Ioan. cap. 21. vers. 21. q. d. Domine, ego pro amore tuo cruci affigar, & de Ioanne quid fiet? respondit ei Redemptor noster: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* loco citato versiculo 32. ac si dixisset: volo, ô Petre, Ioannem sic permanere, donec veniam iudicare mundum, & tua quid refert? hæc est mens mea. Subiungit deinde Euangelista: *Exijt ergo sermo inter fratres, quia discipulus ille non moritur*, loco citato. Sub intrat modò D. Hieronymus lib. 1. in Iouin. & quærit, quo motiuo ducti Apostoli affirmarunt Ioannem non moriturum? & eleganter respondet ipsos fuisse argumentatos ex eo, quòd Ioannes erat Virgo, & vt talis euaserat immortalis; vnde mors eius aliud non fuit nisi transitus ad meliorem vitam. Audite verba D. Hieronymi: *Ex hoc ostenditur Virginitatem non mori, sed manere cum Christo, & dormitionem eius transitum esse non mortem.* Cùm igitur in tantâ habeatur æstimatione hoc Virginitatis donum, omninò decet, vt vnaquæque Virgo desideret esse grata cœlesti Sponso, ac seipsam conseruet fugiendo etiam aspectum hominum, quemadmodum ait Tertullianus lib. de ver. laud. Virgin. *Confugiat ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum.* Cooperiat velo faciem, hoc enim fortissimum scutum est, quo suam in hac vitâ defendet Virginitatem, vt deinde in altera immarcessibilem consequatur coronam gloriæ, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Virginitas.

DISCVRSVS LXXIV.

Habendus in solemni illâ Cæremoniâ, quâ vtitur Ecclesia, cùm Virginis Deo consecrandæ abraduntur capilli.

Num. I. NTIQUISSIMA & mystica consuetudo abradendi capillos nouellarum Christi sponsarum sicut non absque diuino instinctu in Catholicam introducta fuit Ecclesiam, ita magnis mysterijs vtilibusque documentis scateat, necesse est. In honorem huius sacræ cæremoniæ inuitati estis ad cœleste quoddam spectaculum dignum profectò cœlo & gratissimâ hac auditorum coronâ. Conspicietis hodierno die Adolescentulam quandam prænobilem & sanguine illustrem, sed virtutibus illustriorum, tanquam nouellam & generosam debellatricem in aperto prœliaturam campo contra mundum, sensum & infernum. O efficaciam & virtutem diuinæ gratiæ perpaucis concessam! vbi aliæ stolidæ & fatuæ mundanas insequuntur vanitates, hanc animo intrepido omnem mundi pompam spernentem & refutantem videbitis; vbi aliæ veluti certam quandam mortem fugiunt crucem pœnitentiæ, hanc imperterritam, audacem auidamque ad amplexandam illam cernetis accurrentem; vbi illæ auricomas suas ostentant comas, de ijsque gloriantur & insuperbiunt, hanc cum Magdalenâ illas veluti gratissimum donum Christo crucifixo suo sponso spectabitis offerentem.

Noui peroptimè, ô charissima Dei sponsa & Virgo, in hoc heroico actu tibi condolere mundum; ast hæc non vera est, sed vana compassio, siquidem non penetrat nec tuum agnoscit bonum Caro & sanguis lachrymis monstrabunt dolorem suum; verùm hæ Sirenum sunt lachrymæ, non amoris sed odij. Tu verò, quæ è prudentum Virginum existis numero, prudentiâ quippe præuenisti annos, & diuinâ illustrata es luce, sponte permuta diuitias cum paupertate, cum nobilitate domus tuæ religiosam humilitatem, pompam & mundi vanitatem cum vili & abiecto habitu, te exhortor, vt spernas & deseras mundum, priusquam illudaris & deseraris ab ipso, obtura aures venenosis hisce & infernalibus suggestionibus & sibilis, aperi easdem ad auscultandas tuas prærogatiuas & excellentias, quas si probè intellexerint aliæ ad tuam fortassis aspirabunt imitationem.

Et vt viam semel sternam nostro discursui, ostendam percelebris huius cæremoniæ originem causam & mysteria. Ne ergo existimens morem & vsum hunc abradendi capillos sacrarum Virginũ in primo religionis ingressũ non esse meram hominum inuentionem, aut vanam (veluti hæretici somniant) Christianorum superstitionem, sciendum est ex Palladio in Lau. Angelum Dei, qui regulam di- Num. 2.

ctauit

ctauit magno Pachomio, hoc eidem inter cætera dedisse præceptum. S. Isidorus Pelusiota lib. de diuin. off. apud Baron. tom. 1. ad ann. 53. qui fuit discipulus S. Ioan. Chrysostomi, dicit fuisse institutionem Apostol. sed acceptam à more, quem habebant aliqui Nazaræi ex præcepto Dei, vti colligitur ex lib. Numerorum, tondentes capillos ante portam tabernaculi & Deo offerentes sacrificia, & propterea præceperunt instituerunt que id Apostoli, inquit hic sanctus: *Vt qui Domini cultib. mancipati Domino consecrarentur quasi Nazaræi, id est. sancti Dei, crine præciso innouentur.* Et de monasterijs Ægypti & Syriæ scribit S. Hieron. Epist. 48. ad Sabin. *Moris est in Ægypti & Syriæ monasterijs, vt tam virgo quàm vidua quæ se Deo vouerint, & sæculum conculcauerint, crinem monasteriorum matribus offerant dissecandum.*

Num. 3. Et si velimus prophanas inspicere historias, hęc non dumtaxat fuit consuetudo Hebræorum aut Christianorum, verùm etiam gentilium. Celebris apud Historicos præsertim Plinium lib. 16. ca. 44. est arbor illa, quæ fuit Romæ & capillata nominabatur, cui appendebantur comæ Virginum Vestalium veluti trophæa deuicti & subiugati mundi. Nomen arboris huius erat *Lotos*, veluti refert Polybius lib. 12. eratque spinosa, sed dulcissimos proferebat fructus, quos cum gustassent socij Vlyssis, vti scribunt Homerus Odys. & Ouidius 9. Meta. obliti fuerunt & patris & patriæ suæ. Hæc arbor abs dubio crucis symbolum est, cui cùm Virgines appendunt comas terrenorum affectuum, audiunt in corde hæc sibi dici verba: *Obliuiscere populum tuum & domum patris tui, quia concupiuit rex speciem tuam.* Psalm. 44. versic. 11. & de Græcis scribit Plut. in Theseo. Et confirmant antiquissimus Tertullianus de an. Theodoretus qu. 28 in Leu. Lira & alij in c. 6. Num. apud eos in morem abijsse, vt capillos adolescentum nunc huic, nunc isti consecrarent Deo. *Dementissima natio* (ait D. Cyril. Alexand. in Leu.) *offerebat comam dæmonijs.* Et propterea antiqua Berenice, teste D. Nazianzeno Orat. 2. indul. amputauerat sibi comam, vt eam Dijs sacrificaret. Tempus mihi deficeret, si omnes historias recensere vellem,

An non percepistis & obseruastis N. quàm antiqua, vniuersalis & religiosa hæc per totum mundum extiterit cæremonia? oportet igitur fateri, non exigui momenti fuisse causas ad introducendam illam, & magna illam in se continere mysteria, maximè cùm agitur de mulieribus. Et quis nescit, quanto sit despectui & vituperio mulieri abradere comas? *turpe est mulieri* (inquit Apostolus 1. Corinth. 11. vers. 6. *tondere aut decaluari.* Tyranni inter alia tormenta hoc sæpenumerò sacris intulerunt Virginibus, & leges nonnunquam idem permiserunt in casu adulterij. Talis est mulier sine comis, qualis est arbor sine frondibus, inquit S. Ambrosius l. 6. Hexam. *Tolle Comam arboris, ingrata est; tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flauescit.* Et ante ipsum id iamdudum decantauerat Poëta Ouidius: Num. 4.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus;
Et sine fronde frutex, & sine crine caput:

Ac propterea nonnullæ, ne hoc incurrant vituperium, mortuis se associant, ne possint comparere inter viuos. Verùm in hoc Christiana consistit excellentia, virtus & meritum, ait idem S. Ambrosius Epist. 30. ad Sabin. Quæ instar virgæ fatalis totum, quod tangit, etiamsi sit vilissimum & despectissimum, si tamen id faciat ad maiorem Dei honorem, reddit efficitque gloriosum & diuinum: *quæ corporeo aspectu fiunt turpia* (dicit S. Doctor) *Sacrosanctæ religionis contemplatione reuerendæ sunt.* Et hæc sit prima & vniuersalis ratio operum Dei, nimirum manifestatio gloriæ ipsius, eò magis relucet & splendescit, quantò magis

magis ex vituperio quærit honorem & gloriam.

Pientissimus Redemptor noster spinis coronatus fuit in ignominiam & despe-ctum suum; ast vult, dicunt Clemens Alexand. & Beda apud Cor. in cap. 6. Num. vt nos Ecclesiastici radamus caput in modum coronæ idque ad maiorem gloriam. S. Isidorus lib. 2. de diu. off. cap. 4. & S. Dionysius Areopagita lib. de Eccl. Hierar. cap. 6. aliam talis cæremoniæ assignant rationem; ille affirmat, per abrasionem capillorum personas religiosas admoneri, vt tollant & deserant omnia superflua, siue diuitias, siue honores, siue affectum rerum terrenarum, quorum omnium symbolum sunt capilli, vt possimus dicere cum S. Apostolo Petro: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Matth. 19. versic. 27. Hic verò asserit abrasionem illam denotare vitam puram & mundam religiosi. Verùm sic intrabimus in considerationem mysteriorum, quæ iam diximus contineri in hac cæremoniâ, quorum tametsi magna sese offerat copia, nonnulla tangemus inter quæ hoc primum obtineat locum. Capilli, vti vera docet Philosophia, sunt pars inanimata, nullâ informantur animâ, sed sunt, vt ita dicam, pars mortua vitæ humanæ. Cùm igitur status religiosus comparetur cœlo, in quod nulla res mortalis ingreditur, decens omnino erat, vt capilli vtpote symbolum operum mortuorum, nimirum, peccatorum, primò abradantur & rescindantur ferro pœnitentiæ.

Num. 6. Erat coma iuxta mentem Sinesij apud Grat. V. *coma*, inimica prudentiæ: *vt se mutuò hæc duo non patiantur coma & prudentia.* Quod si esset verum, prudentissima æstimari debet hæc Virgo, quæ vt locum paret prudentiæ, tollit illius impedimentum, comas videlicet, nihilominus non defuerunt qui summâ cum laude de comâ locuti fuerunt: Aristoteles lib. 1. Rhet. cap. 9. appellauit illam vexillum & signum libertatis, & propterea antiquitus seruis non erat licitum nutrire & ferre comam; vnde quidam reprehensus fuit: *Seruus cùm sis, comam geris.* Seneca lib. 2. Epist. apud Serar. in Iob qu. 13. dixit indicare nobilitatem animi; quare in Hispaniâ tempore quodam nobiles distinguebantur à communi plebe per comam. Ab alijs coma capitis dicta fuit ornamentum Adolescentum. De ephebis Salomonis scribit Ioseph Hebræus, quod adeò oblongos deferebant capillos, vt equitando attigerint ephippium. Sileo quod antiquitus capilli signum erant authoritatis in Senatoribus & Magistratibus, Maiestatis in regibus, religionis in Sacerdotibus. Et ideò fortassis vbi Nabum Propheta appellat principes & capita populi: *custodes tui sicut locustæ.* cap. 3. vers. 17. Legit Hebræus: *comatuli tui.* Et meritò, quia coma est corona capitis, & hæc solis conuenit principibus. Et hac de causa locus ille Ezechielis cap. 24. vers 17. *Corona tua circumligata sit tibi.* Traducitur à Septuaginta: *coma tua.* Sat euidenter & clarè nunc percipere possumus N. quid sit hæc cæremonia, quidque significet hæc abrasio comarum sacrarum Virginum Deo sese consecrantium; non aliud profectò, nisi vt propter amorem Sponsi sui mundanam spernant & refutent libertatem, cunctam terrenam nobilitatem, omnem honorem tametsi regni & Imperij: glorienturque se esse vilissimas seruas, ancillas & mancipia omnipotentis Dei. Iubila & canta tu. O Virgo religiosa cum sacris Virginibus in actu illo abrasionis capillorum; tibi namque optimè congruit hoc canticum: *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi.*

Neque hoc duntaxat, sed & aliud Num. 7. magis reconditum considero mysterium, dum hanc Virginem contemplor refutantem in capite portare illam comarum coro-

coronam, quam Paulus Apostolus appellat gloriam mulierum, dicens: *Mulier sic comam nutriat, gloria est illi.* 1. Corinth. 11. versic. 15. Triumphum agebat exercitus Imperatorum Aurelij & Antonini, & vt cum maiori prodirent pompâ & magnificentia milites, omnium capita iussu Imperatorum varijs erant cincta coronis; vnus tamen miles Christianus inter alios notatus fuit, qui portabat coronam suam manu. Quapropter accusatus fuit apud tribunum, & interrogatus de super respondit liberè: militibus Christianis expectantibus coronam veræ gloriæ in cœlis non licere, vt capita eorum sint cincta coronis in terris. Dum causa examinabatur coram tribunali, torquetur ille equuleo, & eadem inter fideles excitatur quæstio: vtrum licitum sit Christiano esse cinctum corona; quod Tertull. occasionem præbuit scribendi egregium quendam librum *de corona militis*; in quo eruditè ostendit, non deberi nobis in terris coronam aliquam, quandoquidem caput nostrum Christus coronatus fuit spinis, nec posse nos cum militiæ Christianæ præfecto & duce dicere: *cursum consummaui, fidem seruaui.* 2. Tim. cap. 4. vers. 7. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Hoc, inquam, est, ô inuicta & generosa militantis Ecclesiæ præliatrix, quod hac profiteris cæremoniâ, dum capitis abradis & tollis coronam, vt nimirum ad aliam aspires coronam æternam videlicet, cùm tibi dicetur: *Veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.*

Num. 8. Amentiæ & temeritatis incurreret notam N. qui coronam expostularet ante victoriam: an non vita nostra continua pugna est? an non status religiosus, iuxta opinionem SS. Patrum, palæstra est? an non id publicum edictum est ducis nostri: *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit?* 2. Tim. 2. versic. 5. Ergo hîc non de corona, sed de pugna & bello tractandum est. Et hîc cum S. Isidoro Pelusiota Epist. 161. aliud subnoto mysterium: dicit ille, quòd, tametsi non sit nobis pugnandum *aduersus carnem & sanguinem*, modum tamen pugnandi discere & capere debeamus à mundi huius gladiatoribus, qui antequam cum hoste descenderent in arenam, capillos suos abradere solebant? *Ne crinibus prenderentur; ad eum nos quoque modum si coronam referre cupimus, exuto antiquo homine vnà cum ipsius actionib. precibusque atque in Eleemosynas insumptis rebus externis.* Hi enim sunt capilli, quos detondere debemus cum omnibus affectibus & concupiscentijs; *ad virtutis stadium ascendamus.* Hanc ob causam exercitus Alexandri Magni ingens subijt periculum, eò quòd milites oblongis præditi capillis cum hoste decertauerint; refert namque Plutarchus apud S. Ambrosium lib. 6. Hex. quòd militibus vtriusque potentissimi exercitus Alexandri & Darij acriter inter se dimicantibus nullus dignoscere poterat, in quam partem inclinaret victoria. Tandem miles quidam Persicus astutum adinuenit modum superandi hostem, insilijt nimirum in Macedones vnumque post alium apprehensum coma capitis proiecit in terram & gladio mactauit, quod cùm pluribus fieri cerneret militibus suis Alexander Magnus, conspiceretque armatos deuinci miserè ab inermibus, classicum ocyùs sonare præcipit, cunctosque milites ab arena reuocat conducitque ad montem, vbi omnium militum capita abradi curat, quibus rasis nouum deinde cum Dario inijt certamen, certauitque generosè & vicit. Quis negabit mihi milites hosce abrasione capillorum insignem hanc reportasse victoriam; non expectetis velim à me, N. historiæ huius applicationem ad hodiernum solemnem actum, iam ipsimet clarè cognoscitis, in quem collimet scopum: inspicite solum & contemplamini pru-

prudentiam bellicosæ huius nostræ puellæ præliatricis, & exinde sumite exemplum ac documentum; nisi namque superflua vitæ huius abieceritis, difficulter euadetis victores, imò facillimè superabimini.

Num. 9. Idem hoc Deum cum populo suo & multò magis nobiscum apud Isaiam fecisse arbitror, dum videret illum hostium traditum prædæ & potestati: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum, ad planctum & caluitium* inquit Propheta cit. cap. 22. vers. 12. Conspicit Deus exercitus, vtpotè, Christianorum dux & imperator, omne nostrum malum originem suam trahere ab affectu rerum superfluarum, à diuitijs, à vanis cogitationibus & vitijs; hæc enim omnia intelliguntur per capillos iuxta D. Greg. S. Ambrosium & S. Paulinum Epist. 4. quos nos tanti æstimamus, ijsque veluti armis impugnamur; quapropter ad secessum sacræ religionis; vitamque religiosam & solitariam vos vocat, ibidemque præcipit, vt detondeamus abradamusque planè cunctas affectuum superfluitates, quo absque periculo & maiori cum securitate pugnare ac dimicare valeamus. Ast tu longè prudentior illos non expectas, ne vincaris, sed vincas; priusquam descendis in arenam, relinquis & deseris comam, & cum comâ superfluos mundi affectus. Victoriæ iam sis secura: meritò namque triumphans dicere potes: *venit princeps huius mundi, & non habet quidquam*. Ioan. 14. vers. 30. vnde nos teneat & in terram proijciat.

Num. 10. Plurimas alias mysticas rationes huius cæremoniæ adducere possem iuxta diuersum populorum morem & consuetudinem, & ex ijs necessaria pro religiosis elicere documenta. De populis Germaniæ scribit Cornel. Tacitus lib. 6. de moribus gent. quod tunc abradebantur capilli, quando domum attulerant caput inimici in signum victoriæ. Ast castam hodie mihi videor videre Iudith triumphantem, gerentem detruncatum infernalis Holofernis caput, ac magno cum applausu & iubilo intrantem Bethuliam sacræ religionis. Ægyptij, quemadmodum obseruauit Origenes in Genes. cap. 41. in signum magnæ alicuius lætitiæ abradebant capillos; vnde dicit S. Scriptura, quod: *Eductum de carcere Ioseph totonderunt* Genes. cap. 41. vers. 4. Nisi etiam velimus dicere, obtentæ id fuisse libertatis signum, veluti in morem abijt apud Romano, & apud alios fuisse signum liberationis è magnâ & periculosâ tempestate.

Plaudat igitur & exultet hæc Virgo, eò quòd iam è mundi huius carceribus solutam, à durâ huius sæculi seruitute & periculosâ miserrimæ ac calamitosæ vitæ huius tempestate liberam se conspiciat; in signum ergo magnæ lætitiæ abradat comam. In alijs Historijs legitur tonsionem capillorum fuisse signum magni alicuius luctus, veluti in morte percharorum amicorum. Ita S. Iob auditâ filiorum morte: *tonso capite corruens in terram adorauit*. Iob cap. 1. vers. 20. Id fecisse scribit Suetonius quosdam reges cum suis vxoribus in exequijs Imperatoris Germanici: *ad indicium maximi luctus*. In alijs abrasio capillorum fuit signum pœnitentiæ & renunciationis sæculi, quem morem habere solebant Indi & aliæ quædam nationes. Et hoc idem tali cæremoniâ profitentur religiosi. Quid plura? eorum quoque, qui ad mortem condemnati erant, abradebantur capilli, & leges mortem ciuilem vocant vitam religiosam, vbi morimur carni & viuimus Spiritui, morimur mundo & viuimus Deo. Omnia hæc tacito prætereo pede; ast vnicum hoc nec possum nec debeo præter-mittere, quod sicut capillorum abrasio in Virginibus est quædam renunciatio terrenarum nuptiarũ, teste Optato Mileuitano lib. 6 ita certum signum est, ipsas esse electas in Sponsas Christi: *Vt secu-*

laribus

laribus nuptijs se renunciasse monstrarent, spirituali Sponso soluerent crinem.

Num. 11. Ecce igitur N. hanc Virginem veluti alium quendam Noë ad arcam Sacræ religionis confugientem, vt peccatorum effugiat diluuium, quo mundus submergitur. Ecce alium quendam Abrahamum propriâ egredientem patriâ & cognatione, vt cœlestibus fruatur colloquijs. Ecce alium Loth è nefandâ mundi fugientem ciuitate, ne concupiscentiæ sentiat incendia & fœtida superbiæ flumina. Ecce alium quendam Moysen montem conscendentem Sinai, vt cum Deo propriæ salutis pertractet negotia. Ecce hanc Virginem instar zelosi Eliæ impiam fugientis Iezabelem, desertum & locum petentis solitarium, vt deinde ignem æternæ gloriæ conscendat currum. Ecce denique hanc Virg. tanquam alium Israëliticum populum confusam & horribilem despicientem effugientemque Babyl. ac redeuntem in Ierusalem, vt patificâ sui dilectissimi Sponsi fruatur visione.

Eia ergo, ô Virgo inter mille electa in Christi Sponsam; cùm hæc cæremonia sit adeò honorifica & gloriosa, sine, vt tibi congratuler de fœlici permutatione domus mundi cum domo Dei: hisce auro intertextis spoliaberis vestibus, ast aliæ charitate & gratiâ ditatæ tibi parantur; Coma tanquam capitis tui corona abradetur; sed gloriæ, quâ in æternum coronaberis, contexitur corona. Præteritam deplanges vitam; sed ô fœlices lachrymę! quas ipsamet Dei manus absterget, & cœlestium gaudiorum compensabit torrente. Et quamquam terræ sis Angelus, cœli tamen quodammodo superabis Angelos; siquidem hi ministri sunt, tu verò eris Sponsa Dei. Dic syncero corde, *ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* Et huius sponsalitij beneficio gaudebis eiusdem præsentiâ in cœlis per omnem æternitatem. Amen.

DISCVRSVS LXXV.

In solemni professione alicuius Virginis.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Matth. 13. vers. 44.

Num. 1. VANGELICA hæc parabola, vel potiùs mystica similitudo inter regnum cœlorum & thesaurum absconditum in agro proponitur à S. M. Ecclesiâ in solemnitate sanctarum Virginum; cuius ratio est, vt nobis ostendat sublimitatem & excellentiam status virginalis. Et quid excellentius, quidve sublimius, quàm Virginitatem appellari regnum cœlorum, & esse thesaurum terræ? *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro*, loco citato. Quia ergo totum hoc nostro inseruit proposito in hac solemnitate, quam de sacrâ quâdam celebramus Virgine Deo consecrata, examinabimus in vtilitatem & communem omnium consolationem, qua ratione Virginitas sit regnum & regnum cœlorum: quomodo sit thesaurus & thesaurus

absconditus in agro: quomodo hic thesaurus inueniatur, & iuuentus conseruetur à Virginibus sponsis Christi, sicque percipient quanta sit earundem excellentia & fœlicitas, & quantâ cum cautelâ & custodiâ illam conseruare debeant.

Status Virginalis appellatur regnum & regnum cœleste, idque non immeritò: etenim quandocumque anima hunc attingit statum, illicò creatur regina, & de eâ dici potest, quod asseritur Psalm. 44. vers. 10. de Virgine & Christi Sponsâ: *astitit regina à dextris tuis*, quod iuxta Diuum Ambrosium lib. 1. de Virgin. duobus modis intelligi potest; primò ratione Sponsi, qui eo ipso, quo rex cœli est, vult, vt Sponsa sua, tametsi sit alterius conditionis, vilis & humilis, cœli quoque euadat regina, eo modo, quo contigit Esther, electæ in Sponsam regis Assueri, qui *posuit diadema regni in capite eius.* Esther c. 2. vers. 17. Dicitur quoque Virgo regina propter statum Virginalem, in quo constituta est, qui status regnum quoddam est, & regnum non quidem terræ sed cœli, & de hoc regno affirmari potest, quod ait Christus Redemptor noster Lucæ cap. 17. vers. 21. *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Siquidem, qui dominatur & imperat appetitui sensus, eumque suo regit talento, regina & domina est sui ipsius. Cuius audiamus testimonium ex ore D. Ambrosij vbi sup. *aduerte, quantum tibi Spiritus sanctus attulerit regnum.* Loquitur Virginibus, earumque ob oculos ponit regiam ipsarum dignitatem, vt dignam eiusdem habeant rationem & curam, causamque subnectit: *Vel quia Sponsa es regis æterni, vel quia inuictum animum gerens ab illecebris voluptatum non captiua haberis sed quasi regina dominaris.* Ac si diceret, quòd quæcumque alia anima, quæ non gaudet huiusmodi priuilegio, non sit domina sed ancilla, non regina sed serua & mancipium.

Num. 2. O magnam prærogatiuam Virginum Deo consecratarum! duplici ex capite Virgines sunt, ex parte Sponsi, à quo pro dote consequuntur regnum gloriæ, & ex parte ipsarum, cùm pro dote deferant regnum Virginitatis suę, sicque in spirituali hoc sponsalitio inter Christum & Virginem practicatur illud, quod antiquitus obseruabatur, vt narrat Salazar in Prou. cap. 9. dum Sponsus propriâ manu coronabat Sponsam, & Sponsa Sponsum. Etsi de Christo coronante Virginem dici potest: *Posuit in capite eius coronam de lapide pretioso.* Psalm. 20. vers. 4. affirmari quoque potest de Virgine coronante Christum, quod ait Salomon de Sapientiâ cœlesti Virgine quoque: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Prouerb. 4. versic. 9. Vel vt legunt Septuaginta *corona gratiarum, corona deliciarum proteget te.* Hæc est illa nouitas, quam prædixit Propheta Ieremias c. 31. vers. 22. *Nouum fecit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum*, quod nimirum à Virgine filius Dei coronandus erat coronâ carnis Virginalis, & hanc ob causam magno cum stupore aduocati fuerunt Angeli ad spectandem regem suum ab ipsâ, vtpote Matre & Sponsa coronatum, tanquam rem miram & prodigiosam: *Egredimini filiæ Ierusalem & videte regem vestrum in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Cant. 3 versic. 11. Et poterat quoque dici: *& Sponsa sua in die desponsationis suæ & in die lætitiæ cordis sui. Ecce rex noster* (ait S. Bernard. serm. 2. de Epiph) *sed in coronâ nostrâ.* Continere me nequeo, quin de nouo exclamem: ô præcelsam dignitatem sacrarum Virginum! quæ sunt reginæ, & dum Christo desponsantur, ab eodem recipiunt regnum gloriæ, & Virginitatis quoque deferunt regnum.

Peroptimè hanc veritatem intellexit sancta Virgo Trebana, de qua refert S. Greg. lib. 1. contra Nouat. quòd, cùm capta esset ipsius ciuitas à rege Nicanore; & ab hoc postularetur in Sponsam ob raram ipsius pulchritudinem, offerreturque Num. 3.

retur que ei pro dote, totum regnum, constantissimè illud refutauit: *Ostendens* (inquit S. Greg.) *pudicis mentibus plus Virginitatem esse, quàm regnum.* Et meritò sanè refutauit regnum illud terrenum, quia cœlestis regni erat regina. Et bene dicere poterat, quod nunc sanctæ decantant Virgines: *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amaui, quem dilexi.* Et si quispiam ab illa petijsset, vbi esset regnum suum, affirmare potuisset: *regnum meum non est de hoc mundo,* Ioann. 18. versic. 36. Regnum est, quod ab ea auferri nequit, quia tametsi sit sublata vita: *Regnum Dei intra vos est,* Luc. 17. versic. 21.

Num. 4. Et si vlterius percipere velitis quomodo status Virginalis sit regnum non terrenum sed cæleste, audite: dicitur Virginitas regnum cœlorum non terræ, quia in cœlo primam suam habuit originem, in cœlo demoratur, & in cœlo suum obtinebit complementum; in cœlo Virginitas habuit originem, quandò ab æterno nata est increata sapiētia è mente paternâ tanquam radius purissimæ lucis absque vllâ corruptione & diminutione paternæ substantiæ, ac proptereà vocatur: *Candor lucis æternæ & speculum sine maculâ,* Sapient. 7. versic. 26. Actus purissimus, imò ipsamet puritas. Vnde dixit S. Gregor. Nazianzenus in Carm. de Virgin. *prima Trias virgo est.* Quod etiam intellexerunt Sapientes gentiles, quando finxerunt, Palladem Deam Sapientiæ & ab illis æstimatam Virginem natam fuisse in cœlis ex cerebro Iouis, quem Deorum Patrem esse arbitrabantur. Demoratur Virginitas in cœlo tanquam in patriâ, hîc verò veluti in hospitio, quod perpulchris hisce innuit verbis S. Ambros. lib. 1. de Virgin. dicens: *Cœlum patria est castitatis; hîc aduena, ibi incola est.* Hinc est, quòd Virgines hîc in terris conuersentur ac si essent in cœlis, possintque dicere cum S. Apostolo: *nostra conuersatio in cœlis est,* ad Philip. cap. 3. v. 20. Cogitant & curant, vt Domino cœli placeant: *Virgo cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta & corpore & Spiritu* 1. Cor 7. vers. 34. Vita ipsius, ait S. Petrus Chrysologus serm 143. quia est *in carne præter carnem, non terrena vita est, sed cœlestis.* Et tandem in cœlis tanquam complementum & particulare præmium obtinebit aureolam, quam Theologi dicunt propriam esse Virginibus non alijs, dum in morte & egressu huius exilij dicetur eis ab Angelis: *veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.*

Et si deinde cognoscere exoptetis, quomodo Virgin. sit regnum cœlorum, id ex eo vel maximè colligere potestis; etenim sicut ibidem Virgines fruuntur visione Dei, conuersantur cum Angelis, omniumque cœlestium bonorum fiunt participes, ita de statu Virginali & de Virginibus scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. vers. 8. & S. Ioannes, quia Virgo erat, Christum nocte ambulantem supra aquas præ reliquis in naui existentibus cognouit, dixitque S. Petro: *Dominus est* Ioan. 21. vers. 13. Et sicut Angeli fugiunt sensualium & lasciuorū consortium veluti apes fumum, ita teste S. Basilio lib. de Virgin. gaudent societate Virginum.

Summa, Virginitas ob plurima, quæ continet, bona, & ob excellentissimas, quas amplectitur, virtutes, appellata est à Christo thesaurus: *simile est regnum cœlorum thesauro.* Matth. 13. v. 44 est thesaurus gratiam: *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata,* Eccl. 26. vers. 19. thesaurus magni pretij: *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ* Eccl. ca. 26. vers. 20. Thesaurus est propter raritatem, sicuti rarò inueniuntur thesauri, vnde Christus dixit de Virginitate: *Non omnes capiunt verbum istud.* Matth. 19. versic. 11. Et de Virginibus iuxta D. Hieronymum Num. 5.

in Iouinianum dici potest ? *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth.cap.20.vers. 16. S.Gregor.Naz.in Carm.de Virg.propter raritatem suam comparat illam flumini,quod sub salsis maris vndis & aquis suam conseruat dulcedinem. Demum dicitur thesaurus;quia sicut thesaurus magis reperitur casu & fortunâ,quàm industriâ;ita esse Virginem est donum & gratia Dei,qui illud dat,cui vult: *nemo potest esse continens,nisi Deus det.* Sap.8. vers.21. Et quemadmodum asserit S.Apost. Paulus de prædestinatione : *Non est volentis neque currentis , sed miserentis est Dei* , ad Rom.ca.9.v.16.O quot eam desiderant, & non inueniunt?quot & quanti currunt, & illam non attingunt?*non omnes capiunt verbum istud.* Matth.19.vers.11.

Non videtur esse verum,Virginitatem, videlicet, non esse thesaurum , vti iam probauimus ; thesauri namque nomen attribuimus rebus,quæ secum conferunt fœlicitatem, consolationem, voluptatem & abundantiam;at Virginitas aliud non est nisi priuatio voluptatum non solùm illicitarum , sed etiam licitarum, comes paupertatis,abstinentiæ,pœnitentiæ,ciliciorum , verè *lilium inter spinas.* Cant.2. vers.2. & quæ fœlicitas reperitur in hoc thesauro Virginitatis,quæ priuatur fœlicitate filiorum? & apud Hebræos Virgines subiectæ erant maledictioni & reprobationi: *non erit apud te sterilis.* Deut. cap.7.vers.20.

Hisce respondetur,quòd licèt Virginitas sit thesaurus,est tamen thesaurus absconditus: in hoc thesauro duo consideranda sunt,aliud est,aliud apparet: stupidus esset homo ille, qui in vase quodam ex creta confecto absconderet thesaurum,desideraretque thesaurum illum videri & cognosci: ita Deus abscondendo thesaurum Virginitatis in agro religionis noluit illum esse manifestum,sed absconditum ; quibusdam tamen electis suis eum manifestari voluit, & hi sunt humiles. Fœlices humiles quibus talis ac tantus manifestatur thesaurus: *Confiteor tibi Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus , & reuelasti ea paruulis:ita Pater,quia sic placitum fuit ante te.* Matth.11.vers.25.

Num. 7. *Omnis gloria eius ab intus* Psalm.44.v. 14.dicitur de Sacrâ Virgine & ipsa de se ait : *Nigra sum , sed formosa sicut tabernaculum Cedar sicut pelles Salomonis.* Cant.1. vers.4.Nullus opinetur,ait Sanctus Bernardus , vestem scabrosum, quâ vestiuntur religiosi , & austeram , quam ducunt, vitam , esse rem contemptu & despectu dignam, quia *gloria eius filiæ regis ab intus.* Tibi videntur religiosi *quasi tristes*, ast penitius eos introspice, & reperies : *semper gaudentes.* Foris *sicut egentes*, intus : *omnia possidētes.* Quia possident cū Deo thesaurū quendā puritatis.Verè Virginitas religiosorū similis est *thesauro abscondito in agro*, idq; ob plurimas rationes,duas solūmodo allegabimus,& erit fructus ille,quē ex præsenti hauriemus discursu. Vult primò Deus, vt virginitas tanquam res cœlestis & thesaurus gratiarum esset abscondita, vt demonstraret eius excellentiam & pretium,quo æstimanda est ; vidit namque , quòd plures homines viuant more bestiarum sensuum sequentes voluptates quod si igitur talis thesaurus esset manifestus , aliud non esset nisi *proijcere margaritas ante porcos.* Matth.7.vers.6 gemma, quæ non cognoscitur,non æstimatur. Et ad percipiendam excellentiam virginitatis , ad quam ritè rectèque cognoscendam alij quàm carnales necessarij sunt oculi,sufficit considerare pretium, quo illā æstimauit filius Dei & Mater eius sanctissima:ille nasciturus mūdo non nisi ex virgine nasci voluit, vti notat S. Chrys.in Matth. Si deinde Mater eius non fuisset Virgo, nunquam ipsam elegisset in Matrē.Et hæc, veluti aduertit Sanctus Bernardus serm.de Annunc. dum eligeretur in Matrem Dei,quia dubitabat amittere virginitatem,quam magni pendebat, refutabat, quantum ex se erat, Maternita-

tem

tem Dei, si cum virginitate esset incompossibilis. Quot & quantæ Virgines, ne perderent hunc Virginitatis thesaurum, vitam cum morte mutarunt?

Num.8. Quod etiam cognoscitur ex eo, quod fecit hic Euang. Mercator, & quod facit omnis religiosus, qui nouit hunc in agro religionis reperiri thesaurum : *Vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Matth. 13. versic. 44. non dicitur, quòd compareт thesaurum, quia thesaurus Virginitas non habet pretium in terrâ : *omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Eccli. 26. vers. 20. Non ei æquiualet pondus auri, argenti, aut qualiscunque alia res etiam pretiosissima. Dicitur nihilominus, quod compareт agrum, vbi hic reperitur thesaurus, quod non absque mysterio dicitur & quidem indefinitè non specificando hunc vel illum agrum, quia nimirum in omni vitæ statu reperiri potest; reperitur in statu cœlibatus, in quo tot & tantæ vixerunt virgines; in statu matrimonij etiam, in statu paupertatis & diuitiarum, in statu vitæ publicæ, vbi hunc inuenit thesaurum Henricus Imperator & Kunigundis vxor eius, Eduardus rex; Emmericus & alij principes. Nihilominus ager, qui plus abundat hisce thesauris, est ager sacræ religionis. Ad comparandum hunc fœlicem agrum fortunatus hic Euang. homo *vadit & vendit vniuersa quæ habet; & emit agrum illum.* *Vadit*, quia discedit è patria, è domo paternâ & cognatione suâ, iuxta ea, quæ dicta fuerunt Abrahamo : *Egredere domo tuâ & de cognatione tuâ.* Gen. 12. versic. 1. *Vadit* de vitâ sæculari & mundanâ, sensuali & carnali ad vitam quandam reformatam & spiritualem. *Vadit* de conuersatione mundanorum ad frequentiam orationem & Sacramentorum : Vnde ô Patres & Matres, quando cernitis filium aut filiam vestram currentem ad religionē, tametsi nihil prorsus conspiciatis, scitote nihilominus ab eâ aliquid videri, quod vos non videtis, currit videlicet ad sacrum thesaurum virginitatis; quapropter mirum non est, quod *vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.*

Noli dicere : valde parum habeo; hoc ipsum namque sufficit, quod habes, vt compares hunc agrum, modò exponas omnia. S. Petrus nomine omnium religiosorum dixit : *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. versic. 27. & tamen non nisi vnam duntaxat deseruit nauim & rete. Et Christus Domino dixit illi Adolescenti : *Vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesauros.* loc. cit. vers. 21. hîc absconditos; sed in fine vitæ erunt *regnum cœlorum.*

Secundò, voluit Christus Dominus, vt non solùm thesaurus Virginitatis esset absconditus ab oculis hominum, verùm etiam, vt, si quispiam casu eundem reperisset, omni, quâ potest, diligentiâ & curâ absconderet : *quem qui inuenit homo, abscondit.* loc. sup. cit. Audit Adolescens & puella illa ex diuino instinctu, quàm pretiosus sit thesaurus Virginitatis, intelligit in religione, in claustris monasteriorum talem reperiri thesaurum, totus repletus lætitia suo confidit Patri spirituali, frequentat Sacramenta, orationes, vt se diuinæ conformet voluntati, thesaurum hunc abscondit; nouit etenim thesauros sic conseruari, magno verò exponi periculo, si fiat contrarium : *deprædari ergo desiderat qui thesaurum publicè portat in viâ.* ait S. Greg. hom. 59. in Euang tot adsunt prædones. Num.9.

Ast quomodo abscondendus est? ecce modum compendiosum; abscondenda est Virginitas, quemadmodum absconditur quidam thesaurus; eadem prorsus diligentia, quæ adhibetur in abscondendo thesauro, adhiberi solet in abscondendo vase tametsi ex creta confecto : *Habemus thesauros in vasis fictilibus.* 2. Corinth. 4. versic. 7. ait Paulus Apostolus. Vis conseruare thesaurum? diligenter

ter custodi vas, videlicet cor tuum & teipsum, veluti faciebat sancta Virgo, quæ morabatur in suo cubiculo. Idque significat vox *alma*. Nimirum, Virgo, quod idem significat ac *abscondita*. Vt hinc intelligamus, Virginitatem conseruari per hoc, quòd persona fit abscondita, & qui se abscondere nequit, virgo non est.

Num. 10. Et quia Virgo debet esse abscondita, à quibus se abscondere debet? à dæmonibus, qui sunt latrones, & ab eorum suggestionibus, qui omnibus modis nobiscum conuersari volunt. A mundo, quia alia vita, aliæ cogitationes, alia opera à religiosis requiruntur, si primò nobis licitum erat, nostram facere voluntatem, hanc ante omnia deserere & diuendere debemus, si primò nobis concessum erat videre & videri, hîc contrarium debet fieri, vti innuit S. Hieron. Epist. 18. ad Marc. *videre & videri, salutare & salutari à proposito monachorum & à quiete alienum est.* Si in sæculo permittebantur correspondentia & signa amicitiæ, hic totus amor tendere debet in Deum, quia vt idem ait S. Doctor: *munuscula & sudariola oblata & degustatos cibos, blandasque ac dulces litterulas sanctus amor non habet.* A carne, nimirum à parentibus, qui in hoc plus solito molesti solent esse amici, vt sanctum impediant propositum.

Quod si ergò, ô Virgines Sacræ, tam alta, tam excellens est dignitas vestra, videre igitur, qualis vestra debeat esse conuersatio; cogitate, quòd, quò altior sit locus, eò periculosior sit casus. Cœlestis Virgines & non terræ; considerate, an vita vestra cœlestis sit; habetis in vobismetipsis prædiuitem thesaurum; omnem impendite curam, quo illum custodiatis; & tandem cognoscitis beneficium, quod præstitit vobis Deus vocans vos ad religionem; ad perfectionem tendite iuxta obligationem vestram, vt inæstimabilem vitæ æternæ thesaurum vobis & omnibus promissum adipisci valeatis, Amen.

FINIS.

Omnia, quæ in hac humili mea versione comprehenduntur, sicut & meipsum humillimè submitto correctioni sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

R.DI ADMODVM DOMINI
FRANCISCI
MAIDALCHINI
SERMONVM CVLTISSIMORVM ET PERVTILIVM IN OMNES Dominicas & Festa Aduentus.

SERMO PRIMVS.
In Festum S. Andreæ Apostoli.

Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum, at illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Matth. 4. v. 19. & 20.



Num. 1. AVgustissimum Imperatorem Vespasianum quâdam vice dixisse ferunt: gratiorem sibi fore disertissimi Demosthenis eloquentiam quàm fortitudinem & generositatem Alexandri Magni, & cùm ab eo illius exquiretur causa, respondit: maiori namque gloriâ & honore dignum illum censeo, qui diserto sermone subiugat mortalium animos, eos pertrahendo in suam sententiam, quàm qui vi armorum integra inuadit regna & prouincias. Insignis hæc & heroica resolutio non parum exagitauit ingenia celebrium philosophorum eidem tunc adstantium; vnde vt Imperatoris animum à curis & negotijs nonnihil abducerent, perpulchrum dubium, quod curiosæ doctæque disputationis extitit occasio, proposuêre, & fuit tale: cur nimirum vox & loquela humana ritè regulariterque prolata tantâ polleret vi & potentiâ in mouendis & alliciendis mortalium animis. Permultæ fuerunt opiniones, diuersæ oppositiones & argumenta, variaque responsa; quidam etenim prodijt hanc adferens rationem, quòd, quia homo lumine intellectus illustratus est, ratiocinando, discurrendo, rationesque proponendo quietũ & contentum redderet intellectum. Alij id ascripserunt sympathiæ seu naturali cuidam consensui, qui reperitur inter cor & loquelam humanã; alij occultâ quâdam virtute suaui, loquẽtię cor calefieri, allici, ac omninò emolliri asseruerunt, quemadmodum clangore tubarum & sono tym-

panorum animari & moueri solent milites ad strenuè pugnandum. Verùm vnus inter alios primatum meo iudicio promeruit, obtinuitque palmam, qui vocem seu loquelam ritè regulatam & pronunciatam quandam in se continere dixit diuinam & cœlestem qualitatem, quâ veluti catenâ animus occultè ligatur, ac voluntas illius subijcitur imperio, vt propterea non immeritò illam Tullius nuncuparit artem diuinam asserens ex occultissimis illam scaturire sapientiæ fontibus, adducensque exemplum de Gorgiâ, qui ob mirabilem suam eloquentiam vocatus fuit Deus Iupiter, & de Ippia qui in lingua sua vitam & mortem portasse dicitur, vnde pictus fuit Deus Apollo.

Et quis non conspicit hodie vim illam & potentiam vocis & loquelæ in Christo Domino? vix loquitur Petro & Andreæ, eisque dicit: *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum*, loco suprà citato & statim hoc dicto veluti catena eos illigat, rapit eorum corda, eorumque sibi subijcit voluntates; vnde relinquentes & naues & retia, Christum quamprimum secuti sunt. *Continuò relictis retibus secuti sunt eum*, versic. 20. motiuum sane sufficientissimum discurrendi hodie de efficacia verbi diuini. Vos interim, Auditores, exacto silentio profundeque attentioni vos accingitote, & incipiamus.

Num. 2. Mentem meam ferè semper hactenus suspensam tenuit quædam Scripturæ obseruatio, ast non minus obscuram quàm subtilem creditote N. Lucæ cap. 12. Christus Dominus noster certa quodam occurrente occasione præceperat suis Apostolis, vt quilibet sibi procuraret gladium nullamque pro comparando illo haberet rationem expensarum, propria licet vendere deberent vestimenta; *& qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, loco citato versic. 36. Petrus bonus ille senex hoc ipsum audiens, sibi de bono exquisito & acuto prouidet gladio, omnino sibi persuadens tandem aliquando futuram fore occasionem, quâ eo vtendum esset, accidit intereà Christum, dum demorabatur in horto Gethsemani, ab infami maledicorum Hebræorum turma infestari & capi. Petrus ea propter furore & indignatione accensus gladio euaginato instar Leonis intrepidi prodit in medium armatorum, conspicit sceleratum quendam & impium ministrum nomine Malchum, qui omni postpositâ humanitate veluti furijs exagitatus Christū hinc & inde trahebat, percutiebat, ligabat; vnde tali in ipsum exarsit irâ, vt nisi aberrasset, gladio totum ad dentes vsque diffidisset caput Malchi; verùm fortuna fauente à capite fugientis ictum solam abscidit auriculam, omnino mihi hîc imaginor Christum non approbasse hoc factum Petri, imò illum acriter reprehendisse, quia de terra leuauit auriculam, loco suo illam reposuit, perfectissimeque omnipotenti manu sua seruum hunc sanauit.

Relinquamus hic N. si placet Petrum confusum reprehensionis ergo ei factæ, & date veniam, vt curiosam aliquam super hoc facto moueam difficultatem. Dicite, quæso, ob quam causam Christus pristinæ sanitati restituit aurem illius, qui se tam immaniter, crudeliterque tractauit? huius, inquam, à quo peroptimè sciebat sibi fore infligendam alapam in domo Pontificis? insuper non video cur gratiam præstet ei, qui nullam facit instantiam, nec, vt resanetur, rogat & deprecatur? sacras percurrite paginas, & nulli vnquam Christum nisi rogatum gratiam & fauorem præstitisse comperietis, Cur igitur, ô Domine mi, sanam ei restituis auriculam? asserunt Theologi, ad recipiendam à Deo gratiam necessariam esse fidem & instantiam, in perfido verò hoc ministro nec reperitur instantia, nec fides, cur igitur illi hanc præstas gratiam?

Vt hisce omnibus exactè respondeatur, diligenter obseruandum est, quod Num. 3.

ait Ioannes Cluniacensis & plurimi alij, affirmantes Christum toto suæ passionis tempore non aliud nisi hoc solum patrasse miraculum; ast cur hoc solum & non alia patrauit miracula? hoc fecit, inquit Euthymius, vt profundum nobis declararet quoddam mysterium; sed quodnam hic latet mysterium? non id poteftis intelligere absque præuia doctrinæ cuiusdam Theologicæ explicatione. Perspicuum est, passionis Christi Domini finem non fuisse alium, nisi animarum nostrarum redemptionem; sed & aduertendum, vtilitatem huius redemptionis non nisi mediante fide, & fidem non nisi mediantibus auribus posse haberi & percipi. *Fides ex auditu*, inquit Apostolus Paulus, si non essent aures, neque etiam certo quodam modo esset fides, ah inquit Christus Dominus, ego amaram aggredior passionem animas redempturus mortalium, & Petrus amputat auriculas? vnus ædificat, & alter destruit? non, non, inquit Christus, si sanæ non adsint aures, ego in vanum paterer, cùm sic via, per quam fides introducatur, præcluderetur, quare auriculam illius pristinæ restituam vs sanitati, vt sic toti pateat orbi, quòd, qui non habet aures sanas ad auscultandum verbum Dei, non saluabitur. Exquisitissimus est hic conceptus, & eò magis, quòd doctissimi Arnoldi Abbatis in hunc locum stabilitus est authoritate: *audeo dicere, absque auditu verbi Dei inanem esse passionem*, Sicque perceptis modò, quanti momenti res sit, audire concionem; vnde si in hoc aduentu non habueritis ad audiendum verbum Dei aures sanas & benè dipositas, neque etiam fructuum pretiosissimi eius sanguinis participes eritis.

Num.4. Sed combinemus hunc conceptum cum aliâ quâdam excellenti obseruatione. Marci 7. legitur, quòd Christo Domino post quædam ab eo patrata miracula & prodigia turba congratulabunda plenis faucib. ei occinerit laudum encomia, hæc in verba prorumpens: *bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* loc. cit. vers. 37. nihil in operibus eius reprehensione dignum inuenitur, cuncta optimè & egregiè operatus est; Sed & hoc, quod surdis dederit auditum primas obtinet, supereminet cæteris. Sistamus hic parumper N. vnam proponam difficultatem, finite me loqui huic turbæ, & deinde agam vobiscum. Heus, ô homines, ignoscite, quæso, si vos interturbo, quodnam laudum genus est isthoc, quod Christo attribuitis? quis modus loquendi insipidus & stolidus est iste? dicitis eum surdis præbuisse auditum, nùm magni momenti hæc res est? an maiora eum præstare non posse opinamini? & vbi relinquitis cæcos illuminatos, mortuos resuscitatos & tot millia hominum modico pane satiata.

Dubium hoc difficillimum est, nec id vobis explanare possum, nisi priùs consulamus de super S. Petrum Chrysologum, curiosissimam hic exagitat difficultatem, & quærit quâ de causâ adueniente Christo in hunc mundum omnes quasi à diabolo obsessi fuerint surdi? & non sine singulari astutiâ & dolo diaboli id factum fuisse respondet; ille enim hominibus auditum surripuerat, & eos prorsus surdos effecerat, vt, nimirum, Christus venturus in hunc mundum in vanum & absque fructu pretiosissimum suum spargeret sanguinem, *antiquus hostis, vt cognouit Dominum in terras aduenisse, obstruxit aures hominum*; quasi dicere voluisset diabolus: veniat, patiatur, totum, quod vult & potest, faciat Christus; quamdiù tamen aures hominum non patebunt, manebuntque occlusæ, neque poterunt vllam audire concionem, non est quod timeam; Siquidem nec vllus hominum saluari poterit, tametsi Christus instar copiosissimi torrentis suum effundat sanguinem; Num.5.

Intellecto hoc, en intelligetur & aliud: *bene omnia fecit*, quasi turba illa ex inspiratione Dei dicere vellet: omnia bene à diuinâ dispositâ sunt prouidentiâ; at hoc præcipuum & maximi momenti, quòd aures à diabolo occlusas adaperuerit, vt peccatores mediante virtute verbi Dei efficaciam pretiosissimi sanguinis Christi pro salute ipsorum effusi in seipsis experiri & percipere valeant. O quot & quanti in hoc aduentu reperientur surdi verbo Dei aures præcludentes! ô quantum allaborabit diabolus, ne plurimi audiant conciones! ô quot & quantos retardabit, impedietque à verbi diuini auscultatione, non alium ob finem, nisi vt sic eis semper præcludat paradisum, aperiatque infernum.

Insuper dico ego, & est ipsa veritas, si nulla haberetur concio, passio Christi Domini pro nobis esset frustratoria. Probemus hoc ipsum exquisito aliquo conceptu. Persæpè hactenus inuestigaui causam, ob quam Christus Dominus in omnibus suis actionibus ritũ obseruare noluerit Hebræorum, veluti in circumcisione, præsentatione templi, & sic discurrite de cæteris; appropinquante verò mortis suæ tempore renuerit se conformare Hebræorum consuetudini & iuxta eorum morem mori, sed crucem elegerit more gentilium. Hebræi etenim, lege ita mandante, obruebantur lapidibus sicque moriebantur. Pulcherrrimum huius annotate responsum: quando lapidatur quispiam, magnus excitatur strepitu & rumor, ingenti repletur aër fragore, & non nisi percussiones & collusiones audiuntur lapidum, taliter quidam, vt, si lapidatus loquitur, vllo modo audiri nequeat. Christus igitur eam ob causam lapidari noluit, quia tempore mortis suæ ab omnibus voluit audiri & intelligi. Me interrogabitis, cur, ô pater, voluit audiri? quid referebat Christum audiri aut non? ah, inquit, Dominus, non capitis negotium hoc, scio peroptimè quod si mortis meæ tempore non prædicauero, neque vllus saluabitur, volo igitur mori prædicando, crux mihi inseruiet pro cathedrâ, nam plus concionando quàm sanguinem profundendo me operaturum scio. Pulchrè sanè huic conceptui adstipulatur S. Ioannes Chrysostomus dicens: *tumultuarium genus necis est lapidatio, & inter lapidum fragorem non poterant audiri verba Christi.* Sed ecce conceptum hunc ad litteram & iam dudum à regio vate prophetizatum inuenietis Psalmo 2. versic. 1. vbi verba hæc: *quare fremuerunt gentes &c.* intelliguntur iuxta huius loci interpretes de concilio Iudæorũ contra Christum Dominum congregato; legite autem paulò inferius, & Christum in hisce persecutionibus deprehendetis concionantem: *ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*, loco citato vers. 6. Tertullianus hic inquit, *docebat eos de cathedrâ crucis.* Ecce igitur cur Christus mori voluerit in cathedrâ crucis.

Num. 6. Vt maiorem hisce faciatis fidem, clarius hoc idem propositum, nimirum, sanguinem Christi Domini nostri absque prædicatione frustrà omnino operatum fuisse ostendam. Pendebat Christus in cruce & ex omni parte spargebat sanguinem, nullus tamen conuertebatur, milites transfigentes & crucifigentes eum, pretioso eius erant vndique aspersi sanguine, & quotcumque proprius accedebant; madidi sanguine è vulneribus crucifixi profluente discedebant, latrones etiam vtpote vicini, teste nostro S. Iustiniano, guttulis quibusdam eiusdem pretiosi sanguinis conspergebantur, & nullus nihilominus conuertebatur, nullus peccatorum suorũ postulabat remissionem & veniam. O sanguis pretiosissime Domini mei, cuius minima stilla mille mundorum excedit valorem, ô sanguis sacratissime, quomodo te conspicio, spretũ & despectũ, quomodo video te frustrà profusum, & nullum operantem effectum!

Sed

Num 7. Sed audite mirabilia Christus aduertens sanguinem suum ob cordium illorum duritiem nihil operantem recurrit ad concionem incipit prædicare: *pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*, & ecce vnus illicò conuertitur latro: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*, Lucæ 23. versic. 42 iterat concionem, & ecce centurionem exclamantem: *verè hic homo iustus erat*, quem locum æquâ rationis librâ ponderans S. Bernardus ait: *ergo ad vocem credidit & ex voce cognouit filium Dei.* O excellentia! O efficacia verbi Dei!

Num. 8. Totum, quod hucusque diximus, nostrum ad enodandum dubium aliquod iam iam proponendum aperuit intellectum, accessit quâdam vice, vti habetur Matth. cap. 8 Christum centurio dicens: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, loco citato versic. 6 *& dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus*, loco citato vers. 8. dico ego modò, quâ de causâ hic cẽturio permittere noluit, vt Christus eum domi inuiseret? ergóne sibiipsi præiudicare cupit? an nescit fortassis quòd Christus Dominus in omnibus, quas inuisebat, ædibus gratias præstabat, miracula patrabat? ah miles hic Spiritus Sancti illustratus lumine vim & efficaciam cognouit verbi Dei, quod meritò Vicarius Verbi incarnati nuncupari potest, quemadmodum illud appellat S. Petrus Chrysologus sermone quinto supra citata centurionis verba, vbi sic loquitur: *dic verbo, quia iste credit in verbo omnes virtutes manere: verbum enim tuum Domine sanitas est*, non igitur mirum est si plus æstimetur Christi verbum quàm eiusdem præsentia quia verbum Dei tantæ est efficaciæ, tantamque in se continet virtutem, vt à quocumque etiam prolatum deterreat omnes spiritus infernales, exorcismi boni sunt, sancti sunt & approbati; at prolatione Euangelij plus contremiscet & fugiet diabolus, taliterque cor tuum concutiet, vt alia non egeas, pro conuersione tuâ, eloquentiâ.

An non facti illius S. Spiridionis in concilio octingentorum & plurium Episcoporum recordamini? disputabant Episcopi acerrimè contra quendam philosophum hæreticum; cumque ordo peruenisset ad S. Spiridionem, surrexit bonus hic senex, suoque innixus baculo, omissis tot tantisque argumentis & subtilitatibus ait philosopho: *audi philosophe, credo in Deum patrem omnipotentem &c.* dicto hoc symbolo Apostolico conuersus ad philosophum ait: credis hoc? obstupefactus hic & attonitus stetit Philosophus. Subiungit deinde Spiridion, *si credis sequere me.* O rem miram! illum immediatè secutus est philosophus, huncque is deduxit ad fontem baptismalem, & baptizauit. Quid vobis videtur? si quispiam hunc interrogaret, ecqui tibi, ò philosophe, dixit Episcopus ille, quod tam subitò victas ei dederis manus? non aliud, inquiet, quàm verba illa: *credo in Deum &c.* ergóne hisce permotus ac emollitus es, quem emollire ac mouere nequiuerat tanta argumentorum efficacia, efficaxque tantorum Oratorum eloquentia? responsum ipsiusmet ausculta te philosophi: *quoad vsque verbis actum est, verba verbis apposui*, argumentis addidi argumenta, *Verùm, vt virtus processit ex ore dicentis non potuit creatura resistere creatori*, quamprimum ex ore Sancti illius senis prodijt fulmen illud verbi Dei & Spiritus sancti, confestim obedire debui. Ah bone Deus, qui nos tuo redemisti sanguine eccur hodie non das *verbum Euangelizantibus*; cur non verbi tui fulmine tangis corda nostra, nosque verbo tuo ad te conuersos tuæ subijcis voluntati, quemadmodum conuertisti Petrum & Andream iuxta mare Galilææ? Ah, ô Domine: *tantus labor non sit cassus.* Vos interim curam habetote fructus eius, & ego respiro. Num. 9.

SECVNDA PARS.

Num.10. TAnta talisque est efficacia verbi Dei, vt homines transformet in cœlos & paradisum in terram; ad probationem: Isaiam Prophetam quâdam vice Deus vocabat, eique dicebat, vade, ô fidelissime, prædicatum eo feruore & zelo, qualis ad populi mei salutem necessarius est, te namque tali dotaui priuilegio, vt propria verba mea ori tuo cooptauerim, simulque tibi dederim facultatem fundandi terram & plantandi cœlos, *posui verba mea in ore tuo, vt plantes cœlos, & fundes terram.* Isaiæ 51. vers. 15. nimirum authoritatem tibi trado plantandi cœlos & paradisum in terrâ, Ecquid dicitis auditores? an non peregrinus vobis videtur hic loquendi modus? & quâ vnquam ratione fundari potest paradisus in terrâ, stante inter cœlum & terram repugnantiâ non modicâ? vni patrocinatur caro, alteri fauet Spiritus; vnde inter vtrumque militare experimur positiuam illam contrarietatem, cuius mentionem faciunt philosophi, asserentes nunquam illa duo concordari posse, nihilominus si ijs fidem facere velimus, quæ dixit doctissimus Maluenda tract. de verbo Dei, quietus reddetur noster intellectus; *verbum Dei* (ait ille) *cœlum inducit in audientium corda.* Videlicet verbum Dei inducit paradisum, & fabricat cœlum in corde auditoris. Verùm pro meliori huius intelligentiâ oportet, de discursu morali transeamus ad Theologicum. Vos ô patres Theologi, an non asseritis totam paradisi gloriam consistere in visione Dei! haud dubiè, ergo mihi concedetis, quòd vbi est Deus, ibidem fit paradisus, & quotiescunque probauero verbum Dei à ministro suo prolatum & debito modo auscultatum tantam habere vim & efficaciam, vt Deum cor humanum inhabitare faciat, demonstrabo & probabo, quòd quicunque illud auscultat, fiat paradisus in terrâ.

Magnificum epitheton & celebris est illle titulus, quem duò Sancti Patres Ildephonsus & Albertus Magnus Augustissimæ cœlestium Hierarchiarum Reginæ attribuerunt, appellantes eam *totius Trinitatis triclinium*, & sanè excellentiori ea nequit condecorari titulo, dum agnominatur habitaculum trium diuinarum personarum, Patris & Filij & Spiritus Sancti, at ego mira hodie & stupenda dicam, nimirum, quòd verbum Dei ex auscultante efficiat sanctissimæ Trinitatis triclinium ac thronum Dei vnius & trini, concedit ne mihi ô subtilissimi Theologiæ professores in verbo Dei operari omnipotentiam Patris, sapientiam Filij, & bonitatem Spiritus Sancti? quidni? nam cùm illi includatur virtualiter iustificatio animæ, & hæc secundùm Diuum Augustinum & D. Thomam existat diuinæ effectus omnipotentiæ, totiusque vniuersi creationem superet, necessariò concedendum est, quod dum anima quædam mediante Dei verbo conuertitur, totum hoc fit opus omnipotentiæ Dei Patris, & quia, vt inquit Theologus, attributa Dei sunt ipsemet Deus, colligimus, inde hanc consequentiam, quod Pater æternus personaliter, vt ita dicam, corda nostra inhabitatum veniat, & vbi residet Pater, ibi & Filius & Spiritus Sanctus resideat, necesse est; etenim quamuis Deus in personis distinctus sit, in essentia nihilominus vnus est. Si igitur ibi paradisus est, vbi est Deus, vti suprà insinuaui, mihique vltrò concessistis Deum trinum & vnum suo mediante verbo corda nostra inhabitare; concedere quoque oportet, ipsum Dei verbum transformare auditores illius in cœlos & paradisum terræ: vnde si dicerem vobis N. salueте triclinia Sanctissimæ Trinitatis, iure id asserere possem. Num. 11

Num. 12 Totum hoc pro maiori intelligentia probabo

probabo ex quodam Scripturæ loco intellectu facillimo. Euangelium S. Ioannis cap. 14. percurrite, & Christum Dominum vice quâdam discipulis suis hæc reperietis dixisse verba notatu dignissima: *Si quis diligit me sermonem meũ seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* loc. cit. vers. 23. quasi diceret, quicunque ex vobis, ô mei fidelissimi discipuli, me amore prosequetur, & hunc amorem in auscultando obseruandoque verba mea demonstrabit, eundem & diliget Pater meus, & ipse & ego & Spiritus Sanctus veniemus cohabitatum illi, & hoc idem promittit Christus præmium ijs, quotcunque verbum eius auscultabunt. Non poteritis igitur contradicere propositioni meæ, cui ipsa Patris sapientia, quæ est Christus fauet & patrocinatur, & vt clarè videatis, me non proprium secutum fuisse iudicum in explanatione huius Euangelij, audite, si placeat, authoritatem perspicacis illius ingenij Maldonati, qui super hac, quam facit Saluator, promissione obstupefactus sic loquitur: Mira res est, quòd Pater, Filius & Spiritus Sanctus, vt humana inhabitent pectora, decernant deserere cœlum, quasi in illo viatores dumtaxat non incolæ illius essent, constituentes cœlum & paradisum suum in nobis: *quasi cœlũm domus nostra sit, & ipsi sint in eo quodammodo peregrini*, inquit, citat. Doctor. Ecce igitur N. propositum meum probatum, & vos ô Christiani non erubescitis sacras negligere conciones? Seriò salutis vestræ negotia, ô Christiani, ponderate, fructum aliquem è sacris concionibus percipere satagite, ab Apostolis, hisce Petro & Andreâ sumit exemplum, qui vt audierunt Saluatorem ac Redemptorẽ mundi dicentem ac clamantem: *venite post me faciam vos fieri piscatores hominum, statim secuti sunt eum.* Et primus omniũ promptissimâ eum secutus est obedientiâ gloriosus Apostolus Andrias, qui nedum in vita incubuit animarum piscationi, veluti faciebat Magister eius Christus, verùm etiam in morte eandem, quam Christus, ingressus est passionis viam; etenim si ille à barbaris impijsque satellitibus captus est & asperrimè flagellatus, idẽ passus fuit Apostolus Andreas; nam, quia impietatem crudelitatemque arguebat Ægææ, captus & à satellitibus crudelissimè flagellatus fuit, deinde diris verberibus & flagellis cæsus, tandem ductus fuit ad locum supplicij, vt cruci affigeretur, quam cùm à longè conspiceret, dicere cœpit: *ô bona crux diu desiderata & concupiscenti animo præparata!* O Sacrum lignum, ô crux benedicta tam ardenter à me exoptata! ecce ego lætabundus & hilari animo ad te venio, meam in te vitam obaturus, quæ fuisti altare, in quo summus sacerdos Christus primitias celebrauit, animas sanctorum patrum ex inferis eriĩpiens. O bona crux! tu clauis cœli, paradisi arbor, gladius quo mors transfixa occubuit, fons vitæ, riuulus per quem ad nos manant cœlestes gratiæ, tuis me amplectere brachiis, & fac, vt per te me is recipiat, qui per te me redemit. Et crucifixus in illâ S. Apostolus reddidit animam creatori suo, suorumque laborum & passionum iam iam potitur fructu & præmio. Imitemur eum & nos in vita, fructum ex auditu verbi Dei capientes, sic enim idem consequemur præmium, quod vobis concedat Deus Amen,

SERMO

SERMO SECVNDVS.

In Dominicam primam Aduentus.

THEMA

Erunt signa in sole, luna & stellis &c. Luc. 21. vers. 25.

Num. 1. NA è pompofioribus ornatioribusque, quibus Princeps quispiam adornatur, vestibus, est *magnanimitas*, gloria & maiestas, non nisi in promptitudine concedendi gratias, donaque distribuendi consistit; vnde egregiè Suetonius virtutem hanc appellauit fontem, è quo promanant riuuli gloriæ & magnificentiæ. Et philosophus Aristarchus dicere solebat, illustrem aut nobilem non nisi magnanimitate distingui à plebeio. Hac illigantur & rapiuntur animi, mollia & suauia redduntur corda, & voluntates ipsæ redduntur promptissimæ, hinc subnotandum est, quod quâdam vice dixit Artaxerxes, eum videlicet non posse verè dici magnanimum, qui non est promptus in concedendis muneribus, & petentes præuenire nescit præmio: Historiographi Imperatoris Augusti mentionem facientes dicunt, eum ne vix quidem tempus indulsisse petenti gratiam, quam concedere volebat. At promptitudo hæc præ cæteris maximè enituit in personâ Alexandri Magni, qui philosophis tempore suo celeberrimis argentum & aurum vltrò offerebat, amicis nullâ ei factâ instantiâ præmia elargiebatur; & absque præuijs precibus remunerabat milites. Et vt descendam ad particulares historias, notate id, quod successit in aulâ Titi Vespasiani: cùm generosus hic princeps staret in aulâ regiâ omnium auditurus causas, lites & negotia, compareт inter alios illi amicissimus, deprecaturus quendam fauorem; Imperator nullo exhibito sibi libello supplici, nullâ etiam aduentus & petitionis illius auditâ causâ præuenit supplicantem eâ, quam petiturus erat, gratiâ, dicens: amice, talem venisti petitum gratiam, vade tibi illam concedimus, & cùm desuper corriperetur & prodigalitatis argueretur à quibusdam dicentibus, non decere Imperatoris Maiestatem tàm promptè & facilè præuijs absque precibus concedere gratiam, respondit: *Decor & gloriâ Imperatoris in magnanimitate consistit. Proprius & verus cordis generosi effectus est promptitudo distribuendi gratias, hisce præuenire supplicantes Cæsareæ benignitatis liberalitatisque indicium est.*

Eundem planè stylum & modum, sed longè excellentiorem supremus cœli terræque Monarcha in cœlesti seruat aulâ; etenim cùm is, ob infinitam quam in se continet, perfectionem, ipsamet sit misericordia, cunctas nedum homini, quas postulat, elargitur gratias; verùm etiam præuenit illum, & plures, quas ille non audet postulare, vltrò offert, vnde regius Propheta: *Præuenisti eum in benedictionibus, dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Psalm. 20. versic. 4. perspicuè id in hodierno patet Euangelio: quia in futuro illo & terribili vniuersalis iudicii die ab æterno determinato contra infœlicem & miserum peccatorem procedet iustitia diuina, ecce ô misericordiam & liberalitatem Dei! præuenit eum hodie solitâ suâ misericordiâ, ob oculos ei ponens signa diem illum præcedentia, *erunt signa in sole luna & stellis &c*, vt hisce peccator perterrefactus ad eum sese conuertat, iustitiamque adeò seueram & rigorosam effugiat. cum tali namque Deo tam benigno tamque affabili conuersamur, agimus, & tractamus, qui nos petentes promptissimâ suâ præuenit liberalitate. Demonstrabimus igitur Deum esse velocem & quasi currentem in exhibendo nobis suam misericordiam, in castigando verò nosque puniendo Num. 2.

puniendo

puniendo adeò lentum & tardum, vt quasi erubescat hoc ipsum facere; vnde peccator eum quasi cogit, & vt ita dicam, gladium diuino porrigit brachio, attendite & incipiamus.

Num.3. Priusquam procedam ad loca sacræ Scripturæ N. agam paulisper personam Academici,quâ occasioneexcellentissima hæc ingenia nonnihil sese recreabunt. Si in Academijs quoddam de velocitate infinitæ diuinæ misericordiæ, quâ nobis succurrit Deus, componendum mihi esset emblema, solem aliquem efformarem, ignealque eidem annecterem alas,hoc apposito elogio: *in quiete modus.* Ingeniosus quidam famulus desiderans quâdam vice demonstrare Domini sui liberalitatē quascumque sibi concedentis gratias nullis præuijs precibus, in celebri quâdam Academiâ assumpsit sibi pro emblemate solem exorientem, hoc ascripto motu. *Non exoratus exorior.* Et Amasius quidam ostensurus ardentem suum in amando & in operando celerem animum pro emblemate fecit par alarum, his adiunctis verbis: *amor addidit alas*, & alius quidam, vt significaret quod nunquam quieuisset, & ab inchoato cessasset opere, nisi præstitutum suum adeptus fuisset finem, depingi curauit par alarum ignitatum, quibus hoc apposuit eloquium: *quiescimus in sublimi.* Vnde penitus non aberrabo, si ad ostendendam velocitatem Dei in subueniendo nobis,gratiamque cœlitus suppeditando, pro emblemate assumam solem, duabus ei adiunctis igneis alis; neque emblema hoc veluti chymæricum,& merè à me fictum existimetis, rogo; sic enim præfiguratum comperio Deum in sacris litteris. Vultisne solem, qui in oriente cordis peccatoris non rogatus exoriatur,& dicat: *Non exoratus exorior?* audite Malachiam: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitia*, c.4. v.2. desideratisne alatum? *& sanitas in pennis eius*, loco citato, petitisne alas cum hoc motum: *amor addidit alas?* Ecce eas in sacris canticis: *auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*, Cant. 6 vers. 4. legit S. Gregorius Nyssenus: *alas addiderunt mihi.* Audite desideratisne alas has esse igneas? Audite sponsam: *Lampades eius lampades ignis.* Cant 8 vers. 6. legit S. Ambrosius, *alæ eius vt alæ ignis.* Et si sol immobilis videtur in motu, Deus quoque eodem tempore, quo se mouet ad ferendam nobis opem & auxilium quiescit. Et sic totum verificatur de Deo; *in quiete motus.* Num 4.

Quòd omnia hæc planè consona sint veritati, patebit ex pulcherrimâ quâdam visione factæ Prophetæ Isaiæ cap. 6. raptus vt erat quodam die hic cœlorum Paranymphus in sublimem supremi Imperatoris aulam, quosdam vidit Seraphinos, quorum quilibet sex alis pompose adornatus erat, hisce velabant faciem pedesque regio insidentis throno, simul & eodem volabant tempore, *duabus volabant*, loc. cit. vers. 2. O dilecte Propheta, inquit S. Bernardus, quomodo id possibile est,quod Seraphim illi volent, stentque firmi & immobiles, ac in motu quiescant? *quomodo volabant?* perpulchrum eiusdemmet Doctoris audire responsum: *vide flammam stantem, simul & quasi volantem, &c.* Flamma amoris & ignis amantis ala est, quæ immobilis stat simul & volat: talis per summam excellentiam est Deus noster, qui tunc immobilis est & quiescit, quando est in continuo motu amoris & misericordiæ nos adiuuando, operandoque salutem nostram.

Pro maiori intelligentiâ adnotare, Num.5.
Deum in hoc succursu adeò esse velocem & celerem, vt nostros cogitatus nostraque præuenit desideria. Probarem id ex loco illo regij Prophetæ Dauidis: *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Psalm. 10. vers. 17. at nimis communis est, excellentium concionatorum more procedam, pulchrum hunc notare

Scripturæ locum : Videbat Propheta Dauid quâdam vice in Spiritu Deum accinctum itineri totam cœli amplitudinem peragraturum, eumque in finem ascensurum equum, & ecce comparebat illico equus sex habens alas, & hic erat vnus ex Cherubinis, quem cùm ascendisset, instar venti, imò maiori cœpit currere celeritate: *Ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum.* Psalm. 17. vers. 11. ecquid, quæso, Deus agebat super Cherubim? notate: Cherubim significat scientiam Dei diuinique auxilij accelerationem; venti, vt ait Gregorius, sunt animæ nostræ: *velocitate & sublimitate ventorum in sacrâ scripturâ animæ designantur.* Excellens sanè & verus velocitatis Dei in succurrendo nobis typus. Pro maiori tamen intelligentiâ dilucidiùs id vobis explanabo: dum cogitamus optimusque à Deo adiuuari, volat Deus in auxilium & succursum nostrum ascendens Cherubinos, qui sunt cœlestes & alati equi supremi Imperatoris Dei, *qui ascendis super equos tuos, & volas super pennas ventorum*; etenim adeò velox est, vt præcurrat præueniatque cogitationes nostras; priusquam enim opem eius imploramus, ipse nobis adem opemque fert diuinam, *qui ambulas super pennas ventorum.* Explicat S. Hieronymus, *id est super Sanctorum animas.* Verùm transeamus ad conceptum subtiliorem: Apparuit quâdam vice Deus suo prophetæ Ieremiæ, in formâ & specie quidem extraordinariâ & peregrinâ, sed mysticâ, ambulabat summo diei cuiusdam crepusculo Propheta in porticu altissimâ domus suæ aërem recentem hauriendi, amœnitatemque câporum perlustrandi gratiâ, & ecce ex improuiso audiebat vocem quandam dicentem sibi: Heus Ieremia, sustolle paulisper in cœlum oculos. Libentissimè Domine, ait Propheta, & bene, inquit Deus; quid vides Ieremia? rem sanè miram & stupendam, replicabat ille, & quid? Virgam & in summitate eius oculum: *quid tu vides Ieremia? virgam vigilantem ego video*, cap. 1. vers. 11. asserunt quidam expositores, quòd Ieremias propriè regem quendam accelerantem viderit, qui agebat cursorem, idque ex aliâ quâdam deducunt litterâ, quæ loco, *virgam vigilantem*, habet *regem festinantem, ego video*; *virga* namque significat Dominum, & *oculus*, prouidentiam regi conuenientem. Et quis, quæso, alius rex hic festinans erat, nisi Deus noster, qui properat & currit nobis suas communicans gratias suumque præstans fauorem? vnde D. Bernardus: *Deus stat adiuuans, & diuina misericordia velox currit ad nos.* Optimè hanc promptitudinem & velocitatem Dei expertus fuit regius Propheta Dauid; nam exhortationi Nathan Prophetę vix subiunxerat simplex illud triũ syllabarum verbulum: *peccaui*, & statim Deus non permittens illum loqui vlteriùs, neque vt aliam agat pœnitentiam, exspectans, remittit ei grauissimam & adulterij & homicidij culpam. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* 2. Regum 12. vers. 13. O quàm benignus Deus est! quàm festinans rex est! *regem festinantem ego video.*

Num. 6. Sed melius. Filius ille prodigus, cuius historia enarratur Lucæ 15. postquã extremas mundi miserias & calamitates expertus fuisset, tandem pœnitentiâ ductus patrios lares repetere, supplexq; veniam à patre rogare se resoluit; & ecce die quâdam illucescente paternis approximatur ædibus vberrimas fundens lachrymas; Senex pater illo eodemmet tempore portæ insistens limini filium, quem à longè conspiciebat ad extremos calamitatum reductum terminos, illicò cognouit, vnde misero non exspectans illius accessum obuiam processit filio, *cùm adhuc longè esset vidit eum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*, loco cit. vers. 20. mira res! an non poterat hic bonus

nus ſenex præſtolari filium ſe accedentem ? profectò filius potius accedendo patrem, quàm pater recipiendo filium, accelerare debebat. Super quo etiam attonitus Sanctus Petrus Chryſologus ſermone 5. ait : *pater occurrit, ſed occurrit longè.* Rem hanc vobis enucleabo : pater hic Dei, peccatoris verò figuram gerit filius prodigus, Deus ter.opt. max. plus miſerrimo feſtinat remittere veniam peccatori, quàm hic in gratiam Dei redire deſiderat, tam benignus, tam manſuetus, tamque feſtinus eſt Deus, vt obuiam procedat peccatori, nec, quo peccator gratiam ab eo expoſtulat, tempus indulget. Paucis plura perſtringamus, Deus eſt Amaſius impatiens, capite hoc in legitimo ſenſu, & non diſcedentes ab hiſtoriâ filij huius prodigi hoc probationis loco obſeruate argumentũ. Poſtquam bonus & ſenex pater ſuum hunc filium nudum ac veluti plurium calamitatum receptaculum conſpexiſſet, aduocauit illicò ſeruos ſuos, cœpitque exclamare: heus famuli, quænam hic trahitur mora? quid exſpectatur? feſtinate, ſua ei, quibus primitus induebatur, adferte veſtimenta: *citò proferte ſtolam primam*, loco citato. & ad quid hæc acceleratio. N. ergóne tantiſper exſpectare nequit? tot & tanta paſſus eſt, & pauxillum adhuc perferre nequit? non, non, *citò proferte*. Et cur hoc? dicam vobis, tam benignus tamque miſericors eſt Deus, erga peccatorem, & non ſolùm miſericordiam & gratiam ei præſtare deſideret, verùm etiam, quod maximæ conſiderationis eſt, inferendo ei opem & auxilium tardare neſciat. Promptiſſimus iuxta & celerrimus eſt, ac neſcit quaſi indulgere moram & tempus. S. Petrus Chryſologus ſerm. 3. mirificè fauet huic conceptui dicens : *tardam miſericordiam pater neſcit*. En peccator, tu illemet es filius prodigus diſſipator theſauri gratiarum diuinarum, cum Patre cœleſti diuiſionem feciſti, ad extremam redactus es miſeriam, peccatorum tuorum tuarumque iniquitatum immunda paſcis animalia, tuarum te glandibus carnalium voluptatem enutris, tu reipsâ infœliciſſimus pariter & omnium miſerrimus es, quem tibi imaginari queat intellectus. Sed auſculta quæ grata tibi referã nuncia, non obſtantibus hiſce tuis ſceleribus, commiſſiſque etiam hiſce tuis defectibus, tam bonus nihilominus, tam benignus, tam miſericors eſt pater tuus cœleſtis, vt te vix ad eum recurrere reſolutum præueniat, tibique occurrat, vnam horam pro mille reputat annis, quò te rurſus veſtiat aureâ ſanctæ ſuæ gratiæ togâ, exclamat: *citò proferte ſtolam primam* ! ah quàm affabilis Deus eſt ! ah quàm amabilis pater eſt ! Vnus dumtaxat Scripturæ locus, totum hoc, quod dixi, imprimet cordi tuo. Spiritus Sanctus Prouerb. 8. verſic. 17. hæc edicit verba: *ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me inuenient me.* Quod conſiderans S. Bernardus ſermone 69. in Cantica in mirabilia hæc prorumpit verba : *Vides, quo modo non ſolùm de amore ſuo certum te reddat, ſed etiam de ſollicitudine ſuâ quam pro te gerit.* Sicque ô Chriſtiani, clarè percipitis, qualis ſit illa celeritas & ſollicitudo Dei, quâ nobis ſanctam ſuam elargitur gratiam, quam vobis ſine morâ concedet taliter, vt citiùs opinione & petitione veſtrâ eam ſitis adepturi : *inuenies eum, non*
præuenies, inquit ipſemet S. Bernardus. Num. 7.

An non fortaſſis recordamini illius Zachæi aſcendentis arborem Chriſtum videndi gratiâ ? Sed inſignem notate caſum, priuſquàm videret Saluatorem noſtrum, ab illo ſe vocari audit : *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere*, Lucæ 19. v. 5. mirum ſane, inquit D. Auguſtinus in hunc locũ : *Zachæus priusquam videret Chriſtum, videtur à Chriſto.* Peccator delictorum ſuorum vix deſiderat remiſſionem, & eam obtinere, vix arborem aſcendit cogitationis gratiam & miſericordiam expoſtulandi diuinam, & ei hanc conce-

dit, imò & ſummâ cum præuenit celeritate, demum plura, quàm petit, conſequitur.

Num 8. Totum hoc probemus; pendente in cruce latrone, vt refert S. Euangeliſta Lucas cap. 23. verſ. 42. conuerſus ad Chriſtum Saluatorem noſtrum dixit: *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* loc. cit. verſ. 42. & Chriſtus ei reſpondet: *hodie mecum eris in Paradiſo.* Heus Domine, non, vt cœlum ingrediatur; ſed vt recorderis eius, ſolummodò te rogat, paulò diutiorem trahe moram, ſine vt ſermonem finiat, ſine quouſque paradiſum petat, nec plura aut maiora, ac poſtulat, præproperè ei elargire, liberè edicam N, nimio tenebatur Chriſtus Dominus deſiderio ſalútis animarum, tempus, quo quiſpiam ſaluandus erat, mille, opinione Chriſti Domini, æquiparabatur annis, vehementi angebatur curâ quâ ratione ſacratiſſimi ſanguinis prodiret fructus, vix loquutus eſt latro, & mille nos credidit Saluator noſter tranſire annos, priuſquàm ei gloriam æternam elargiretur. Fidem mihi non adhibetis? en teſtimonium & authoritatem S. Ambroſij ſuper Pſalmum 34. *ille adhuc rogabat, vt meminiſſet ſui, cùm veniſſet in regnum, & Dominus cùm nondum veniſſet, iam regnum cœleſte tribuebat.* Sententia ſanè appoſita & tanto viro digna. Verùm & hanc aliam eiuſdem Doctoris aureo notandam lapillo auſcultate: *quàm velox miſericordia! tardius votum precantis quàm remunerantis eſt premium.* O miſericordiam præproperam! exclamat Ambroſius, tardior eſt latro in rogando, quàm Deus in concedendo gratiam, & quidem ampliorem vberioremque, ac ille expetere nouit. Pro certo credito re dilectiſſimi, quod ante exſpirationem Chriſti Domini vna hora mille ei videbatur annorum ſpatium, quo ſecum animâ fortunariſſimi illius latronis ad cœleſtem conduceret beatitudinem, taliter quidem, vt nondum conſecuto regnum cœlorum totum illum donauerit & præſentauerit: *Et Domino cùm nondum veniſſet, iam regnum cœlorum tribuebat.* Num.10

Pro maiori horum intelligentiâ erunt duo nobiles Eccleſiaſtici intimâ coniunctî familiaritate & amicitiâ, accidit Aſtrologum quendam alterutri eorum iuxta natiuitatis ſuæ conſtellationem prædicere, eum ad Pontificatum fore euehendum, is ſine mora de bonorum ſuorum cogitat diſtributione, & quamuis nondum præfatum dignitatis gradum attigerit, imaginatur ſibi nihilominus quaſi actu ad eum euectus eſſet: Spondet vni amicorum ſuorum ſibi chariori, ſe illum in Cardinalem creaturum, totamque ſuam ſupellectilem, ac omnia uſui ſuo inſeruientia ei conſignaturum; ad eundum modum Saluatori ac Redemptori noſtro debebatur Pontificatus, ac ſummum Sacerdotium, iuxta & cœli hæreditas, ipſi tanquam Dei filio, cui omnem pater tradidit poteſtatem, illa omnia debebantur. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſalm. 109. verſ. 4. & D. Paulus: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex &c.* ad Hebræos nono verſ. 11. Poſſeſſio huius Pontificatus legis gratiæ ei tradenda erat poſt mortem ſuam; *propter quod & Deus exaltauit illum &c.* ad Philipp. 2. verſ. 5. nondum illius acceperat poſſeſſionem, quia nondum exſpirauerat; nihilominus iam iam promittebat regnum, iam ſua diſtribuebat, iam gloriam cœleſtem donabat latroni: *hodie mecum eris in Paradiſo.* Num.9.

Obſeruaſtiſne pulcherrimum illum locum Scripturæ 1. Paralip. 21 Summa quadem vice ferebatur Deus indignatione in Dauid; vnde deſtinauit ad eum prophetam nunciantem illi, vt de tribus pœnis ob commiſſa peccata vnam ſibi infligendam eligeret: *Hæc dicit Dominus, trium tibi optionem do, elige quod volueris, aut tribus annis peſtilentiam, aut*

tribus mensibus te fugere hostes & gladium eorum non posse euadere, aut tribus diebus gladium Domini & mortem versari in terra. vers. 10. & 12 Dauid circumstantijs benè consideratis elegit tribus diebus pestem, nihilominus, inquit Theodoretus in hunc locum, sex duntaxat horis durauit pestis, quod colligitur ex Scriptura: *de mane vsque ad tempus constitutum.* Explicant Doctores *vsque ad tempus prandij.* Et cur hoc? Dauid tribus diebus eligit pestem, & sex durat solummodo horis? dicam vobis N. non poterat Deus esse absque actu misericordiæ; vnde & moram & preces ipsiusmet Dauid præuenit, pœnam etiam dierum in sex commutat horas, quasi tantam correptionis castigationisque durationem exspectare haud posset. Audite S. Ambrosium Tomo 4, *nam qui proposuerat mortem triduo exercere in terrâ ne vnam quidem diem passus est preterire.* ne quidem vno exspectare potuit die, quin se misericordem exhiberet; etenim tardissimus est in puniendo, veluti in elargiendo gratias velocissimus est.

Num. 11. Et opinione mea dicere possum, eum adeò tardum ac lentum esse in castigando nos, vt suæ omnipotentiæ præiudicium inferre videatur, Gens. 6. totam Deus generis humani massam destruere ac deperdere determinauerat; *delebo* inquit, *hominem quem creaui à facie terræ,* vers. 7. hunc in finem diluuium, quod quadraginta duraret diebus, immisit terræ: *factumque est diluuium quadraginta diebus super terram.* Genesis 7. vers. 17. Summopere hac super re obstupescit Oleaster, atque, tu, ô Domine, sex dierum spatio, ceu loquendo Theologorum more, vnico duntaxat voluntatis actu creasti mundum, & eius destructioni quadraginta impendis dies? an non factu facilius est destruere, quàm exstruere illum? omnino. Cur igitur injuriam infers tuæ potentiæ? ac in nobis opinionem exsuscitas, quasi tua haud sufficeret omnipotentia ad destruendum illud, quod in vnico illa procreauit instanti? scire oportet ô N. Deum adeò promptum esse ad misericordiam, vt non videatur esse Deus, dum castigat & punit, & in nullo alio nisi in puniendo peccatorem, difficilem sese ostendit. Si non mihi, ad minus doctissimo Oleastro creditore, qui ait: *Sex diebus cuncta creauerat, quæ quadraginta diebus delet, vt ostendatur, quàm difficile illi sit peccatores punire.*

Dicam vobis liberè? tam pronus tam Num. 12.
procliuis Deus est ad misericordiam, vt certo quodam modo obliuiscatur corripere peccatorem, & vt recordetur illius, necesse est, id scribat in libro memorandorum. Hunc, quo exquisitiorem nunquam percipistis, annotare conceptum.

Exodi 17. graui erat accensus irâ Deus in Amalechitas, eò quòd Hebræis transitum nollent permittere, vocauit propterea Moysen, eique dixit: Heus Moyses, sine mora librum cape memorandorum, ne huius obliuiscar: *Scribe hoc ob monumentum in libro,* vers. 14. Et quid vis, ô Domine, illi inscribam? Scribe sic: *delebo memoriam Amalech sub cœlo,* loco citato: dicite mihi N. quâ de causa iussit Deus Moysi, vt libro inscribat, quod memoriam Amalech sub cœlo esset deleturus? ad quid Deus indiget libro memoriæ? an Deus fortassis subiectus est obliuionibus? nequaquam. Hoc tamen audacter asseretem eum obliuisci peccatoris castigandi, non quia obliuiosus est; id enim asserere mera esset stultitia & absurditas; sed quia ad misericordiam peccatoribus exhibendam adeò prochuis est, vt videatur certo quodam modo pœnæ peccatori inferendæ obliuisci.

Pro maiori huius intelligentia, erit Num. 13.
quidam mercator, qui mercibus sibi notis mercaturâ exercere assueuit, auertet se ille in mercatum à professione sua alienum, & quia illius caret vsu & praxi, nec ad eiusmodi commercium fœliciter

obeundum habet naturalem propensionem, inscribit id cuidam memorandorum libello, ne suo eius obliuiscatur tempore. Pari igitur modo dicamus Deum esse mercatorem misericordiæ: *Dominus quasi vir pugnator*, Exod. 15. versic. 3. alius textus habet: *mercator*. Propria eius eique conueniens mercatura est saluare animas, easque Thesauro pretiosissimi sui sanguinis veluti paratâ pecuniâ comparare; dum tractandum est de mercibus quibusdam aromaticis, & medicinalibus puta castigandus est hic vel ille peccator, id à professione Dei adeò alienum est, vt quasi istius obliuiscatur, & propterea ait Moysi: *Scribe hoc ob monumentum in libro*, Admiratione & stupore dignus est hic conceptus, at necessaria est authoritas quædam. En satisfaciam vobis, audite Oleastrum in hunc locum, quàm bene appositeque loquatur, *præ se fert obliuiosum, vt libro & scripturâ sit opus ad memorandum, vt nobis ostendat, quàm inuitus puniat & quàm lento gradu*,

Num. 14. Concludamus hanc partem, videamusque paulisper, quam ob causam Deus sit adeò promptus ad ignoscendum, tamque durus & lentus ad puniendum. Vultisne vobis dicam? quia ignoscendo & parcendo operatur tanquam Deus, & castigando tanquam iudex, qui procedit secundum allegata & probata; prodi in mediũ ô Theologe, dic mihi, quæso, quando Deus operatur vt Deus? oh pater, cùm operatur tanquam causa prima; optimè, dum parcit ceu miseretur, operatur veluti causa prima, quia non præsupponit meritum, & hac de causâ iustificatio dicitur creatio: *cor mundum crea in me Deus*, Psalm. 50. versic. 12. etenim illa, quemadmodum docet D. Thomas, datur nullis præcedentibus meritis, & sic Deus operatur tanquã causa prima; ast in puniendo & castigando præsupponit aliam quandã causam, quæ est peccatum. Ecce igitur, quod Deus parcendo & miserando operetur vt Deus, & castigando veluti iudex operetur, ac propterea tibi hodie commonstrat signa futura ac præcedentia vniuersale iudicium, vt pœnas & supplicia à tam seuero iudice tibi infligenda fugias euitesque, nimis enim, veluti modò percepisti, abhorret castigare peccatorem. Quare dum interea respiro, eum vt talem contemplare & meditare.

SECVNDA PARS.

Tam alienæ prorsus sunt à Deo pœnæ, tam procul à professione suà exulant supplicia, vt, dum quempiam punit, rem planè indecentem suæque Maiestatis decori minimè congruentem facere existimet, adeò vt certo quodam modo supplicia cuipiam inferre erubescat. Ne paradoxon & merum figmentum vobis me dicere existimetis, dilucidè id probabo ex quodam Scripturæ loco. Genesis 7. iam iam Noë cum suis demorabatur in arca, & ecce pluuia oriebatur tremenda; vnde Noë fenestram arcæ iam iam clausuro: subsiste Noë, dicit Deus, non credo, non fido tibi claudenti fenestram, propriâ meâ manu eam occludam & sic ab exteriori parte clausit eam Deus: *& inclusit eum Dominus deforis*, vers. 16. taliter quidem, vt ab intus demorantibus aperiri non potuerit. Causam modò scire exoptarem, ob quam Deus propriâ suâ manu claudere voluerit fenestram arcæ? plurimi asserunt, id Deum ideò fecisse, ne Noë aperiendo fenestram miseram totius generis humani stragem cernere potuisset, ductusque compassione Deum oratione suâ flexisset ad misericordiam & pœnæ remissionem, & hæc est opinio D. Isidori, verùm dicerem ego, Deum noluisse, vt Noë aperiret fenestram, ne Deus indignatus hominesque puniens conspiceretur; nam quasi verecundabatur eosdem punire; opinionem hanc perpulchrè probabimus ex historiâ vxoris Loth, quæ quia solùm retrospexit, viditque ignem de- Num. 15.

scendentem

scendentem supra infames illas ciuitates, conuersa est illico in statuam salis, & hoc ei accidit, quia transgressa est præceptem Domini, qui ne vllus se verteret ac retrospiceret, mandauit; Sed quid referebat, quod retrospicerent alij, descendentemque de cœlo conspicerent ignem; iam dixi vobis, dum castigat Deus & punit, videri erubescit, ac certo quodam modo se elongari existimat à naturâ suâ diuinâ, cui proprium est misereri, parcere ac benefacere: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Canit sancta Mater Ecclesia.

Num. 16. Verùm audire quendam mihi videor dicentem, si Deus tam alienus est ab indignatione, irà, & furore, vt erubescat castigare peccatores, cur ergo sæpissimè immittit nobis flagella & pœnas, pestilentiam, nimirum, famem, & bellum? huic respondeo nos ipsosmet esse illos, qui Deum cogimus ad pœnas nobis infligendas, &, vt ita dicam, violentiam quasi diuinæ eius maiestati inferimus, vt arripiat iræ suæ diuinæ gladium, eoque nos transfodiat. Pererius in suis Hieroglyphicis lib. 43. refert, Imperatores Neruam & Antoninum pium quasdam cudisse monetas, vnâ, è quarum parte repræsentabatur fulmen iacens in lecto; quo significare volebant, se nunquam punituros subditos, nisi prius eorumdem delictis & offensis ad punitiones prouocarentur. Annotate hoc, iustitia diuina est fulgur quoddam: *Si acuero vt fulgur gladium meum & arripuerit iudicium manus mea.* Deut. 32. versic. 41. Sed est fulmen iacens in lecto misericordia Dei deaurato: *Misericors Dominus & iustus, Deus noster miseretur.* Psalm. 116. vers. 5. nam nunquam ad castigandum te se mouet, nisi tu eum prius exsuscites, tuisque sceleribus prouoces ad punitionem.

Num. 17. Pulcherrimæ cuiusdam recordor historiæ huic proposito apprime inseruientis. Intererat quâdam vice Alexander Magnus conuersationi quorundam principum equitumque generosorum discurrentium de rebus iucundis, lætis & à bello prorsus alienis. Quidam interea tubicen, nescio quo agitatus spiritu, classicum sonare cœpit. Alexander repente spiritu illo bellicoso & feroci, quo ducebatur in prælio, cor suum agitari sentiens, manum apposuit gladio, eundemque hinc inde ventilare cœpit quosdam lædens astantes. Quietus tandem ab amicis desuper stupore oppressis interrogatus fuit, cur id fecisset, respondit: quia tubicem illi sono tubæ in mentem mihi pristinas reuocauit pugnas & prælia. Non secus Deus totus est pacificus, totus benignus, totus misericors, *Deus totius misericordiæ* orat S. Ecclesia. Hominem replet beneficijs in eumque amplissimos suæ benignitatis torrentes, copiosumque suæ gratiæ rorem diffundit, dum verò stolidus hic tubicen, peccator scilicet inflat tubam vitiorum, scelerum, dissolutionem & blasphemiarum; ecce repiuiscit in Deo Spiritus ille bellicosus, quem primitus habebat. *Dominus Deus exercituum.* Isaiæ 1. vers. 24. reddit de nouo eum vindicatiuum & iratum, *Deus vltionum Dominus.* Psalm. 93. vers. 1. experitur eum terribilem, *terribilis super omnes Deos* Psalm. 95. vers. 4. demum efficit, vt manu arripiat punitionis glaudium, vibretque in nos pestilentiam, famem & bellum.

Sicque intelligite hoc peccatores vos ipsimet estis, qui Deum non misericordem, sed iratum & indignatum; non benignum sed terribilem; non affabilem, sed fulminantem cupitis. Quare de nullo alio, nisi de vobismetipsis lammentari potestis, qui indies classicum sonatis, Deum ad pugnam & prælium contra vos prouocatis. Et ecce iam iam videre mihi videor vndique Deum armatum, *Et accipiet armaturam zelus illius.* Sap. 5. vers. 18. vibraturum in nos lanceam indignationis suæ ac penitus nos destructurum, *Et tanquam vas figuli confringes eos.* Psal. 2. vers. 9. Num. 18.

2 verſ 9. ah ô Domine, quid agis, ſubſiſte paulisper, quamuis enim peccator tubam inflauerit iniquitatis, nunc tamen tot horrendis tui iudicij ſignis perterritus veniam ſupplex rogat, iam iam auribus ſuis inſonare exiſtimat ſonum illius tubæ dicentis : *ſurgite mortui*, propter ſcelera veſtra *venite ad iudicum*. Tempus enim promeritæ pœnæ iam tandem præ foribus eſt. Rogo Domine depone arma, & humilis imitator Moyſis factus tibi ſupplico : *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro viuentium.* Exod. 32. verſ. 31. Et nos duri & ferrei cordis mortales quid agitis? cur de veſtris peccatis non proponitis agere pœnitentiam diuinâ molite abuti miſericordiâ; ſecus enim ſeueram experiemini iuſtitiam tremendi iudicis ad imum inferni barathrum, vbi nunquam tormenta ceſſabunt, nos detruſuri.

Num. 19. Audite hoc & obſtupeſcite referunt S. Ioannem vidiſſe quadam vice draconem habentem connexum caudæ; & quid, amabo, hoc ſignificat? draco eſt infernus, & propterea in figurâ draconis depingitur. Hoc ipſo ergo indicatur, quòd in inferno, poſtquam ibi fueris per infinita annorum curricula, & finem te conſecutum exiſtimaueris reuerteris ad principium, in caudâ reperies caput; nunquam enim pœnę iſtæ finem obtinebunt. Cogita hæc, ô anima deuota, mente id feriò reuolue, ô anima Chriſtiana, meditare hoc, ô anima fidelis, ſemper ſemper quoad vixeris, vt benè operari, Deique miſericordiam, quâ mediante te ſaluabit, experiri poſſis.

SERMO TERTIVS.

In Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

THEMA

Liber generationis Ieſu Chriſti, &c. Matth. cap. 1. verſ. 1.



Celebraturus hodierno die glorioſiſſimæ Virginis Mariæ laudes & encomia, non inuito vos ô N. ad ſpectandum in magnifico & admirando quaſi theatro hortum quendam peramœnum, cuius planiſſimæ ſemitæ ſunt obſeruantiæ legis, cuius variegati flores ſuauem, recentem pretioſumque per auram diffundentes odorem ſunt virtutes, cuius vitis hædesrave trunci fortiſſimis adrepens eſt amor, cuius ſumptuoſæ ſuperbæque plantæ virides ſuas erigentes comas ſunt contemplationes, cuius decurrentes per hortum riuuli ſunt gratiæ, cuius canoræ Luſciniæ ſunt cogitationes, cuius ſpinoſæ ſepes ſolitudines ſunt: ad hunc, inquam, demirandum ſpectandumque hortum non vos inuito; eum etenim mentis veſtræ oculis repræſentauit Sophronius ſermone de aſſumptione, idque ipſum docente Spiritu Sancto: cum ait : *hortus concluſus, ſoror mea ſponſa* Cant. 4. verſ. 12. Num. 1.

Neque prædicationis meæ tubâ de amœnitate hortorum auoco vos ad ſpectandum quendam optimè diſpoſitum exercitum, cuius anterius agmen eſt puritas, ipſum exercitus corpus gratia eſt, poſterius agmen eſt perſeuerantia, vexillum lex Dei, diſtenti ad eiaculandum arcus operationes, haſtæ in ſublime erectæ intentio generalis dux & capitaneus amor Dei, impugnata expugnataque arx infernus, deuicti & ſuperbi hoſtes dæmons infernales Ad hunc, inquam, exer-

exercitum neque vos inuito, ad illum enim iam pridem inuitati fuistis à S. Bernardo in illud Cant. *terribilis vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. versic. 3.

Num. 2. Nec vos inuito ad lautum & sumptuosum quoddam conuiuium, in quo anima est mensa, humilitas mappa, virtutes cibi, fides structor, Spiritus Sanctus minister, & Verbum diuinum inuitati gerit personam; ad hoc, inquam, vos neque inuito conuiuium; de eo enim iam dudum disseruit S. Epiphan. sermone de laudibus Deiparæ Virginis.

Neque vos inuito ad spectandam aliquam Aquilam, quemadmodum fecit S. Ambros. aut columbam aliquam, veluti S. Ioannes Chrysostomus vel ciuitatem quandam, veluti S. Augustinus. Sed spectatores vos esse cupio excellentiæ cuiusdam & magnificentiæ, nunquam fortassis hactenus repræsentatæ excellentiæ talis, cuius consideratio deliciarum hortorum, bene ordinati exercitus, lautissimi conuiuij, acutissimi visus Aquilæ, simplicitatis columbæ, præmunitæ ciuitatis & fortitudinis arcis nobis inducit obliuionem, ad nouas & raras quasdam prærogatiuas Beatissimæ Virginis Mariæ, vestros conuertetis intellectus.

Num. 3. Verùm priusquam, ô N. discurrere incipiam, recordor quod tempore messis accidere solet messoribus, hos enim videmus in campis messis tempore radiantis solis ardoribus expositos spicas collecturos frumentorum, metendo segetes frequentes seminare sudoris guttulas aliudque non desiderare, nisi vt benigna & suauis spiret aurâ, quæ solis attemperet æstum, vires restauret, refocilletque animos. Quod si me pariter in campo sacrarum litterarum æstuantibus diuini solis expositum radijs, spicas prærogatiuarum Deiparæ Virginis iam iam collecturum præ nimio labore in huius cathedræ agro seminantem conspexeritis stillantes sudoris guttas, enixè vos rogo, vt benignâ mihi solitâ vestræ attentionis aspiraræ aurâ non grauemini, & exordior.

Tanta ô N. mei, fuit gratiæ plenitudo in Mariâ Virgine, vt, positis hinc omnibus donis & gratijs, concessis sanctis Angelis cunctisque beatis & electis, iuxta & positis gratijs omnibus ab exordio mundi à Deo datis, adiunctis insuper ijs quas de facto concedit, elargieturve vsque ad mundi consummationem; illinc verò positis solis gratijs & prærogatiuis Mariæ Virginis, hæ prærogatiuæ Virgini Deiparæ concessæ longè superent illas.

Dicet quispiam, Pater, hoc mihi non admodum quadrat, Ecclesia Dei est corpus mysticum, pulchrum & perfectum: *vnum corpus sumus in Christo*, ait D. Paulus ad Rom. 12. vers. 5. membra sunt omnes fideles & viatores, *vos estis membra*, 1. Corinth. 12. versic. 27. iam verò asserunt Plato & Aristoteles, pulchritudinem consistere in proportione membrorum; vnde corpus illud minus conuenienter diceretur pulchrum, quod sortiretur caput improportionatum, aut vnum brachium longius altero, non enim perfectum sed monstrum diceretur & naturæ defectus; pari ratione Ecclesia est corpus mysticum; si Maria Virgo igitur pluribus gauderet prærogatiuis, quàm reliqui omnes sancti vnitim, non iam proportionatum, sed potius improportionatum esset hoc corpus mysticum. Num 4.

Vos, ô speculatiui, hîc attentos volo: in spatiosissimo huius mundi globo, reperiuntur elementa: terra, aqua, aër, & ignis; sphæra aquæ maior est sphærâ terræ, sphæra aëris excedit sphæram aquæ, sphæra ignis amplior est aëris sphærâ; cœlum lunæ magnitudine superat sphæram ignis, simulque in se continet terram, cunctaque alia elementa, & sic de reliquis discurrendum est. Quî hoc? num igitur monstrosa est hæc structura? nequaquam, N. etenim vltimum cœlum reliquos omnes continere debet, & per consequens cæteris omnibus cœlestibus corporibus maius sit, oportet. Dicite

mihi modò quid sunt Angeli? quid sunt sancti? quid sunt beati? quid sunt homines? cœli sunt donis, fauoribus, gratijsque cœlestibus adornati. Deique gloriam manifestantes: *cœli enarrant gloriam Dei.* Psalm. 18. vers. 1. at Beata Virgo amplissimum cœlum est sanctitatis & gratiæ, sed tale vt sanctitatem & gratiã reliquorum transcendat & complectatur, quid mirum N. cùm gloriosam Virginem ipsamet inhabitauerit gratiæ plenitudo, omnes igitur gratiæ reliquis sanctis & beatis diuisim & sparsim distributæ in Mariâ simul iunctim & vnitim fuerunt repertæ.

Num. 5. Memini me legisse (quod & inseruit meo proposito) in theatro vitæ humanæ, in præsentiâ regis Angliæ magnifica & pomposa quadam vice fuisse celebrata torniamina à principalioribus regni illius satrapis, & vnumquemque horum signo aliquo aut symbolo externo in scuto proprio depicto eam, quâ alios præcellebat, virtutem mundo patefacere conatum fuisse; vnde alius perillustrem sanguinis sui & prosapiæ nobilitatem significaturus in scuto gestabat depictam vngulam, alter quoddam myrrhæ granum, volens illo demonstrare, quod sicut granum hoc myrrhæ durum esset, ita & ille constans perseueraret, nec ictibus cederet fortunæ. Alius storacem, quod significabat, ita se suâ celebri famâ totum repleuisse orbem, quemadmodum odore illius infumatur & repletur aër. Alius galbanum, significaturus, quod sicut galbanus (vt referunt naturæ interpretes) serpentes fugat, ita ipse è contra fortitudine & heroico suo animo hostem expulisset patriâ suâ. Alius balsamum, ostensurus, quod sicut balsamum longè lateque odorem suum diffundit, ita ipse erga omnes liberalis existeret, cunctisque opes & thesauros suos distribueret. Verùm dux Bertaniæ vnus è primatibus regni illius consodalium scrutaturus insignia & symbola, integrum aromatum fasciculum in suo scuto depingi curauit, in quo hæc omnia simul, & balsamum & galbanus & storax & myrrha conspiciebantur, hoc adiuncto motu: *in me omnia.* Quo denotare intendebat, se non vnâ dumtaxat gloriari virtute, sed in ipso veluti in breui epilogo omnia iunctim reperiri, & libertatem & famam, & constantiam & illustrem prosapiæ nobilitatem cæterisque virtutes omnes, quæ principi cuidam conuenire possent.

Idem nunc dicitote mecum, in spatiosissimo campo Ecclesiæ tam militantis quàm triumphantis, præsente & spectante Regum Rege famosissima ab omnibus sanctis celebrari torniamina, vbi quilibet propriam, quâ excelluit, gratiam & virtutem exhibet & repræsentat. Comparent Virgines & ad innuendam puritatis suæ claritatem in scuto suo gestant vngulam. Prodeunt in medium Martyres & ad ostendendam suam in tormentis constantiam, deferunt myrrham. Comparent Apostoli & quia suæ prædicationis sono totum repleuerunt terrarum orbem, gestant storacem. Comparent Doctores, & quia suâ sacra doctrina venenosos fugarunt Hæreticorum serpentes, fuerunt pro insigni galbanum. Comparent Pontifices, qui, quia totam suam erogarunt substantiam in pauperes, deferunt balsamum; ast cœli terræque Reginæ, quia omnium virtutum gratiarumq; reliquis sanctis diuisim distributarum compendium est, conuenit gestare non vnam rem solam, sed & balsamum, galbanum, storacem, myrrham & vngulam, hoc apposito elogio *in me omnia.* Symbolum hoc non aliter ipsamet depinxit Virgo in Ecclesiast. cap. 24. *ego quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris, quasi storax & galbanus & vngula & gutta, & quasi balsamum non mixtum odor meus, in me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis,* loco citato versic. 20. 21. & 25. quasi dicere vellet glorientur reliqui sancti & electi sibi à Deo distributas fuisse gratias, aut pietatis aut do- Num. 6.

ctrinæ,

ctrinæ, vel constantiæ vel patientiæ, vel Virginitatis, vel similis cuiuslibet virtutis; ego etenim Dei ancilla & fortunam mater omnibus istis sum dotata & referta. Vt meritò dicere queam: *in me omnia. In me omnis gratia viæ & veritatis.* Conceptus hic redolet mentem S. Bernardi de laudibus Mariæ ita sermocinantis: *nihil est virtutis, quod non reluceat in Mariâ, & quod singuli habuerunt sancti, tu sola habuisti.*

Num. 7. Summa, tot tantisque Maria referta est gratijs, vt (si ita dicere libeat) sit quoddam flumen gratiarum, quod mensurari nequit; detis mihi, I. Auditores, flumen aliquod quantumcumq; profundum, quod intra aluei sui limites quieto cursu fluit in mare, quod si desideretis scire quot in illo contineantur cadi aquarum, aduocetur quidam Mathematicus, is enim breui temporis spatio suo mensurandi instrumento dilucidam & claram huius rei dabit resolutionem, tantamque, nimirum, ei inesse aquam, vobis aperiet; verùm detis mihi aliquod flumen, quod finem & terminos sibi præfixos transcurrat, hinc extollatur in altum illinc omnia inundans præcipitoso campos præterlabatur cursu; hinc omnes quas obuias deprehendit, euellat arbores, illinc totam camporum latitudinem suâ cooperiat aquarum inundatione, vix hic vllum, quo mensuretur, modum excogitare poterit, imò nec ipse Archimedes & Ptolemæus suâ Mathematicâ id præstare poterunt; Secus verò si intra suos contineatur terminos & limites. Ad propositum, quod si me interrogetis, quantam Sancti habuerint gratiam; illi etenim sunt veluti fluuij intra certos constricti terminos, respondebo vobis S. Franciscum & S. Theresiam dotatos fuisse amore, quo exarserunt in Deum, S. Albertum habuisse gratiam semper sese præseruantem à peccato mortali; S. Ioannem Baptistam sanctificatum fuisse in vtero materno; S. Petrum condecoratum fuisse virtute miraculorum, & sic de reliquis discurrite; sola Maria sanctitate omnes antecelluit Sanctos, torrens inundans extitit gratiarum, neque mortale neque veniale vnquam admisit peccatum, limites, gratiarum vnitarum excessit, vt mirum non sit, si magnitudinem & immensitatem eius attingere non valeat intellectus tam humanus quàm Angelicus. *Quia fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei* Psalm. 46. versic. 5. flumen gratiarum est transcendens omnem aliorum sanctorum gratiam & sanctitatem.

Et quâ de causâ opinamini N. Christum Dominum nasci voluisse ex Virgine desponsatâ Ioseph? vt falleretur diabolus, dum puta Deum non de Virgine, sed de vxore generatum, asseretis, & egregiè; hæc namque est mens Sancti Ignatij. Vt Virgo non lapidaretur tanquam adultera, dicetis, & præclarè, hæc enim est sententia Sancti Hieronymi. Vt tempore necessitate adiutorem haberet Virgo, qui ei suppetias ferret, respondebitis, & acutè, etenim opinio & mens est D. Thomæ, nihilominus si mihi celeberrimorum horum virorum sententijs liceret & meam subiungere, hanc afferram rationem, vt nimirum ipsa tanquam Dea non fuisset æstimata & adorata, eò quòd innumeris referta erat gratijs, dotataque prærogatiuis. Ast non me sed S. Athanasium, cuius hæc est sententia, audite; dicit enim is, hunc à quolibet potuisse formari discursum: Christus est Deus, & hic natus est ex Mariâ Virgine, ergo Maria alia non potest esse nisi Dea quædam, eo quidem modo, quemadmodum fructus retinet plantæ vel arboris qualitatem. Audite verba S. illius Patris verè stupenda: *misit Deus Gabrielem ad Virginem, sed non tantùm Virginem; sed ad Virginem desponsatam viro, vt hinc innotesceret sponsam esse humanæ conditionis.* Num. 8.

In eius confirmationem referam quædam pulchra, sed rara. Cùm. S. Dionysius Areopagita sanctissimæ huius Virgi- Num. 9.

nis quâdam vice aspexisset vultum, adeò stetit attonitus, vt si desuper prius non fuisset edoctus & instructus à D. Paulo suo Magistro, idololatriæ incurrisset periculum: *Nisi tua salutaria monita me docuisset, Virginem matrem Deum esse credidissem.* Sed non sisto hîc, quæro ego, cur hoc, ô Sancte Dionysi? *quia nullam maiorem inueniri posse fœlicitatem beatorum existimaueram, qualem ego tunc habebam.* Et quid ais, ô Dionysi? ergóne tantam illam existimabas gloriam aspiciendo vultum illius sanctissimę Virginis, quanta est gloria beatorum in cœlis diuinam intuentium essentiam? pro resolutione huius obseruandam duas reperiri beatitudinis: directam vnam, reflexam alteram, prima est gloria intuitiua: *ex aspectu diuinæ essentiæ.* Secunda gloria est, quæ ex visione illâ primâ redundat in beatum, illique imbibita est. Dicit itaque S. Dionysius quòd maiorem expertus sit gloriam intuendo Mariam Virginem, quàm beati, qui fruuntur gloria reflexa, *quoniam nullam maiorem inueniri posse fœlicitatem beatorum &c.* S. Epiphanius mirum in modum hanc confirmat sententiam dum ait: *Aue gratiâ plena, quæ per fulgorem diuinitatis præis Angelos.*

Num. 10. Verùm nedum alios antecellit gratia & sanctitate beatos; Sed etiam ipsosmet Angelos donis & prærogatiuis longè superat. Rem miram obseruo, quod nimirum idemmet Angelus, qui è cœlo descendit nunciatum Natiuitatem Ioannes Baptistæ, accesserit quoque Mariam Virginem; Magnum nihilominus notare discrimen: annuncians Natiuitatem Ioannis Baptistæ dicit Zachariæ: *ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, vxor tua Elisabeth pariet tibi filium & vocabis nomen eius Ioannem,* Lucæ 1 vers. 13. simulans, meo iudicio, senex ille, se id non credere: *vnde hoc,* inquit, & angelus extemplo eum castigat. *Et ecce eris tacens & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis.* loc. cit. versic. 20. idem Angelus accedit Beatam Virginem, & dicit ei: *Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Lucæ 1. versic. 31. apparet prima fronte ipsam quoque Beatam Virginem non credidisse: *quomodo fiet istud?* loc. cit. vers. 34. asserere nolo ipsam dubitasse D. Chrysostomus nihilominus ait: *passa est aliquid*, & Angelus illicò subiungit: *Spiritus S. superueniet in te,* &c. loc. cit. versic. 35. & quomodo hæc conueniunt? castigat Angelus Zachariam, & non castigat Beatam Virginem? an non tam bene Beata Virgo ob hoc merebatur pœnam, veluti Zacharias? ah, N. num obseruastis disparitatem inter nobilem aliquem & mercatorem? dum agimus cum nobili, illustrissimum cum nuncupamus; cùm verò mercatorem alloquimur, magnificum dicimus. Angelus tanquam Dominus egit cum Zacharia vtpotè sibi subiecto & inferiori, & vt talem eum nuncupauit; ast cum Beata Virgine veluti totius orbis Domina & principe ipsis Angelis superiori alio modo procedendum erat.

Vnde non immeritò sancti Patres pulcherrimis eam exornant titulis: *Cœlum vinum*, quod vitæ influxum nobis præbet, eam nuncupauit Ioannes Damascenus. Fax mortalium quæ nobis virtutis ostendit semitam vocata est à sancto Methodio. *Thesaurus gratiarum* & ærarium benedictionum nuncupata fuit à S. Bernardo, *Celsior cunctis* & superior omnibus creaturis vocata est à S. Ioanne Chrysostomo. Purissima & sanctissima Domina, in qua fraus inimici non præualuit indigitur à S. Sophronio. Ornamentum totius mundi nominatur à S. Cyrillo. Pons, per quem Deus ad homines descendit; appellatur ab eodem S. Methodio. Subiectum toties admirationis creaturarum; *Quam omnis creatura etiam cœlestis admiratur*, dicitur à S. Hieronymo. Num. 11

ronymo. Et vt paucis plura complectar, supremus perfectionis apex est, terminus ille *non plus vltra* Creatoris. *Denique mons est in vertice montium.* Respiremus.

SECVNDA PARS.

Num. 12. POtestisne N. N. mihi assignare rationem, ob quam Maria Virgo persæpè nuncupetur luna ? *quasi luna plena in diebus suis.* Ecclesiast. 50. versic. 6. *pulchra vt luna.* Cant. 6. vers. 9. & frequenter alibi. Fortasse mihi respondebitis, quia gratijs plena existit, vti iam audiuistis ? nequaquam N. causam inuestigemus finalem : cur facta est luna ? vt defectum solis suppleret ; occidit sol, & oritur luna, & hoc ideò, vt mundum eruat à tenebris, in quibus eum dereliquit sol. Adest anima quædam & peccat, quid facit Deus ? occidit, & deserit animam illam, eamque suâ priuat & destituit gratiâ, misera anima remanet in tenebris: *& sol iustitiæ non illuxit nobis.* Ergóne iam actum erit de hoc peccatores, peribitque quomodo actum est, quomodo peribit? si deficit sol, oritur luna : *pulchra vt luna.* Et parte Dei peccator derelictos est in tenebris hærens ; accedit Maria Virgo, & gratiam lucis præbet mentis obscuritati. Quare S. Petrus Damianus Mariam V. hisce alloquebatur verbis : *Scio, quia me amas amore inuincibili.* Et cur inuincibili ? quia deficit protectio Dei eiusque gratia, vbi est peccatum, ast amor Mariæ Virginis inuincibilis est, semper enim assistit, semper relucet, splendetque hæc cœlestis luna nostris conuersationibus actionibusque semper intenta. Sed tu, ô Christiane, quomodo te geris erga Beatam Virginem? qualiter agis cum illâ? quonam eam prosequeris honore & reuerentiâ? ô Pater deuotissimus sum nomini Mariæ Virginis, omnibus diebus sabbathinis recito rosarium, omni sabbatho in honorem Mariæ Virginis ieiunio, benè est ; sed qualiter reuereris puritatem Mariæ? qualiter puritatem Christi Domini eius filij? Ah perversè, semper talibus eam deturpas blasphemijs, vt ipsummet etiam infernalem sathanam trepidare facias, & mihi adhuc dicere audes, te esse deuotum Mariæ Virgini ?

De Caprâ scribunt naturæ interpretes, nunquam illam eò deduci posse, vt alienum suo lacte enutriat partum ; at quid faciunt pastores, quò huius consentiat nutritioni? Pelle proprij eius hœduli alienum contegunt. Illo sic rectum credens esse proprium & genuinum, præbet ei vbera. Desiderauisne nutriri dulcissimo matris Dei lacte & appendi ad eius misericordiæ vbera ? *Induimini Dominum Iesum Christum.* Vestite vos huius immaculati pelle, imitamini puritatem Christi Domini, eiusque sanctissimo nomini deuoti estote, non illud blasphemiarum vestrarum sordibus coinquinate ; sicque Beata Virgo vos veluti genuinos filios suos agnoscet, in omni vos proteget necessitate ; ast si vitam, quam cœpistis, pessimam prosequimini, abs dubio & à matre & à filio scitote vos deserendos. Miserum nimis & infœlix est cor illud, quod loco authoris vitæ mortis defert authorem, in quo continuò ardent odia, iræ, indignationes flammæque lasciuæ. Dic mihi, amabo, quomodo inæstimabili sanguinis Christi Redemptoris tui pretio redemptus temetipsum principis tenebrarum subdere potes imperio, eiusque te totum mancipare seruitio ? Eia, quæso, reuertere hodie ad Redemptorem tuum, & si enormia nimis tua te terrent peccata, ad pientissimam eius recurre matrem ; etenim quantò feruentiorem in remittenda offensa sese exhibebit filius, tantò magis gloriabitur mater : illa virtute precum suarum tibi impetrabit remissionem, veniam & misericordiam. Num. 13.

Historiam commiseratione dignam re- Num. 14.

fert Cæſarius lib. ſuarum hiſtoriarum & plures alij cum illo. Fuit, inquit ille, in Brabantiâ quidam non infimi nominis & famæ eques, totam qui ſuam vendiderat & diſſipauerat ſubſtantiam; vnde cùm ſummâ hic premeretur egeſtate & penuriâ, ac tempore bachanaliorum ad comœdias & ludos publicè inſtitutos à ſuis conſodalibus inuitatus non poſſet honeſtè ibidem comparare, in deſperationem quaſi redactus fuit. Quo in ſtatu cernens illum conſtitutum hoſpes illius dixit ei: Domine petiſne aurum, deſideráſne diuitias? veni mecum, duxitque illum ad ſyluas, vbi confecto arte magnâ circulo coniurauit dæmonem, eique cauſam aduentus petitionis, que ſuæ exponens præcepit illius, quod petierat executionem. Conſenſit dæmon hac tamen conditione, vt eques ille primò renegaret fidem & Chriſtum, quo facto ſubiunxit dæmon, inſuper & Mariam Virginem Dei matrem: huic nulla ratione conſentire volebat eques. Quare re imperfectâ illinc diſceſſit, & dum in via enorme, quod patrarat, delictum animo ſerio reuolueret, Eccleſiam quandam ingreſſus & ante imaginem Beatæ Virginis geſtantis in brachijs filium prouolutus veniam commiſſi ſui erroris humillimè poſtulauit. Contigit interea emptorem bonorum illius equitis eandem ſubintrare Eccleſiam, qui finem huius rei ſpectaturus ſe in aliquem abdiderat locum, & ecce inter alia obſeruauit Beatiſſimam Virginem dixiſſe Filio ſuo: Eia dilectiſſime Fili miſerere huius equitis. At illam tertiò paſſam repulſam genuflexam tandem coram filio ſuo in terra depoſito hæc audiuit dicentem: dilectiſſime Fili, ad minus propter illum, quo me proſequeris, amorem ignoſce illi. Huic ardenti matris petitioni Filius confeſtim reſpondit: ego remitto illi omnia, quia nihil eorum, quæ propter tuum amorem à me poſtulas tibi denegare poſſum, eques igitur illi certior factus remiſſionis & veniæ delicti ſui abiuit & Beatiſſima Virgo puerulum de terra reſumens inter brachia ſua repoſuit. Nobilis verò ille qui ſeſe abſconderat prodijt in medium, petijtque ab equite, cur oculos lachrymis haberet obductos, reſpondit is, id ſibi cauſſaſſe ventum. Nequaquam ſubiunxit Nobilis: noui peroptimè, quid modò acciderit, ecce filiam habeo, quam, ſi placuerit, tibi dabo in coniugem, teque inſtituam hæredem omnium, quæ tum à te comparaui, tum actu poſſideo. Largo huic & liberali conſenſit iuuenis animo, finitiſque omnibus gratias egit afflictorum conſolatrici, à qua omnem fauorem & gratiam recognouit ſe recepiſſe.

Eia Regina cœli *innoua ſigna, immuta mirabilia; potens es enim.* Eccleſiaſt. cap. 36. verſic. 6. Eodem pro nobis hodie affectu & amore delictorum noſtrorum impetra remiſſionem, tuum precare filium, vt oculis ſuæ miſericordiæ nos dignanter aſpiciat, meque cum populo hoc cœleſti repleat gratia & benedictione. Itote in pace.

SERMO QVARTVS.

In Feſtum Sanctæ Luciæ Virginis & Martyris.

THEMA.

In tuâ patientiâ poſſediſti animam tuam Lucia ſponſa Chriſti, odiſti quæ in mundo ſunt, & coruſcas cum Angelis ſanguine proprio inimicum viciſti. Canit S. Eccleſia in laudibus S. Luciæ.

Videmus perſæpè in vaſtiſſimo aëris campo phalangem inſtar Macedonum ex improuiſo diſponi & ordinari exercitum obſcuriſſimarum nubium. Cernimus ſæpiſſimè fulgura hor- Num. 1.

rendarum

rendarum tempestatum veluti furiosos milites tremendosque pugiles grandinum & pluuiarum iam iam intentantes conflictum. Audimus insuper strepitosa tonitrua veluti totius vniuersi tubicines classicum sonantes, ventos & elementa ad prælium prouocantes. Conspicimus sæpenumerò turbines cum nimbis veluti impetuosos & bellicosos milites in crudeli duello concertantes; huic verò tremebundo conflictui solam miserè subiacere terram & campos exagitari cernimus: hinc etenim euulsi languescere videntur flores, illinc expirare plantæ; hic spoliati folijs & frondibus rami supera demittunt capita, ibi trunci & stipites per terram hinc & inde prostrati veluti infœlicia traphæa certaminis & prælij quod cœlum terræ intulit, cunctorum offeruntur conspectui, sed quid? Post pauxillum temporis sedantur rixæ & discordiæ illæ, & amicabilis componitur pax, ridet cœlum, tripudiant aquæ, & terra reflorescens prædiuitem aperit sinum suum, nulla iam conspicitur tempestas, virides herbarum comæ reficiuntur, discussæ ramorum frondes in altum attollere incipiunt cristas, plurimi etiam arborum plantarumque flores & fructus intacti manserunt & illæsi, imò omnes campi, omnes valles, omnia denique loca post commissum hoc prælium pluribus referta sunt herbis & floribus, maturioribus & vberioribus exuberant fructibus quàm prius; sicque terra fauore cœli iam locupletata in decore cum ipsomet cœlo contendit & concertat? nam gratiæ nimborum camporum fauores sunt, tempestates cœli pratorum existunt semina; nubium iniuriæ aërisque horror deliciæ sunt vallium, charumque pignus amoris.

Num. 1. Talis terra, N. N. hæc sancta est Virgo & Martyr Lucia, cuius Martyrij solemnitatem sancta hodie celebrat Ecclesia. Qui Luciam inter ignis flammas iussu Paschasij præfecti constitutã contemplatur, ipsam veluti terram conspiciet tempestatibus & fulguri tormentorum horribili expositam; ast si spirituali mentis oculo eam contemplemur tormenta illa non nisi cœli dona, diuini amoris signa, mediaque ad cœlestem patriam eam deducentia fuisse comperiemus. Motiuum sanè vtilissimum ad demonstrandum vobis hodie, aduersitates, nimirum, & tribulationes, quas serui Dei in hoc mundo patiuntur, terminari in requiẽ & gaudia.

Proprium N. tribulatorum est semper lamentari & conqueri, vos vtpotè tribulatos idcircò rogatos volo, vt spatio duntaxat mediæ horæ abstineatis à lamentis & lachrymis meque benignâ vestrâ attentione, gratoque silentio auscultetis. Et incipiamus. Num. 3.

Pari ambulant gressu pari pariter consensu N. N. tribulatio & gloria; nam si tribulatio est semen, gloria est flos; si tribulatio est radix, gloria est germen; si tribulatio est mater, gloria est partus; si tribulatio est planta, gloria est fructus; si tribulatio est hamus, gloria est esca; si tribulatio est ignis, gloria est flamma; si tribulatio est sol, gloria est radius; si tribulatio demum est centrum, gloria est circumferentia; verè etenim tribulationes & aduersitates quas in hoc mundo patiuntur serui Dei, non nisi requiem & gaudia pariunt, & tametsi videantur esse atroces & crudeles, dulces tamen sunt suauesque.

Sanctus Ioannes Euangelista in Apoc. suâ crudelium tormentorum Christi faciens mentionem hæc eloquitur verba: *& videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Apocalyp. 1. versic. 7. Vt verum fatear, hunc non capio scripturæ locum, vestrum ô Domini Iurisconsulti Tacitum, vestrumque Saluftium docere opinor, scriptorem historicum nihil debere addere, demere nihil rebus gestis, quomodo ergo S. hic Euangelista passionem Christi omniaque ab eo perpessa tormenta nuncupat vnum *pupugerunt?* ille qui præsens astitit Christo moritu- Num. 4.

10,

ro, illemet qui cunctarum, quas misericors Saluator passus est, tribulationum oculatus est testis, quâ ratione asserere potest omnia tormenta fuisse solum vnum *pupugerunt* interrogare Isaiam Prophetam, longè aliter ipsum audietis loquentem, *à plantâ pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus & liuor & plaga tumens non est circumligata.* Isaæ 1. vers. 6. & Dauid: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea*, Psalm. 21. versic. 18. Sapientem: *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.* Sapient. 2. versic. 12. quomodo ergo dicit Ioannes, *Pupugerunt*? Tot claui, tot verbera, tot virgæ, tot percussiones, tot tribulationes & tormenta à nostro Christo perpessa, crux adeò dura, verba tam opprobrosa suntne vnum solummodo *pupugerunt*? dicendum erat *angariauerunt*, *crucifixerunt* & non *pupugerunt*. Doctores Theologi sequentes doctrinam D. Gregorij duplici res oculo considerari posse asserunt, vno oculo rigoris iustitiæ, oculo amoris altero; S. Ioannes exponens Christi Domini passionem considerat eandem oculo amoris, vocatque quoddam *pupugerunt*, nobis ostensurus, quòd ob immensum in nos amorem tot & tanta tormenta vna solummodo fuerint punctio, vnum *pupugerunt*. Huc accede, ô sancte Stephane, eloquere quidnam fuêre tui cruciatus, quos pertulisti, quidnam lapides & petræ tuæ, quibus te obruerunt Iudæi? vnum *pupugerunt. Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Adsis parumper & tu ô sancte Tiburti, dic amabo, quid fuerunt tua tormenta tot & tanta à te perpessa? quidnam tui carbones igniuomantes? vnum *pupugerunt. Videtur mihi quod super roseos flores incedam in nomine Domini mei Iesu Christi.* Propiùs & tu accede, ô sancte Laurenti, quid tua extitere tormenta, quidnam illa craticula, supra quam assatus fuiste? vnum duntaxat *pupugerunt. Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Huc quoque accede o sancte Lucia, edic, quæso, nobis, quid tua fuerunt tormenta & cruciatus tibi à Paschasio profectò illati? quidnam tuæ flammæ pice oleoque accensæ? quidnam gladius ille tibi surripiens caput & vitam? vnum *pupugerunt. Rogaui Dominum, meum, vt ignis iste non dominetur mihi, & impetraui inducias martyrij mei, vt credentibus timorem auferam passionis.*

D. Ioannes in Apocalypsi suâ cap. 5. Num. 5.
enarrando, quid sancti & electi peragant in paradiso, hæc alia pulchra dixit verba: *Habentes singuli citharas.* loc. cit. vers. 8. profectò nec capio hunc scripturæ locum; quomodo namque potest esse, quod omnes sancti in paradiso manibus teneant citharam? congruentius esset opinione meâ, vt manibus gestarent propria martyrij insignia. Deinde qua ratione dulcem musices concentum seu harmoniam formare possunt in cœlo? harmonia à diuersis iunctim pulsatis causatur instrumentis; nam si suauem exoptetis harmoniam, necesse est, capiatis pulseti que citharam cum testitudine, chelyn minorem cum maiori, &c. vt sic dulcis & suauis offermetur sonus. Quâ igitur ratione dulcisonam hi sancti causare potuerunt melodiam? Huc accede paulisper o sancte Blasi, quonam martyrij genere affectus fuisti? An non ferreis dilaniata fuit caro tua pectinibus? An non tu ille es, qui tot & tanta subijsti tormenta? Eloquere igitur, quidnam fuit tua passio? Ah, inquit ille, aliud non extitit mea mors nisi vna cithara. Prodi in medium & tu, o sancte Laurenti; quodnam tu subijsti martyrium? An non supra ferream assatus fuisti craticulam? An non tu illemet es, qui tot & tanta gustasti tormentorum genera? Dic amabo, quidnam tua extitit passio? Ah respondet ille, mea mors fuit quædam cithara. Adsis parumper, o sancte Andrea, & quam tu martyrij viam ingressus es?

es? An non cruci affixus fuisti? An non tu ille es, qui tot perpessus fuisti tormenta? Edic ergo quidnam tua fuit passio? Ah, ait ille, mors mea fuit instar citharæ? Accede nonnihil & tu, ô S. Lucia, tecum enim mihi hodie sermo est, quidnam fuêre tui cruciatus? Nónne guttur tuum gladio transfixum fuit? An non tu illa es, quæ tot tantisque excruciata fuisti tormentis? Enarra igitur mihi, quid fuerunt tuæ passionis tormenta? Ah, respondit ipsa, mea mors fuit quædam cithara. Et quî hoc? Ah nulli id videatur mirum, considerabat enim illos cruciatus, inquit S. Joannes, oculo amoris; ita fecit S. Laurentius dum craticulis impositus torreretur; ita fecit S. Blasius cum ferreo excruciaretur pectine, ita fecit S. Tiburtius supra accensos gradiens carbones; ita fecit S. Lucia exulta flammis gladioque transfixa; cuncta tormenta cunctosque cruciatus veluti citharam æstimarunt. Ideoque bene ait Apostolus Paulus: *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus.* 1. Corinth. cap. 4. vers. 12. Ecce, qualiter pro maledictionibus consequuntur benedictiones, pro doloribus & cruciatibus fruuntur gaudio & exultatione: *Habentes singuli citharas.*

Num. 6. Afferunt Domini medici, venenum aliàs hominibus nociuum & mortiferum tum ratione complexionis, tum ratione vsus & consuetudinis in salubrem mutari medicinam. Ita legimus imò ipsâ docemur experientiâ, quod gallina persæpè deglutiat scorpiones & alia animalia venenosa, & quia talis existit complexionis, nihil prorsus illi nocent; vnde memini me legisse de Alexandro magno, Reginâ Æthiopiæ mortis istius Monarchæ auidam ei præparasse toxica; ast vt vidit omnia esse frustranea, enutriuit formosam quandam puellam cibis veneno infectis sumendis assuetam, eum in finem, vt huius Alexander vtens conuersatione & copula interficeretur. Quare meritò inquit S. Apostolus Paulus: *Maledicimur: & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus.* Nimirum, quia stomachus seruorem Dei assuetus est venenis aduersitatum, ita vt tribulationes tormenta cruciatus & martyria conuertantur in nutrimentū animarum suarum, gaudeantque quadam in terris beatitudine: *Habentes singuli citharas.* Num. 7.

Regius Propheta Dauid loquens de tribulationibus, quas Deus suis transmittit seruis, ait: *Beatus vir qui timet Dominum.* Psalm. 111. vers. 1. quid dicis ô Dauid? quis vnquam vidit timorem & beatitudinem combinatos? An non beatitudo est aggregatio omnium bonorum in parte rationali, & timor est aggregatio omnium malorum in parte sensibili? addite insuper, beatitudinem in intellectu dominari, in isto mediante cognitione, in hac verò medio amore, in isto principiatiuè in hac verò completiuè; timor verò innititur appetitui irascibili. Quâ igitur ratione timore quispiam beatificari poterit? Quis vnquam hoc capiet paradoxon? non abijcite animum N. audite quàm pulchrè rem hanc declaret S. Augustinus: *Beatus qui persecutionibus exterritus Deum timere nouit.* Non est hæc beatitudo cœli, ait S. Augustinus, est beatitudo terræ, quia, si illam obtinemus amore, hanc timore Num. 8. consequimur.

Iam etiam capiemus verba illa, quæ bonus latro Christo in cruce pendenti dixit: *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Lucæ 23. vers. 42. At quæro ex te, ô beate Didyme, cur non dicis potiùs: *Cùm ascenderis in regnum tuum?* aut *cùm fueris in regno tuo.* Ansculate S. Euthymium egregiè hac super rediscurrentem: *Quod erat supplicium delicti, factum est beatitudo iusti.*

Hinc etiam mirum non est, S. Petrum non cecidisse animo, sed semper eo stetisse intrepido, cùm ab Herode carceri mancipatus erat: fortissimis S. hic Apo-

ftolus vinctus erat catenis & à militibus oculatiſſimis cuſtoditus. Herodes iam iam diſpoſuerat eum tradere populo Iudæorum, vt die ſequenti publicè internecioni traderetur. Supplex & afflicta eâ de cauſâ pro ſuo Paſtore precabatur Eccleſia, vt vel ex hac non tam maturè tolleretur vitâ, aut fœliciſſimè ſaltem tranſiret ad alteram: *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Actor. cap. 12. verſ. 5. Hiſce tamen omnibus non attentis, dulciſſimè & quaſi ab omni prorſus curâ liber obdormiebat Apoſtolus, adeò vt S. Auguſtinus meritò hîc exclamet: *Admiror Petre quietem tuam in medio catenarum velut intra flores requieſcis? quid eſt hoc? niſi quia ibi tu iuſtus quietem reperis.* Imò neque ad ingreſſum Angeli, qui lumine ſuo, quo erat circumdatus, copioſiſſimè adimpleuit carceres, neque ad impetum terræmotus, quo terra concuſſa tremuit, neque ad ſtrepitum & rumorem portarum violenter apertarum euigilauit; vnde neceſſarium fuit, vt Angelus quâdam vi & impetu eius pulſaret latera, eumque è profundo excitaret ſomno, quo in iniuſtâ illâ perſecutione dulciter ſopitus erat, quia nimirum ſuaui tunc gaudebat requie æternâque quadam fruebatu- beatitudine.

Num. 9. Iam conſiderabo verba illius Prophetæ Iob, quibus poſitus in ſterquilinio totuſque à capite ad pedes vſque vlceribus repletus alloquebatur plagas ſuas: *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus*, cap. 17. verſ. 14. dicere volebat: O ſuauiſſimæ plagæ, quot carnem meam proſcinditis cicatricibus, affligitis doloribus, tot pretioſis animam meam condecoratis gemmis. O vulnera amantiſſima, corpori meo comminamini quidem occidentem vitæ; at ſpiritui promittitis orientem cœleſtis gloriæ. Corradite animosè, ô vermes prædiuites patientiæ meæ promotores, theſauros immenſos, quos diuina mihi miſericordia è cœleſti benignitatis ſuæ ærario abundanter diſpenſabit, comparabitis, Paſcite vos, ô fraterculi de terra nati, veluti ego progenitus ſum; hæc enim caro mea veſter cibus eſt & alimentum, corpus meum hortus eſt, Deus hortulanus, qui dum membra hæc ferreo tribulationum ſulcat aratro, florigera ea efficit & fructibus abundantia; vos, ô dolentes plagæ, arbores eſtis germinantes, vos vermiculi flores eſtis ex illis proſilientes, patientia mea eſt fructus exindè matureſcens. Aperite vos, ô plagæ meæ, veluti amoris ora, ſoluite; vos, ô vermes, quaſi iuſtitiæ linguæ, vos mihi pollicemini meritum, de præmio mihi præſtatis ſatiſdationem. O pretioſum meritum? ô fœlix meritum! quanto plus etenim excrucior, tanto minus mihi diſplicet. Non tot reperiuntur in hoc vlceroſo corpore foramina, quot per veſtros venenatos aculeos patefacta mihi conſpicio ſalutis oſtia. Corpus hoc ita vulneratum, nihil prorſus gemmato cedit cœlo; etenim ſi in illo ſcintillantes conſpiciuntur ſtellæ, in hoc plagæ videntur guttatim tabeſcentes; ſi ab illo lucem recipiunt oculi exteriores, ab hoc intellectus oculi illuminantur interiores; Si illud mouetur ab Angelo, hoc mouetur à Deo; ſi illi à ſole tribuitur lumen, huic concedit Dominus gratiam & meritum. O igitur corpus meum plagis ſcintillans? ô carnem meam ſtellis plagarum exornatam! quis igitur audebit aſſerere tribulationes & aduerſitates eſſe amaras & inſipidas, ſi Dei famulis cunctiſque Chriſti fidelibus ſapiát veluti ſaccharo conditæ: tali quidem modo, vt, qui patitur tribulationes, rectè dicere poſſit, ſe habere infallibilem & ſecuram æternæ beatitudinis arrham.

De Domitiano Imperatore refert Suetonius, quod in theatris & publicis ſpectaculis, vbi alij antiquiores Imperatores nummos variaſque monetas inter populum effundebant, ipſe certas quaſdam Num. 10.

dam

dam Virgulas seu paruos baculos, qui in se nullius erant valoris, proijcere solebat; vnde qui nullam illorum habebant notitiam, nihili illos faciebant, neque dignabantur illos de terrâ leuare & colligere: at qui illorum præditi erant notitiâ, permagni illos æstimabant, imò fortunatissimos sese putabant, quotiescunque quosdam ex illis reperiebant; nam signa erant & arrha certissima plurimarum rerum pretiosarum, eò quòd in quâlibet virgularum inueniebatur chartula quædam inclusa, cui inscripta erat aut notabilis quantitas pecuniarum, aut tale vas argenteum vel aureum, vel similia. Quæ omnia ab Imperatoris thesaurario obtinebātur, ostensâ ei primitùs virgulæ aut baculo inclusâ chartulâ. Talis meo calculo tribulatio est, baculum repræsentat, qui non nisi ad percutiendum nos valet, & vtilis est; vnde qui valorem tribulationis ignorat, fugit illam; verum optimam illius habens notitiam, amat & permagni illam æstimat, sibique plurimum de ea applaudit; Scit enim eam certam & infallibilem esse arrham æternæ beatitudinis, cum mediante ipsâ ditissima consequamur & obtineamus bona. S. Iacobus vtpotè optimâ illius præditus notitiâ volebat, vt omnes tribulati & afflicti tripudiarent, & gaudio inæstimabili exultarent, quotiescunque sibi obuiam haberent tentationem & tribulationem: *omne gaudium æstimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Iacob. 1. vers. 2. *Vt probatio fidei vestræ multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur &c.* 1. Petr. cap. 1. vers. 7. magnam huius rei notitiam practicam habuit regius Propheta Dauid; vnde sese consolabatur, dum huiusmodi obuios habebat baculos: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Psalm. 22. vers. 4. multum & in hac praxi pariter excelluit S. Lucia, quæ flammis circumdata inter accensos posita carbones, immissa ardenti fornaci, & quò cruciatus eius augerentur, superfusa oleo, seipsam consolabatur, imò lætabunda cum Apostolo dicebat: *Certa sum enim, quia nec mors, neq; vita, neq; creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*, ad Rom. 8. vers. 38. quiescamus.

SECVNDA PARS.

Mirum & curiosum Academicus quidam perspicacis ingenij composuit emblema, molam, videlicet, vento agitabilem depingi fecit, & hæc ei apposuit verba: *in turbine lucrum* q. d. in tribulatione lucramur; ast credo ego, ipsum hoc emblema didicisse ab Eliâ Propheta, cui propter tot tanta'que perspectas tribulationes transmisit Deus currū quendam quo subueheretur in cœlum, turbine eum impellente, teste Ecclesiast. cap. 48. *qui receptus est in turbine ignis in curru equorum igneorum*, versic. 9. Idem prorsus emblema formauit quoque Christus Saluator noster eodem annexo elogio: *in turbine lucrum*, Vnde D. Thomas loquens de necessitate resurrectionis Christi Domini nostri ait, mortem Christi fuisse necessariam, vt exinde laudaretur & cognosceretur iustitia Dei, & quâ de causâ iustitia Dei? omnino N. quia actus iustitiæ est exaltare illos, qui se humiliarunt ex amore Dei, coronare illos, qui pro ipso strenuè decertarunt, ditare eos bonis obibusque æternis, quotquot renunciarunt temporalibus, coronare illos gloriæ lumine, qui propter Deum eiusque honorem afflicti fuerunt opprobrijs & ignominijs, calamitatibus & tribulationibus. Num. 11.

Num. 12. Diuerso tamen modo has tribulationes & aduersitates Deus nobis transmittit; iustis quidem, vt sic reddantur securi obtinendæ cœlestis gloriæ, veluti hucusque intellexistis; peccatoribus verò, vt illi refrenentur, seque emundent & corrigant, nec amplius Deum ter optimum

maximum offendant. Et videtur Deus agere cum illis,quemadmodum prudens & prouidus pater aut mater agit cum proprio filiolo. Solet interdum paruuli illius, qui comedit piscem vel assarum vel lixum, adhærere spina gutturi, quæ proinde tantam puero creat molestiam, vt incipiat tussire, eiulare & plorare implorando auxilium ne suffocetur. Tussientem plorantemque audit mater filiũ sine morâ accurrit, tergumque filij iteratâ pulsat percussione, non vt ipsum lædat, vel castiget, vel dolores ei inferat; Sed solùm, vt è gutture is eijciat citiùs spinam, & ne ab eà suffocetur, quæ plurimum ipsum molestabat. Committit Christianus ille peccatum aliquod, quod est veluti spina quædam gutturi per transuersum adhærens, & facillimè infert mortem, quia *per peccatum mors* Roman,5 vers. 12. quid facit Deus? incipit quamprimum adhibere manum tribulationis, sic enim hæc à patientissimo Iob appellata fuit. *Manus Domini tetigit me*, Iob 19. versic. 21. non desinit Deus percutere peccatorem hâc manu, quousque tollatur è gutture eius spina, quousque peccator derelinquat peccatum illud, seque emendet & corrigat. Totum hoc pulchrè videtur insinuare regius Propheta Dauid dicens: *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua*. Psalm. 31. vers. 4. quasi diceret, ô Deus meus die noctèque sentio tuam tribulationis manum me percutientem. *Grauata est super me manus tua*. Sed heus Dauid, dic mihi paulisper,quâ de causâ manus aduersitatum & tribulationum, manus, inquam, Dei te percutiebat? Ah respondit Dauid. *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina*, loc. & versic. cit. gutturi meo per transuersum infixæ hærebant spinæ quædam peccatorum adulterij, scilicet, & homicidij, ac propterea quãprimum me Deus suâ manu percussit, continuo hæc spina sublata fuit, *conuersus in ærumna mea dum configitur spina*. Sic repetientur nonnulli, qui à longo tempore infamium scortorum vsi fuerunt familiaritate & consortio,attenderunt vsuræ, non timuerunt euomere omnis generis blasphemias in Deum & Sanctos, summa, impiè & scelerate vixerunt. Contingit postmodum eosdem, quia patiuntur vel persecutionem aliquam,vel etiam minimam bonorum suorum iacturam, illicò renunciare peccato, pessimã illam fugere praxim & conuersationem,accedere sanctos. Et vnde tam subitanea hæc mutatio? cupitisne scire, vndenam veniat? non aliunde, nisi quia, dum illorum gutturi spinæ peccatorum per transuersum infixæ adhærebant, dum, nimirum, amabant iniquas illas pellices, vsuram, contractus illicitos, rapinis inhiabant bonorum & opum pauperum, pupillorum & viduarum, Deus manu suâ tribulationis & aduersitatum eos percussit, & hoc modo sustulit spinas ex eorum gutture. Cuius rei mentionem facere videtur Sanctus Paulus: *qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*. 2. ad Tim. 3. vers. 12. Num. 13

S. Ioannes in suâ Apocalypsi, cap. 16. ait se vidisse quâdam vice grandinem è cœlo cadentem instar magni alicuius talenti. *Grando magna sicut talentum descendit de cœlo*. Apoc. 16. versic. 21. aduertendum hic, per grandinem significari tribulationes & passiones; verùm, quid significat hæc magna grando assimilata monetæ? tria indicat: primò, passionem & mortem Christi fuisse quandam monetam, quâ ipse comparauit promeruitque tantam gloriam? Secundò passionem & mortem illorum, quotquot Christum imitantur & sequuntur esse talentum quoddam, quo sibi acquirunt gloriosam quandam resurrectionem & infinitum thesaurum. Tertiò,quod minimum grãdinis granum, quilibet, nimirum, passionis & aduersitatis actus, quem Christus operatus est & operantur eius fideles & sequaces permagno à Deo compensentur

præmij

præmij talento. *Grando magna sicut talentum descendit de cœlo*, Modò percipio illud, quod Deus quondam interrogauit ex Iob, num scilicet vnquam intrasset Thesauros grandinis. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis aspexisti*, cap. 38. vers. 22.

Num. 14. Tribulatio est domus monetalis, in quâ cuduntur monetę quibus comparare possumus cœlestem gloriam: illi qui suscipiunt hoc officium monetarij, solent fieri diuites. Optatísne & vos fieri diuites, acceptate hoc officium monetarij, & pro amore Dei omnia patienti & lubenti animo tolerate. Discite hodie à Sanctâ Luciâ patienter sufferre passiones & tribulationes vera diuini laboris signa, eiusque stimulati deuotione omnes ad illam recurrite dicentes: ô triumpha hodie de impudicitiâ & crudelitate tyranni, ô Sancta Lucia inuictissima Christi Iesu bellatrix, progredere animosè ad obtinēdam palmam, ad consequenda trophæa. Perge ad capiendam æternam beatitudinis gloriam, quam tibi cœlestis tuus præparauit sponsus. Et cura interea, vt

Num. 15. nos, qui hodie curiosi extitimus spectatores tui sanguinolenti & cruenti certaminis in terris, tandem aliquando tibi triumphanti congratulantes & applaudentes assistamus in cœlis. Quod mihi & vobis concedat, qui est benedictus in sæcula Amen.

SERMO QVINTVS,
In Dominicam secundam Aduentus.

THEMA

Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. versicul. 2.



INter præcepta Politica illud meo calculo vtilius & præstantius est, quod dic quodam Philippus Macedoniæ rex suo tradidit filio Alexandro Magno, mereturque, vt aureis menti imprimatur characteribus magnatum optimam gubernandi normam scire cupientium, obseruetis illud, rogo, examine namque vestro comperietis vtilissimum; eo debet agere modo princeps cum subdito, quo subditus agit cū principe: ideò dicebat Plutarchus, optimum regimen consistere in harmonia quâdā, in quâ voces reliquæ continuo basso veluti principis symbolo correspondeant, necesse est. Quapropter Fauorinus Philosophus & Empedocles Reipublicæ regimen comparabant citharæ, quæ in tantum sonora est & grata auditui, aures que recreat audientium, in quantum vocum proportioni iuxta regulas conformatur. Eximius & Sanctus Pater Athanasius orat. contra idola postquam regimen assimilasset citharæ, quædam refert admiratione digna, nimirum, Dauidem propterea à Deo electum fuisse in regem populique sui principem, quia citharam pulsare nouerat. *Dauid citharœdus fuit*. Vt scilicet easdem prorsus seruaret regulas in regimine, quas in vsu huius instrumenti, & vt hanc doctrinam clariùs perspiciatis in praxi, curiosissimas quasdam notate historias. Alexander Magnus, cuius iam mentionem fecimus, militum suorum affectum die quodam aduerterat Num. 1.

adeò ergo se propensum, vt pro ipso non solū dubitarint profundere sanguinem, verùm etiam ex ossibus proprijs propugnacula in defensionem ipsius exstruere parati fuerint; vnde proprium vicissim in eos declaraturus affectum, sum aperuit thesaurum, hostiumque spolia cuilibet iuxta merita & valorem suum distribui fecit, volens hoc modo sibi illos colligare & connectere animos, qui vitam & sanguinem pro ipso profundere parati erant. Agesilaus cuipiam militi qui mortiferum ictum capiti illius imminentem proprio reparauit scuto, vltra centum talentorum aureum quoddam donauit scutum, quod semper conseruationem vitæ sui principis testaretur. Epaminondas Thebanus, vt quendā amicorum suorum, qui pro defensione sui honoris strenuè pugnauerat, ac quædam ex pugnâ illâ receperat vulnera, audiuit diffamari, beneficium recompensaturus pari beneficio, gladio pectus transfodit diffamatoris. Omnia hæc cōtingunt in aulâ mundi huius; ast longè accuratiùs in domo Dei. Ioab primus omniū prodit in campum ad obsequium & seruitium Dauidis à S. D. M. in populi Israelitici electi regem & ducem, & subitò ex diuinâ ordinatione Primas generalisque militiæ dux creatur: *ascendit primus Ioab filius Saruiæ & factus est princeps* .1. Paralip. 11. vers. 6. Elias Dei exæstuans zelo in diuini verbi prædicatione quasi facula ardebat, & ecce huic ardenti cordi correspondit Deus, & ipsū de mundo sustulit in flammeo curru; vnde Augustinus tom. 3 lib. 2. de mirabilibus sacræ Scripturæ; *Conueniebat ergo, vt Elias, quoniā diuini amoris zelum ignito in animo suo flagrasset ardore, & per ignem miranda signa multa faceret, & per currum igneum ab omnibus commutatum Dominus ad sublimiorem statum eueheret.* Abraham pro Deo offert Filium, & Deus offert filium pro homine, non aliâ ex causâ, nisi, vti inquit D. August. *vt hoc non ex gratia sed ex merito compensaret.* Summa, cum Deo agimus accuratissimo, qui nobiscum procedit, quemadmodum cum ipso procedimus; cum hac tamen differentiā quòd ipse nos in communicatione gratiæ longè præcellat.

An non id sat dilucidè patet hodie in D. Ioanne carceri incluso? qui dum ablegaret discipulos suos Christo præstitum obedientiam & obsequia, videretque Saluator noster eum accuratè adeò secum agere, in laudem eius encomia celebrat & panegyricum efformat sermonem; *cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne.* loc. cit. vers. 7. ad hoc latiùs demonstrandum me iam iam accingam. Vestro interea mihi fauete silentio, & incipio. Num. 2.

Quotiescunque casum quendam à S. Euangelista Ioanne cap. 21. relatum considero, sufficienter demirari nequeo mirabilem quendam agendi modū Christi Domini cum suis Apostolis, dum quadam vice bonus ille senex Petrus Thomæ Nathanaelis simul ac filiorum Zebedæi Ioannis & Iacobi conuersationi interesset, dixit eisdem: eia charissimi fratres, nihi superest nobis, quod hodie mādūcemus; quapropter piscatum ibo ad mare *dixit ei Simon Petrus: vado piscari.* Ioannis 21. versic. 3. ibimus & nos tecum, dixerunt alij, hacque occasione teremus tempus, tibique auxilio erimus in attrahendo rete: *dicunt ei venimus & nos tecum*, loc. & vers. cit. eamus, inquit, Petrus. Maris ergo petunt ripam, piscatorisque subintrant nauiculam, toto die totaque piscantur nocte, ac nihi prorsus capiunt, *& exierunt, & ascenderunt in nauim & nihil ceperunt*, loc. cit. vers. 3. & ecce ipsis ea propter mœrentibus & contristantibus aparet Christus ipsâ in maris ripâ, & ob nimiam distantiā eum haud poterant cognoscere: *Mane autem iam facto stetit Iesus in littore non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est*, loc. cit. vers. 4. Oia, ait Christus, *pueri nunquid pulmentarium habetis?* loco citato vers. 5. credo equidem Petrum & alios hoc super modo loquendi Num. 3.

quendi stetisse attonitos, ac dixisset quomodo? siccine vocamur pueri? ego, dicere poterat Petrus septuaginta & plurium annorum sum, & mecum veluti cum puero adhuc agitur? insuper & Thomas non minorem obstupescendi ansam habebat, cùm circiter quinquaginta quatuor, & Iacobus quadraginta fuerit annorum, alius non supererat nisi Ioannes, qui tametsi omnium iunior, non tamen puer erat, cur igitur Christus illos appellauit pueros? quod nunquam adhuc fecit? per pluchrum hic latet N. mysterium vestroque dignum intellectu.

Num. 4. Pro maiori explicatione aduertite, hoc factum contigisse post resurrectionem Christi, ac propterea appellatos fuisse pueros & non viros; cuius ratio est, quia tempore passionis non se gesserunt vt viri, sed veluti pueri volubiles & inconstantes. An non actio ista Petri puerilis fuit, qui sese intrepidum & strenuum futurum fore iactauerat dicens: *Etsi oportuerit me mori tecum non te negabo.* Matth. 26. vers. 35. Et postea non ad contuitum & terrorem gladij, nec lancearum, neque minarum barbarorum militum: sed ad debilem vilissimę cuiusdam ancillulæ vocem tam turpiter negat Magistrum suũ, contremiscit & perterretur instar cuiusdam pueri? an non hoc est agere more puerorum? insuper & Thomas, qui aliàs alijs addebat animos, dicens: *eamus & nos, & moriamur cum illo.* Ioannis 11. vers. 16. postea fit incredulus: *nisi videro, & tetigero; Non credam.* Ioannis 20. versic. 15. an non hæc puerilia sunt: Iacobus etiam, dum Christus capiebatur in horto, derelinquit eum & fugit, Ioannes pariter frigidum in eum videbatur ostendere affectum, & tamen ambo sese ad epotandum passionis suæ calicem obtulerant. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei, possumus.* Matth. 20. vers. 22. cunctæ hæ actiones non nisi puerum sapiunt. Ideoque meritò eis attribuitur titulus puerorum: *pueri nunquid pulmentarium habetis.* Et ecce ita agit Deus cum eis quemadmodum ipsi cum Deo agunt, illi non vt Apostoli neque vt viri, sed vt pueri se habuerunt, & propterea veluti pueri tractantur. S. Petrus Chrysologus serm. 78. mirum in modum adstipulatur huic meo conceptui: *Ibi enim*, inquit ille, *erat Petrus qui negauerat, Thomas qui dubitauerat, Ioannes qui fugerat, idcirco ait: pueri habetis pulmentarium?* appositè sanè. Sed enodemus hunc conceptum peccatorique applicemus, curemusque eidem ex hisce quoddam tradere documentum. Erit exempli gratiâ nobilis quidam duorum aut etiam trium annorum habens filiolum, dum cum hoc iocatur, porripit ei nummum aureum, infans monetam, quia non cognoscit illius valorem, nunc huc nunc illuc proijcit. Parens nummi huius timens amissionem de manibus filij illum tollere nititur; ast timet, ne erumpat in lachrymas. Quid facit? accipit pomum, idque monstrat infantulo, qui statim id capere cupiens accurrit. Non, non, inquit, parens redde mihi prius nummum aureum, & tibi do pomum. Infantulus huius rei ignarus auream magni valoris monetam permutat in pomum nullius æstimationis & valoris. Ecce, negari nequit, Deum esse nostrum Patrem, nosque per adoptionem esse ipsius filios: ipse ex summo paterno affectu nobis porrigit nummum illum aureum gratiæ diuinæ: verùm quia videt quod peccator illum puerilitev vilipendat, abijciat nec æstimet, nummum è manibus illius tollere decernit, substituens in eius locum pomum prosperitatis mundanæ, quo sic in hâc vitâ bona eius recompenset opera, ne eadem remunerare in alterâ necesse sit. Et hoc est, quod significare intendo, cum Deo instar puerorum agitis, & Deus vos tractat veluti pueros: etenim spondetis ei vitæ emendationem & mutationem, fugam peccati pollicemini, nec statis promissis, surdo

surdo canitur, & paradisum vt rem ludricam penditis, diuinâ abutimini misericordiâ, magisque instapilium puerorum quàm constantium hominum more vitam ducitis.

Num.5. Verùm transeamus ad alia. Genes. cap. 18. accesserant die quadam S. Patriarcham Abrahamum tres Angeli, qui postquam in ipso solis æstu ante fores domus suæ, sub arboris cuiusdam vmbrâ humanissimè & lauto essent excepti prandio, discesserunt ab eo, & inde transierunt Sodomam visitatum Loth, cum hoc tamen discrimine, quòd Abrahamo apparuerunt *in ipso feruore diei.* Genes. 18. vers. 1. at ipsi Loth, apparuerunt vesperi; Abrahamo tres, Loth verò duo apparuerunt Angeli. Ecqui hoc discrimen denotat inter Abraham & Loth? an non ambo sunt amici Dei, ambo sancti, ambo consanguinei? omnino. Eccur igitur Deus non afficit eos pari fauore & amore? S. P. Augustinus tomo 10. Serm. 70. è tenebroso dubij huius ergastulo duorum verborum præuiâ lucernâ nos educet: *Videte fratres*, inquit ille, *dispensationem Sancti Spiritus, pro meritis res aguntur.* Asserere intendit S. hic Doctor, quòd quemadmodum ipsi agunt cum Deo, ita Deus pariter agit cum illis, Abraham feruebat & æstuabat amore diuino, ac propterea ei apparuerunt Angeli *in ipso feruore diei.* Ecce, vt feruor correspondet feruori; ipsum Loth accedunt vesperi, aura nonnihil temperata & ab æstu solis relaxata; frigidus namque paulisper existebat in rebus diuinis. Ecce qualiter vna tepiditas correspondet alteri. Abrahamo apparuerunt tres Angeli, quibus Sanctissimæ Trinitatis mysterium eidem reuelabatur; etenim Abraham in operibus ipso Loth perfectior erat, ideoque vna perfectio alteri correspondeat, necesse est. Loth autem aliquantisper imperfectus erat, quâ de causâ à duobus solùm inuisitur Angelis. En authoritatem S. Patris Augustini loco supra citato *etenim Loth longè inferior erat Abraham. Veniunt ergo ad Abraham tres viri in meridie, venerunt ad Loth duo sed vespere, non enim sustinebat meridianæ lucis magnitudinem Loth; Abraham verò poterat plenum fulgorem lucis excipere.* Etenim haud aliter Deus agit cum homine ac homo agit cum eo. Plurim reperiuntur, qui sunt feruentes in exhibēdis eleemosynis alijsque misericordiæ operibus, alii frigidi sunt & tepidi & Deus pariter in concedendo ipsis gratiam frigidus & tepidus est: vnde S. P. Bernardus serm. 62. in Cant. perpulchra hæc edicit verba: *igitur qualem te paraueris,* Num.6. *talis oportet, appareat tibi Deus.*

Egregius iam mihi occurrit conceptus. Stella quædam comparuerat in oriente tempore natiuitatis Saluatoris nostri, quam cùm vidissent tres illi coronati reges memores præsagij illius Balaam iudicarunt exinde mundo natum esse Messiam. Vnde disposuerunt se ad inuisendum illum. Post iter satis prolixum præsepe tandem attingentes, Deum adorarunt debitaque ei obtulerunt tributa. Quo peracto confestim à Deo præmoniti fuerunt, ne redirent in Hierusalem ad Herodem. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regiam suam.* Num.7. Matth. 2. vers. 12.

Pulchram hic obseruate difficultatem, non poterat Deus Magos hosce præmonere mediante aliquo Angelo, quemadmodum præmonuit Iosephū, vt accepto puerulo Iesu suum dirigeret iter in Ægyptum? *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, &c.* loco citato vers. 13. aut veluti alium transmisit Angelum Beatæ Virgini annunciantē verbi diuini incarnationem? *Missus est Angelus,* &c. Luc. 1. vers. 26. rationem huius dabit S. Hieronymus in Matth. vbi sic habet: *qui munera obtulerunt Domino, consequenter responsum acceperunt non per Angelum sed per ipsum Dominum.* Dictionem hanc, *consequentes*, seriò

seriò adnotate, quòd verbum non casu, sed mysterij indicans profunditatem ibidem positum est. Pro cuius intelligentiâ dilucidabo id aliquâ similitudine. Apud Principes, magnates & mundi huius Monarchas in morem abijt, quòd cùm alicuius regis vel Principis nascitur primogenitus, mutuæ congratulationis ergo legatos sibi vicissim transmittere soleant; verùm si quispiam horum principum veniret in propriâ personâ congratulatum alteri, hic obligaretur ad præstandam mutuam eiusmodi visitationem. Ad propositum agimus N, cum Deo summè affabili, curialissimo & accurato, qui cum alijs procedit, veluti hi cum ipso. Tres hi reges ad Messiam recenter natum legatos destinare, ac per eosdem munera & dona, quæ offerre cogitabant, illi transmittere poterant; verùm non id fecerunt, sed in propria accedunt personâ; quapropter, inquit Deus, quia personaliter me inuiserunt, mihique congratulati sunt, ore tenus personalem eisdem vicissim præstabo visitationem, sicque ait D. Bernardus: *Igitur qualem te parauerís, talis oportet, appareat tibi Deus.*

Num. 8. Ex hisce sufficienter intelligitis, ô Christiani, quòd si quidpiam passi fueritis aut laboraueritis pro Deo, taliter agit vobiscum Deus, vt ansam habeatis sufficientem deprædicandi ipsum, quod si quandoque vestra deploraturi peccata & scelera pedes huius crucifixi accesseritis, in hora mortis vestræ non dedignabitur Christus applicare pretiosissimum sanguinem suum saluti animæ vestræ.

Num. 9. Verùm procedamus dicamusque aliqua quæ nostro proposito inseruiunt ac lassum animum excitent. Duo supra modum demiratus fui; primum est, cur Christus Dominus cæcum sanare voluerit collyrio terræ, *fecit lutum ex sputo*. Ioan. 9. vers. 6. Secundum, cur vestimenta sua diuidi permiserit à militibus. Profectò causam horum vix scire mihique imaginari possum; expectate nihilominus, ego tentabo, hoc tamen pacto vt si vobis non arrideat; meæ compatiamini simplicitati.

Quantum ad primum, cur luto sanauerit Christus cæcum, plurimas huius scio assignari rationes, quarum prima est; quia cùm creauerit ex luto hominem, luto eundem reformare voluit. Secundò voluit perfidis Iudæis declarare & ostendere, quod non arte magica, neque virtute naturali, sed diuina sanauerit cæcum, eò quòd adhibeat res visui omnino contrarias, quæ potiùs eiusdem obcæcationi, quàm illuminationi aptiores essent; totum hoc benè & rationabiliter asseritur; ast assererem ego, quod, cùm terra inseruiat Christo pro scabello pedum eius. *Terram autem scabellum pedum eius*. Actor. 7. vers. 49. Honore eandem afficere, eius abiectionem & vilitatem exaltare, ex eaque collyrium ac medicamentum ad cæcum illum miraculosè sanandum efformare voluerit, vt sic homo exinde clarè cognosceret Deum adeò accuratum esse in correspondendo & recompensandis beneficijs, vt ne quidem ipsi terræ ingratus esse velit par pari referendo. Ad aliud, quod attinet, ita responderem quòd quia Crucifixores pientissimi Redemptoris nostri triumphalem ipsius ingressum in vrbem Hierosolymitanam propria sua cohonestarunt præsentia, & teste diuo Bernard. serm. 2. in ramis Palmarum Christo congratulati sunt vestimenta in via sternentes: *Strauerunt vestimenta sua in viâ*, Matth. 21. vers. 8. Voluit hoc beneficium singulare compensare beneficio speciali, voluit, nimirum, dare vestimentum pro vestimento, ac si vellet dicere: nolo vt de me fiant querelæ, iste populus mihi & ego illi offeram vestimenta: *Diuiserunt sibi vestimenta mea*. Psalm. 21. vers. 19. Hoc ipsum insinuare videtur S. Bernardus loco cit. dicens: *Cui priùs sternebantur*

vestimenta aliena, ecce suis exuitur & sors mittitur super ea. Intellexistis igitur Dei nostri conditionem & naturam, quam promptè & accuratè correspondeat operibus nostris bonis; videamus nunc, qualiter correspondeat malè operantibus. Persæpe hactenus menti meæ obrepserunt cogitationes dubiæ, cur Deus videlicet permiserit Petrum & non alios Apostolos incidere in peccatum trinæ negationis, & quidem ratio dubitandi semper contrarium mihi suadebat; etenim quia Petrus creandus erat in Christi vicarium, consequenter præseruandus erat à peccato, vt sic eiusdem vita fuisset speculum, norma & forma aliorum, quibus præerat, notate, quæso, responsum quoddam singulare; communis namque resolutio, Deum videlicet permisisse illam negationem Petri, quatenus hoc modo alijs compati addisceret in suo pontificatu, satis nota & perspecta est. Ego respondeo, Petrum ideò negasse Christum, quia non satisfecit suo muneri, obligationi & promissioni sequendo Christum, ait enim sacer textus: *Petrus verò sequebatur à longe.* Matth. 22. versic. 54. Ah inquit Dominus: tu mihi assistere meisque vestigijs inhærere deberes: *Qui non baiulat crucem suam*, &c. Lucæ 14. versic. 27. & à longe me sequeris, à me te seiungis? & ego deseram te, te à longe sequar, à te me seiungam. Audite quàm pulchrè mihi astipulantur SS. Patres Anselmus & Eusebius Emyssenus, *Vis scire*, inquit Anselmus, *quare Petrus negauerit Christum? animaduertite quomodo sequebatur eum.* Et Eusebius Emyssenus serm in Dom. in ramis Palmarum hæc profert verba: *Adhuc Petrus sequebatur Dominum, sed à longe, iam proximus erat negationi.* O te miserum peccatorem? putásne, quòd in extremo iudicij die Christo tuo proximus eris, & collocaberis in parte dextrâ iustorum? at à longe stabis, & protruderis ad imum inferni barathrum, eò quòd in hâc vitâ te ab ipso sequestraueris, à salutaribus eius discesseris præceptis, monitis & inspirationibus. Et quot & quanti reperiuntur eiusmodi hisce temporibus, qui Christum sequuntur à longe, quibus veluti surdis canitur, pias audire nolunt conciones, quæuis sibi licere scelera opinantur, nihil de frequentandâ sacrâ communione audire cupiunt, hi sequuntur Christum à longe, & longe sese à Christo dissitos tandem aliquando experientur.

Age sigillemus primam discursus nostri partem quodam extraordinario conceptu Nauigantibus quâdam vice Christo & Apostolis eius in mari, magna ecce exoriebatur tempestas; sed Saluator noster, qui dormiebat in puppi nauiculæ, excitatus à Petro confestim reddidit mare tranquillum: *Imperauit ventis & mari*, &c. Matth 8. vers. 26. Quod cùm viderent Apostoli, cœperunt dicere: *Qualis est hic, quia venti & mari obediunt ei*, loc. cit. vers. 27. Mirum sanè, inquit Abulensis in hunc locum, paulò ante, o discipuli, nuncupastis Magistrum vestrum Filium Dei, & modò simulatis eum non cognoscere? notate N. S. Euangelistæ verba & titulum, quem attribuit Apostolis dum ita loquuntur de Christo: *Porrò homines mirati sunt*, loc. & vers. cit. quæro ego, quid est, quod S. Euangelista non tribuat titulum eis competentem? aliquoties aliàs reperietis in Euangelio, *Accesserunt discipuli; dixerunt Apostoli.* Cur igitur nunc dicitur *homines*, eisque præripitur titulus Apostolicus? aduertite, magnum latere mysterium. Noluit Spiritus sanctus, vt in hâc occasione S. Euangelista eos nuncuparet Apostolos aut discipulos, voluit enim, vt cum illis procederetur, veluti ipsi procedebant cum Christo, non instar Apo- Num.1
stolorum aut discipulorum, sed instar hominum peregrinorum, instar plebeculæ locuti sunt: *Qualis est hic?* Ah, inquit Deus, simulatis vos ignorare filium meum,

meum, eumque non tanquam Deum sed veluti peregrinum quendam hominem iudicatis, nec ego cognosco & æstimo vos tanquam Apostolos sed veluti homines feriales, quia sicuti mecum agitis, ita & ego vobiscum. En sententiam & authoritatem Abulensis q. 90. *Quia isti loquebantur de Christo tanquam de extraneo, idcircò voluit Dominus, vt loqueretur cum ipsis tanquam cum extraneis.* Cape tibi hoc, o peccator, agis cum Deo ac si eius potentia & iustitia tibi ignotæ essent, & Deus te tractabit non tanquam Christianum sed veluti Turcam & infidelem; nam si recusas agere cum ipso iuxta eam, quam profiteris, fidem, & ipse quoque te cum agere recusabit, conformiter ei dictat misericordia & benignitas sua, non vis cognoscere Deum, & Deus non vult cognoscere te. Intereà hæc animo reuoluite, & ego respiro.

SECVNDA PARS.

Num. 11. INtellexistis itaque N quòd Deus non aliter procedat nobiscum, ac nos cum illo procedimus. Superest modò, examinemus mirabilem quendam ex Ezechiele Scripturæ locum, auscultate illum, nam supra modum vobis arridebit, vestroque omnino satisfaciet desiderio. Vidit quâdam vice Ezechiel Deum ter optim. Maxi. oculos planè tenentem clausos, & manibus gestantem baculum quo plurimorum conquatiebat capita hominum: *Conquassabit capita in terra multorum.* Psalm. 109. vers. 6. Non parum desuper mirabatur Propheta videns hoc spectaculum, nec tamen propiùs accedere audebat, timens ne & ipse quædam isthinc reportaret verbera: vnde à longe stans cœpit alta clamare voce: Ah Domine quid est hoc? à quanto tempore factus es cæcus, & absque omni prorsus respectu tam crudelia & horrenda distribuis verbera, ita quidem, vt tui etiam, amici tibi approximari reformident! Ah charissime Propheta, ait Deus, obseruastine, qualiter me tractet populus meus? Etenim publico diuulgauit ore, me esse orbatum visu: *Dixerunt Dominus non videt,* Ezechiel. 9. vers. 9. Ac propterea instar cæci agam cum ipsis, oculos misericordiæ tenebo clausos, ac veluti cæcus essem eos baculo percutiam, quia sicuti me tractant, ita & ego tractabo ipsos. Quî hoc ô Domine? replicauit Propheta: nec vllus tametsi stupidissimus dicit te esse cæcum? cuncti peroptimè norunt te cordium esse scrutatorem, teque nostram intueri mentem internam. At nónne tibi videtur, ô Ezechiel, respondit Deus, quòd illi memet cæcum iudicent, cùm in conspectu meo tot enormia committunt scelera, in meum despectum prophanant templa, sacrificia defraudant, nullas persoluunt decimas, tot etiam adulteria, tot stupra committunt nefanda, idque adeò liberè faciunt, quasi eiusmodi non viderim: *Dixerunt Dominus non videt.* Quapropter desiste pro illis deprecari veniam, ego enim eos haud aliter, ac merentur, tractabo, vt sic addiscant, qualiter mecum procedere debeant.

Ah peccator & peccatrix, qui cum Deo veluti cum cæco agis tot peccata totque enormia committendo scelera, Num. 12.
possibiléne est, ô miser homo, quòd tu in Ecclesiâ Dei tractas de rebus prophanis? in præsentiâ sanctissimi Sacramenti confabulari audeas? oculorumque tuorum obtutum in domicellas figas? estne possibile, inquam, quòd tot tantisque annis publicum agas vsurarium, infamemque istam enutrias pellicem, quòd in ædibus tuis prohibiti exerceantur ludi, vbi nonnisi blasphemiæ audiuntur, viget gula & crapula, quasi Deus esset obcæcatus, & infamem istam non videret vitam? possibiléne est, ô mercator, quod tot committas vsuras, miserum ac simplicem defraudes, vnum vendendo

pro alio, quod toties iures & periures per sanctum Dei eiusque sanctissimæ matris nomen, quasi te prorsus non conspiceret, oculorumque careret lumine. Et tu mulier infamis, quæ tanto tempore in cœno peccatorum carnalium quasi planè immobilis hæres, quæ corpus tuum lasciuijs & animam Diabolo dedisti in prædam, & Deum veluti talpam iudicas, non verecundaris tam pessimam abominandamque ducere vitam? *Dixerunt Dominus non videt*, loco & versiculo suprà citato. Ast aures arrige, & ausculta, ô peccator, indignabundi illius Iudicis tremenda verba: *Ideò meus non parcet oculus*, loco citato vers. 10. Arripiam fulminantis furoris mei baculum, mittam pestilentiam, famem iuxta & bellum, non ætatem, nec cuiuscumque respiciam conditionem vicos & plateas scatere faciam cadaueribus, morietur iuuenis; senex, pauper, diues, terra conspersa apparebit sanguine, cunctaque præ se ferent timorem, horrorem ac mortem.

Ecquid adhæc respondes peccator,
Num. 13. nondum adhuc decreuisti mutare vitam? num, & gladio iræ diuinæ, quem effugere haud poteris, transfodiaris, præstolaris? An Deum ad castigandum te compellere cupis? Eúsne abuti vis diuinâ misericordiâ, indignationem furoremque prouocare exoptas? Ah fratres mei mutate vitam, redite ad vosmetipsos, non irritate Deum, patientiam eius non lædite neque permittite, vt atrociorem, quam intellectus sibi imaginari valeat, vobis infligat pœnam, estote securi, quod vobis mutantibus vitam, Deus cunctas seponet pœnas, vestrique miserebitur, vobisque benignus & misericors erit, & in huius signum certitudinis in historia mulieris illius Chananeæ veluti in speculo vos contemplamini.

Num. 14. Venerat hæc mulier ex partibus Tyri & Sidonis à finibus illius egressa, tota referta peccatis & infelicitate; vnde Christus vocat eam canem: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matth. 15. vers. 26. At ipsa stipata fide, spe & charitate totam se remisit Deo, cum eoque tam bene egit, vt confisa diuinæ misericordiæ dixerit: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, loc. & versic. cit. Vnde hoc perpulchrum laudis recepit encomium: *O mulier magna est fides tua*, l. c. vers. 28. Quid hoc ô Deus meus? iam statim eam nuncupasti canem, & modò mulierem fidelem? quænam repentina est hæc mutatio? ah respondet D. August. to. 4. de fide & operibus ca. 10. *Ideò non dixit: ô canis magna est fides tua, sed mulier; mutauit vocem, quia mutatum vidit affectum.* Dicit namque S. Ambrosius: *Nouit Dominus mutare sententiam si tu noueris mutare delictum.* Quapropter ad Deum, ô peccator, te conuerte, vitam emenda, muta mores, hosce Christi pedes sanguine conspersos accede, ex Iudice tibi indignabundo facies & experieris benignum & affabilem amicum, qui ad pœnitentiã te expectat, tametsi Deus est immutabilis, *Ego enim Dominus & non mutor.* Malach. 3. vers. 6. Tibi nihilominus pollicetur sententiæ & decreti sui diuini mutationem, quotiescumque correxeris vitam; vnde per Ieremiam cap. 18. *Agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei*, loco citato vers. 8. Vade Propheta, & annuncia peccatori, quòd si is de offensa mihi illata pœnituerit, ego vicissim delebo de damno hoc, quod præmeditatus fui ei inferre. O summam Dei mei benignitatem! O infinitam Domini mei misericordiam! videte fratres ait S. Augustinus: *Cognoscite vtrum velit negare misericordiam, qui de conuersione nostrâ dicit suam mutare sententiam.* Præclara sanè sunt verba hæc & omni consideratione digna; vnde hoc subiunxit: *Quid times quia dixi si mutaberis, mutatur.* Non recordamini, inquit S. ille Doctor, quòd Scriptura sacra explanatura nobis Dei naturam & essentiam eandem

dem nobis declaret per ſimilitudinem vnius ſpeculi: *Speculum ſine maculâ*. Sap. 7. verſ. 26. hoc tametſi in ſe immutabile eſt, eo tamen prorſus modo ſeſe mutat quemadmodum veſtram externam mutatis formam, vobis ridentibus & ipſum ridet, vobis plangentibus & ipſum plangit ſumma cunctis veſtris actionibus correſpondebit. Ecce Deus ſpeculum, hoc eſt, ſi vos eritis boni, bonus ipſe erit vobiſcum. *Cùm ſancto ſanctus eris*. Pſalm. 17. verſic. 26. Si eritis mali & peruerſi; *malos malè perdet*. Matth. cap. 21. verſ. 41. *Et cum peruerſo peruerteris*. Pſalm. 17. verſic. 27. Ah fratres mei dilectiſſimi, accedamus limpidum & terſiſſimum hoc ſpeculum huius crucifixi, in hiſce plagis & vulneribus nos contemplemur & ſpeculemur, tantaſque, quantæ ad immundum cor noſtrum a vitijs abluendum neceſſariæ fuerint, profundamus lachrymas, vt is vnicam nobis ſui pretioſiſſimi applicet ſanguinis guttam, quâ mediante obtinebimus gratiam in hac, & in alterâ vitâ, gloriam æternam. Amen.

SERMO SEXTVS.
In Dominicam tertiam Aduentus.

THEMA.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacertes & Leuitas ad eum, &c.

Ioan. 1. cap. v. 19.

Num. 1. Ihil inquit Bias hominem à rectæ rationis vſu plus ſemouet quàm beneficiorum obliuio; ob hanc enim, velvti aſſerebat Socrates, peior euadit ipſis animalibus irrationabilibus, Vnde Ariſtippus loquens, quodam die Dionyſio tyranno Syracuſano dixit, quòd qui beneuolentiæ principum grato neſciret correſpondere animo, neque eſſet homo, Et Anaxagoras ſæpiſſimè affirmare ſolebat: ingrato homine terra nihil peius creauit. Et Seneca ſcribit maiorem alicui non poſſe inferri iniuriam, quàm titulo eundem taxare ingratitudinis. Hoc vitium illud eſt, quod teſte Solone cunctarum virtutum pretium obfuſcat & meritum, Cuius veritas & ſole clarior eſt, & patet in Athenienſibus & Romanis, quorum virtutis ſplendor non parum ab hoc vitio obtenebratus fuit, illi namque ingratitudinis incurrerunt notam, quod Ariſtidem relegarint in exilium, & veneno abſumpſerunt Phocionem; hi verò quod Româ expulerunt tũ Numidium poſt obtentam a Iugurthâ victoriam, tum Seruilium Alam occidentem ſpurium Æmilianum, qui in Regem Romanorum ſeipſum creauerat. Hoc idem vitium celeberrimorum totius mundi heroum obſuſcauit famam & gloriam, veluti Darij, qui ingratitudinis ſibi inuſſit notam quod mortem machinatus fuerit Artaxerxi patri ſuo: Alexandri magni necantis Clitum filium ſuæ nutricis: Tacij regis Sabinorum, quod Tarpeiam puellam curauerit interfici, cuius ope & auxilio expugnauerat capitolium. Aſſerunt Politici, nullum vitium magis obeſſe ſplendori principum, quàm ipſammet ingratitudinem: hæc ſiquidem corda etiam manſuetiſſima prouocat ad iram & indignationem, efficitque vt iniquę fiant reſolutiones, & nonnunquam crudeliores executiones contra fauore & honore aliàs digniſſimos: vti eſt illa Tiberij in Seianum, & Solimanni in Abraham Baſſa. In Scriptura ſacra plurima habemus huius abominandi & deteſtabilis vitij exempla & experientias, vt de Saule, Abſalone, & Achitophel, ac pluribus alijs; aſt ſpeciatim in hodierno Euangelio tanquam in ſpeculo ad viuum nobis repræſentatur. Chriſtus Dominus continuò Hebræis exhibebat beneficia, continua operabatur miracula; & ipſi dum cuncta hæc beneficia compenſare, ac pro vero Meſſia eum cognoſcere deberent,

berent, accedunt Ioannem, & hunc & talem reuereri volunt, tollunt & Christo debitum Messiæ honorem & illum offerunt Ioanni: *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum*, Ioan. 1. vers. 19. O perfidi & scelerati Hebræi! summa bene habet prouerbium: qui confert beneficia ingrato lauat caput Asino, & disperdit smegma omne inutiliter. Quâ historiâ impellor sanè hodie ad disserendum de pessimis effectibus, quos profert ingratitudo contra Deum & contra nosmetipsos. Quod dum aggredior, vos memores esse volo illius, quod quâdam vice Demosthenes Athenis perorans dixit: nihil est quod Oratorem reddat eloquentiorem quàm gratitudo auscultantis. Quare si me exoptetis eloquentem, vos exhibete silentio gratos, & ego vicissim me vobis gratum exhibebo exquisitis conceptibus. Et incipiamus.

Num. 2. Pulcherrimum Theologi proponunt dubium, cur videlicet Christus nunquam voluerit carceri mancipari ab Hebræis, qui toties eum capere & carceri mancipare conati fuerant? nam licèt captiuum duxerint ex horto, nunquam tamen eum in carceres veros cõiecerunt, sed ligatum tenuerunt in domo Pilati. Quidam asserunt, quòd Christus propterea id noluerit permittere, vt significaret voluntariè se velle ire ad mortem: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isaiæ, 53. vers. 7. alij dicunt id eum noluisse permittere, quia necdum venerat hora mortis suæ: *Nondum venit hora mea.* Ioann. 2. vers. 4. Omnes optimè dicunt; at opinione mea Angelicus Doctor D. Thomas diuini ingenij sui acumine rem ipsã acu tetigit, dum asserit Christum Dominum ideò noluisse carceri mancipari, quia continuò nostram salutem operari volebat, & nunc huc, nunc illuc ipsi eundum erat. *Et ibat per ciuitates & castella,* Luc. 13. vers. 22. Vnde teste Querico Abbate magnam quodammodo sensit Saluator noster pœnam spatio nouem mensium materno clausus ergastulo, (vt propterea quamprimum natus fuit) per regium Prophetam Patri suo æterno immensas referat gratias: *Quoniam extraxisti me de ventre matris meæ.* Psalm. 21. vers. 10. Sicque quamprimum prodijt in mundum, cœpit operari salutem nostram, teste eodem Prophetâ: *Ego sum pauper & dolens in laboribus à iuuentute meâ.* Psalm. 68. vers. 30. & S. P. Bernardus pulchram hanc addit sententiam: *Tota vita Christi fuit crux atque martyrium.* Sicque maximum sensisset Christus dolorem & tormentum, sic carceri inclusus mansisset, non enim potuisset prędicare operarique salutem animarum nostrarum.

Verùm, si hodie assererem, hoc ipsum, Num. 3.
quod non fecêre Hebræi cum Christo, facere ingratos, qui sua ingratitudine ipsum carceri mancipant, catenis ligant, ne diuinam suam exhibere possit misericordiam; an non mihi faceretis fidem? non parum hâc super re vos mirari non ignoro; ast pulcherrimè id probabo. Deus ter optimus Max. vocabat quâdam vice Moysen seruum suum, eique dicebat: heus strenue & generose Moyses, tam celebre tamque heroicum patrasti stratagema, vt simile nunquam sibi humanus imaginatus fuerit intellectus. Ecquid igitur, ò Domine, feci, respondet Moyses, cùm cuncta mea facta in comparatione tuorum meritorum pro nihilo æstimanda sint? ah, replicat Deus, parumne tibi videtur, quod populum Israelitarum & me etiam, vtpote, illius populi Deum, qui simul cum ipso tenebar in vinculis, è carcere liberaueris Ægypti, *quem redemisti tibi ex Ægypto gentem & Deum eius.* 2. Reg. 7. vers. 23. Quid hoc? ergóne Deus in Ægypto erat incarceratus? & vbi vnquam lectũm auditumve est, quòd Deus possit ab hominibus incarcerari? sanè ridicula hæc sunt, imò prorsus absurda. Sed quen-
dam

dam acuti ingenij audire mihi videor respondentem: Pater, scio quorsùm collimatis, dicere vultis, quod Deus sicut cum castissimo Iosepho erat in carcere & cum tribus pueris in fornace Babylonicâ, ita pariter simul erat cum suo populo, iuxta illud quod ait Dauid: *Cum ipso sum in tribulatione*, Psalm. 90. vers. 15. Non quòd Deus carceri erat mancipatus, sed quòd comitetur tribulatos & afflictos, vt eos consoletur: peroptimè respondes; non tamen, vti opinaris, penetrasti mentem meam: dico ego Deum fuisse incarceratum, non quòd verè& realiter inclusus esset carceri & catenis ligatus, absit, hoc enim asserere mera esset insania & absurditas; Sed dico impium Pharaonem suâ ingratitudine veluti catenâ Deum in carcere detinuisse, vt ei nullam potuerit præstare misericordiam; Pharao namque ingratus ligauit Deo manus, vt nullam ei exhibere potuerit beneficium. Audite Guilbertum in hunc locum: *Quia Pharao ingratitudinis catenâ Domini misericordiam tanquam in carcere retinebat.*

Num. 4. Totum hoc, si habueritis patientiam, dilucidiùs probabo. Differens sacra Scriptura de populo Hebræo hæc notatu digna profert verba: *Tentauerunt Deum in inaquoso.* Psalm. 105. vers. 14. alia litera habet: *Limitauerunt Deum in inaquoso.* Pater, non intelligo vestrum loquendi modum, me explico per similitudinem quandam. Est flumen quoddam, exempli gratiâ, quod aquas suas per campos diffendit, illico obstruitis alueum fluminis, eique præfigitis terminum & limitem, quem transilire nequit; Sicque taliter constringitis illud, vt nequeat vlteriùs dilatari. Deus hoc flumen est, aquas diuinæ suæ misericordiæ dispergens per terram peccatoris, hic verò quid facit? ponit limitem huic misericordioso flumini, idque, quantum in ipso est, suâ ingratitudine constringit & limitat.

Probemus hoc ipsum clariùs pulcherrimo aliquo conceptu. Refert S. Euangelista Marcus ciues & incolas vrbis Nazareth Christi Domini patriotas die quodam ei supplicasse, vt eadem signa & miracula, quæ in alijs mundi partibus patrauerat, dignaretur patrare & in patriâ suâ: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum fac & hic in patria tua.* Lucæ 4. vers. 23. nihilominus audite rem miram & obseruatione dignam, inquit S. Euangelista, Saluatorem nostrum non potuisse vllum miraculum alicuius momenti facere, nisi quòd sauarit paucos infirmos: *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos manibus impositis curauit.* Marci 6. vers. 5. notate hoc verbulum, *non poterat*, & cur non poterat? tuâ, ô Sancte Marce, dixero veniâ, toto cœlo videris aberrare, num ignorare nos existimas, quòd pater omnia posuit in sua potestate, & hic est filius Dei, ac per consequens omnipotens? & tu dicis quòd *non poterat?* Ah auditores Christus manus habebat ligatas, ingratitudo suorum conciuium patriotarum eum incarcerauerat, *ingratitudinis catenâ tenebatur.* Num. 5.

Me declaro melius, multoties steti attonitus causam considerans, cur Deus populum Israëliticum à durâ seruitute Ægyptiorum iam liberatum, priusquam illum deduceret in terram promissionis, quadraginta annorum spatio per desertum vagari permiserit. O Deus meus! eccur populum istum & tanto tempore tot afficis miserijs & tribulationibus? vbi tuæ misericordiæ promptitudo? vbi celeritas tuæ prouidentiæ? insuper ô Domine quid hoc? quod populum tuum passus es ab inimicis nominis tui molestari & profligari? tu qui appellari voluisti *Dominus Deus exercituum*, Isaiæ 10. versic. 24. anne ei tua succurrere nequit omnipotentia? Ah non aliunde nisi ab ingratitudine populi huius id prouenit; hæc enim ligatum & limitatum tenebat Deum in tantum vt pro eis pugnare nequiuerit, Num. 6.

rit,nec tam promptè tam celeriter, veluti ipsi sua suadebat misericordia, valuerit populum istum ingratum conducere ad ad terram promissionis; ecquid enim vobis videtur de diffidentiâ Moysis & Aaronis, quando percusserunt petram? quasi dubitarent de diuina misericordia; an non hic erat notabilis ingratitudinis actus, qui ligabat Deo manus? Summa, *limitauerunt Deum.* O quàm bene ait S. Bernardus, *ingratitudo est ventus vrens exsiccans fontem misericordiæ.* Plinius ait, in Achaiâ fontes reperiri copiosissimos, qui irrigant terram eamque abundantem efficiant herbis, fructibus & floribus; ast tempore æstatis quosdam spirare ventos qualitatis adeò contrariæ & malignæ, vt fontes hosce prorsus exsiccent, ac proinde terra fiat arida, & viridantibus priuentur prata herbis & floribus, omnia denique præ se ferant speciem horridi cuiusdam deserti. Talis est ventus adurens ingratitudinis, exsiccat inexhaustos diuinæ misericordiæ fontes, qui animam aliàs irrigant, eamque fructiferam reddunt & abundantem operibus bonis; vnde ipsa instar cuiusdam deserti priuata existit cunctis bonorum operum & virtutum floribus, vt meritò cum Dauide dicere possit, *Anima mea sicut terra sine aquâ tibi.* Psalm. 142. vers. 8. Sicque ingratitudo Deum certo quodam modo mittit in vincula, ligat (si ita dicere licebat) ei manus, ipsum limitat, restringit, exsiccatque fontem diuinæ misericordiæ.

Num. 7. Et propter hanc etiam causam efficit hominem tam perfidum, tam iniquum, tam impium, vt omnia peccata præterita à principio natiuitatis suæ commissa redire, & in eum redundare faciat. Oh Pater, ecquid dicitis? Videte, ne quandam proferatis hæresim, etenim peroptimè scimus, quòd Deus non iudicat bis, & lex communis habet: *Res bene iudicata bis non iudicatur.* Verùm auscultate paulumper quandam doctrinam Theologicam; hæc enim inseruiet mihi ad saluandam hanc meam propositionem. S. Thomas 3. parte quæst. 88. ad primum mouet hoc dubium: vtrum peccata mortua in confessione possint reuiuiscere, & asserit in peccato duo inueniri, vnum esse culpam, alterum verò reatum, nimirum, obligationem ad pœnam. Pro intelligentiâ huius, capite hanc similitudinem: Remittitis nonnunquam cuidam ex famulis vestris quater, quinquies aut sexties quendam defectum aut errorem commissum, tandem vltimum, quem committit, errorem castigatis, qui & luere debet pro omnibus, idque ratione ingratitudinis, quia beneuolentiæ & benignitati vestræ non correspondit.

En casum similem in sacrâ Scripturâ mirè hæc illustrantem: committit Dauid peccatum adulterij, Deus hoc ei remittit, committit peccatum homicidij & Deus de nouo illi remittit; committit tandem peccatum vanæ gloriæ numerando populum, & Deus eum iam castigat: Dicite mihi, amabo, quodnam maius est peccatum, vana gloria, vel adulterium aut homicidium? O Pater, respondebitis mihi, indubiè maius peccatum erit homicidium aut adulterium; si hoc verum est vti verissimum, cur igitur Deus castigat minus peccatum & remittit maiora? ego dicam vobis. Castigat & punit Deus hoc vltimum peccatum; quia erat peccatum ingratitudinis, quasi Dauid voluisset de seipso gloriari, nec Deum recognoscere, & gratiam acceptam consecutamque remissionem oblitus fuisset. Et Propterea S. Thomas ait loco citato. *Ingratitudo redire facit reatum pœnæ.* Hoc vltimum peccatum ingratitudinis fecit redire & redundare in caput Dauid omnes pœnas debitas alijs peccatis præcedentibus. Num. 8.

In confirmationem huius legitur 1. Reg. cap. 8. quòd populus Hebræus ingratissimus diuinis beneficijs, cœperit quadam vice murmurare, petieritque omnibus modis sibi præfici regem; Siquidem Num. 9.

quidem fine hoc æstimabat se inferiorem esse alijs nationibus : vnde die quodam tumultuosi aliqui & rebelles importunè accedunt Samuelem Prophetam vtpote iudicem suum, eique maximâ cum insolentiâ dicunt; se non velle amplius illius subesse regimini, & propterea deberet illis constituere regem; miser Samuel totus attonitus vidensque sese despectum, nesciebat quid diceret. Tandem consuluit Deum, eique conquestus est de iniquo procedendi modo populi istius: Domine, inquit Samuel, nescio quid cum populo hoc incipere debeam, continuò murmurat, tumultusque excitat, en regem nunc postulat, meam despicit personam, dignitatemque hanc, ad quam me euexisti, ne pili æstimat. Sis contentus, nec cadas animo, ô charissime Samuel, respondit Deus; te etenim non reiecit & despexit populus iste sed me, ne regnem super eos, quemadmodum fecêre aliæ nationes, sic communiter mecum processit à tempore illo, quo exiuit de Ægypto, innumeras commissit iniquitates & scelera, persæpè Moysen tentauit lapidare, adorauit vitellum aureum, murmurauit de mannâ, adhæsit mulieribus Madianitarum, &c. summa, *iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, quæ eduxi eos de Ægypto*, loco citato vers. 8. adnotate, quæso, hic, ô docti, vt Deus antiquas renouet plagas, reuocando in memoriam omnia peccata præterita; verùm non sufficiebat Deo castigare præsentem defectũ & errorem absque hoc, quod recordaretur præteritorum ante aliquot centenos annos peractorum; sciendum est N. totum fuisse effectum peccati iam commissi, quod fuit peccatum ingratitudinis; hoc enim in memoriam reuocauit Deo omnia peccata præterita eaque in caput populi istius redundare fecit, si non quoad culpam, ad minus tamen quantũ ad reatum pœnæ. Ita affirmat S. Gregorius, qui ob singularem doctrinam & sanctitatem dictus est magnus lib. 4. *Sermon. per Aduentum.* expofit. moral. *summum namque crimen agnoscitur, ad cuius discussionem in Dei memoriam præterita cuncta peccata reducuntur.*

Sed clariùs hoc idem demonstrabo: loquebatur quadam vice Christus Dominus scribis & Pharisæis, & inter alias minas eisdem propositas hęc, sicuti fuit crudelis & terribilis, ita obseruatione digna est, ita loquebatur: *veniet super vos omnis sanguis iustus à sanguine iusti Abel vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ quem vos occidistis inter templum & altare.* Matthæi 23. versicul. 35. obseruate, amabo, hoc, quod continetur sub hisce minis: dicit Christus quod hi Hebræi easdem sint passuri pœnas, ac si occidissent Abel & reliquos omnes iustos ad tempus Zachariæ filij Barachiæ. Ecquid isti habent agere cum sanguine Abel, rationem cuius reddere debet Cain veluti fratricida? quid ipsis est cum tot alijs ante plures annos interfectis, priusquam ipsi nati essent? rem vobis aperiam: erat hic populus ingratus Deo ob beneficia eidem præstita, actualiterque committebat peccatũ ingratitudinis contra Messiam, loco recognitionis benificiorum quærebat eundem interficere, & ob hoc peccatũ ingratitudinis redundant in ipsorum capita omnia scelera præterita à Maioribus suis commissa; nam, vti iam dixi, ingratitudo est peccatum tam graue, vt faciat redire quantum ad pœnam omnia peccata, omnes iniquitates, ac propterea bene dixi cum Angelico Doctore ingratitudo *redire facit reatum pœnæ.* Num. 10.

Addo insuper ingratitudinem esse omnium iniquitatum maximam cunctorumque peccatorum principem. Notate in reliquis omnibus peccatis inueniri aliquam excusationem; at nullam in ingratitudine: interroga auarum, cur sit ita tenax, cur tot tantasque committat vsuras, tibi respondebit, vt commodè honorificeque vitam traducere possit, & quia, teste experientiâ, *pecuniæ obediunt omnia.* Num. 11.

Pete ex guloso & epulone, cur toto epuletur die, & crapulæ indulgeat, vt delectet gustum, deliciasque exinde percipiat asseret. Roga chartarum lusorem, cur diu noctuque lusui chartarū incumbat; vt tempus terat, dicet. Interroga sensualem & carnalem, cur continuò luxui sit deditus; vt suæ carnis desiderijs satisfaciat respondebit. Latronem roga, cur furtis rapinisque insudet; vt nummos ac diuiti sibi acquirat, inquiet. Omnis denique peccator quandam excusationem habet & prætextum, quo propriam diminuat culpam, eò quòd sint peccata fragilitatis; ast si interroges ingratum aliquem, cur non recognoscat beneficia, respondere tibi nescit, neque vllam suæ ingratitudinis sciet adducere causam.

Interrogabat vice quâdam Deus Prophetam Ieremiam, eique dicebat, *quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa*? Ierem. 11. vers. 15. aduertendum hic nomine dilecti significari illum, cui Deus confert beneficia, quemadmodum docet S. Thomas 1. part. quæst. 23, art. 4. in corpore. Ad hoc quæsitum prorsus obmutuit propheta, neque sciuit quidquam respondere, multò minùs, opinione meâ, posset respondere ingratus, nisi pro ipso responderet Propheta Isaias: *cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; populus verò meus me non cognouit, neque intellexit*. Isaiæ 1. vers. 3. vultisne scire, quidnam dicere velit hic Propheta? ingratus, quia nescit correspondere Dei beneficijs, peior est ipsis brutis animantibus, quæ cognoscunt suum patronum, qui ea gubernat, & ingratus nō vult, neque nouit recognoscere Deum, qui ipsum creauit.

Num. 12. Iam iam recordor istius canis in itinere comitantis Tobiam iuniorem, de quo omninò voluit Spiritus Sanctus expressam fieri mentionem in Scripturâ sacrâ: *canis secutus est eum*: Tob. 6 vers. 1. & cur hoc? quidnam cum rebus serijs sacrarum historiarum agere habent canes? Notate hîc pulchrum mysterium. Vult Deus, vt canis comitetur Tobiam, quo sic beneficia Dei grato recoleret animo; etenim duo singularia eaque eximia ei præstare volebat beneficia, nimirum, felle piscis restituere visum patri eius senio iam confecto, & expellere dæmonem à sanctâ illâ puellâ, quam Tobias in vxorem ducere cogitabat, voluit igitur Deus Tobiæ iuniori associare canem in itinere, vt, quēadmodum hic ob frustum panis quod ab eo capit gratum se exhibet: ita ipse quoque gratus existeret Deo post consecuta illa beneficia. Audite S. Ambrosium quàm bene & egregiè illud confirmet dicens: *Canem Raphael non otiosè sibi & Tobiæ filio adiungendum curauit, memoris enim affectus gratia pellitur dæmonium & stabilitur coniugium*. Sicque peccator quicumque non existens Deo gratus, cane quocumque peior est. Pudeat igitur te, ô homo, & à stolidis addisce bestijs, quæ gratiores extant homini, quàm tu sis Deo creatori tuo.

De cane Titi Sabini referunt historici, quod cùm vidisset Dominum & patronum suum proiectum in Tiberim, ipse quoque in eundem se præcipitauerit fluuium, satagens Dominum suum humeris proprijs sustentare & eripere è vitæ periculo.

Epiphanius, qui spinam sustulerat ex vngue cuiusdam leonis, proiectus postea ante crudeles feras & bestias carnium humanarum auidas ab eodem leone protectus fuit in memoriam & compensationem accepti beneficij. Summa, hoc dicere tenemur ipsis bestijs peior est homo ingratus; vti id insinuauit S. Ioannes Chrysostomus: *Quid te appellare debeam, peccator nescio, feram? at ipsis feris es ferior atque agrestior*. Seriò hoc animo reuolue, & respiremus.

SECVN-

SECVNDA PARS.

Num.13. PLurimos hucuſque audiſtis conceptus ſanctorumque Patrum mentem percepiſtis: optarem ego modò auſcultari à vobis propoſiturus quandam tametſi ſterilem è meis ſpeculationibus. Thom. aſſignans ingratitudinis definitionem inquit, eam eſſe voluntariam benificiorum obliuionem & negationem correſpondentiæ, at ſi à me definienda eſſet, venia tamen illius S. Doctoris dixero, hoc modo illam definirem: ingratitudo eſt antecedens omnium peccatorum, nam, vti norunt philoſophi, ſicut ex antecedente naſcitur conſequens, ita ex ingratitudine naſcuntur omnia vitia, ſicque illa eſt fœcunda mater omnium ſcelerum. Da mihi aliquem ingratum & ſtatim exinde argumentabor, illū quibuſcumque onuſtum eſſe vitijs. Seneca lib. 3. de beneficijs ait: hoc nomine ingrati ſignificari compendium omnium iniuriarum, etenim ingratudo in ſe comprehendit omnia ſcelera. Ecce igitur, vt eſt antecedens omnium peccatorum, cunctorumque vitiorum epilogus.

Num.14. In ſacris litteris numerus ſeptenarius ſignificat vniuerſitatem vnde S. Gregorius Papa ſcribendo de S. Mariâ Magdalenâ, quæ ſeptem habuit dæmonia, inquit, hunc numerum ſeptenarium indicare vniuerſitatem peccatorum: *Septem ergo dæmonia Magdalena habuit, quia vniuerſis vitijs plena fuit.* Iam igitur obſeruate quædam verba ex Apoſtolo Paulo, qui loquens de vitijs & peccatis hominis, ponit ſeptimo in loco ingratitudinem quaſi omnium epilogum: *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti.* 2. ad Timo. 3. verſ. 2. en ingratum in ſeptimo loco, quaſi in hoc vitio omnia contineantur ſcelera, ſi igitur ingratitudo eſt omnium vitiorum vniuerſitas & compendium, omniaque in ſe continet mala, ergo ingrati omnes illas paſſuri ſunt pœnas & tormenta, quæ cuilibet congruunt & correſpondent peccato, imò addo, omnes pœnas infernales vix ſufficere ad caſtigandum & puniendum ingratum.

Diſcurrendo S. Propheta Ieremias cum Deo de ingratitudine populi Iſraëlitici inter alia hæc edicit verba: *In tempore furoris tui abutere eis* Ierem. 18. verſ. 23. alia quædam litera habet, *Fac in eis*, quaſi diceret: Domine, conformiter te prouocarunt ad iram, procede contra eos. Sed qualia, ô Propheta, ſunt iſthæc verba interrupta & conciſa? quid Deus habet agere contra illos? edic, quæſo, & mentem tuam planiùs expone, vt ſciamus quânam ſint afficiendi pœnâ. Mira quædam ſingularem emphaſin huic meo addentia conceptui adnotate N. Athenienſes quēdam habebant librum, in quo erant deſcriptæ omnes pœnæ cuilibet correſpondentes delicto; aſt ingratis patriæ nulla erat aſſignata pœna & locus, inquo pœna deſcribenda erat. Quapropter quidam ſenator interrogatus fuit, cur pro ingratis nulla eſſet determinanda pœna, reſpondit, nullam in mundo tam crudelem tamque atrocem reperiri pœnam, quæ ſufficeret ad puniendam ingratitudinem, non ſufficerent tanti Periclis ardentes, non crudeles inuentiones Maxentij, non feritas Dionyſij Tyranni, non denique Neronis impietas & crudelitas: ad propoſitum igitur bene dixit Propheta: *fac in eis.* Quaſi vellet dicere: non ego dico aut determino, ô Domine, quam pœnam aut quale tormentum infligere debeas ingratis; meo enim iudicio ipſemet infernus, tametſi ſit omnium tormentorum congeries, nihil eſſet reſpectu illius, quod illi promerentur, qui tuis non correſponderunt beneficijs, tuaque non recognouerunt beneficia. Sicque vti percipitis modò ô Chriſtiani, neceſſe erit, pro ingratis nouus (vt ita dicam) fabricetur infernus, terribilior & crudelior illo, in quo miſerę damnatorū animæ crucian-

Num.15.

tur per totam æternitatem. Quid dicitis adhæc? vultisne subiacere hisce pœnis adeo tremendis? non, non filioli mei, satagamus nos gratos exhibere Deo, qui tot & tanta nobis exhibet beneficia, amori eius, quem in nos declarauit, sicut & pretiosissimo eius sanguini, quē pro nobis in arâ crucis effudit, grato animo correspondere studeamus. Discite hodie à B. Ioanne, qui cum sibi ab ingratis Hebræis offerretur honor & officium Messiæ debitum, vt amori Christi Domini correspponderet, refutauit illud demonstrando ipsis verum Messiam: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, hic est qui venturus est.* Ioann. 1. vers. 29. hic est, ô Hebræi, Messias vester, & non ego, ille est, *cuius ego non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti.* loco citato vers. 27. vestigijs S. Ioan. insistite, Christo correspondendo, ac beneficia eius grato animo recognoscendo, sic enim obtinebitis in hoc mundo gratiam & gloriam in futuro. Amen.

SERMO QVINTVS.

In Dominicam Quartam Aduentus.

THEMA.

Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Lucæ cap. 3. vers. 2.

Num. 1. Nter celeberrimas ac præconio omnium dignissimas, quas magnus ille & prudentissimus Seneca posteritati tradidit sententias difficillimam, sed curiosissimā hanc semper censui; audite illam, & obstupescite. *Vita humana*, inquit ille, *Chymia est.* Verba profectò magnâ & perspicaci digna consideratione, eò quòd sub metaphoræ operculo significationem suam tenent absconditam Nec; creditore mihi, mysterium illorum penetrarem, nisi modò occurreret mihi sapientissimum illud responsum, quod magnanimus & inuictissimus Cæsar Augustus quondam dedit senatori cuidam instantissimè vrgenti extirpationem falsariorum Alchymistarum plurimos circa monetas Romanas cōmittentium defectus, hisce prudentibus respondebat verbis: *Si Chymiam extirpare voluerimus, & vrbem & orbem exterminare fas erit.* Quasi vellet dicere iuxta mentem Suetonij: tam communis est in mundo mixtura malitiæ cum simulatione & fictâ apparentiâ, vt, si cuncti extirpandi essent Chymistæ, totum hoc vniuersum destruere & penitus annihilare cogeremur; vnde dicebat Tullius: *Frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur.* Volens significare, vix vnum hodiernâ die fidere alteri, cum frons mendax sit, oculus traditor, & externa facies ficta & falsa.

Num. 2. Discursus huiusce ansam præbet nobis discessus S. Ioannis in desertum, qui à SpirituSancto edoctus fugit abominabilem mundi huius Chymiam, petitque desertum, vt nos quoque edoceat, qualiter fugere debeamus & euitare opertorium & pallium adeò sordidum veluti salutis animarum nostrarū obstaculum & ruinam. Vestro igitur silentio in hoc discursu mihi fauete; vtilissimam enim & vestro intellectu dignam polliceor materiam. Attendite, & incipiamus.

Num. 3. Quotiescunque considero verba quædam Serenissimi regis Prophetæ ex Psal. 61. in summam rapior admirationem, audite illa: *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi in vanitate in idipsum.* loc. cit. vers. 10. alia quædam lectio habet, *Mendaces in petris.* Quid dicitis ad hæc N. an non extraordinarius hic vobis videtur loquendi modus? Si igitur perfectam horum verborum exoptetis intelligentiam, necesse est, obseruetis mecum mirabilem quandam speculationem,

culationem. Supponite mecum, totius vniuersi & creaturarum admirabundum Artificẽ Deũ in officinâ terrestis paradisi proprijs cusisse manibus perpulchram illam monetam hominis, eique malleo suæ omnipotentię impressisse propriam effigiem, *ad imaginem Dei creauit illum.* Gen. 1 vers. 26. id cùm aduerteret pessimus ille & fumatus Chymista infernalis omnis perfidiæ & nequitiæ author, memor etiam suæ ruinæ & terribilis casus de Cœlis adimum inferni barathrum, insuper & inuidiæ agitatus stimulo in despectum Dei cusit & ipse in officinâ infernali monetas, sed falsas, formatas è pessimo simulationis Mercurio, & apparentis bonitatis colore obductas &, hoc modo decepit nostros protoparentes, & indies alios quamplurimos decipit. Ex quo magna in mundo oritur confusio, vt vix bonus à malo, iustus ab iniusto, innocens à reo discerni possit, imò totus mundus in maligno positus sit. Hisce
Num. 2. iam positis, intelligetis verba citata regij Prophetæ: *Mendaces filij hominum in stateris, in petris.* Ac si dicere vellet: Attendire ad hanc Chymiam & falsam hominis monetam cusam à principe tenebrarum; nullo enim modo subsistit in pondere & lapide lydio, *In stateris, & petris*, qui sunt duo principaliores probandi modi, quibus verum metallum secernitur à falso; vnde & ad nostrum propositum alebat doctissimus Tertullianus: *Miserum quippe decipi palliatâ vt plurimum malitia.*

Num. 3. Discursus hic mihi reuocat in mentem, mentique meæ aperit & declarat verba aliqua Malachiæ Prophetæ, qui loquendo de humani generis Saluatore & Redemptore dixit: *Et sedebit conflans & emundans argentum & purgabit filios Leui. Et colabit eos quasi aurum & quasi argentum.* Malach. 3. vers. 3. Sed pulcherrimè ostendit Propheta Isaias, cuius qualitatis sint hæ falsæ monetæ, qualiterque detegi possit hæc fallax Alchymia. Spatiebatur hic Propheta quodam maturino tempore per campos, eiusque conspectui offerebatur via quædam opaca herbis viridantib. plena & ardentibus solis radijs exposita. Et ecce in termino viæ huius vidit quandam floridam & artificiosè accommodatam sepem, quæ circumdare & sepire videbatur agros Hesperi, hortos Tantali, villasque deliciosas Mecœnatis; si quis conspexisset hunc exteriorem apparatum adeò pulchrum & decorum, abs dubio dixisset, illinc omnis generis rosas aspectu iucundas, lilia candidissima & rubicunda, amaranthos, violas, narcissos, hyacinthos, similesque pretiosos reperiri flores, summa, locum hunc sine dubio terrestrem quendam esse paradisum quilibet iudicasset; verùm vt hortum illum extrinsecè solùm & apparenter ornatum ingressus est Propheta, loco rosarum, liliorum, aliorumque florum obuias habet meras vrticas & spinas: *In domibus eius spina & vrticæ.* Isaiæ. 34. vers. 13. Legit alius quidam: *In hortis eius & paliurus in circuitu eius.* O quis inexspectatus rei euentus est iste? ast mysterio non vacat, & natatu dignus est, quia nostro proposito aptissimus; Siquidem per hunc hortum repræsentatur quædam falsa moneta, apparens & deceptoria Alchymia. Conspicietis quandoque hominem quiquem, qui apparenter repræsentat sanctum aliquem è Paradiso cœlesti, speculum quoddam humilitatis, normam quandam piæ & sanctæ vitæ; qui hominem hunc intueretur, an non diceret: in corde illius latere omnis generis virtutum perfectionumque flores; ast paulò diligentiùs eum probate, examinare cor & cogitationes eius, interiora illius non nisi spinis vrticis malitiæ & perfidiæ referta tandem videbitis: *Vrtica & spina in hortis eius.* Eiusdem opinionis videtur fuisse doctissimus Arelatensis ijs in verbis: *O quàm callidè paliurus simulationis scelera tegit, vt quem-*

que decipiat. O quot & quanti reperiuntur, qui sub sepe & tegumento zeli, sub externâ apparentiâ iustitiæ, mille committunt iniquitates & scelera.

Num. 4. Pro maiori horum omnium intelligentiâ obseruate mecum pulcherrimum casum à Scripturâ sacrâ relatum, lib. Iudicum cap. 9. vbi legitur Deum grauiter indignatum fuisse contra Abimelech, eò quòd iusserit occidi septuaginta fratres, & quò maiorem de eis sumeret vindictam, fecerit eos plecti capite super vnum lapidem: *Septuaginta viros super lapidem vnum.* Iudicum 9. vers. 5. Non tanto afficior fastidio, inquit Deus, ob excessum & peccatum tametsi grauissimum commissum in occisione tantorum hominum, quanto ob locum illum, in quo eosdem iussit mactari. Ecquid est hoc, Deus bone? ergóne tuæ diuinæ maiestati maiorem infert iniuriam circumstantia loci, quàm grauitas homicidij? & quid referebat, quòd accisi fuerunt super vnum istum lapidem, siue illic siue alibi quid interest? pulcherrimum hic latet mysterium, quod vt intelligatis, obseruandum est, apud Hebræos hunc fuisse morem & consuetudinem vt rei & condemnati ad mortem plecterentur capite supra magnum aliquem lapidem veluti locum ad hunc finem destinatum, ita tradunt doctissimi Rabbini & grauissimi doctores, hoc præsupposito grauitas peccati Abimelech, quo Deum maximè prouocauit ad indignationem consistebat in hoc, quòd is in causâ adeò iniustâ vsus fuerit loco iustitiæ, & in illo loco eos fecerit plecti capite, quosnam palliaret vindictam, passionem & scelus; vnde si fuissent occisi sine hoc tegumento & simulatione, delictum eius tolerabilius fuisset. Mea non est hæc speculatio sed eruditissimi Abulensis quæst. 21. in hunc locum: *Ne tanquam hostis trucidans eos, sed tanquam iudex super lapidem vnum fecit eos decapitari.* Vtinam non reperirentur hisce temporibus huic similes peruersi, iniusti & scelerati homines, qui sub specie iustitiæ proprio ducuntur spiritu, passionibus suis obsecundant, proximum suum iniustè affliunt, opprimunt & persequuntur, eumque in extremam perniciem deducere satagunt. Et quid dicemus de illis, qui in dignitatis gradu collocati, dum deberent esse pastores sunt lupi rapaces pelle innocentis agni apparentiisque iustitiæ pallio cooperti? aliud non sunt nisi fallaces & deceptores Alchymistæ perfidiam & malitiam ficto palliantes zelo, iuxta genium suum sese vindicantes, vsurpant quidem eam, quâ funguntur, authoritatem; sed vt se de rancore & odio, quod contra alios iamdudum conceperunt, vindicent, suasque compleat passiones. Nec desunt quidam, qui dum speciosa proferunt verba, externamque ostendunt beneuolentiam, damna simul inferunt; quemadmodum luce clarius patet, & videre licet in personâ infamis illis Iudæ Iscariotis, de quo scire desidero opinionem vestram ac resolutionem certi cuiusdam dubij mihi propositi, quodnam videlicet inter alia ab impio hoc & scelerato homine commissa peccata fuerit maius & enormius? & quia certus sum, vos omnes vnanimi dicturos consensu, aliud non esse quàm proditionem, ego assero maximam eius iniquitatem fuisse modum & circumstantiam, quam admisit in tradendo & prodendo Christum; si quidem sub specie & falso signo osculi, quod aliàs synceri cordis nuncius, pacis pignus, charitatisque symbolum existit, abscondit peruersæ mentis suæ intentionisque venenum, vnde meritò cum ratione duo illi sanctissimi Ecclesiæ Doctores Ambrosius, & Paschasius rapti in admirationem in hæc admiranda prorumpunt verba; vnus sic loquitur: *Venenum infundis osculo, quomodo gratia charitatis infundetur?* alter sic: *Pignus offers vera pacis, ô proditor, sed vulnus infligis*

ſtigis & venenum ſerpentis. Vnde & in memoriam illius ordinat S. Eccleſia, ne Sacerdos feria ſexta paraſceues det oſculum pacis, ad ſignificandum, quàm ſedulò à nobis vitanda fugiendaque ſit ſimulatio ac hypocriſis, quâ diuinam maieſtatem grauiſſimè offendimus, vti teſtatur Berrus in ſuo rationali, dum ait: *In paraſceue ab oſculo abſtinemus, propter Iudæ traditoris oſculum.* O quot & quanti Iſcariotes inueniuntur hodie, qui non ſolùm fictè fallaciterque procedunt cum proximo ſuo, verùm etiam cum ipſomet Deo & oſculo pacis cruentum intimant bellum, & hoc parum eſſet, ſi non adhuc inuenirentur alij, qui illius proditoris inhærentes veſtigijs ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum accederent, ipſúmque Dei filium immundis ſuis labijs ſuſcipere non abhorrent committentes in eum non vnum duntaxat, ſed mille & mille delicta & proditiones.

Num. 5. Ponderatis fictis hiſce Alchymiſtis falſiſque monetis, operæ pretium duxi, vt doceam vos modum cognoſcendi illas, quò eas effugere & vitare valeatis, veluti facit hodiè noſter S. Ioannes, qui fugit ab hiſce falſis Hebræis petens deſertum. Principalioribus quibuſdam experientijs. N. probatur aurum chymicum, videlicet, lapide lydio, malleo, igne, & aquâ, quâ vnum ſecernitur ab alio; ad eundem modum ſi velimus cognoſcere, & experiri hominem, num ſit bonæ piæ & ſanctæ vitæ, hæc quatuor ei adhibenda ſunt, eaque omnia probanda ad pedes huius crucifixi, qui eſt petra, malleus, ignis & aqua; petra: *Petra autem erat Chriſtus.* 2. Cor. 10. verſ. 4. Malleus: *Ego ſto ad oſtium & pulſo*: Ioan. cap. 7. verſ. 33. Ignis: *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* Deut. cap. 4. verſ. 24. Aqua: *Et de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioan. 7. verſ. 38. Petra eſtè qua ſcaturiunt liquores peccatorum noſtrorum ſanandis plagis aptiſſimi, *Petra fundebat mihi riuos olei.* Iob cap. 29. verſ. 6. Malleus: vt cùm venit Dominus & pulſauerit januam, inuenerit vigilantem inquit S. Mater Eccleſia. Ignis, qui nos illuminat, ignis non comburens ſed illuminans. Aqua, quæ noſtram extinguit ſitim: *Si quis ſitit, veniat ad me.* Ioan. 7. verſ. 37.

Accedamus igitur ad probationem primam, quæ ſit lapide lydio, proponamus falſam quandam monetam vnius hypocritæ, & videamus qualiter ſe habet in primo hoc experimento, Matthæi 8. comparebat coram Saluatore noſtro certus quidam Phariſæus, magna hic extrinſecè oſtendebat ſigna contritionis & ſanctitatis ac Chriſti diſcipulorum numero aſſcribi petebat: vnde dicebat ad Chriſtum: Rabbi, tuis ſæpenumero interfui concionibus, res admiratione verè dignas audiui, & quia cor meum intrinſecè tangi & commoueri ſentio verbi tui efficaciâ, decreui cœleſtem & ſanctam inchoare vitam, teque in omnibus perfectiſſime ſequi: *Magiſter ſequar te quocumque ieris.* Matth. 8. verſ. 19. Audiens Chriſtus hunc ſanctum ſermonem, intuebatur ſimul hæc ſancta proferentē, reſpondebatque: Chariſſime frater, mihi non inſeruis, neque pro te facit ſtatus *ille.* Et quare ô Domine poterat dicere miſer ille? quare? replicabat Chriſtus, cauſam, ſi ſcire deſideras, dicam: debes igitur ſcire, quòd: *Vulpes foueam habent & volucres cœli nidum ſuum: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Matth. 8. verſ. 20. Deus bone! & quid eſt hoc? cur hunc, ô Domine, reijcis, dimittiſque peccatorem tanto Spiritus feruore & zelo te accedentem, teque in omnibus ſequi volentē? an non veniſti recipere omnes ſub tuæ protectionis curâ? an non dixiſti: *Non veni vocare iuſtos ſed peccatores.* Lucæ 5. verſ. 35. Cur igitur iſtum dimittis deſolatum? edicite vos, ô Patres Theologi, quiſnam maior eſt ex hiſce perfectionis actibus: moueri ad piè ſanctéque viuendum ab internis operationibus,

bus,aut ab externis vocationibus?procul dubio respondebitis mihi maiorem esse perfectionis actum obedire vocationibus internis quàm externis: si igitur verum hoc est vti verissimum, necesse erit, mihi concedatur, hunc Pharisæum maiorem ipsis Apostolis exercuisse actum perfectionis: alij enim, veluti Petrus & Andreas, vocati fuerunt à Christo de piscatione, Matthæus de telonio: ille verò mouetur ab vnâ inspiratione dumtaxat internâ: erit igitur cæteris perfectior & consequenter plus merebitur annum erari & inscribi collegio Apostolico. Ad quid igitur reijcitur, & magna hæc ei infertur iniuria?

Num.7. Sublime hîc latet mysterium N.quod, vt percipiatis, diligenter attendendum est. Christus Dominus perspicaci æternæ sapientiæ suæ oculo cognoscebat hunc Pharisæum esse aurum Chymicum fictamque monetam sub apparenti specie bonitati & feruoris abscondentem stannum & materiam falsam astutiæ & fraudis diabolicæ; etenim vt conformiter asserunt sacræ Scripturæ interpretes, non volebat is sequi Christum bono fine, sed vt ipsum calumniari eiusque actiones sigillatim notare posset; vnde & propterea Christus Dominus dixerat ei: *Vulpes foueas habent, &c.* Quibus iuxta mentem D. Augustini dilucidè demonstrare intendebat, Pharisæum illum esse malitiosum & ambitione tumidum, *Vulpes foueam habent in corde tuo,* ait hic S. Doctor: *Quia dolosus es, & volucres cœli nidum; quia elatus es.* Et ecce quàm pulchrè hæc petra & lapis lydius detexit Chymiam & falsitatem illam maligni & impij Pharisæi.

Num.8. Verùm accedamus ad experientiam mallei, cuius ictibus nisi resistat moneta, non erit vera sed falsa & apparens. Verùm huius experientiam conspicite in personâ regis Saul. Hic ob reprehensionem factam ei à Samuele Prophetâ totum se monstrabat contritũ & humiliatum coram Deo, deaurabat sese fictæ bonitatis ac simulatæ pœnitentiæ auro dicens: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini.* 1. Regum 15. vers. 24. Profectò moneta hæc primâ fronte apparet perfectissima; ast obseruate, non resistit mallo mortificationis, non se verè humiliat, nec se vestit sacco & cilicio, sed honorari & æstimari prætendit: *Sed nunc honora me coram senioribus populi mei,* loco citato vers. 30. Optat publico affici honore à Propheta. Ex quo apertè euincitur ipsius pœnitentiam non fuisse bonam, eò quòd se non distendat ad ictum mallei mortificationis & humilitatis, *malleus mortificationis pulsans dolum aperit*, ait doctissimus Theophylactus in hunc locum. O quot & quanti huiusmodi repe-riuntur non resistentes ictibus humilitatis & mortificationis! Quot, inquam, sunt, qui se humiles ostendunt, vt boni, pij & sancti æstimentur & habeantur, qui sub tegumento humilitatis absconditam deferunt chymiam superbiæ!

Num.9. Pergamus ad probationem, quæ fit per ignem ceu fornacem. Eius experimentum videamus in personâ patientissimi illus Prophetæ Iob, quem omninò credebat diabolus falsam esse mixturam chymiæ, nec esse eum resistendo igni & fornaci tribulationis sufficientem; at Deus ipsi demonstrauit huius sufficientiam & resistentiam; nam semper se purificauit, eiusdem semper extitit valoris & ponderis, imò purior & perfectior euasit. Vnde dixit S. Gregorius, non illum tantæ fuisse perfectionis ante probationem quàm fuit post. Similis planè probatio contigit & executa fuit in personâ regis Prophetæ Dauid dum dixit: *Probasti cor meũ & visitasti nocte, igne me examinasti & non est inuenta in me iniquitas.* Psal. 16. vers. 3.

Num.10. Perueniamus iam ad aquam, quâ vnum separatur ab alio, idque erit dum Angelus in die iudicij: *Separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Matth. 13. versic. 49. Tunc videmus falsam mixturam hominis hypochritæ

pocritæ à vero auro hominis iusti pij & sancti.

Pro maiori horum intelligentiâ obseruate mecum quædam verba ex regio Propheta Dauid dicente: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Psalm. 74. vers. 3. Loquitur is in personâ Dei, & ait: Se deleturum has falsas alchymias primâ datâ occasione. Sed dicite, amabò, ad quid Deus indiget tempore, cùm ipse infinitus sit? respondet Doctor quidam verbis eiusdem Psalmi, quando *liquefacta est terra & omnes qui habitant in eâ*, loco citato vers. 4. Quæ vt intelligatis, notandum, non esse possibile, vt terra liquefiat, cùm non habeat naturam ceræ aut metalli, & nihilominus psalmista eam ponit vt liquefactam, & quî hoc? similitudine quâdam rem totam explanabo: hyemali tempore terram vndique nive videbitis coopertam, tali quidem modo, vt via vix discerni possit ab agris & foueis at quamprimum sol incipit splendescere, nix dissoluitur, & quod prius erat absconditum & occultum, omnium deinde patet conspectui. Idem pariter eueniet in die iudicij, quamprimum apparebit hic sol iustitiæ Christus, euanescet & soluetur nix illa hypocrisis, ficti candoris & simulatæ innocentiæ, & sic iustus optimè secernetur à peccatore. Respiremus.

SECVNDA PARS.

Num. 11. Vidimus modò N. obseruationes & probationes faciendas circa monetas falsas; superest nunc, tradam vobis aliquod documentum ad hunc finem summè necessarium nimirum, non solùm sufficere, vt monetæ bonum habeant sonum, insuper & necesse esse, diligenter examinetis, num sonus correspondeat substantiæ vel materiæ, videlicet an verba sint conformia operibus & factis; secus enim moneta illa non valebit, neque reponetur in ærario cœlesti, cùm sit necessarium dare bona verba & facere meliora opera, conformiter loquitur S. Euangelista: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Matth. 7. versic. 21.

Obseruatis circa hæc signum aliquam speculationem. Vocabat quâdam vice Deus Moysen in monte Horeb, mittebatque eum ad Pharaonem, vt cum hoc tractaret de eductione populi Israelitici. Post pauxillum temporis præcipiebat Moysi, vt sumeret sibi in auxilium Aaron fratrem suum. Quod & factum est, & amborum ope liberauit populum à durâ illâ Ægyptiorum seruitute, quò introduceret eum in terram promissionis. Vnde aiebat Dauid: *Deduxisti velut oues populum tuum in manu Moysi & Aaron.* Psal. 76. v. 21. Quæro ego, an non sufficiebat solus Moyses? ad quid huic adiungendus erat Aaron? notandum inquit S. Hieronymus, quòd Aaron pollebat gratia loquendi, & Moyses faciendi & exequendi rem aliquam; etenim & verbis & factis illis conformibus potest, quis è peccati Ægypto exire, cœlestemque promissionis terram petere.

Ad hoc idem propositum, obseruate si placeat, duas pulcherrimas visiones: vnam S. Ioanni in sua Apocalypsi, alteram Prophetæ Ezechieli factam; vidit S. Ioannes quatuor animalia, quæ stabant ante Dei tribunal, & die noctuque incessanter cantabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Apoc. 4. vers. 8. Mira & stupenda notate hîc; eadem animalia vidit Propheta Ezechiel, sed hæc loco cantus, conformiter referebat S. Ioannes, trahebant currum, habebantque quatuor manus hominis: *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.* Ezech. 1. versic. 8. Et quî hoc? ibi sunt cantores, hîc verò equi trahentes currum, an non N. stupenda & prorsus inaudita hæc vobis videntes? Sed pulchrum hic latet mysterium; dicunt enim Doctores & interpretes, per animalia illa à S. Ioanne visa significari statum beatorum, qui cum in cœlo nequeât amplius Num. 12.

pliùs opera bona & meritoria exercere, efformare ſtudent chorum muſicum ad laudandam Maieſtatem diuinam,& quod non poſſunt exercere opere, faciunt verbis ; nam ſi in cœlis poſſibiles eſſent operationes , poſſibiles etiam eſſent noui gradus gratiæ , quibus per conſequens noui ſuccederent gradus gloriæ, quæ res cauſaret inquietudinem , contra illud quod Deus dixit Iob; *Nunquid noſtri ordinem cœli.* Iob 38. verſic. 33. Quibus vult innuere, quemlibet in cœleſti Patriâ contentum eſſe ſua ſorte & ſtatu; animalia verò ab Ezechiele viſa,quæ trahabant currum,non cantabant,ſed operabantur, non faciebant verba,ſed opera,& per hęc ſignificatur ſtatus viatorum , qui deberent operari & ſudare proficiendo in ſeruitio & officio Dei abſque tot tantiſque verbis. Conceptum hunc mirè dilucidat Origenes hoc ſuo teſtimonio : *Opere & non ſermone debet quiſque Deo placere in labore, vt regnum acquirat æternum.*

Num. 11. Sed aliud non minus elegantem & huic propoſito conformem auſcultate conceptum , & finio. Erat in maximis anguſtijs conſtituta regina Eſther ob periculum vitæ , quod populo imminebat Hebræo ; quare inſtantiſſimè orauit diuinam Maieſtatem,vt talem ſibi largiretur eloquentiam, quâ cor indignati regis mariti ſui placare poſſet , & oratio illius talis erat tenoris : *Tribue Domine ſermonem compoſitum in ore meo , in conſpectu Leonis , & transfer cor illius* , &c. Eſther 14. verſ. 13. Hâc finitâ oratione animoſior facta regina duabus ſtipata ancillis prodijt in conſpectum regis. Vix comparuerat ante illum, & ecce, dum iam perorandum erat, cadit animo, vultu palleſcit, & velut emortua corruit humeris vnius innixa ancillarum : *Regina corruit & in pallorem colore mutato laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput.* cap. 15. verſ. 10. Et eodem ipſo tempore Deus emolliuit cor regis Aſſueri , eumque tradidit reginæ placatum & manſuetum.

Caſus hic profectò admiratione dignus eſt , quod Deus reginam priùs in negotia tam arduo inſtantiſſimè ſupplicantem,vt daret ſibi ſuauem & dulcem perorandi methodum , quâ mediante placatum redderet regem , permiſerit obmuteſcere, & velut emortuam animo cadere. Obſeruate , Deum voluiſſe , vt regina plus operaretur efficeretque vno geſtu corporis languido quam eloquentiſſimo aliquo & diſertiſſimo ſermone. Quo facto nobis ſignificare voluit gratiam petiturum plus factis quàm verbis, plus lachrymis quàm vocibus, plus internâ aliquâ commotione & affectu quàm externâ & vocali aliquâ oratione loqui & ſermocinari debere. Diſcite hodie à S. Ioanne, qui in floridâ adhuc iuuentute petit deſertum aſperam acturus pœnitentiam,vt,quod prædicat,exequeretur opere.

Eià igitur ſyncero cordis affectu expurgare ſatagite Alchymiam peccati malleo mortificationis , igne tribulationis & petra huius crucifixi. Eamus , eamus dilectiſſimi,compareamus ante benignum illius conſpectum , dicamuſque ex toto corde ; ego eram , ò Domine , moneta illa tuis efformata manibus , ſigillata tua effigie & aqua baptiſmali purificata ; at transformata ſum hodie & falſificata ab infernali Alchymia,peccato videlicet , aurum deperdidi innocentiæ, tuæque gratiæ. O Deus meus , fac vt prober , expurgetque hoc tuæ humanitatis indice, crucis huius malleo, igne diuini tui amoris , tuæque aqua miſericordiæ. Fac ò Domine, vt veluti moneta purificata collocari merear in cœleſti tuo paradiſi ærario, Amen.

SERMO

SERMO OCTAVVS.
In Festum S. Thomæ Apostoli.
THEMA.

Thomas autem vnus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Ioannis capite 20. vers. 24.

Num. 1. Vmma, vero verius est N. quòd, quando vniuersalis ille mundi huius pastor, qui suo calore & luce pascit, nutrit & conseruat cuncta virentia prata, quando sollicitus & prouidus ille viator, qui rubente sua aurora dormitantibus & sterrentibus aperit oculorum fenestras, quando fortunata illa mater, quæ in deauratis orientis cunis è purpureo suo gremio argenteas inter fascias cœli toti exponit orbi fortunatum suum diei pratum, dum, inquam, perspicacissimus ille oculos, quo cœli intuentur operationes actusque mortalium, nubibus & vaporibus obuelatus ac velut indignatus sponsus offensusque Amasius à charâ suâ & dilectâ sponsâ terrâ, suam auertit splendentem faciem, luminososque eidem denegat obtutus, terribiles generentur aquarum imbres, canescant campi, deserta remaneant prata, arescant plantæ, turbida fiant flumina, congelentur fontes, obmutescant fontium riuuli & semper obscurus & nubilosus exiltat dies. Vnde ad hoc allusurus excellēs quidam academicus sumpsit pro emblemate solem patientem eclipsin hoc ei appofito symbolo: *infœliciter omnia.* Effectus illius dilucidè patet hodiernâ die in persona Sancti Thomæ Apostoli, cui ante Christi Domini passionem & mortem, quia continuò præsentem sibi habebat solem iustitiæ, omnia fœliciter succedebant, & propterea dicebat: *Eamus & nos, vt moriamur cum eo,* Ioan. 11. vers. 16. Verùm quamprimum hic Sol iustitiæ in resurrectione sua ab eo discesserat, illico incidit in peccatum incredulitatis; vnde dicentibus ei alijs Apostolis: *Vidimus Dominum.* Respondit ipse; *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam,* Ioan. cap. 20. vers. 25. Vt propterea non incongruè præfatum ei adaptari possit elogium: *infœliciter omnia.* Non enim malum aliquod inuenitur, quod misero non obtingit peccatori, quando Sol hic iustitiæ Christus ab eo discedit, eumque derelinquit.

Hoc ipsum erit hodie N. subiectum huius mei discursus, ex quo veluti ex amplissimâ quâdam picturâ decerpam peruulam aliquam tabellam & delineationem meæ concionis. Vestro vos interim mihi assistite & fauete silentio. Et incipiamus.

Obambulabat quodam matutino tempore aulam regiam totus anxius ac molestiâ & dolore repletus serenissimus infans Absalon primogenitus Regis Israël, alta emittebat suspiria, copiosas lachrymas & gemitus, eò quòd dulci & chara orbatus esset præsentia & benigno aspectu patris sui Dauid; etenim interdictus ei erat ingressus & accessus ad Patrem patrisque aspectus, idque in pœnam homicidij, quod commiserat occidendo fratrem suum Ammon. Ah, dicebat ille, infœlix & miser Absalon, possibiléne est, vt vna duntaxat hora viuere queas absque eo, qui erat pater tuus, Rex tuus, Dominus tuus & benefactor tuus? Illum dico, qui tanto affectu pietateque paterna te nutriuit, educauit, & sicut seipsum amauit, teque veluti oculi sui censuit pupillam, qui tanta affabilitate & humanitate te è calamitoso reuocauit exilio, in quod tanquam homicida fratris tui relegatus eras? Profectò necessarium mihi foret cor plusquam ferreum & adamantinum vt huic ictui plus- Num. 2.

quam mortifero resistere valeam. Dum ita discurreret ac dolens sermocinaretur Absalon, annuit cuidam epheborum iussitque ad se vocari militiæ præfectum Ioab, Cui protinus accidenti dixit Absalon: Charissime Ioab, tuæ erga me beneuolentiæ tuisque obsequijs, plurimùm hactenus confidi, & etiamnum confido, ecce frontem & hanc faciem meam, hæc tibi sat exprimet internam in corde meo latentem dolorem memet continuò excruciantem, ecce orbatus sum aspectu & præsentiâ regis patris mei; quare accede, te enixè precor, regem patrem meum, significa ei dolorem meum simul ac infœlicem ac miserum hunc meum statum, dic ei, me potiùs non semel sed millies malle eligere mortem, quàm viuere absque fruitione aspectus illius; quod si ergò supplici meæ petitioni annuere renuat exhibeatque se inexorabilem duo hæc solùm subiungè verba, ad minus semel mihi permittat intueri faciem suam, & deinde manibus suis me occidat. *Obsecro vt videam faciem Regis quod si memor sit iniquitatis meæ interficiat me* 2 Reg. 14. vers. 22.

Num. 3. Agedum N. non molestemus ampliùs hunc contristatum principem & Ioab petentem palatium expositurum regi petitionem filij Absalonis ab incœpto non retardemus itinere, sed nostris attendamus rebus, moneamusque super hoc pulcherrimam aliquam difficultatem, dicite quæso, quid Absaloni prodesse poterat, si vidisset, aut non vidisset regem? An non is absque hoc honorabatur veluti primogenitus & futurus regni successor? An non talis æstimabatur toto regno, visitabatur à primatibus ciuitatum? Quid igitur ei deerat? Quid referebat ipsum esse priuatum facie Regis? Ah, respondet Gualfridus in hunc locum, omnia ei videbantur aspera & amara, dum considerabat duntaxat se carere gratiâ regis patris sui, & hæc consideratio assiduo affligebat ipsum, surripiebat ei somnum ab oculis, sapidas & dulcissimas dapes conuertebat in merum quoddam absynthium; *Hæc sola cogitatio perdidisse patris beneuolentiam eum crudeliter excruciabat.* Deus bone! si igitur hic princeps Absalon solâ consideratione priuationis gratiæ & præsentiæ paternæ affligebatur torquebaturque, nec viuere ampliùs desiderabat, quid non deberet facere vna anima peccatis inuoluta, quæ ob peccatum mortale perdidit gratiam Dei ac præsentiam Patris sui cœlestis, insuper & curam ac protectionem sui Creatoris ac Redemptoris? Cui occlusum est cœlum & apertus infernus? Ah, si hæc serio animo reuoluerentur ac sæpiùs recogitarentur, certe, lachrymis sanguineis deploraretis statum illum, & eligeretis potiùs mortem quàm peccatum & esse priuatum gratiâ Dei.

Verùm vt hoc meliùs penetremus, transeamus ad perpulchrum quendam conceptum. Num. 4. Dolens ac mœrens suspirabat plangebatque mortem dilectissimi sui sponsi & Redemptoris non minus sancta quàm decora illa pœnitens Maria Magdalena; vnde tanquam zelosa & feruida Amasia sub auroram adiuit sepulchrum deferens secum vas pretiosis & inæstimabilibus plenum aromatibus; *Et valde mane vna Sabbathorum.* Marc. 16. vers. 2. Sed circumspiciens vndequaque cùm non reperiret sanctissimum Christi Domini corpus cœpit amarissimè lachrymari, plorantem conspiciunt Angeli sepulchro assistentes, eamque consolantur his verbis: *Mulier quid ploras?* Ioan. 20. versic. 13. Quibus non respondit Magdalena, sed, vt sacer refert textus, vertit eis tergum, noluit ipsorum auscultare verba, nec acceptare eorum consolationes: *Conuersa est retrorsum*, loc. cit. versic. 14. ait S. Ioannes. Sed exspectate hic nonnihil Auditores, quousque locutus fuero Magdalenæ, & postea reuertar ad vos: dic mihi, amabò, ô Domina, quâ de causâ tergum vertis hisce ado-

adolescentibus te consolantibus? An non conspicis Angelos esse paradisi cœlestis? tuâ dixero veniâ, parum te ostendis ciuilem & vrbanam, nec perillustris adeò congruit Dominæ huiusmodi inurbanitatis actus. Quid dicis? nihil respondes? sed non molestemus N. Magdalenam plorantem & amaras profundentem lachrymas. Audiamus Origenem pro ipsa respondentem. Visne scire rationem, inquit Origenes, cur ipsa verterit tergum Angelis, nec illorum acceptare voluerit consolationes? quia amisit Christum suum, Dominum & sponsum suum, nulla ratione solatia admittere potest, tametsi sit Angelus & vna è supremis creaturis, imò omnes hæ confortationes & solatia videntur ipsi acutissimæ & insupportabiles iniuriæ; audite ipsius verba, quæ sanè admiratione & æternâ digna sunt memoriâ: *Onerosi sunt mihi omnes consolatores terræ, ego autem quæro Creatorem & ideò molestæ sunt mihi omnes creaturæ.* Audi, ô anima Christiana, dum amisisti Deum; tametsi fruaris omnibus totius mundi delicijs & voluptatibus, nullibi tamen perfectam consolationem & verum gaudium inuenire poteris, nec amici, nec cognati, nec pecuniæ, neque iucundæ recreationes aut conuersationes restaurare poterunt damnum illud, quod causat absentia & amissio Dei, imò nec te poterunt, vt ita dicam, cuncti cœlestium Angelorum chori consolari, amisso enim pientissimo Iesu omnia amittuntur bona, omnes delitiæ, omnis dulcedo, omnis perfecta lætitia.

Num. 4

Num. 5. Sed melius. Comprobemus hoc exquisito aliquo conceptu. Matth. 17. Legitur Christum Dominum summo quodam diluculo ascendisse montem Thabor, ac secum conduxisse tres sibi chariores Discipulos Petrum, Ioannem & Iacobum, & vt verticem montis huius attigerunt, statim eis repræsentata fuit pompo sa illa & periucunda cœlestis gloriæ scena, & ecce, audite mira, vestimenta Christi candida apparuerunt sicut nix, & facies eius resplenduit sicut sol, cumque eum adeò decorum & refulgentem intuerentur tres illi Apostoli, ecce nubes quædam splendida quasi auro irradians ex improuiso apparuit, *& ecce nubes lucida obumbrauit eos,* loc. cit. versic. 5. Visa hac nube timebant, tremebantque discipuli, & corruebant proni in terram; *ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* loc. cit. versic. 6. Apostolos hosce, quæso, relinquamus N. eo modo, quo illos inuenimus in terra prostratos & paulisper examinemus cur illi visâ hac nube timeant & tremant. Ego sanè non capio hoc mysterium, quod enim nubes vna lucida tantum eis incutiat timorem, vt veluti emortuos in terram eos portrudat, paradoxon est, videturque id mihi potius esse effectum nubis cuiusdam obscuræ & tenebrosæ. Quod ergo ad me attinet, dicerem, illos pauidos tremuisse, eò quòd nubes illa splendescens ademerit illis visionem Christi; vnde quia orbati remanebant diuino Christi aspectu, ideò tremebant ac timebant, etenim tremenda res est, esse priuatum vnico duntaxat momento præsentia & facie Dei. Non mea hæc est speculatio sed sancti Patris Paschasij lib. 8. in Matth. Audite eius verba sanè obstupenda: *Timuerunt propter nubem quâ adumbrabatur Christus.* Si igitur tantum ob id timebāt Apostoli, ne vnico solo momento priuarentur facie Christi idque mediante lucidâ quâdam nube, quantum tu, ô anima Christiana, tremere ac formidare deberes absentiam eius, quæ fit per interpositionem obscurissimæ nubis peccati interponentis sese inter te & Christum facientisque te perdere sanctitatem & diuinam gratiam; etenim quemadmodum sol, dum obscuratur, solet in aliorum animis causare nescio quem horrorem & tremorem; ita etiam tum Christus discedit, nubes peccati facit te perdere lucem huius solis iustitiæ, tuamque animam nigram prior-

sus efficis cæcum & horrore plenam: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Psalm. 2. vers. 8. Dicebat Propheta. Et propterea væ tibi misero dum ob peccatum mortale amittis gratiam diuinam, totus namque infernus contra te exclamabit: *Deus dereliquit eum persequimini eum & comprehendite eum*, Psalm. septuagesimo versiculo vndecimo.

Num.6. Summa, non expedit ne quidem per vnicum momentum esse absentem à Deo quâ super re mirâ referam. In passione Domini à D. Ioanne Euang. conscriptâ rem miram & stupendam legimus, attentè illam auscultate. Captus iam erat Christus Saluator in horto, & Petrus & Ioannes eum à longè sequebantur non alio fine, nisi vt viderent successum & exitum dolorosæ passionis eius & ecce ad atrium Caiphę admissus fuit Ioannes, exclusus verò ab eodem Petrus. Miser hic senex foris stabat totus mœstus & contristatus; vnde S. Ioannes memor socij sui petijt ab ancillâ habente curam ianuę, vt illum introduceret: *Et dixit ostiaria & introduxit Petrum.* Ioan. 18. vers. 16. Quæro ego, cur ipsemet non introduxit eum? Cur non iuit in propriâ personâ, vt hunc actus charitatis exhiberet Petro, qui Christi erat Vicarius? Ah, quia Ioannes gaudebat & fruebatur facie & præsentiâ Christi; vnde ne quidem per instans ab eius voluit abesse conspectu, quia omnino est intolerabilis etiam per vnicum solum momentum amissio præsentiæ Christi. Audite S. Ioannem Chrysostomum testimonio suo idipsum roborantem: *Christum spectabat, & ideò dixit mulieri, vt eum introduceret.*

Sed proponamus hisce digniora. Marc. cap. 14. refert hic S. Euangelista à Christo Domino die quodam coactos fuisse

Num.7. discipulos, vt irent ad mare: *Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam.* vers. 22. Verbum hoc *compulit* indicat, quod ipsis intulerit vim & violentiam, vt præcederent, & naui sese committerent, & cur hoc? An non discipuli erant obedientes minimis etiam iussis & præceptis Christi? omnino. Si igitur erant obedientes, cur ait textus, quod ipsos compulerit? Signum id fuit, eos noluisse ire & Christo restitisse. Ah discipuli, discipuli, non tali modo agendum est cum Christo, non sic oportet procedere, sanè vos demiror, & quasi de vobis nonnihil scandalizor. Sed sistite parumper N. en Dionysius Carthusianus eorum in se suscipit defensionem, & ait: non esse mirum sanctos hos discipulos quandam Christo fecisse resistentiam; id enim fecerunt, ne ab eo separarentur & discederent, quia talem ex Redemptoris & Magistri sui aspectu & præsentia hauriebant consolationem & voluptatem, vt nec vnico quidem momento potuerint à diuino eius conspectu separari, *per quod patet*, ait citatus author, *quod nec ad horam separantur à tam dulci & potenti Magistro.* Si igitur per vnicam duntaxat horam non poterant sufferre separationem & priuationem præsentiæ Christi quomodo tu infœlix peccator annis aliquot integris, quibus tot peccatis mortalibus immersus hæres, sufferre poteris eiusdem aspectus priuationem æternam, quam infallibiliter reportabis nisi mutaueris vitam & mores? Scias velim interea, maiorem pœnam maiusque tormentum, quod quispiam tùm in hac vita tùm in altera pati posset, esse priuationem præsentiæ diuinæ, quod si seria attentaque mente id considerarent homines, præ timore morerentur.

Ad probationem. At volo vos attentos, & primò supponite Christum Num.8.
ex mera sua misericordia voluisse pati omnes illas pœnas nobis peccatoribus debitas, ac etiam tulisse in se omnes iniquitates nostras. Hoc iam supposito notate quædam pulchra: ego contemplor Christum in cruce blasphematum, despe-

ſpectum, clauis affixum ac vndique ſanguine conſperſum, nec vnquam audio ipſum de aliquo lamentantem, ſolum priuſquam expiraret gemebat altâ voce ſe derelictum à Patre: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me*, Matth. 27. verſ. 46. Et video vix prolatis hiſce verbis illum inclinare caput ſuum, & exſpirare animam, *clamans voce magnâ emiſit ſpiritum*, loco citato verſ. 50. Poſſetiſne mihi dicere rationem, cur Chriſtus his dictis verbis ſtatim expirauerit? Quodnam hîc latet myſterium? Audite, amabo, ſpeculationem quandam excellentem. Antequam Chriſtus hæc protuliſſet verba, conſiderauit ex parte peccatoris, quidnam ſignificaret eſſe à Deo derelictum, pro quo aduertendum, Chriſtum Dominum non potuiſſe derelinqui à Deo; hoc enim dicere ſaperet hæreſim; non enim fuit derelictus, vti contingit peccatoribus, ſed ſolùm quoad vnam partem, nimirum quoad conſolationem: vnde ait S. Ambroſius: *Et ſeparatâ delectatione diuinitatis æternæ.* Tantum ex hâc ſeparatione concepit dolorem tantamque cordis afflictionem habuit cùm eſſet derelictus à Patre veluti Conſolatore, vt non ampliùs viuere, ſed mori appetierit: *Clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Si igitur eſſe derelictum à Deo hoc modo nimirum tanquam à conſolatore, tantam Chriſto intulit pœnam tantumque tormentum, vt nec vnico quidem momento ſuperuiuere deſiderat, quid igitur erit eſſe omnibus modis à Deo derelictum, veluti deſeruntur peccatores ituri ad imum inferni barathrum? Ad te ipſum reuertere chariſſime, diſpone domui tuæ, Chriſtum adire ſtatue deuoto corde, ieiunijs, eleëmoſynis, & orationibus, ſecus expeditus eris.

Num. 9. Ciuitas aliqua defendi non poteſt, quæ nullis eſt circumdata muris; ſed quâ ratione defendi poterit Ciuitas cordis noſtri ab incurſu & aſſultu hoſtium infernalium, ſi ſit ſine muris diuinis & abſque Deo: *Et dabo te populo huic in murum æreum.* Ierem. 15. verſ. 20.

Miles tametſi fortiſſimus & audaciſſimus difficulter ab inimicis ſe tueri poteſt clypeo aut ſcuto deſtitutus, quo retundat hoſtium tela & iacula; ſed quomodo miſerrimus miles mortalis, cuius vita non eſt aliud, niſi quædam militia & pugna: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, Iob 7. verſ. 1. Reſiſtere poterit tentationibus ſuorum inimicorum abſque diuino Chriſti Domini ſcuto? *Scuto circumdabit te veritas eius*, Pſal. 90. verſ. 5.

Hortus aliquis nequit eſſe frugifer, floridus, aſpectuque iucundus, ſi non continuò & prudenter manibus hortulani excolatur. Et quâ ratione miſer hic hominis hortus: *Hortus concluſus*, Cant. 4. verſ. 12. Excoli, ac flores virtutum germinare poterit, ſi derelinquatur ab hortulano cœleſti? *Pater meus Agricola eſt*, Ioan. 15. verſ. 1.

Fœnum areſcit & exſiccatur, ſi ſol tanquam vniuerſalis Pater viuentium ſereno & deaurato ſuo vultu illud fouere & aſpicere deſinit; fœnum ſunt corda humana: *Omnis caro fœnum*, Iſai. 40. verſ. 6. At ſi per infortunium illa non foueantur aſſiduo aſpectu & præſentiâ ſolis huius verbi diuini, arida, ſicca & ſterilia prorſus remanent: *Exſiccatum eſt fœnum*, loc. cit. verſ. 7. Totum hoc hodie dilucidè patet in perſonâ Thomæ Apoſtoli qui veluti fœnum ab oculis & facie ſolis iuſtitiæ Chriſti derelictum infructuoſum & ſterile remanebat in virtutibus profe- rendis, imò præceps agebatur in peccatum infidelitatis: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*, loc. ſup. cit. Omnia namque commoda & bona ſalutis noſtræ ducunt ſuam originem à præſentiâ diuinâ; vnde dicebat Dauid: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* loco ſuprà citato. Serio reuoluite animo, Auditores, quanta pariat damna abſentia Dei,

Dei, & ego interea paulisper respirabo.

SECVNDA PARS.

Num.10. IAm iam occurrit mihi excellens quidam conceptus N. qui to um hoc, quod in primâ parte diximus, confirmabit; sed attendite, quæso. Differente die quodam Christo Domino cum Apostolis suis, comparuit ecce nuncius quidam à Marthâ & Magdalenâ missus, qui & obtulit ei epistolium quoddam & hæc subiunxit verba: *Ecce quem amas infirmatur.* Ioan. vndecimo, versiculo tertio. Significans infirmitatem Lazari. Age, inquit, Christus, tuis nomine meo nuncia Patronis, quod *infirmitas hæc non est ad mortem*, vers. 4. Nuncius ille totus perfusus gaudio redit domum, omninò sibi persuadens insigne se accepturum fore præmium, si exoptatum hoc significabit responsum. Et ecce vix iam intrauerat domum, & omnia lugubri vestita cernit amictu, patronas suas reperit plangentes & mœstas, eò quòd Lazarus iam erat mortuus. Interea Christus veniens Bethaniam versus, dixit discipulis: *Lazarus amicus noster dormit*, loco citato versiculo vndecimo. Ipsi non intelligebant eum, æstimabantque eum loqui de somno ordinario; at declarabat ipsis Saluator, Lazarum nempe sopitum esse somno mortis; sed quædam adiunxit verba, quæ magna indigent obseruatione: *Gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi*, loco citato versiculo decimo quinto. Nimirum non fui præsens, dum mortuus fuit Lazarus. Iam hoc sciebamus, poterant dicere Apostoli, quòd non erat præsens ibidem, nobis namque aderat, quid igitur necesse erat id dicere? Ah significare intendebat Christus, sciebatis me non esse ibidem præsentem; ast nesciebatis, quid commodi vtilitatisque adferret mea præsentia; gaudio igitur modò, quòd per Lazari mortem cognoueritis, nullam in domo Lazari fuisse infirmitatem, nullam aduersitatem, nihil etiam de morte fuisse auditum, quando ego ibidem morabar; at quamprimum illinc discessi, Lazarus confestim infirmatus & mortuus est. *Lazarus mortuus est*, loco citato versic. decimo quarto. Totum hoc mirâ suâ obseruatione illustrauit S. Gregorius Nyssenus lib. de creatione cap. vigesimo sexto, vbi sic ait: *Lazarum Dominus quamuis amicum distulit visitare & ab ægrotante procul abfuit, vt absente vitâ mors aditum reperiret.* Veritatem huius peroptimè cognouerat Martha dum dixit: *Domine si fuisses hîc frater meus non fuisset mortuus*, loco citato vers. 21. Væ domui illi, à quâ Deus se absentat, à qua Deus discedit, suumque auertit conspectum & gratiæ influxum; etenim non solùm illa subiacet morti & infirmitati; verùm etiam in manu & potestate diaboli est constituta. Ah Venetiæ, Venetiæ, quot & quantæ in te reperiuntur domus & familiæ quæ Deum retardant, absentemque tenent, tum prohibitis lusibus, tum pessimis conuersationibus & inhonestis vanisque discursibus.

Sed vt melius penetreris, quidnam sit Deum esse absentem & remotum à nobis, audite, si placet, ad hoc idem propositum conceptum quendam stupendum. Ex actibus Apostolorum cap. 20. habemus, quod dum S. Apostolus Paulus statueret valedicere Ephesinis Christianis, & ire in Ierusalem, hæc eis locutus est verba: Fratres mei charissimi, vos iam desero & deinceps deseram, certus enim sum, vos nunquam amplius visuros faciem meam. *Ecce nunc scio quia amplius non videbitis faciem meam.* loco cit. versic. 25. Quod audientes Ephesini amarè cœperunt lachrymari, & amplexantes collum Apostoli osculati sunt eum, *dolentes maximè in verbo*, ait Scriptura, *quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri*, loco cit. versic. 38. Aduertite, inquit hîc S. Ioannes Chrysostomus, quod S. Apostolus, Num. 11

priusquam ab eis discederet; plurimas populo huic prædixerit aduersitates, infortunia & incommoda, nullâ tamen molestiâ & dolore afficiebantur propter infortunia, quæ eis prædixit, sed angebantur dolebantque summopere ob discessum & amissionem Pauli. Quòd si igitur Christiani illi tantum affligebantur temporalis præsentiæ vnius Apostoli

Num. 12. amissione, quantò magis nos infœlices peccatores affligere debet perditio & amissio gratiæ diuinæ? & quis scit, si peccata nostra in æternum nos non destituant & priuent facie Christi? Ah meritò à quolibet hoc ipsum diligenter recogitandum esset, cùm sit res magni momenti; si enim cuiusdam amici discessus incurit dolorem & afflictionem; quantò magis dolorem nobis incutere deberet absentia & discessus Christi amici talis, qui ad nos redimendos suum copiosissimè effudit sanguinem? Ast ad eiusmodi proh dolor hodie sum⁹ redacti terminos, vt repellamus Christum dicentes: *Recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus.* Iob 21. vers. 14. Eumque despiciamus, & deseramus eius seruos & pauperes: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. vers. 8.

Ah charissimi, recurramus tandem aliquando syncero corde ad Christum Redemptorem nostrum, quem propter scelera nostra amisimus, dicamus cum sponsa: *Per vicos & plateas quæsiui, quem diligit anima mea.* Cant. 3. vers. 2. Imitemur S. Apostolum Petrum, de quo legitur in Euangelio Ioan. quod nauigans cum cæteris Apostolis & à longè videns Christum stantem in ripâ marisillico è naui descenderit in mare: *Tunicâ succinxit se & misit se in mare.* Ioan. 21. vers. 7. Mirabimini fortassis, cur Petrus descenderit in mare & non exspectarit nauem? Ah Petrus cognoscebat, quidnam sit priuatum esse præsentiâ Dei; nam absente Christo omnes ferè illi perierant in naui, peroptimè nouerat, quantæ sit vtilitatis habere Christum præsentem: *Non contentus Petrus*, ait S. Ambrosius, *vidisse, quod iam viderat, vidit cum duodecim, vidit cum septuaginta, tamen, vt audiuit, quia Dominus est, misit se in mare, vt denuo videret.*

Quapropter dilectissimi, quia propter amissionem præsentiæ Christi naufragium passi sumus in vasto mundi huius pelago, eamus & dipositi quæramus illum per pœnitentiam & dolorem peccatorum nostrorum, requiramus cum fletu & lachrymis, eamus quæsitum illum cum sponsâ dicentes: *Num quem diligit anima mea vidistis.* Cant. 3. vers. 3. Ah ô Domine, quid faciemus sine te? Et quomodo viuere poterimus absque facie & præsentiâ tua? Si cæci sumus, quis nos illuminabit? Si infirmi, quis nos resanabit? Si egeni, quis nobis succurret? Si labyrintho miseriarum inuoluti, quis nos è tali periculo saluos & incolumes educet nisi tu, ô Deus meus, Dominus meus & sponsus animæ meæ? Ecce miser ego nauigans per immensum huius mundi mare absque stellâ polari gratiæ tuæ, iã iam sum submergendus & præcipitandus ad imam inferni abyssum, nisi meum illumines intellectum, sisque lumen & director huius nauiculæ cordis mei. Sed quid video? ô misericordia Domini Saluatoris mei! ecce video promicantem ex alterâ ripæ parte solem meum, Iesum meum, finite, me dimittã secutus Petrũ in mare lachrymarũ, finite, accedam & osculer illum. Ah, ô Christe, ô mi Iesu dulcissime tandẽ te inueni, tandem te hisce meis intueor oculis, qui te priuati vera erant priuati luce. Verũ est, ô Domine, nõ mereor ego te aspicere, non amplexari, neque dignus sum tibi astare; at defectus meos meaque demerita suppleat immensa pietas tua & misericordia, da veniam vt te amplexer, & promitto me nunquam te derelicturum & repulsurum, nunquam te dimittam, ô mi dulcissime Iesu, quousque te ducam ante matrem misericordiæ Beatissimam Virginem Mariam, quæ

Num. 13.

suis tamdiu te sollicitabit precibus, donec omnes mihi remittas iniquitates & demerita, quorum copiosus est numerus: *tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*, loco citato vers. 4. Tu, ô Virgo sanctissima succurre nobis, & per dolorem quem percepisti ex amissione dilecti tui Filij, & per gaudium, quo exultasti in eiusdem inuentione, fac, vt in hac vitâ nobis largiatur gratiam, & in alterâ gloriam. Amen.

SERMO NONVS.

In Fectum Sanctißimæ Natiuitatis Domini nostri Iesu Chisti.

THEMA.

Benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri. ad Tit. 3. vers. 4.

Num. 1.  Larissimorum Oratorum, celeberrimorum Poëtarum, ingeniosorumque Academicorum mens est & opinio, amorem meliùs & dilucidiùs exprimi ac explanari posse per mystica emblemata, ænigmata speculabilia, eruditaque symbola, quàm per nuda verba & sermones; in particulari verò amorem humanum, explicandum esse per proprietates naturales, aut brutorum, vt volatilium, aut aquarum, aut plantarum, aut ignis, au stellarum, vel lunæ, vel solis; ast amorem diuinum, qui multis excedit parasangis omnem alium amorem, omnesque naturæ transgreditur limites, non nisi per prodigia, miracula, aliaque paradoxa naturæ fines excedentia declarari & explanari posse; Vnde ingeniosus quidam Academicus explicuit illum per magnetem, & depinxit ferrum, quod contra omnes leges naturæ magnetem, à quo ipsum attrahendum erat, ad se attrahebat, & hunc ei subiunxit motum: *Non aliter diuinus amor.* Quòd magnes attrahat ferrum, mirum non est, N. N. id enim fit iuxta naturæ exigentiam, talis quippe vis est indita ei à naturâ; at quod ferrum trahat ad se magnetem, prodigium est, paradoxon est, ac naturæ excedit limites. Quòd homo accedat Deum veluti ferrum magnetem, plusquam naturæ & rationi consentaneum est; atquod Deus veniat ad hominem & creaturam suam, quemadmodum hodiernâ die facit Verbum diuinum totum ardens amore in hominem, quodque in Sanctissimo Mariæ Virginis vtero humanam assumat carnem, vestiatque se passibilis & mortalis hominis naturâ, vt nos è Satanæ liberet potestate & seruitute, prodigium hoc est & miraculum, quod nullus alius facere potest nisi Deus amore in nos æstuans, hinc recordor deuoti cuiusdam & gratiosi ingenij, qui in petrâ quâdam pretiosa, Latinè, *iaspide* Italicè, *Diaspro*, dictâ exsculpturus imaginem crucifixi, naturales illius petræ venas tam artificiosè adaptauit crucifixo, vt nouas efformare minimè necesse fuerit, & circum illam scripsit. *Dio aspro, Deus asper.* Volens hoc nouo titulo insinuare, Deum se fecisse cruci affigi pro nobis, fuisseque Deum asperum sibi ipsi, vt nobis esset amabilis, benignus & misericors. Quod cum attentiùs ponderaret hodie S. Apostolus Paulus, exclamans ait: *Benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri.* ad Tit. cap. 3. vers. 4. S. Bernardus legit: *Apparuit amor Saluatoris nostri.* O magnum prodigium, ô immensum & infinitum amorem Dei!

De hoc amore audietis in hoc meo breui discursu prodigiosa quædam & naturę cursum excedentia; Ast mementote N. N. quòd omnes res insolitæ & ordinem naturalem transilientes magnam præbent admirationem, & admiratio (vt quidam ait:) silentium parit. Vestro igitur

igitur silentio & attentione mihi assistite, & exordiamur.

PRIMA PARS.

Num. 2. TAntus tamque immensus est amor Dei erga hominem, vt sola illius consideratio excitet in nobis stuporem & admirationem, Ipse etenim tantum amat hominem, vt, teste Sophronio, eum veluti pretiosissimam ac reconditissimam præ alijs æstimet gemmam: *Est peculium præ cæteris Deo charum.*

Et vt veritas huius magis pateat, N. reuocate in memoriam historiæ illius successum, cuius mentionem faciunt sacræ paginæ. Num capite primo & tertio vocabat Deus vice quâdam Serenissimum populi Israelitici ducem Moysen, eique dicebat: Volo, ô Moyses, vt totum lustres exercitum, turmasque militum tuorum sub vexillis tuis miliantiū sigillatim recenseas, ac singulorum nomina annotare facias; Scire namque desidero numerum huius populi: *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel* capite primo versu secundo. *Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israël*, capite tertio versu quarto. Profectò quotiescunque hunc locum perlegi summopere obstupui, & quis non miraretur? ignoscas mihi, ô Deus meus, non exiguus mihi hîc suboritur scrupulus, an non tu ille es, cui nuda & aperta sunt omnia? *Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius*, ad Heb. 4. vers. 13. an non tibi non huius populi Israëlitici dumtaxat, verùm etiam cunctorum hominum totius mundi notus est numerus? omninò. Cur igitur populum istum facis numerare? Ah quàm pulchrum hîc latet mysterium, quod vt melius capiatis, similitudine quâdam id declarabo.

Num. 3. Obseruastisne hactenus modum moremque agendi illorum, qui continuò inhiant auro & thesauro, cur & affectum plus in arcâ quàm in corpore portant absconditum? imaginamini vobis auarum aliquem, qui ingentem à se collectam aureorum copiam cistæ ferreis vndique suffultæ laminis inclusam in cubiculo asseruat: hic dum cæteri omnes domestici interfunt sacro Missæ officio cubiculum vndique occludit, sumit claues, aperit cistam, omnes nummos mensæ apponit, eosque incipit computare & numerare. Qui modò huic auaro seni diceret, Domine, in quem finem numeras hosce nummos? An non optimè nota & perspecta est tibi illorum quantitas & numerus? an non conspicis cistam adhuc integram, & ne minimum rupturæ damnum passam fuisse, nec vllum subesse periculum surreptionis? non profectò. Quo igitur fine numeras illos? Ah non alium ob finem, responderet ille, nisi quia magnâ afficior delectatione & solatio aspiciendo manibusque palpando sæpissimè thesaurum meum, diuitias & nummos meos. Ad propositum; sed supponite primò tam ardenter nos amari à Deo, vt veluti suum nos æstimet thesaurum ac diuitias, teste S. Mario: *Deus*, ait ille, *nos pro diuitiis habet.* Hoc igitur supposito, dicere poterimus, quòd Deus numerabat populum, non quia ignorabat illius quantitatem & multitudinem, sed vt illum tanquam thesaurum suum sæpius palparet manibus, & propterea dixit: *Tollite summam &c. numera primogenitos &c.* audite S. Ephrem Syrum totum hoc confirmantem: *Nam quemadmodum, qui pecunias diligit, continuò eas supputat; ita Deus quos alligit, supputare videtur.*

Num. 4. Sed clariùs hoc idem ostendamus. Eousque deuenit flagrantissimus Dei amor in hominem, vt ne vnico quidem momento possit esse sine illo. Grauiter die quodam Deus offensus erat populo Hebræo, & iam iam paratus erat omnes, quotquot sub Moyse militabant, mactare & disperdere. Quod cùm aduerteret Moyses sine mora prodijt in medium,

 dixit-

dixitque Deo: Ah Domine mî, noli hoc facere, non interfice illos, in mei gratiam ignosce illis. Non, non dicebat Deus; nolo: dimitte me Moyses, *dimitte me, vt irascatur furor meus.* Exod. 32. vers. 10. cumque Moyses omnem instantiam & preces cerneret esse frustratorias, dixit: Domine tu non vis populo huic ignoscere nec remittere offensam, nec ego deinceps tecum morabor & conuersabor: *Dele me de libro tuo quem scripsisti.* loc. cit. versu trigesimo tertio, & hâc factâ instantiâ refert sacer textus, quòd confestim Deus cuncta remisit populo. Iam quæro ego, quid emolumenti Deo adferre poterat Moysis conuersatio? Quid Deus opus habebat salute & saluatione Moysis? Non, non, inquit Deus, nequeo esse sine Moyse, tali eum prosequor amore, vt ipsum tanquam meum censeam thesaurum & delicias. Imò me in summam rapit admirationem, quod asserit Rupertus Abbas, nimirum Deum, dum Moyses volebat ab eo discedere, instar alicuius Amasij ardentissimi surrexisse de suo regali throno, & ipsum reuocasse dicendo ei: Ah Moyses dilecte, noli me deserere, noli abire; *Videre sibi videtur,* ait citatus Abbas, *Maiestatem cœlis omnibus tremendam de solio suo surgere & accedere vulnerato corde rogare amicum quasi discedentem, ne deserat se, dicentemque: ego ostendam tibi omne bonum.*

Num. 5. Insuper amat Deus hominem tali modo, vt cor illius pro paradiso suæ elegerit gloriæ. Veritatem huius clarissimè cognoscere possumus ex pulcherrimâ quadam Scripturæ Sacræ obseruatione super verba aliqua Genes. cap. 1. fundatâ. Creauit rerum omnium supremus Artifex Deus tertio die amœnum illum & periucundum locum, in quo mira & stupenda prodigia operari decreuerat, aduertite nihilominus locum illum nunquam à Sacrâ Scripturâ appellatum fuisse paradisum nisi post formationem hominis; tunc enim dictum fuit: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem.* Genes. cap. 2. vers. 8 annotate diligenter hæc verba; iam enim desuper formabimus conceptum: dicit Scriptura, quod Dominus Deus res omnes, quas sex dierum spatio creauerat, produxerit completas & perfectas; hinc publicè eas orbi exposuit, & vt cunctorum paterent conspectui: omnium primam produxit lucem, quâ mediante quilibet eas perlustraret; quapropter S. Ambrosius in hæc perpulchra prorumpit verba: *Vnde Deus verbum cœpit nisi à luce? vnde mundi ornatus nisi à luce principium sumpsit; frustra enim essent omnia si non viderentur.* Solummodo Paradisus terrestris, tametsi die tertiâ productus segregatus fuit à cæteris & mansit in abscondito tanquam res imperfecta. Inquiramus modò causam istius; quid, amabo, vnquam defuit loco tam amœno & periucundo, ornato tot plantis & floribus, limpidissimis fontium aquis irrigato, tali, inquam, qui omnis generis abundat fructibus? Cur igitur, ô Deus meus, non nisi post hominis creationem appellas illum Paradisum voluptatis? Ecce responsum S. P. Ambrosij: *Iam paradisus constitutus erat, Sed quamdiu homo non extitit, Dei Paradisus voluptatis non erat; vbi primum autem homo creatus est, Paradisus nominatur, deliciæ enim eius sunt esse cum filijs hominum.*

Et si clarius id velimus cognoscere, adnotate, Deum non nisi septimo quieuisse die: *Requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Genes. 2. vers. 2. idque ad demonstrandum nobis, quod, vt dicit S. Gregorius, iam requiesceret, essetque ei satisfactum, iamque haberet, cum quo hilaris & lætus sese recreare posset. Num. 6.

Nunc quoque difficilem quendam capio Sacræ Sacripturæ locum, cui semper hactenus cogitabundus inhæsi. Lucæ 25. Christo

Christo pendente in cruce, refert facer textus, fortunatum illum latronem ab eo petijsse suorum veniam delictorum, insuper & supplicasse ei quatenus dignaretur sui esse memor cùm veniret in regnum suum. Cui petitioni Christus Dominus promptissimè annuens illo ipsomet die promisit ei Paradisum: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Luc. 23. vers. 43. at quomodo hoc intelligendum? Si Christus immediatè post mortem non abijt in Paradisum, nec illuc conduxit Latronem; sed descendit primò ad limbum Sanctorum Patrum iuxta articulum fidei: *Descendit ad inferos*, qua ratione igitur dicere potuit: *Hodie mecum eris in Paradiso*? ergòne illudere voluit huic latroni; ergo non stetit promissis suis? Non sanè? *Verba autem mea non præteribunt* Marci 14. vers. 24. inquit Saluator noster. Quomodo igitur nodum huius difficultatis soluemus? non aliter, quàm dicendo, quod Christus Paradisum suum collocarit in homine, etenim petens limbum & visitans animas sanctorum Patrum morabatur in suo Paradiso. Qui conceptus illustrior redditur ab authoritate S. Anastasij Sinaitæ: *iste primus*, inquit illi, *voluptatum locus Paradisus ideò vocatus, quia Dei deliciæ sunt esse cum filijs hominem, vbicunque cum illis sit, suum habebit paradisum; vnde ideò paradisi nomine limbum compellasse videtur, quia ibi cum hominibus esset.*

Num. 7. Verùm progrediamur, Talis & tantus est amor Dei in hominem, vt sentiat, si ita dicere liceat, se ab intrinseco æstuantem & ardentem. S. Pater Augustinus simul cum S. Euthymio causâ inquirunt, cur Spiritus Sanctus descenderit in formâ linguarum ignearum? & præterea, cur potiùs descenderit horâ tertiâ, id est, summo mane, quam die iam illucescente? obseruate N. N. acutum & nobile responsum, reuocate in memoriam id, quod ait S. Euangelista Marcus, nimirum Christum Dominum Redemptorem nostrum fuisse cruci affixum horâ tertiâ: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*. Marci 15. versic. 25. & eâdem met horâ plurimas linguas maledicas odio in eum accensas blasphemijs, conuitijs & contumelijs ipsum affecisse: *Prætereuntes blasphemabant eum*, loco citato versic. 29. Deus ergo, qui totus est pius & misericors, totus amor, totus charitas; *Deus charitas est*, 1. Ioan. 4. facit Spiritum Sanctum eâdem illâ horâ, quâ fuit crucifixus, descendere, vt quemlibet infinitâ suâ ductus misericordiâ certum & securum reddat remissionis culpæ & delicti: *horâ tertiâ*, inquit S. Euthymius, *descendit Spiritus Sanctus, & horâ tertia crucifixus est Christus, vt tutos redderet à culpa.*

Sed seponamus horum Sanctorum virorum obstupendas opiniones: & auscultate simplicem hanc meam speculationem, quod me attinet, dicerem: descensum Spiritus Sancti in forma linguæ inflammatæ non fuisse aliud, nisi quandam perfectum & exactam manifestationem immensi amoris Dei versus hominem, ardentisque eius desiderij nostræ salutis. Num. 8.
Pro intelligentia huius adnotate pulcherrimam quandã similitudinem, quæ non sine exigua admiratione vestræ menti conceptum meum imprimet. Erat nobilis quidã lecto decumbens ardentissima oppressus febri, quæ intrinsecè eum adeò consumit, affligit, ac mirum in modum torquet, vt fornacem ardentem pectori suo inclusam existimet; Totus inquietus & afflictus nunc in hanc nũc in illam sese proijcit partem, aliud non desiderat, petit, & clamat voce languidâ nisi potum. Circumstant cognati, amici, & famuli ad patientiam & sitis tolerantiam eum exhortantur quamquam ex inflammato & igniuomo illius vultu arguinententur & colligant intensum ardorem & calorem; At ille de nouo vehementer instat, petit dumtaxat pauxillũ aquæ, imò precibus; si ijs nihil efficiat, subiungit conuitia & contumelias. Sed nullus adstantium mo-

uetur ad compaſſionem, cuncti ei denegant aquam, quæ ipſum refrigerare poſſet. Tandem miſer ille infirmus videns, nec vllum ſibi compati, arida aperit labia, & circumſtantibus commonſtrat linguam totam exarefactam & inflammatam, quaſi dicere vellet: Quòd ſiti moleſter intolerabili, vti vobis ſignificaui, quodque in viſceribus meis ardentem quaſi ſentiam fornacem, teſtabitur id ipſum hæc mea lingua tota igne & æſtu repleta. Ad propoſitum. Erat Deus primitus inſtar infirmi ſitibundus, quem admodum eum deſcripſit Iſaias in ſuis oraculis: *Aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat.* Iſaiæ cap. 59. verſu 16. alia lectio habet: *Infirmatus eſt.* Infirmitas eius alia non erat niſi quædam intenſa febris amoris, quæ maximam illi cauſabat ſitim noſtræ ſalutis, ita ſanè ſitibundum ſeſe oſtendit Samaritanæ illi mulieri animæ peccatricis ſymbolo, & in duriſſimo crucis lecto vehementis inflammatus amore clamabat: *Sitio*, Ioannis capite decimonono verſu vigeſimo octauo, vnde ait Sanctus Bernardus: *Veſtram ſalutem ſitit.* Nihil verò æſtimabat peccator ſitim Dei febri hâc amoris laborantis, parum oſtendebat ſe credere ardorem immenſæ charitatis illius; Vnde vt mundo oſtenderet, quantum ille arderet amore, quantaque ardenti laboraret ſiti animarum noſtrarum, commonſtrat linguam totam inflammatam & ardentē: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Actor. ſecundo verſu tertio. Et ſi ſcire exoptetis quali amoris febre, qualive ardore & calore, vt noſtro more loquar, laboret Deus noſter, quamque ardentem in ſuo diuino pectore includat fornacem peritè id ab Iſaiâ Propherâ & audite, quid ipſe dicat. Sublatus fuit quadam vice hic cœlorum paranymphus in paradiſum cœleſtem, & dum contemplaretur Maieſtatem & ſplēdorem illum incomprehenſibilem cœleſtis gloriæ, vidit quendam regio & ſublimi inſidentem throno, cui innumerabilis aſſiſtebat cœleſtium aulicorum turba; Vidit inſuper, quòd cooperiebant ipſum mirum in modum aliqui Seraphini ſex pompoſis adornati alis, quarum duabus velabant faciem eius, & duabus velabant venerabiles pedes eius, & alijs duabus pectori correſpondentibus continuò *volabant.* Iſaiæ capite ſexto. Obſtupeſco hic N. N. Ecquâ enim ratione poſſibile fuit, vt eodem tempore volarent & velarent Deum, qui firmus & quietus ſedebat, & volando non diſcooperuerint totum? Vobis, ô Theologi, hæc incumbit deciſio, nouiſtis beatum in cœlis exiſtentem ſolum eſſe beatum in Deo tanquam vnico obiecto beatitudinis beatificante; nihilominus gaudebit in vno ſolo obiecto, & volabit per diuerſa obiecta, vt ne quidem per minimum inſtans, ſeſe mouet & ſeparat à Deo, & propterea Seraphim illi volabant, ſtabantque firmi; nam in vno ſolo obiecto diuerſa contemplabantur obiecta: *Aſtare Deo*, ait Sanctus Euthymius, *volare eſt.* Omnia hæc bene ſunt dicta; Aſt dicerem ego quòd ideò volabant, vt cor diuinum, quod amore ardebat in hominem, refrigerarent. Pro maiori huius intelligentia capite hanc ſimilitudinem, erit rex aut Princeps aliquis, qui tempore æſtatis ſub meridiem, dum ſolent calores eſſe intenſiores, ab vno famulorum ſuorum mediante flabello ex plumis gratioſis confecto ſe refrigerari, & ab æſtu ſolis temperari curat; ſicque defectum placidè ſuauiterque ſpirantis Zephyri ventorumque aliorum ſupplet artificium plumarū. Idem proſus, vt mihi imaginor, imperat Deus fieri viuis amoris flammis exæſtuans, vult, inquam, vt aulici ſui cœleſtes alarum plumis ipſum refrigerent, & à nimio amoris temperent æſtu & calore; Vnde iam quoque intelligemus cauſam, cure ſummus Pontifex diebus ſolemnioribus in magnifico & pontificali ſuo reſidens throno; duo permagna flabella ab vtroque latere ſecum deferri faciat tam æſtiuali

uali quàm hyemali tempore; Ratio namque hæc est, quia cum diuinam ipse repræsentet personam in terris, supplent illa defectum alarum Seraphim; Aut, vt melius & clarius dicam, quia, cum Summus Pontifex debeat quoque imitari Deum in amore versus oues suas; Vnde Christus ter dixit, *Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas*, Ioannis capite vigesimo primo versu decimoseptimo curat se deportari lateribus eius admotis flabellis, quasi indigeat refrigerio præ ingentia-moris igne, quem illi Deus commendauit.

Num. 9. Totum hoc clarius & dilucidius patebit ex Scriptura, causam multoties consideraui, ob quam Patre & Filio in creatione mundi huius occupatis Spiritus Sanctus innatabat aquis? *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Geneseos primo versu secundo, Probè perscrutemur Scripturam ô Theologi, ne impingamus in aliquam absurditatem: Quæro ego, quodnam hîc latet mysterium? & quâ de causâ Spiritus Sanctus obambulat aquas? Dicam vobis, Auditores Pater ab æterno amat Filium & Filius Patrem, & ab hoc mutuo amore procedit Spirtus Sanctus, cuius progressio propriè appellatur spiratio procedens à Patre & Filio tanquam ab vnico solo principio spiratiuo. Iam igitur, cùm Spiritus Sanctus qui est totus ignis & totus amor, non habeat, iuxta nostrum intelligendi modum, quo suas, quibus ardet, amoris flammas extinguat, & sopiat, ideò currit & fertur super aquas, vt se nonnihil refrigeret. Pro cuius intelligentia vidistisne fortassis candidam quandã & gratiosam columbam, quæ postquam plumas suas diu excussit & exposuit aëri, petit aquarum riuulum, vbi non dumtaxat sorbillat aquam; sed etiam pectusculum suum eidem intingit & immergit; ita planè hæc columba amoris, Spiritus Sanctus, recurrit ad aquas ad sese refrigerandum, nec hoc vtpote exiguum refrigerium tanto sufficiebat ardori; nam reperiens deinde in Paradiso terrestri viuum aillud aquilegium nostri Protoparentis Adami, immersit se eidem quodã amoris suspirio; *Et inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ*, Geneseos secundo, versu primo. O magnũ amoris prodigium, ô stupendos excessus amoris, qui me meritò cum Poëta exclamare faciunt: *Obstupui steteruntq́ coma & vox faucibus hæret*. Sed admiratione & stupore deuicti confugiamus ad portum silentij, & respiremus.

SECVNDA PARS.

Refert Pausanias in Eliacis ab antiquis in tabulâ quâdam expressos simulque depictos fuisse amorem mundanum & diuinum, qui ambo inter se contendebana vter illorum victor reportaret palmam; ast visum fuisse amorem diuinum euasisse, ac triumphasse de amore mundano. Ad quod alludere videtur S. Hieronymus dicens: *Carnis amor, Spiritus amore superatur, desiderium desiderio constringitur*. Num. 10.

In rubicundo hoc & amoris scintillis rutilante corde Christi Domini hæc conspicitur pictura, quæ repræsentabat horum amorum duellum. *Nam cor suum dabit in simillitudinem picturæ*. Ecclesiast. trigesimo octauo versu vigesimo octauo, dubium & anxium hîc agitari videbatur cor Christi, num ei ascendendum esset in Cœlum, an verò remanendum nobiscũ in terrâ; Vtrimque hærebat anceps, ast tandem amor suadens, vt maneat in terris nobiscum, vicit, nec hic dumtaxat alteri amori eripuit palmam, sed & cor é pectore illius: *Vulnerasti cor meum*. Cant. 4. vers. 9. exclamabat & dicebat amor diuinus nostro amori: Lectio Hebraica habet: *Auulsisti, abstulisti*. O amorem superatum ab amore! *triumphus Dei amor*, inquit S. Bernardus, *amor de amore triumphat*.

Nouistis Auditores, quod, dum quispiam

piam syncerè amat, ne vnico quidem momento sine re amatâ esse possit; & si non potest ei adesse corpore, præsens nihilominus sit animo. Supposito hoc, dico ego, Deum certo quodam dicendi modo non posse esse absque nobis ne quidem sacramentaliter. Obseruastisne vnquam cæremoniam illam, quam quotidiè Sacerdos abhibet Sacrificio missæ antequam offerat calicem? is vino consecrando infundit & immiscet quasdam guttas aquæ. Quo fine hoc facit respondebitis fortassis, id illum facere in memoriam sanguinis & aquæ, qui fluxerunt è latere Christi; etenim latus hoc apertum fons est, è quo fluxerunt Sacramenta. Optima profectò responsio; at subtiliorem ego dabo, dico aquam ideò immitti calici vinoque immisceri, quia Christus non vult esse sine nobis, ne quidem sacramentaliter. Aqua in Scripturâ significat populum: *aquæ multæ, populi multi*, ait Ioannes in sua Apocalypsi cap. 1. aqua igitur, quæ immittitur calici, significat fideles, qui vniuntur & incorporantur Christo; hinc dixit S. Paschasius: *Si Vinum esset sine aquâ, Sanguis Christi esset sine nobis.*

Num. 11. Summa, tantum Deus nos amat, vt nostram animam pluris æstimet, quàm totum paradisum. Dilucidè id patebit Joannis cap. 14. dum Christus Dominus die quodam frueretur conuersatione & colloquio discipulorum suorum dixit eis: significo vobis, ô mei Apostoli, non me aliud desiderare, nisi vt amer à vobis, quod si id facturi sitis, spondeo me, descensurum de cœlo, derelicturum SS. Angelos ac me venturum polliceor vobiscum habitatum vnà cum Patre & Spiritu sancto: *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum facimus.* Iona. 14. vers. 23. adnotare, quæso, verbum hoc: *mansionem*, quod propriè significat habitaculum quietis; quasi dicere vellet: nos tres personæ diuinæ propter affectum & amorem, quo prosequimur creaturas, non habitamus & quiescimus in cœlo, sed in corde humano. Audite celebrem illum Theologum, quàm egregiè adstipuletur huic conceptui hisce verbis: *quasi cœlum domus nostra sit, & ipsi sint in eo quasi peregrini.* Quare nobis dicere licet: nos sumus viatores in terrâ propter cœlum, & tres personæ sanctissimæ Trinitatis sunt viatores in cœlis propter animas nostras.

Vlterius, Christus Saluator mundi occasione quâdam proponens parabolam Num. 12. cuiusdam pastoris, qui reliquerat nonaginta nouem oues in deserto, & totus anxius venerat quæsitum vnam ouem perditam, dixit hæc verba: *nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Lucæ 15. vers. 4. scitis hunc pastorem esse Christum: *ego sum pastor bonus.* Ioannis 11. vers. 14. & nonaginta nouem oues in deserto, dicunt omnes sancti Patres, esse nouem choros Angelorum relictos à Christo Domino, vt humanam assumeret naturam in terris, & quæreret ouem perditam animæ nostræ. O magnum amoris signum, relinquere angelos propter hominem! verùm obseruate, amabo, hoc verbum: *in deserto*, scilicet *in paradiso*, inquit Theophylactus. Ecquis insolitus & peregrinus iste loquendi modus est, ô Domine? paradisum appellas desertum? illum videlicet locum, qui est compendium omnis fœlicitatis, habitaculum Angelorum, sedes gloriæ, vbi tot & tanta cernuntur mirabilia & prodigia, veluti ait Apostolus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. vers. 9. Non, non, inquit Deus amoris, paradisum censeo tanquam desertum, quamdiu ab illo exclusus est homo, & quotiescunque illum ibidem non conspicio, nullâ perfruor lætitiâ ac gaudio, quia: *Deliciæ meæ sunt esse cum filijs hominum.* Prouerb.



uerb. 8. versicul. 31. Conceptus hic est Hugonis Cardinalis sic loquentis: *Potiùs sunt ei deliciæ in filijs hominum quàm in Angelis.* O immensum amorem! ô charitatem infinitam Dei nostri! & tu, ô Christiane, tali te demonstrabis amori ingratum? non audis Deum tuum te inuitantem, vt præbeas ei cor tuum? *Præbe fili mi, cor tuum mihi.* Prouerb. 23. versic. 26. An non vides illum hodie tui gratia & amore pauperem & egenum factum iacet in præsepio, vt te à dæmonis eripiat seruitute, & tu tanto affectui non verecundaris ingratum te ostendere? Surge, surge, sequere illum vero & syncero corde, pari ei corresponde amore. Quòd si illum amaueris, quantum potes, & in te est, largietur tibi quantum debet, & consequeris in hac vita gratiam, & in altera gloriam, quam nobis concedat ille, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Num. 12.

SERMO DECIMVS.

In Festum S. Stephani Protomartyris.

THEMA.

Positis autem genibus clamauit voce magnâ dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Actor. 7. versicul. 60.

Num. 1. 

Ntiqui Philosophi iram seu indignationem semper ferum proclamarunt tyrannum, inimicum cordis humani, nec non intellectus obfuscatorem, eiusque finem non alium esse dixerunt, nisi extinguere lumen rationis, per quod assimilamur Deo; vnde affirmarunt, non inueniri periculosiorem exitialioremque, cui subiaceat creatura humana, infirmitatem ipsa ira. Solon hoc idem verbis suis confirmauit, idque certissimum est: dicit enim Hippocrates, maiorem ac periculosiorem hominis infirmitatem esse illam, quæ maiorem in vultu causat mutationem: cùm igitur nihil sit & reperiatur, quod plus alteret faciem hominis quàm ira, necesse est, dicamus hanc maiorem esse totius mundi infirmitatem.

Sermon. per Aduentum.

Socrates asseruit, iram instar vini inebriare, efficereque homines phreneticos. Testis sit Xerxes, qui huic subiectus infirmitati stultè indignabatur contra Athon montem altissimum inter Macedoniam & Thraciam situm, eò quòd produceret lapides durissimos, & ad elaborandum difficiles; vnde die quodam furijs exagitatus scripsit eidem litteras huius tenoris: *Atho infœlix & ad cœlum vsque porrecte, ne meis operibus facios lapides tuos magnos, atque ad elaborandum difficiles, alioquin te excisum proijciam in mare.*

Nec minor fuit amentia & stultitia Cyri filij eiusdem regis, qui iratus contra fluuium Gangen, eò quòd quidam suorum generosorum militum transnauigando naufragium passi, in eoque submersi fuissent, curauit eundem diuidi in centum & sexaginta riuulos. Ast omnibus sanè eripuit palmam ira Tesiphontis, de quo narrat Plutarchus, quod dum plateam obambulans à calcitrante equo truderetur, ipse vicissim effrænis equi non cedens furori accensus irâ cœperit recalcitrare, vnde abijt in prouerbium: *Tesiphontis ira, qui equo calcitrante recalcitrauit.* S. P. Gregorius loquens de irâ, hæc pulchra protulit verba: *Ira porrò si vehementiùs inflammetur, hominem de mentis statu deijcit atque deturbat.* Et S. P. Chrysostomus appellauit eam paruum dæmonem,

monem, dixitque peius esse, aliquem esse iratum, quàm à dæmone obsessum: *Ita parum dæmon est, imò quàm qui dæmonio vexatur, grauior.*

Num. 3. Non existimetis velim hæc gratis à me dicta; etenim quia vindicta est effectus iræ, necesse est, condemnem causam, vt vitemus & effugiamus effectum; ideoque didici à Galeno, qui in suâ methodo ait: *In morbis, in quibus effectrix causa adhuc manet, ab eâ inchoanda curatio est.* Optimè igitur factum est, quod, priusquam differerem de remittendâ offensâ inimico (quemadmodum ad id probandum allicior hodie exemplo S. Stephani, qui genuflexus orabat pro se lapidantibus) ostenderim vobis, quàm abominabilis & detestanda sit causa vindictæ. Discurramus ergo & demonstremus, quàm bonum & vtile sit remittere offensam inimicis.

Vos interea præcepto obtemperare Pythagoræ dicentis: Linguæ vindictam esse primam omnium; ac propterea qui illam nouit refrænare, nouit etiam ignoscere & condonare, refrænare igitur linguam vestram & obseruare silentium: ex hoc enim argumentabor, vos fructum huius discursus percepturos, & incipiamus.

Num. 4. In magnâ antiquitus æstimatione erat scutum militare: vnde Romæ & Athenis solebant illud reponere in aulis maioribus & Theatris publicis, & si illud tangebatur aut percutiebatur hasta aut lancea, illico ei, cuius erat scutum, ad certamen & prælium prodeundum erat. Apud Hebræos vngebatur illud oleo sancto, quo vngebantur ipsimet Reges coronati: *Abiectus est clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.* 2. Reg. 1. versic. 21.

Insuper in prælijs magna habebatur ratio & cura scuti, hinc multi pro illius consecutione inter se decertabant, & propterea mulier illa apud Plutarchum dicebat filio suo: *aut in hoc aut cum hoc*; loquens de scuto. Supposito hoc, quæro ego, cùm tantum æstimetur scutum, si videres hastam aut lanceam in te directam teque læsuram, quomodo repares aut retunderes illam? quo te protegeres, ne læderet? O pater scuto. At non vides illud exinde destruendum ac deperdendum? non, non, parum refert, mihi sufficit, saluem vitam meam, tametsi scutum destruatur & diuidatur in mille partes, nihil curatur. Nunc igitur auscultate pulchrum conceptum, asserit Aristoteles in Ethicis, honorem esse scutum virtutis: *honor scutum virtutis est.* Hoc ita stante, quidnam maletis perdere, honorem vel animam? honor est apprehensio transitoria, anima verò est permanens & realis, quid dicitis ad hæc? si vos propter honorem vindicetis, ecce iam anima perijt, si remittatis offensam salua est, & hoc non solùm, sed insuper eritis sicut Dij. Audite huius rei probationem & obstupescite. Duos celebres laudeque dignos considero actus patratos à S. Prophetâ Moyse, auscultate illos, amabo, cum attentione: Descendebat is die quodam de monte Sinai tabulas gestans lapideas Exod. 32. & dum populum cerneret in terra prostratum ante vitulum ex auro conflatum eiusque cultui deditum, summâ excanduit irâ & indignatione; quare ex nimio zelo confregit tabulas lapideas & vitulum aureum, quem adorabat populus, & in cineres fauillasque idolum illud redegit, adeoque de offensâ hac Deo illata se vindicauit. Memoria tenete firmiter hunc actum primum, & transeamus ad secundum & pulchrum intelligetis conceptum.

Alia quadam vice idem Moyses, dum pascebat gregem in monte Horeb, vocabatur à Deo: Heus Moyses, vade ad Pharaonem eique significa, vt dimittat populum meum sine mora, Moyses obtemperat, aulam petit Pharaonis, omnia sibi imposita ibidem exponit: at surdo canit, Pharao obtemperare renuit. Aures ei aperit Moyses patrando, scilicet, tot pro- Num. 5.

digia

digia & miracula. Rex nonnihil his commotus Moysen ad se accersiri facit, dicitque vt iret cum populo suo in pace. Eo iam meditante discessum mutat Rex decretum, abitum seuerè prohibens, & hæc comœdia aliquoties iterabatur & discessus populi prolongabatur, adeò vt Moyses in fabulam vulgi & aulicorum omnium transiret risum; vix aulam intrabat regiam, & contemnebatur & illudebatur: patientiam habet Moyses, non loquitur, non se vindicat, non indignatur; imò ne minimus ei est vindictæ animus. Totum & hoc spectabat Deus, & vocans Moysen, dicebat: huc adsis, ô Moyses, egregiè te habuisti non te vindicando de iniuria hac, patienterque tolerando irrisum & contemptum tibi illatum; quapropter à me insigni honorababeris præmio, *ecce constitui te Deum Pharaonis*, Exod. cap. 7. versic. 1. Cur hoc? dum Moyses destrueret vitulum aureum, castigaret idololatras nullo fuit dotatus præmio; sufferens verò & tolerans patienter iniurias seruorum Pharaonis appellatus fuit Deus? *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Optatisne scire causam? quia remittere offensam tantùm Deo placet, vt hominem illum, ipso condecoret Deitatis titulo, & ecce qualiter remittens offensam inimicis & tolerans patienter iniurias euadat alter quidam Deus. Huc adsis ô Lactanti Firmiane, prodi in medium & testimonium tuum perhibe coram hoc confessu de veritate huius conceptus: *qui iniurias*, inquit illi, *sustinet non solùm summu comparo laudibus, sed Deum esse quodammodo puta.* O præclara verba! O magnificam sententiam aureis notandam litteris! Sed exspectate insuper S. P. Basilium propius nos iam accedentem, indubiè & ipse quædam pulchra & notatu digna more suo solito proferet; audite ipsius verba: *O insignis gloria iniurias sustinere cui diuinitatis titulus conuenire videtur.* Tempore quodam matutino in celebratione Missæ contigit mi- Num. 5.

hi casus stupendus & extraordinarius reddens me profectò attonitum, recitabam iuxta morem Ecclesiæ hymnum hunc Angelicum: *Gloria in excelsis Deo*, & dicendo hæc verba: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, opinabar me recitare quædam rationi minimè conformia; quomodo? loquebar mihi ipsi, egóne debeo Deo agere gratias pro illa gloria, quæ est sua, & de qua minimè certus sum, an sim ego illam consecuturus? hæc sanè stultitia quædam est. Non intelligo te Pater, dicet quispiam: explicabo me igitur aliquâ similitudine: Accedit nobilis quidam externus, ingreditur palatium principis, aulasque diuersas conspicit tapetibus pretiosis sericò auroque intertextis, artificiosisque picturis exornatas, plurimos videt aulicos & famulos, magnificentiam demiratur. Progreditur vlteriùs, annuit cubiculatio, eundem interrogat: num detur occasio alloquendi Serenitatem suam: quidni, inquit ille, insinuat ergo eum principi & introducit in aulam eius. Nobilis hic in præsentiâ constitutus principis, profundâ præuiâ inclinatione obsequiorumque suorum humillima oblatione dicit: Serenissime Princeps gratias immensas ago propter splendidum hoc palatium, quod sua Serenitas possidet varijs tapetibus picturisque exornatum, propter famulos hos & aulicos obsequiosissimos, propter magnificentiam denique splendorem, & gloriam vestræ Serenitatis. Quid responderet Princeps? ah diceret, incidi profectò in amentem & insanum. Olà tollite eum hinc, quia cerebro laborat: quomodo? mihi agit gratias de eo, quod non est suum? Si igitur iste omnium opinione censendus amens, multò magis insanus & vecors censendus est ille, qui Deo gratias agere intendit de magnificentiâ illâ & gloriâ, quæ non est sua, sed Dei. Quid iam dicitis, Auditores? quomodo dubium hoc resoluemus.

Num. 6. Audite mira & pulchra, scitisne vbi & in quo

in quo consistat gloria Dei? omnino pater, in Paradiso inter medios Angelorum & beatorum Spirituum choros. Non Auditores, estis in errore, gloria Dei consistit in omnipotentiâ, & omnipotentia consistit in hoc, quod remittat nobis offensas, exhibeatque nobis misericordiam; afferente ita Ecclesiâ ductâ instinctu Spiritus sancti: *Deus qui potentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas*: ad propositum, si igitur gloria Dei consistit in omnipotentiâ, & omnipotentia in parcendo inimicis, necesse est, dicamus, quòd qui parcit inimico, remittit offensam, miseretur offendentibus se, communicet & participet gloriam cum Deo & sanctissimâ Trinitate, cuius veritas patet ex eo, quòd in festo sanctissimæ Trinitatis S. M. Ecclesia aliud non legit & canit nisi: *Benedicta sit sancta Trinitas, quia fecit nobiscum misericordiam suam.*

Num. 7. Verùm hucusque nihil adhuc dixi, dicam altiora magisque stupenda; assero ego, quòd, qui parcit inimico, fit superior Deo ratione cuiusdam obligationis. Respondete parumper, Auditores, quem censeris esse superiorem? creditorem an debitorem? abs dubio creditorem diceris esse superiorem. Supposito hoc dico, quod qui parcit inimico, remittit ei offensam, sit creditor, & Deus debitor eius, adeoque Deus tanquam debitor certo quodam loquendi modo est inferior illo, qui remittit iniurias. O pater, obijciet mihi quispiam, quid asseris? quid afferam, quæris? assertum probabo ex sacrâ Scripturâ.

Ingenuus adolescens Dauid varias passus fuerat persecutiones à Rege Saule, adeò vt persæpè in periculo vitæ constitutus fuerit, sed semper liber euasit; vnde accipiens citharam cantabat & replicabat sæpè gratiarum actiones & cantica, quod nimirum ope diuinæ misericordiæ hostium euaserit insidias & minas? verùm magnam auscultate mutationem, non post multos abhinc dies cœpit Dauid prætendere, Deum esse sibi obligatum, vnde publicè clamabat eum sibi elargiturum præmium, quia id propria postularent merita & innocentia: *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Psalm. 18. v. 25. Heus Dauid, accede huc parumper, quæ mutatio est ista? paulò ante dicebas, Deum te liberasse absque tuis præuijs meritis, & modò non verecundaris prætendere & litigare cum Deo, quasi tibi esset obligatus? quodnam paradoxon est istud? attendite, Auditores, & adnotate hunc sublimem conceptum: Quando dixit Dauid, se à Deo liberatum absque proprijs meritis, necdum pepercerat Sauli inimico suo; at postea dum poterat in diuersis occasionibus interficere eundem ac de ipso sese vindicare & non fecit, dicere potuit: Sanè iam ego non sum obligatus Deo, sed Deus est obligatus mihi, *retribuet mihi Dominus, &c.* Reuerendissimus D. Abulensis egregiè confirmat hunc nostrum conceptum: *Posteà Dauid egit aliqua bona propter quæ debebat recipere præmium, scilicet, quia potuit occidere Saulem, & noluit.* Ecce, qui parcit inimico, obligat & efficit Deum sibi debitorem gloriæ paradisi cælestis, vnde qualemcunque remissor offensæ & iniuriarum petit à Deo gratiam, videtur Deus esse obligatus illam ei concedere.

Sed audio quempiam oblatrantem ac dicentem: remittere iniuriam non est honestum, adeoque neque conueniens. Quid dicis? non est honestum? honestissimum esse ego assero, quia Deus id expressè præcipit ac mandat, & quæ Deus iubet & mandat honestissima sunt; secus sequeretur, quod ipse parcendo nobis se inhonoraret, quod plusquam falsum & absurdum est, ergo remittere iniurias honestissimũ est, & in quo consistit magnanimitas nisi in remissione iniuriarum? Num. 8.

iuriarum ? in quo consistit honor & gloria alicuius hominis, nisi in magnanimitate? An non dixit Plutarchus: *Nobilissimum genus vindictæ est parcere?* Quidnam Augustum Cæsarem famâ celeberrimum ad talem prouexit immortalitatem & magnificentiam? an non iniuriarum remissio? hinc de ipso refert Suetonius, quòd mundus non haberet ei similem quantum ad generosam eius mansuetudinem & bonitatem; &, vt veritas huius clareat, Caluus Orator & Catullus Poëta grauiter quâdam vice detraxerant famæ huius Cæsaris, at veritas postea induxit in illorum vultus verecundiam, & dolorem in conscientiam; Cæsar hoc solo contentus fuit, & cognoscens quod Caluus in suam desideraret redire amicitiam, nec auderet eam expetere, obtulit illam ipsi per expressas litteras; Catullum verò qui publica contra eum scripserat carmina die eodem inuitauit ad cœnam.

De Pericle vno ex primatibus Athenienfibus narrat Plutarchus, quòd integro die patienter tolerarit cuiusdam insolentiam ignominiâ eum publicâ afficientis, quem nec à se repellere voluit, quousque rediret domum, vbi & famulis suis præcepit, vt eidem quæuis exhiberent obsequia & seruitia.

Socrati à quodam publicè pede truso persuaserat socius sibi præsens, vt se vindicaret; at respondit ille, si asinus me truderet, velléſne, vt ego recalcitrarem?

Num. 8. Philippus Rex Macedoniæ sciens Nicanorem vbiuis locorum conuitijs & contumelijs sese afficientem, animatus fuit à Sinicito alijsque suis amicis ad sumendam de illo vindictam; at nunquam eò deduci potuit, imò cognoscens eum Iro pauperiorem donauit illi certam summam pecuniarum, cumque transactis aliquot diebus ei referret Sinicitus, quòd Nicanor non iam ampliùs regem calumniaretur, sed laudaret; respondit Philippus: an non vides omnia esse in nostra potestate, audire possumus populum loquentem & benè & malè de nobis, quicquid nobis placet?

Augustus vindicare se poterat de Lucio Cinnâ quem iam captiuum duxerat in prælio & carceri mancipatum tenebat; at tantâ pollebat animi generositate, vt loco vindictæ totum ei restitueret patrimonium, & conuicto etiam post coniurationem, quam illi parauerat, pepercerit, hæc illi dicens verba; condonaui tibi, ô Cinna, veluti inimico, hodie de nouo tibi condono tanquam insidiatori & homicidæ; quare deinceps inter nos iam cœptam amicitiam foueamus. Ac deinde creauit eundem in consulem pro anno sequenti, asscribens illum numero fidelissimorum amicorum suorum.

Plutarchus refert de Lycurgo, quod is de Alexandro adhuc iuuene virgâ sibi eruente oculum non solùm non se vindicauit, verum etiam ex amore singulari eum docuit & literas & mores.

De Phocione Atheniensium principe legitur, quod ebibens toxicum sibi paratum interrogatus fuit ab amicis, quid vellet significari filijs suis, respondit? indicare illis, ne se de morte meâ vindicent.

Quid dicemus de Aristide? qui grauiter sese offendenti largam elargitus est eleemosynam? quid de Socrate qui à Sophronico offensus inscripsit fronti: *Sophronicus me fecit.* Et quid tandem dicemus de Pio V. Pontifice Maximo? miræ ac ridiculæ contra hunc innocentem Pontificem effutiebantur pasquillæ, quarum compositorem die quodam ad se adductum interrogauit Pius nomine & re Pontifex, num habuisset intentionem scribendi contra Papam, aut contra Fratrem Michaelem, & respondenti contra fratrem Michaelem subiunxit Papa, scias igitur velim, charissime, fratrem Michaelem nunquam tibi intulisse dam-

num, neque vllam tibi dediſſe occaſionem ipſum diffamandi, & præuiâ paternâ admonitione dedit ei benedictionem. Innumera extant exempla tam antiquorum quàm modernorum, & ſi de prophanis ad ſacras velimus tranſire hiſtorias, reperiemus remiſſionem iniuriarum eſſe actionem regiam & dignam coronâ regali. Perlegite Genealogiam Chriſti, *Liber generationis*, &c. & inuenietis nullum ibidem condecoratum eſſe titulo Regis, niſi Dauid, *Dauid autem rex*: & cur hoc? quia condonauit Sauli ſuo inimico; huius igitur regis veſtigijs inſiſtite, Auditores, condonate inimicis veſtris, & ego interea reſpiro.

SECVNDA PARS.

Num. 9. Quendam mihi dicentem audire videor; Pater, hæ veſtræ rationes & conceptus nihil prorſus me mouent ſtimulantque ad remittendum iniurias inimicis meis: quare mutate regiſtrum, ſi concionem veſtram non minus vtilem & fructuoſam quàm curioſam fore velitis. Age igitur, ſi non velis parcere inimicis tuis, & ceſſare à vindictâ ob rationes præfatas, ad minus parces & condonabis propter amorem huius Chriſti, cuius corpus in cruce pro te dilaceratum fuit, cuius plagæ & vulnera linguæ ſunt, quæ te rogant, tibi ſupplicant, vt condones tuis inimicis. Placeat vobis hac ſuper re excellentem audire conceptum.

Num. 10. S. Euangeliſta Ioannes inuitatus fuit quâdam vice ad feſtiuam quandam ſolemnitatem quæ celebrabatur in cœlis, & introductus in regiam & cœleſtem illam aulam vidit Maieſtatem diuinam magnifico inſidentem throno, è regione cuius erat altare totum cryſtallinum & iuxta illud chorus degebat muſicorum cantantium, quorum aliqui mortali læſi vulnere voce languidâ & tremendâ ſub altari clamabant; Vindicta, vindicta, iuſtitia, iuſtitia, ô Domine, ſi iuſtus es, vindica ſanguinem noſtrum: *Vſquequo Dominus ſanctus & verus non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum*, Apoc. 6. verſic. 10. Tandem his omnibus vidit conſignari ſtolas quaſdam candidas *datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc modicum tempus*, loc. cit. verſic. 11. Proponamus, Auditores, ſuper hoc pulchrum aliquod dubium: ſi pauper aliquis grauiter læſus & vulneratus adiret iudicem rogans eum, vt pro ſe exequeretur iuſtitiam, & iudex mediante famulo mitteret ei domi demoranti induſium aliquod candidum, eo fine vt ceſſaret à querelâ, an non magna ea eſſet ſtultitia & amentia? omninò; cur igitur illi petunt vindictam, & Deus præcipit, vt veſte illâ candidâ induti contenti ſint & quieſcant? ah ſcitiſne, Auditores, quinam illi erant? animæ erant martyrum à tyrannis occiſorum: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*, loc. cit. verſic. 9. Stola illa candida, quæ eis allata fuit, vt ait Tertullianus, fuit paſſio Chriſti Domini, conformiter cantat Eccleſia: *Lauerunt ſtolas ſuas, candidas eas fecerunt in Sanguine agni*. Omnia hæc ſignificabant non reperiri medium potentius & efficacius ad mitigandam aliquam perſonam vindicatiuam, quàm contemplationem paſſionis Domini noſtri, in qua Chriſtus copioſiſſimè profundens ſanguinem ſuum docuit nos remittere & condonare noſtris inimicis offenſas & iniurias, docuit nos abſtinere à vindicta. Audite antiquiſſimi Tertulliani verba: *Martyrum quoque animæ quæ ſub altari erant, in oſtenſione paſſionis Domini ſuſtinere didicerunt*.

Sed efficacius hoc idem oſtendamus ex alio ſcripturæ loco. Cùm experiretur S. Patriarcha Iacob ſocerum ſuum Laban ſibi ſuiſque coniugibus Racheli & Liæ prohibere ac impedire reditum in patriam, decreuit nocte quâdam ſecretò ab

ab eo fugere & composita sarcina rerum pretiosarum præcepit Racheli, vt idem illa faceret, prouideretque de quibusdam sibi necessarijs in itinere, quæ præter gemmas & margaritas furata est patri suo idola, & illa secum asportauit. Iam quæro ego, qua de causa Rachel vtpote sponsa Iacob adorans eundem verum Deum, quem S. Patriarcha sponsus suus, secum tulerit hæc dæmonia? magna profectò fuit mulieris huius prudentia; etenim cogitabat illa; hæc nostra fuga certissimè manifestabitur, Laban pater meus est persona valde cholerica & furiosa, apprehendet arma, armataque manu seruorum suorum stipatus caterua nos insequitur, nosque facillimè in itinere deprehendet & capiet; & ecce omnes erimus perditi, & de nobis actum erit, propria enim nos interficiet manu huic ego cogitaui obuiare, & adhibere remedium; siquidem, dum is gladio vos perimere conabitur, ego illico ei monstrabo idola, rogabo & deprecabor ipsum vt amore illorum nobis ignoscat & parcat, quod pro certò faciet victus illorum reuerentiâ, quam illis defert. Sicque solus aspectus vnius idoli tantâ vigebit vi & efficaciâ in pectore cuiusdam gentilis, qui tametsi offensus dicatur ob fugam nocturnam duarum filiarum parcet tamen & placabitur ob reuerentiam istorum dæmoniorum. Et nos, qui Christiani sumus, ad aspectum Christi crucifixi non remittemus iniurias? non parcemus inimicis? non abstinebimus à vindictis? ô cæcitatem magnam! ô casum sanguineis lachrymis deplorandum! quod in corde humano plùs valeat vnus diabolus, quàm Deus.

Num. 11. Finiamus hunc discursum. Prædixit die quodam Propheta Isaias, quòd Christus Saluator noster cruci iam affixus fiet cessatio omnium inimicitiarum totius mundi, *vidimus eum & non erat aspectus. Despectum & nouissimum virorum.* Isai, cap. 53. versic. 2. & 3. legit Hebræus: *Cessatio virorum.* Declaremus hoc aliquâ similitudine: demus casum, quod duobus aulicis in atrio verbis inter se contendentibus armisque pugnantibus rumorum hunc & tumultum audiat ipsemet rex, & quid facit? relicto suo conclaui regio procedit atrium experiri cupiens, quisnam ibidem excitetur rumor & strepitus, Et ecce quamprimum comparet rex, illi deponunt confestim arma, quasi nunquam pugnassent, adeoque sola regis præsentia sedauit hunc strepitum & rumorem, sola sufficiens extitit ad sopiendum hunc ignem rumoris & furoris qui ardebat in pectore suorum aulicorum. Hoc idem planè volebat significare Isaias verbis illis: *Cessatio virorum.* Iam igitur, si præsentia cuiusdam regis tanta pollet vi & efficacia, vt animos adeò furibundos & iratos quietos & placatos reddat, quam non efficaciam & virtutem habebit in vobis Christus crucifixus vulneribus plagis & sanguine vndique repletus? an non faciet vt vestris parcatis inimicis, remittatis offensas & iniurias? ah Christiane, quot in eo sunt plagæ & vulnera, tot sunt linguæ & ora ad remissionem iniuriarum te concitantia. Recurre, recurre ô Christiane, ad pedes huius crucifixi; furorem omnem depone, omnesque remitte iniurias, factusque sancti Stephani imitator dic illi: ah Domine, quandoquidem ita iubes, mandas & præcipis, parcam inimico meo, cuncta illi remittam. En me promptum & paratum ad omnia mandata tua, verum est, quod transacto tempore non nisi vindictam furorem & iram spirauerim; at totum hoc, ô Domine, exinde prouenit quod à fatali humani generis inimico ad vindictam memet stimulante obcæcatus fuerim. Ast nunc, ô Domine, tibi polliceor, me non illi, sed tuis sanctis consensurum inspirationibus, promitto ante sacros tuos pedes cunctas remittere iniurias & offensas, vt tu, qui dixisti: *Mihi vin-*

vindicta & ego retribuam, ad Hebr. 10. versic. 30. te vindices pro me; quod si, animæ meæ charissimæ, hoc modo feceritis, obtinebitis in hac vita gratiam, & in altera gloriam. Amen.

SERMO VNDECIMVS.

In Festum S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ.

THEMA.

Quasi vnus de paradisi fluminibus Euangelista Ioannes verbi Dei gratiam in toto terrarum orbe diffudit. Canit Ecclesia in Laudibus.

Num. 1. On minus Sapiens quàm curiosa fuit meo calculo quæstio illa, quæ, vt refert Plutarchus, ventilata fuit inter sapientissimos illos Græciæ. Proposuerunt hi, quidnam esset magis necessarium ad familiam aliquam semper conseruandam in fœlici & fortunato statu: ab amore subditorum, dixit Cleobulus, fœlicem ac diuturnum statum alicuius familiæ pendere; ab ordine in rebus, respondit Chilon; à conformitate legum, subiunxit Bias; à multis diuitijs superaddidit Periander; à fidelitate dispensatorum, iudicauit Solon; ab abundantia victus & amictus determinauit Pittacus; à vita pacifica conclusit Thales, at tametsi omnes veluti sapientes sapienter responderint, præ reliquis nihilominus palma adiudicata fuit magno Thaleti tanquam omnium sapientissimo responsori; etenim in rei veritate abundantia, fidelitas dispensatorum, diuitiæ, conformitas legum, ordo in rebus, amor subditorum, vti nunquam fuerunt, ita nec erunt sine pace; siquidem ab hac dependent reliqua; *vinculum amoris consortium charitatis*, inquit Sanctus Augustinus, ecce amorem effectum pacis. *Nosti omne, quod est, tamdiu manere, quamdiu sit vnum, sed interire atque dissolui cùm desierit esse vnum.* Dicit Boëtius. Ecce conformitatem filiam pacis. *Magna ex dissensionibus incommoda oriri*, asserit Iulius Cæsar, ecce diuitias dependentes à pace. *Pacificus estne ingressus tuus.* 1. Regum 16. versic. 4. scilicet fidelis? dixerant Bethlemitæ ad Samuelem, ecce fidelitatem ortum suum ducentem à pace.

Interea pax arua colit, pax candida primum
Duxit araturos sub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & succos condidit vuæ.
Funderet vt natum testa paterna meum.

Cecinit Tibullus. Ecce abundantiam progenitam à pace. O pretiosa pax? origo est abundantię, fidelitatis, diuitiarum, conformitatis, ordinis, amoris. Hanc pacem, quæ *est vinculum amoris*, ad senium vsque prædicauit S. Ioannes Euangelista dilectus Christi discipulus; vnde non nisi hæc delicatissima ex ore eius procedebant verba: *Filioli mei non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate*, (amore vos inuicem prosequamini.) Ioan. 1. Epist. cap. 3. versicul 18. O mei dilecti filij nunquam non sit inter vos concordia, semper pax: *Hoc est mandatum eius vt diligamus alterutrum*, loco citato versic. 23. hoc solum vos semper conseruabit fœlices ac terque quaterque beatos, tranquillitas animi est salus animarum nostrarum.

Ad pacem igitur & concordiam & ego vos hodie inuito, Auditores, vobisque osten-

ostendam, quantam illa animabus vestris vtilitatem & fructum adferat; si me solito vestro silentio dignemini auscultare & exordior.

PARS PRIMA.

Num. 2. SYmbolum vnionis concordiæ & pacis semper extitit Sal, & propterea appellatur in sacrâ Scripturâ *Sal fœderis*, Leuit. cap. 2. versicul. 13. at sciretisne mihi huius adducere rationem? fortassis respondebitis, quia solet apponi mensis, & quod multi vni assideant mensæ comedentes & bibentes, symbolum est amicitiæ, & in istius signum ibi apponitur Sal. Pulchra responsio; sed responderem ego hanc rationem meliùs inseruire pani, quia non minus frequens est in mensis ac etiam Sal. Fortè mihi diceretis Sal esse contra corruptionem, sed responderem propter eandem hanc rationem esse symbolum inimicitiæ non amicitiæ. Verùm meam proferam rationem, dico ego Sal esse symbolum pacis, ob hanc solùm causam, quia cum inter res omnes naturales non reperiuntur maiores sibique inuicem infensiores hostes aquâ & igne, quippe qui continuò inter se inuicem pugnant, & vnum necessariò debet succumbere & interire: nihilominus Sal est compositum ex aquâ & igne, & hæc duo elementa, quæ sunt sibi inuicem contraria, in Sale simul pacificè commorantur & vniuntur, nec vnum destruit aliud, imò suas habent virtutes contemperatas: quare sacra Scriptura volens nobis dare modum & methodum quâ viuere possemus concordes & pacifici, proponit illam nobis per symbolum Salis: *Sal fœderis*. Etenim nihil est, quod dæmon magis abhorret, quàm vnionem & pacem. Sicut à contrario nihil est, quod eundem magis delectat & audacem reddit quàm discordia; attendite, amabo, ad probationes, quæ sunt mirabiles & stupendæ.

Num. 3. Appropinquante iam azymorum paschate tanquam solemnitate festiuissimâ & magni apud Hebræos æstimatâ desiderabat Christus benedictus simul cum charis & perdilectis suis discipulis celebrare hanc cæremoniam, in quem finem ingressus est domum certi cuiusdam sibi deuoti hominis, & ibidem parata fuit mensa iuxta ritum & consuetudinem temporis illius. Omnes iam accumbebant mensæ, cunctis simul manducantibus Christus voce mœstâ cœpit loqui in hunc modum: Discipuli charissimi rem vobis scitu necessariam communicare debeo, quæ vobis mira & difficilis creditu videbitur, vera tamen est: ecce adest vnus (proh scelus nefandum, quis vnquã hoc credidisset) qui me proditurus & traditurus est manibus inimicorũ meorum, vt ab illis occidar: *Vnus ex vobis me tradet*. Ioan. 13. v. 21. Miseri discipuli audiētes hæc verba ab amãtissimo suo Magistro & Domino remanserunt obstupefacti & attoniti: cor suum sublentiebant quasi iaculo transfigi, vnus alium intuebatur vultu pallido & conturbato & præ cordis dolore loqui haud poterant: vnde maxima inter illos orta fuit confusio, quilibet propriam examinabat conscientiam, vnus malè suspicabatur de alio, nec in seipsis quieti esse poterant: desiderabant quidem, vt Christus traditorem illum manifestasset & nominasset: at nullus audebat eum interrogare. *Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli hæsitantes de quo diceret*, loco citato vers. 22. Interea Petrus, qui imprimis nouerat, se non esse ex tali peruersorum numero, veluti cæteris animosior & audacior intuetur Ioannem supra pectus Domini tunc recumbentem: *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu*, versicul. 23. eique submissâ voce ait: Quæso, Ioannes, fac mihi hanc gratiam, tu qui præ alijs maiori apud eum polles fauore & gratiâ, interroga paulisper, quisnam ille sit qui eum traditurus est: *Innuit ergo huic Simon Petrus & dixit ei, quis est de quo dicit*, versicul. 24.

Illicò Ioannes Christum interrogat: *Domine quis est?* versicul. 25. respondit Christus, *ille est cui ego intinctum panem porrexero*, versicul. 26. Christo hoc loquente Iudas suo sacrilego ore suscepit panem sacratissimum, & comedit: sed audite terribilia, ait S. Euangelista Ioannes, quòd, vt panem deglutierat, inuasit eum Diabolus: *Et post buccellam tunc introiuit in eum Satanas*, versicul. At sistite hîc nonnihil, Auditores, sinamus diabolum suum exequi officium in hunc traditorem: optimè enim id meretur. Et obseruemus nos pulchram aliquam circa hoc factum difficultatem. S. Euangelista Lucas cap. 22. loquens de hoc scelerato ait, quod Scribæ & Pharisæi cogitantes paulò ante festum Paschatis de occidendo Christo Domino nescierint modum, quo hic suis traderetur manibus absque seditione & tumultu populi, de quo vehementer dubitabant & timebant, & statim subiungit, Diabolum intrasse in Iudam: *Intrauit autem Satanas in Iudam, & abijt, & locutus est cum principibus Sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis & gauisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare*, loco citato vers. 4. & 5. Notate, Auditores, quòd dæmon intrauerit Iudam ante cœnam nescio quot diebus. Hoc non obstante inquit S. Ioannes dæmonem inuasisse Iudam post cœnam, quomodo soluetur hic nodus? verùm responsum audite, afferit magnus ille Theologus Theophylactus, quòd dæmon verè intrauit Iudam ante cœnam, conformiter dicit idem S. Lucas, sed intrauit transeunter: nam intrabat & exibat, imò idem insinuare videtur S. Ioannes, *cùm diabolus iam misisset in cor*, Ioan. 13. vers. 2. quasi diceret, misit tantummodo acceptum cor illius traditoris, sed non ausus fuit ipsemet in eũ intrare: at post comestionem venit dæmon in propriâ personâ: *Et post buccellam tunc introiuit in eum Satanas*. Optaremus, ô pater, scire rationem, ob quam diabolus primâ vice miserit in cor Iudæ & secundâ totaliter intrauerit? respondeo primò quòd diabolus in ipsũ tunc intrauerit, quia indignè sacrâ se refecit communione: sed hęc est ratio quædam ordinaria, audite hanc aliam, quæ est peregrina, & format firmatque nostrum conceptum. Sciendum quòd nunquam Diabolus tentauit inuadere Iudam, quamdiu erat in comitatu aliorum discipulorum: ast quando vidit eum segregatum & diuisum ab illorum consortio tunc in eum intrare ausus est, quia nihil est, quod diabolum magis à nobis seiungit, eumque magis deterret quàm vnio & concordia, & à contrario non est, quod maiorem diabolo addit animum & vires quàm discordia. Conceptus ille non est meus sed Theophylacti, auscultate ipsius verba sanè stupenda: *Quamdiu vnus discipulorum videbatur ex sancto illo choro, non habebat diabolus tantum assensum ad illum: vbi autem illum diuisit Dominus ab illis, statim inuasit eum diabolus*. Discite ex hisce, quàm sit necessaria & vtilis vnio & concordia, quæ diabolum segregat & remouet ab ipso etiam proditore Christi, & à contrario intelligite, quàm exitialis & nociua sit discordia, quia statim ac Christus ipsum ex Apostolico eliminauit collegio, declarando ipsum traditorem, eius possessionem accepit diabolus. O quot & quanti illorum reperiuntur, qui per discordias & dissensiones, quas excitant & fouent, potestati & manibus Satanæ subduntur, qui cum toto inferno de illorum triumphat animabus, quemadmodum testatur Augustinus dicens: *Triumphus dæmonum est dissensio Christianorum*. Num. 4.

Transeamus ad alia sublimiora. Vnio & pax talis sunt virtutis, vt vbi illæ vigent & florent, descendant de cœlo omnis generis benedictiones; sicut à contrario cunctæ maledictiones, vbi regnat discordia. Ad probationem, habemus ex sacrâ Scripturâ, quòd Moyses

iam

iam vicinus morti cunctis benedixerit tribubus Israel, exceptâ tribu Simeonis, cui non benedixit. Optarem iam scire causam illius, num fortè hic plura, quàm alij, commiserit peccata, propter quæ non obtinuerit benedictionem, vel= uti alij ipsius fratres? cur ergo non benedixit illis? scitisne quare? id dicam vobis, quia Simeon fuit principalis author insidiarum Ioseph fratri suo structarum, fuit, inquam, ille, qui vnionis & concordiæ inter fratres suos disrupit vinculum, & quia Benedictiones & gratiæ pro illis solummodo reseruantur, qui amant fraternam charitatem; conseruant & fouent vnionem & concordiam, propterea priuatus remansit benedictionibus. Conceptus hic est Theodoreti, audite illius verba tanto profectò intellectu digna: *Arbitror*, inquit ille, *eum præcipuum authorem fuisse structarum in Ioseph insidiarum.*

Num. 5. Sed meliùs, Peregrinabatur vice quâdam S. Patriarcha Iacob fessus tandem & lassus ex longo itinere, nocte illâ composuit sese ad somnum sub dio; ast pro maiori suâ commoditate accepit quosdam lapides, quos illo in loco reperiebat, & ex illis formans sibi ceruical idque capiti suo supponens obdormiuit: *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco.* Gen. 28. vers. 12. Et ecce composito sic dormitans corpore vidit in mirabili quâdam visione scalam, per quam ascendebant & descendebant Angeli; ex quâ visione S. Patriarcha raptus in admirationem dixit: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam,* loco citato vers. 16. Nunc quæro, possetisne mihi dicere, ex quo fundamento asseuerare potuerit Iacob Dominum Deum esse in loco illo? exspectate, Auditores, ecce pro vobis responsionem in se suscipit Abulensis & dicit (velut etiam est Hebræorum opinio) quòd quando Iacob composuit se ad somnum, sub capite suo plures posuit lapides, & quando postea euigilauit, coniunctos adeò & vnitos illos reperit, vt vnum solum repræsentarent plures, idque dilucidè patet ex Scripturâ, audite illam, priusquam obdormierat ait, *tulit de lapidibus.* Post somnum eius, inquit textus *tulit lapidem*; vers. 18. hoc igitur prodigium considerans Iacob exclamabat: *Verè Dominus est in loco isto,* loco citato vers. 16. nam vbi ex pluribus lapidibus formatur vnus, vbi est vnio, ibi absque omni prorsus dubio Deus etiam reperitur.

Et quam ob causam existimatis N. Sacramentum altaris nuncupari *Sacramentum vnionis*? non ob aliam, nisi vt cognoscamus in quantâ apud Deum æstimatione sint vnio & pax; hoc etenim Sacramento significare nobis intendit Deus, illum nimirum, qui non est in vnione, indignum esse recipere hunc sacramentalem cibum, idque vobis probabo excellentissimo quodam conceptu. Num 6.

Controuertitur inter sacros Doctores cuiusnam coloris propriè fuerit manna, & textus Hebraicus habet, quod *erat coloris. Albedo lac* hæc vox est intellectu difficilis, & ideò diuersas sortitur explicationes. Pagninus ait, hac voce significari, quòd fuerit similis margaritæ. Abulensis dicit voce illa significari, quòd erat similis lapidi onychino. Vbi & notandum est, quod onyx significet vnguem digiti. Supposito hoc, duas insignes audite speculationes, si velimus amplecti primam expositionem, quòd manna sit simile margaritæ; docemur à grammaticis, margaritam & vnionem eandem habere significationem, quo innuitur hoc Sacramentũ non velle aliud nisi vnionem: *Sacramentum vnionis.* Si verò placeat vobis explicatio doctissimi Abulensis, quòd sit simile onychi, qui etiam significat vnguem, vnionem quoque indicabit; vnguis enim summè est vnitus & annexus carni, & nouistis optimè,

mè, quod quando duos videmus se inuicem amore dicimus; *Sunt caro & vnguis.* Sicque quomodolibet consideretur & sumatur, semper videmus, quòd Deus significet, cunctis figuris Sacramenti altaris nihil aliud se petere & velle à nobis nisi vnionem & pacem, vnde asserit doctissimus Mariquez loquens de hoc mannâ cœlesti: *Vndequaque vnionem significat.* Vnite igitur vos fratres mei, fugite discordias & rixas, quandoquidem id ita nobis per manna insinuatur, pacem inite: *Diligite alterutrum.* Indignus enim est hoc Sacramento pacem & concordiam non fouens.

Num. 7. Persæpè hactenus animo perpendi, ob quam videlicet causam Christus Dominus voluerit hoc Sacramentum instituere sub panis & vini speciebus & non carnis aut alterius cuiusdam materiæ; necessariò abs dubio hic latere debet aliquod mysterium, auscultate illud, Auditores, opinor me illud adinuenisse. Obseruatisne vnquam modum, quo conficitur vinum & panis? plurima capiuntur grana, moluntur, pinsuntur, tot millia vniuntur, & ex tot tantisque vnus solus conficitur panis. Sic etiam conficitur vinum, ex multis botris simul pressis efficitur vinum. Audite quàm excellenter id nobis explanet Diuus Augustinus affirmans Christum Dominum voluisse hoc Sacramentum instituere sub speciebus panis & vini, vt nobis significaret, se aliud non desiderare & requirere à communicaturis nisi vnionem & pacem: *Corpus & Sanguinem suum*, inquit ille, *in eis rebus commendauit quæ ad vnum aliquod rediguntur, ex multis namque granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit.*

S. P. Basilius in epistiola, quâ scribit ad Amphilochium, ait ipsum in Synodo quadam fecisse ordinationem, quod milites, qui bello tametsi iustissimo interfuissent, tribus annis priuandi essent communione: *qui sunt manibus non puris* (loquitur de militibus) *trium annorum spatio à communione abstineant*: & hoc propterea, quia hoc Sacramentum omninò contrariatur diuisioni & discordiæ, Deus non vult illud recipi nisi ab hominibus pacificis & non bellicosis. Num. 8.

Cùm Christus misit Apostolos ad prædicandum inhibuit eisdem, ne ferrent secum virgam aut baculum. Super quo difficultatem & dubium mouet D. Ambrosius lib. de S. Josepho, cap. 33. & quærit, cur Deus prohibuerit Apostolis, ne euntes per mundum ad prædicandum ferrent secum virgam aut baculum? Solent enim viatores semper asportare secum baculum, quo se sustentent, si igitur Apostoli peregrinari, & mundum obambulare debebant, quare illis prohibetur baculus? respondit S. Ambrosius: *Ob id mittit discipulos sine baculo, sine virgâ, vt instrumenta eriperet vltionis.* Vultisque scire rationem, ob quam Deus Apostolis in itinere prohibuerit virgam & baculum? quia nimirum noluit, vt ipsi essent causæ discordiæ & belli, vult illos esse pacificos & non bellicosos; magni namque facit Deus pacem. Num. 9

Nulla sine pace conseruari potest respublica, ac propterea dixerat Tiresias generalis militiæ dux Celtarum Scipioni minori, quòd famosissimam ciuitatem Numantiam tot annis à Romanis obsessam nihil aliud reddidisset inexpugnabilem ac fortiter resistentem inuictissimis Romanorum viribus quàm concordia & vnio ciuium illam defendentium, & à contrario nihil aliud, inquit idem, tradidit illam in potestatē hostiū, quàm orta inter illos dissensio; vnde Plato dicebat: Si reperiretur exercitus militum amoris nexu vnitissimus nulla eundem vi posse expugnari. Idem etiam obseruamus in omnibus congregationibus, vel uti ordinibus, collegiis, quæ omnia conseruatâ pace & vnione, conseruantur & ipsa, iuxta & ipsorum nomina, fama,

fama, honor, bona, ac in suo pristino vigore & flore semper manent eadem & stabilia. Et ratio huius est manifesta, quia cùm Deus præsideat omnibus & singulis rectè legitimeque congregatis, veluti ipsemet promisit, *vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo in medio illorum sum* Matth. 18. vers. 20. tamdiù inter illos moratur Deus, quamdiù viget ibidem pax & vnio, conformiter ait Apostolus: *Pacem habete & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* 1. ad Thess 5. vers. 13. vnde si abscedat pax & intercedat discordia, discedit & ipse, cùm iuxta Apostolum ipse sit non *Deus dissensionis sed pacis.* Adeoque vbi non est concordia & pax, ibi non est Deus, & Deo absente nullæ res in suo statu subsistere possunt.

Num. 10. Darius Rex Persiæ magni illius Xerxis pater, aperiens quodam die pomum granatum miræ & extraordinariæ magnitudinis, quod ei rusticus quidam pro singulari præsentarat dono, interrogatus fuit cuiusnam rei tantam in regno suo exoptaret copiam, quanta esset granorum in pomo illo? ad quod respondit Darius: Zopyrorum, id est, hominum similium Zopyro, hic erat insignis generosus & bellicosus militiæ dux regi suo patriæque adeò additus & votus, vt ad inuadendam & occupandam ciuitatem Babyloniæ absque vlla sanguinis effusione sibi ipsi spontè absciderit aures, nasum & labia, & fingens se extorrem patriâ, condemnatum & punitum à principe suo transit ad partes aduersas hostis, quo suam videretur saluare vitam; vbi ostenso suo valore animique generositate & dexteritate creatus fuit in belli ducem & vrbis illius gubernatorem, quo stratagemate tradidit deinde ciuitatem illam potestati suorum amicorum. Sapiens ergo ille mundi Monarcha comparatione illius pomigranati, quod grana sua interna summè habet vnita, nobis innuit quanti roboris & virtutis ad amplificandum aliquod dominium sit pax & vnio illorum sub mystico quodam capite viuentium.

Flumen vnitim & coniunctim fluens non potest à suo cursu impediri aut aliorsum diuerti, neque quis tuto illud intrare audet; At si diuidatur in plures ramos & riuulos, quilibet infans in illo iocatur, facilè quis illud transgredi potest. Hinc Cyrus ex vindictâ fecit diuidi fluuium Gangem in centum & sexaginta riuulos, vt ipsi omnem tolleret vim & rapiditatem, & quodlibet etiam vilissimum iumentum illud transire posset. Ad eundem modum nihil superare, & deuincere potest, quamcunque congregationem, quamdiù se conseruat in sanctâ pace vnitam; quã si subintrat discordia & dissensio, à quouis facillimè superatur & vincitur. Ad hanc vnionem exhortabatur S. Ioannes suos disculos: *Filioli diligite alterutrum.* Optimè siquidem nouerat, quòd concordes & vinculo charitatis simul vniti viuere debeât, qui frui desiderant vera & tranquillâ pace in cœlis. Quiescamus nonnihil. Num. 11.

SECVNDA PARS.

De Vlysse referunt Historici, quòd vsus fuit scuto, in quo quidam gladius cum vnâ lanceâ depictus erat; tempore verò non longè interiecto deseruit arma & cœpit colere terram, sicque gladium & lanceam curauit in scuto deleri, & loco eorum depingi vomerem & falcem. Ecce, Auditores, hunc Vlyssem Deum fortitudinis in omnipotentiæ suæ scuto habentem gladium & lanceam: *Gladius Domini deuorabit ab extrema terra.* Ierem. 12. vers. 12. ast nunc mutat gladium furoris in vomerem amoris, lanceam belli in falcem pacis, & omninò vult, vt homines, qui in cordium suorum scutis depictum habebant gladium bellorum, duellorum, ac lanceam dissensionum, iam iam transforment eos in

vomeres & falces; in vomeres ad eradicanda odia, in falces ad abscindendos rancores. Ecce locum Scripturæ ex Isai. cap. 2. vers. 4. *conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces.* Tantum Deus æstimat pacem hanc, vt nullum accedere permittat sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, si primò non sit in actuali pacis possessione constitutus. Ad excellentem huius probationem aures arrigite. Effugiebat vice quâdam manus Saulis ingenuus adolescens Dauid, & postquam milliaribus aliquot confectis non inueniret cibum, quo se reficeret, famebat enim summoperè, adiuit templum aliquod Deo dedicatum; vbi conueniens sacerdotem Achimelech, & prosternens sese ante pedes eius instantissimè illum rogauit, vt dignaretur sibi præbere cibum secus fame perire deberet. Sacerdos sese excusans dixit, nec panem, nec quidquam pro illo adesse? Ah inquit Dauid misero aliquantum succurre, aliquid ad minùs supererit, quod mihi suppeditare poteris. Frater mi, replicauit Sacerdos, nescirem quid tibi darem. Hic enim, vt tibi dico, nihil aliud superest præter panes propositionis, qui sunt consecrati Deo, nec vlli nisi Sacerdotibus licitū est illos māducare. Qualescunque sint, inquit Dauid, ego manducabo illos, quia nimia diuexor fame. Protestor contra, ait Achimelech, & caue ne tibi quid mali exindè contingat. Satis est verborum, replicat Dauid, curam ego illius habeam, si quid contingat, in me id veniat. Dauid ergo comedit panes illos propositionis. Ast sinamus Dauid comedere panes illos; eique prosint, Moueamus nos aliquod dubium circa hoc factum. Quid putatis Auditores; an non vobis videtur esse magna irreuerentia, quam Dauid admisit manducando panes illos Deo consecratos? non profectò. Quia primò se disposuit & præparauit ad illos, exercuitque actum, quo se effecit dignum. Sed quænam fuit ista dispositio, qualem, quærit hic Theophylactus, exercuit actum? priusquam comederet panes illos, in corde remisit & condonauit omnia Sauli inimico suo, & vinculo charitatis quæsiuit eidem vniri. Audite Theophylacti verba admiratione profectò digna: *antequam comedisset panem sacrum, in corde suo cum inimico vnitus est.*

Si igitur ad manducandum panem illum simpliciter benedictum, qui solùm figura huius erat Sacramenti, tanta ex parte Dauidis requisita fuit præparatio, nimirum vnio, seu reconciliatio cum inimico suo, considera igitur tu, o Christiane, quid tibi faciendum sit ad dignè recipiendum nunc cœlestem panem Sanctissimæ Eucharistiæ. Ah clamat Apostolus, *probet autem seipsum homo &c.* Theophylactus ponderans hæc verba ait: *Probet se charitate, probet se vnione, probet se inimicis parcendo.* Surgite, surgite ergo, ô animæ Christianæ, vnite vos in charitate, amate vos inuicem, amplexamini pacem & concordiam si velitis dignè recipere tantum Sacramentum. Num. 13.

Auscultate in confirmationem hactenus dictorum obstupendam probationem ex Scriptura. Demorabatur populus Israëliticus in asperrimo illo deserto ac solitudine, & deficiente illi cibo cœpit enixè rogare Deum, vt dignaretur extremæ suæ succurrere necessitati. Pius & misericors Deus, qui nunquam deserit in se confidentes & sperantes, dignatus est ei subuenire; etenim sicut legimus Exodi cap. 16. misit illis manna de cœlo, & cum eo simul coturnices; sed audite mira & rara, ait textus sacer, coturnices cecidisse in medium locum castrorum & manna cecidisse extra castra per circuitum: *factum est ergo vespere & ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoq; ros iacuit per circuitum castrorum.* loco citato vers. 13. iam moueo dubium & quæro, quid sibi vult, quòd manna

ceci-

ceciderit extra castra & coturnices intra illa? an non fuisset decentius, vt manna, vtpote, nobilius cecidisset in locum etiam nobiliorem. Aduertite, Auditores, castra propriè significare habitacula hominum armatorum, & Hebræi, dũ in deserto morabantur semper erant in armis. Hoc supposito compertum habetis, manna esse figuram sanctissimi altaris Sacramenti; hoc ergo facto voluit Deus ostendere, quantum Sacramentum aduersetur dissensionibus & bello, ac propterea non permisit manna cadere intra habitacula militum, sed extra illa: audite hanc piã Ruperti Abbatis admonitionem, qui commentando in præfatum locum lib. 3. cap. 15. loquitur in hunc modum: *de castris illis exeundum tibi est quicunque hoc minutum, quod detulit ros iste, colligere contendis.* Ac si vellet dicere: aduerte, ô Christiane, si te hoc mannâ reficere intendis, inimicitias & contentiones priùs deseras, neque armis & vindictis attendas, necesse est. Hoc enim Sacramentum similia detestatur.

Ergo, ergo, fugite, Auditores, inimicitias, studete paci & concordiæ, imitatores estote S. Ioannis Apostoli exhortantis vos ad pacem & charitatem: *Filioli diligite alterutrum*; cordis vestri scrinio sitincisus amor proximi, audiuistis cuius virtutis sit, quantumque Deo placeat hæc sancta vnio, Amplexamini ergo illam toto corde: *Filioli diligite alterutrum.* Sic en consequimini in hac vitâ gratiam & gloriam in futurâ, Amen.

SERMO DVODECIMVS.

In Festum SS. Innocentum.

THEMA.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. Matth. cap. 2. vers. 16.



Pectastisne N. comicum illum ac perlepidum lusum Num. 1.
ab honestâ puellarum coronâ in amœnissimo & spatioso nonnunquam prato repræsentatum? illum dico ludum, in quo puellarum vna facie obuelatâ socias quærit colludentes; ridiculus profectò ludus, iucundum spectaculum: dum ei, cui sors obtigit, contegitur velamine vultus, abscurrunt, seseque abdunt aliæ; præludit illa pede conquatiens terram, discurrit & peruagatur hinc & inde, expansisque brachijs socias auidè quærens & capere tentans nunc in hanc nunc in illam flectit partem, quâ celeritate declinat in sinistram, eâdem recurrit ad dexteram, & persæpè nimiâ insequens auiditate socias, prona corruit in terram: Nonnunquam etiam deuitans fugiensque hanc in medio consitam arborem, grauiter impingit, alter probans illius duritiem capitis sui allisione. Cachinnantur proindè & rident eam sociæ hinc & inde currentes & confidentes: illa nihilominus resumpto animo rapta quasi & attonita nonnihil subsistit, mussitantes audit alias, alias subridentes; vnde celeri accurrit pede sperans se prædã aliquam captu-

capturam; Sed semper fugiunt istæ. Sperat illa subridentem strepitantemque secus arborem deprædari sociam, sed spe deceptâ capit & amplexatur arboris truncum misera obuelata anxia nimis & sollicita omnem tandem adhibere statuit conatum, si quam fortè capere valeat; fingit propterea se lassam imò pusillanimem, & non procul à spectatricibus auidè præstolatur prædã ex colludentibus; Sed astutiores istæ occultè spectantibus astant, & datâ occasione egregios obuelatæ ingerunt pugnos; hæc sine morâ insequitur percutientem, & dum capere nititur colludentem capit spectantem. Læta quapropter & tripudians liberam se inclamat, velamen ab oculis deponit; ast detectâ facie confusa hæret, ac planè se deceptam conspicit astutiâ & dolo sociarum colludentium.

Num. 2. Similis planè ludus contigit sub mundi huius exordio: eius inuentor extitit princeps tenebrarum Diabolus, lusores fuerunt Adam & Eua; sodales & colludẽces erant scientia, Deitas & vita: *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Gen. c. 3. vers. 5. *Et nequaquam moriemini.* vers. 4. Spectatores erant mors, ignorantia & miseria. Ludit Adam & putans se capere vitam, atripit mortem, insequitur scientiam & capit ignorantiam; quærit amplecti fœlicitatẽ, & amplexatur miseriam. Obuelatus erat Adam & obcæcatus, non id credebat; Ast quàm primum accessit notitia & cognitio, eique velamen illud deposuit. *Aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos,* loco cit. vers. 7. aduertit cum propriâ suijpsius confusione dæmonis fraudem, suam miseriam & calamitosum statum.

Idem prorsus ludus accidit in hodierno Euangelio, quærit & è medio tollere nititur Herodes puerulum Iesum regnandi ductus cupiditate & ambitione: *Futurum est enim, vt Herodes, quærat puerum ad perdendum eum,* Matth. 2. vers. 13. & ecce obcæcatus ille capit & ferociter mactat omnes pueros in Bethlehem: *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à magis, iratus est valde, & mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem,* loc. cit. vers. 16. o cæcos ambitiosos?
ô insipidos & incautos homines? Num. 3.

De hâc voluntate ambitiosa obcæcata ab imperandi cupiditate, deque eius socijs, videlicet, vitâ, libertate, otio & quiete discurremus hodie, videbimusque quos qualesve loco horum accipiat capiatque spectatores, nimirum, instabilitatem, inquietudinem, & mortem. Verum quemadmodũ spectanti ludi huius repræsentationem, ita auscultanti illius discursum necessarium est silentium. Silete igitur & incipiamus.

Quòd ambitiosus sit cæcus, facillimè probari potest. Qui eandem ingreditur viam, vbi alij cæci passi sunt ruinam, ac miserè prolapsi sunt, rationis profectò caret lumine, ac per consequens cæcus existit, ambitio hominis conformatur ordinatè suo exemplari, ambitioni nimirum diaboli qui ambitiosorum est coryphæus. Attendite, amabo N. stupenda & mira mihi occurrunt dicenda de hac ambitione, quæ emanauit ex cæcitate primi Angeli, à quo reliqui ambitiosi tanquam discipuli eius lectiones suas excipiunt.

Suppono, primum Angelum factum esse dæmonem, quia voluit esse Deus, adeoque eius peccatum consistere in imitatione Dei seu in appetitu esse diuini. An non hæc eum inuasit dementia & peruicacia, cùm ait: *ascendam in cælum & similis ero altissimo.*? Isaiæ cap. 14. vers. 14. ergo Angelus factus est dæmon, quia appetijt Deitatem, & peccatum eius consistit in appetitu & imitatione Dei. Perspicuè id cognoscetis ex vulnere relicto in naturâ humanâ, ex qualitate namque & quantitate vulneris cognoscitur gladius, quo fuit inflictum vulnus; *eritis sicut Dei.* Gen. 3. vers. 5. hunc appe-

appetitum reliquit in cordibus nostris cum tentauit nostros Protoparentes. Ergo in appetitu diuinitatis consistit peccatum angeli.

Num 4. Verum, quî fieri potest, dicet quispiam, quod appetitus esse diuini sit peccatum? an non rationalis creatura facta ad similitudinem Dei potest appetere vnionem cum Deo, seseque facere Deum per participationem? an non D. Anselmus asserit hanc Luciferi petitionem non fuisse iniustam? *Appetijt illud, quod si stetisset, accepisset.* Respondeo & satisfacio primæ difficultati: imitatio seu appetitus Diuinitatis potest considerari & quantum ad substantiam & quantum ad modū quo Deus est prodigus perfectionum suarum, quantum ad substantiam & cuncta suaque communicauit nobis attributa: bonitatem, paternitatem, vnitatem, scientiam, sapientiam, intellectum & voluntatem, omnes gradus perfectionum suarum, essendi, viuendi, sentiendi & intelligendi, in omnibus speciebus communicauit seipsum non solùm quoad esse naturale, verùm etiam supernaturale mediante gratiâ, *quæ est participatio naturæ diuinæ,* Vnde S. Apostolus Petrus *per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* 2. Petr. 1. versic. 4. nullam denique habet perfectionem, quæ non est communicata nobis. Ast in modo semper differt; ipse enim has possidet perfectiones per excellentiam, nimirum, modo infinito & illimitato; at in nobis sunt modo finito & limitato & per participationem. Creatura igitur ad imaginem Dei facta potest pro suo fine appetere vnionem cum Deo seu esse diuinum quantum ad substantiam, at non quantum ad modum, & hinc originem suam duxit cœcitas dæmonij. Peccauit in modo, voluit esse Deus eodemmet modo quo Deus est Deus, adeoque sicut Deus est sapiens per essentiam, independens legislator, nulli subiectus legi, ita dæmon prætendit esse Deus independens nulli legi subditus; consistit ergo peccatum in appetitu esse diuini non solùm quoad substantiam sed etiam quoad modum. Verùm dicetis fortassis, ad quid allatum fuit exemplum hoc illius Angeli rebellis? ab illud optimè nostro congruere proposito demonstrabo; etenim cùm sit pater mendaciorum & omnis author peruersitatis & malitiæ hac maledictâ nos infecit imitatione & appetitu, suæque malitiæ & culpæ hæredes nos instituit, hoc ipso quo appetimus dignitates, honores, aliaque bona tam naturalia quàm supernaturalia veluti vltimam nostram beatitudinem, quæ est ambitio & superbia diaboli.

Ad probationem. Cùm Moyses vice quâdam ascendisset montem locuturus Deo, petijt populus Israëliticus ab Aarone summo sacerdote sibi præsente quædam valdè absurda & impia, *fac nobis Deos.* Exod. 32. versic. 1. ille sine mora respondit: *Tollite inaures aureas, & afferte ad me.* loco citato versic. 2. *Et fecit ex eis vitulum conflatilem.* versic. 4. Ah Aaron, quid facis? illáne est fidelitas quam debes Deo tuo? hoccine est opus tuæ gratitudini tuæque conforme dignitati? Sed quid mirum? Tota huius causa & culpa fuit ambitio, propter particulare id fecit interesse, tametsi scelerate & impiè; Etenim timebat summoperè, ne populus ille sibi denegaret deinceps debitam reuerentiam & obedientiam, & sibi non exhiberet respectum & obsequia debita. Ita sentit & existimat Caietanus in hunc locum dicens: *Aaron primatum nolens perdere ædificauit altare coram vitulo non exspectans rogari, sed vt vidit vitulum primus ædificauit illi altare ad sacrificandum.* Ecce qualiter ambitio consistat in imitatione operum Diaboli, ortumque suum ducat ab infernali eius cæcitate. Num. 5.

Eodem planè modo agit Diabolus, quemadmodum fecit Sertorius dux & Num 6.

capitaneus generalis militiæ Romanorum, de quo scribit Plutarchus, quòd hostem fugientem restrinxerit & redegerit tandem ad aliquam speluncam, at videns impossibile esse armis hic eum expugnare, suæque subijcere potestati, exstruxit ante ostium speluncæ ope militum propugnacula ex puluere & cinere, qui deinde mediante vento in maximâ copiâ per speluncam barbarorum translatus ac dispersus fuit; Vnde, vt viderunt barbari se sine igne in cineres transmutatos, absque tempestate in puluerum oceanum demersos, sine morte viuos in cinere sepultos ac sine tenebris cæcos effectos, desperantes quoque de omni humano subsidio manibus inimicorum sponte sese tradiderunt.

Idem planè stratagema reperimus, id Sacra Scriptura fuisse inuentum à Nabuchodonosore Rege, audite Scripturæ verba: *Equitus eius de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum &c. Ipse super omnem munitionem ridebit & comportabit aggerem & capiet eam.* Habacuc cap. 1. legit Hebræus, *cafad*, quod puluerem significat; Etenim dicunt Rabbini quòd Nabuchodonosor in prælijs & vrbium expugnationibus hac vtebatur astutia: faciebat congregari ingentem arenæ cumulum & dum ventus flabat ad locum è diametro ciuitati, quam obsederat oppositum, curabat adduci puluerem illum, & sic oppugnabat affiliebatque ciuitatem, imò & expugnabat; nam milites accurrentes ad defensionem ciuitatis à puluere mediante vento per aerem disperso obcæcabantur.

Sic Lysimachus pugnans cum leone pugnum habuit plenum puluere, quem oculis eius inijciens obcæcauit ac deuicit illum. Ad eundem modum aquila cerui se cibatura carnibus ceruum exspectat in montis præcipitio constitutum, vbi puluere ex alis excusso oculos eius obcæcat; vnde miser ceruus obcæcatus sese inde præcipiat & in escam ac nutrimentum transit aquilæ.

Ad eundem modum facit astutus hic & antiquus ille & infernalis Sertorius, Nabuchodonosor, Lysimachus, Aquila, eodem vtitur stratagemate illo pulueris videlicet, vanitatis & dignitatis mundanæ, quæ sunt tanquam puluis: *Quem proijcit ventus à facie terræ.* Psalmo primo versu quarto, hoc puluere obcæcat intellectum & voluntatem ambitiosi peccatoris, suscipiendo eum in feudatarium & vasallum suum. Conceptum hunc perpulchrè innuit & exposuit Iob, *memoria vestra comparabitur cineri.* Iob capite decimo tertio versu 12. in quem locum ait D. Gregorius: *Rectè ergo stultorum memoria cineri comparatur, quia ponitur, vbi ab aurâ rapiatur, quantumque enim quisque pro facienda gloria sui nominis elaboret, memoriam suam quasi cinerem posuit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit.* Vnde de ambitiosis concludit D. Bernardus *non deterrentur periculis, neque valent eisdem resistere, quia voluntate cæcata non vident.* Et illud idem insinuant verba illa quæ vice quâdam dixit Propheta: *ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Ecce igitur, vt probatum est, ambitiosum esse quendam cæcum. Num. 7.

Nunc videamus quibuscum ludat hic obuelatus & cæcus. Et primò ambitiosus ludit, cum securitate & fœlicitate vitæ, & quia cæcus est, arripit & capit periculum.

Dionysio tyrannide celeberrimo, qui sub vestitu purpureo cor furore vestitum gerebat sanguineo, in throno regali Maiestatis suæ die quâdam sedente venit aulicus quidam magna profusus admiratione deplorans miserum & calamitosum suum statum; Regem verò hunc deprædicans fœlicem ac terque quaterque beatum, imò in cælum vsque extollens eiusdem fœlicitatem & gloriam, dixit: ò Dionysi, quàm fœlix, Num. 4

quàm fortunatus, quàm beatus exiſtis? ſubridens hîc aliquantulum Rex ſapiens nullo ei dato reſponſo inuitauit aulicum ad prandium, eumque in ſplendida ſede regali veſtita ornamento collocari fecit, deinde in alto loco è diametro tamen ceruici eius iuſſit affigi acutiſſimum gladium è tenui & ſubtiliſſimo filo pendentem. Poſt hoc adducti fuerunt muſici, appoſita omnis generis cibaria, etiam delicatiſſima, tota denique adſtitit aula obſeruans venerans & adorans eum veluti propriam regis perſonam, aliud per aulam non intonabatur, cantabaturque niſi: ô fortunatum aulicum? ô fœlicem aulicum? at miſer hic nulli præbebat aures, erat quaſi ſurdus & totus timore congelatus, aliud non conſiderabat, ſpectabat niſi gladium ceruici ſuæ imminentem, quapropter inſtantiſſimè ſupplicabat regi, vt rurſum veſtiretur vilibus ſuis veſtimentis; mallet namque viuere in loco tanto periculo non expoſito contentus cepis & allijs. Sicque rex correxit ſtultum & vecordem aulicum dicens: tu te miſerum totius mundi proclamas hominem, tametſi habeas modò, quod deſideras, id propter ſolum gladium illum tuæ ceruici imminentem, gladius longè acutior illo eſt diuina iuſtitia imminens meo capiti, & tu me fœlicem ac fortunatum vocas? Erat nihilominus hic vnus ex illis, de quibus dixit Chriſtus? *Dicunt & non faciunt.*

Hiſtoria hæc eſt ſatis communis, ſed & communis admonitio & inſtructio, eſt ad omnes, qui regunt & gubernant, quia magnus ille gladius diuinæ iuſtitiæ illis imminet: quoniam *iudicium duriſſimum his, qui præſunt fiet.* Sap. capite ſexto verſu ſexto; enimuero, ſi quis vix poterit reddere rationem Deo de proprijs defectibus & vitijs, nec faſciculum quendam lignorum, quem repræſentauit Æſopus in cuiuſdam ſenis perſonâ, ferre nequit, quomodo poterit de aliorum erroribus & peccatis rationem reddere? Quomodo tot tantaque onera humeris ſuis ſufferendo ſufficiens erit? Ah ex omnibus illis inſignem componet Deus virgam, quâ illos veluti viliſſimos cædet mercenarios: *Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Ait Apoſtolus ad Hebr. 13. verſ. 17. Vbi S. Thomas in hunc locum ait: *Hoc eſt maximum periculum pro alijs rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit.* Miſeri profectò ſuperiores, in quàm graui ſunt conſtituti periculo, de hora in horam expectant gladium Dei ſibi imminentem, vti pulcherrimè id conteſtatur S. Iob: *Circumſpectant vndique gladium*, cap. 15. verſic. 22. Et S. Ioannes Chryſoſtomus ſuo hunc conceptum ſigillat teſtimonio dicens: *Suſcipere dignitates metuendum eſt, periculum namque ſuper caput eius imminet diuinæ iuſtitiæ; ſubiectus enim fit vltionibus peccatorum ſibi ſubditorum.*

Recordor hîc iſtius, quod quondam Num. 10.
ſcripſit Vmbertus generalis F. F. Prædicatorum B. Alberto Magno: dum enim intellexit eum creatum in Epiſcopum Ratisbonenſem, ſic ei ſcripſit: Vtinam, ô Alberte, intellexiſſem potiùs te fuiſſe appoſitum feretro quàm dignitati huius epiſcopali. Et ad hoc idem propoſitum memini cuiuſdam terribilis & horrendæ ſententiæ D. Apoſtoli Pauli 1. ad Timotheum cap. 2. verſic. 1. audite eius verba: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones: pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo: qui omnes homines vult ſaluos fieri.* S. Auguſtinus in Euch. & 1. ſent. diſt. 46. mouet ſupra hunc locum dubium aliquod, idque fundatum eſt in vltimis verbis: *Qui vult omnes homines ſaluos fieri.* Et quærit, cur D. Paulus adiungat: *Qui vult omnes homines ſaluos fieri?* Non ſufficiebat dicere: orate

pro ijs, qui in sublimitate sunt constituti? ò verba horrorem & tremorem incutientia? non mea est lingua, sed diui Augustini Ecclesiæ Doctoris, qui respondet sibijpsi, & ait, quod præfata verba adiunxerit Apostolus, vt tollat desperationem ab eo qui gubernat & regit; cùm illius salus sit adeo difficilis, vt superior penitiùs eâ examinaturus sit constitutus in periculo desperationis, ideò subiungit Apostolus: *Qui vult omnes homines saluos fieri.* Verba Diui Augustini sunt hæc: *Bonum est coram Saluatore nostro Deo, id est, vt etiam pro talibus oretur. Statim, vt desperationem tolleret, addidit: Qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Et quippe Deus bonum indicauit, vt orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium.*

S. Ioannes Euangelista scribit in suâ Apocalypsi se vidisse sedem quandam in mari: *Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo.* Apoc. 4. versic 6. Quodnam paradoxon est hoc? naues & non sedes solent stare in mari; sedes enim non est nauicula nauigationi apta. Per sedem, Auditores figuratur & significatur dignitas mundana; vnde dicere intendit S. Ioannes, quòd sicut sedes extremo exponeretur periculo in medio maris posita: ita & superior significatus per sedem non est securus de salute sua. Huius mentis & opinionis est D. Gregorius, cùm dixit: *Videntur mihi in throno stare, sed reperiuntur in mari, & dicere possunt: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Num. 11. Non adulatio aut affabilitas, sed extrema adhibenda est seueritas. Dum plaga incipit putrefieri, necessarius est ignis medicans. Zamoræ in Hispaniâ in hodienum vsque diem adoratur veneranda quædam crucifixi imago, à qua plurima sunt patrata miracula, inter quæ non infimum est, quod modò recensebo, quidam superior die quodam humilibus eam sollicitabat precibus, vt sibi dignaretur dare instructionem & modũ, quo posset gubernare suos subditos: respondit ei crucifixi imago: *Reges eos in virgâ ferreâ.* Dum id non posset ille exequi, & factu opus erat, videte quàm verùm fuerit: quantò sunt in loco altiori, tantò in periculo maiori versantur superiores.

Ad propositum hoc egregia quædam mihi occurrit speculatio, quis vestrûm est, qui histrionem aliquando spectauit super funes saltantem? An non conspexistis quàm cautè, quantaque cum diligentiâ ibidem ille tripudiet præsaltet & resiliat, non potest bilanx aliqua tam perfectè æquilibrio adæquari, vt æquilibris esse debet pes tripudiantis, casus illius non dumtaxat est pater risus, sed persæpè etiam genitor mortis, corpus suum sustentare debet in aëre æquali leuitate, æquali pondere non declinando nimiùm ad dexteram neque ad sinistram, & aërem obambulans instar auis aëris incolæ leuis euadat, necesse est O miserum & infœlicem statum superioris? Væ superiori illi, qui pondere æquitatis non sustentatur & dirigitur; nam sicut absque hoc omnis leuitas histrionis in funibus saltare cupientis est vana inutilis & damnosa, ita omnis superioris dignitas sine iustitiâ & æquitate est nociua, & præcipitium parat. Totum hoc perpulchrè describit Isaias cap. 30. versic. 21. *Hæc est via ambulate in eâ & non declinetis neque ad dextram*, passionis, *neque ad sinistram*, negligentiæ. Pulcherrimum hunc conceptum confirmat regius Propheta Dauid: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis.* Psalm. 130. versic. 1. Symmachus legit hoc modo: *neque ambulaui in funibus.* Domine, inquit Dauid, numquam desideraui esse superior, neque cogitatione ambulaui super funem, locum sanè valdè periculosum: *Non est exaltatum cor meum neque ambulaui in funibus.* Profectò qui appetit honores & dignitates magnas, est cæcus, nec considera-

deras

derat periculum; quod si consideraret, non appeteret offendere Deum, vnde quia est cæcus appetendo honores, cæcus etiam erit gubernando & regendo subditos.

Num. 12. Enim verò superior debet esse instar Argi, qui centum habebat oculos, vt semper videre possit; debet esse instar cœli ex toto luminosi, vt semper illuminet; instar leonis videat, necesse est, qui dormit oculis apertis, instar animalium Ezechielis, quæ erant plana oculis antè & retrò; instar virgæ Ieremiæ, in cuius summitate erat oculus; nam sceptro incumbit vigilantia. Imitari debet vigiles ciuitatis semper excubias & vigilias agentes: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Cant. 3. versic. 3. pastores illos, *qui erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Luc. 2. versic. 8. quando natus fuit Christus, Epaminondam, qui ciuibus suis deditis solus totam circumibat ciuitatem, Demum Prophetam Iob, qui filijs & filiabus epulantibus offerebat Deo holocausta & sacrificia, aut Moysen, qui populo Israelitico idololatrante ductus compassione dicebat Deo: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti* Exod. 32. versic. 32.

Superest demonstrandum, qualiter cæcus ambitiosus ludens cum vitâ inueniat mortem, ludens cum quiete capiat laborem & curas; sed primò quiescam.

SECVNDA PARS.

Num. 13. Recordor primò pulcherrimi illius apologi descripti lib. Iudicum, cap. 9. Vbi plantæ quæsituræ sibi regem adiuerunt primò ficum & vitem, at frustra: Prima enim dixit: *Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suauissimos?* loco cit. versic. 11. Altera dixit: *Nunquid possum deserere vinum meum?* versic. 3. Similiter gratis accesserunt oliuam, quæ respondit: *Nunquid possem deserere pinguedinem meam?* versic. 9. Omnes denique recusarunt regimen oblatum, solo excepto rhamno, qui tam vilis & abiectus est, vt non mereatur nomen arbis, ille, inquam, onus & officium regis in se suscepit: *Venite*, dicebat, *& sub vmbra mea requiescite*, versic. decimo quinto. Quæro ego, cur solus rhamnus acceptauit officium hoc regiminis, & non aliæ arbores? Ille est aptissimus & proportionatus typus ambitiosi, qui sicuti verè est rhamnus, cùm sit priuatus omni merito, molestior, importunior, & audacior est in prætendendo. Secundò, dignitas comparatur spinæ seu rhamno, vt significetur ambitioso, coronas sceptra, honores, dignitates nunquam separari à spinis, imò cum spinis curis & laboribus semper esse coniuncta. Et hoc quoque insinuauit fortassis corona Domini Saluatoris nostri, quæ ex pungentibus spinis composita sacratissimo capiti eius fuit imposita. Idem etiam communiter indicat forma Num. 14. ipsa coronarum regalium, quę vt procul dubio nouistis, in superiori parte sunt cuspidatæ seu varijs pinnis instructæ, & significant spinas sagittas aut gladios seu labores & curas numquam esse seiunctas à Prælato. Et quemadmodum facillimè verti & inuerti potest corona in capite, ita facilè contingere potest, quòd honor talis mutetur in cruciatum. Excellenter id innuit Spiritus sanctus in Ecclesiast. cap. 2. versic 23. *Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt: nec per noctem mente requiescit.* Vnde concludit D. Bernardus: *O ambitio ambientium crux, quomodò omnes torques, nihil acrius cruciat, nihil molestius inquietat.*

Ambitiosus meo calculo est veluti liber ille Ezechielis: *In quo scriptæ erant lamentationes, carmina & Væ.* Subintrat hîc D. Augustinus, & ait: *Duo tristitia sunt, & vnum delectabile.* Duo tristia; ecce *lamentationes*, est vnum; *Væ*, est aliud, & vnum delectabile, ecce *carmina*. Et adnotate hîc qualiter hoc delectabile sit

positum in medio amborum tristium, adque non aliâ de causâ, nisi vt hinc intelligas; quod dignitates sint quasi obsessæ & cinctæ à doloribus præteritis & futuris.

Cunctorum hactenus dictorum fidelissimus testis existit Iacob. Sanctus hic Patriarcha extremos probauit dolores, labores & molestias, tum toto illo tempore, quo seruiuit Laban Patri Rachelis vxoris suæ, tùm etiam quando plurimas ab Esau fratre suo passus est persecutiones; tum denique, cùm Ruben filius suus creatus fuit in principem; mortí iam vicinus cunctorum dolorum toto vitæ suæ tempore perpessorum totaliter obliuiscitur, exceptis duntaxat illis, quos passus est propter Ruben; vndè conuersus ad illum dixit: *Ruben primogenitus meus, tu initium dolorum meorum*, Gen. cap. 49. vers. 3. Quasi diceret: Reliquorum dolorum vix recordor, quia nihil sunt respectu illorum, quos passus fui, dum Ruben euectus fuit ad principatum: *Tu caput dolorum meorum*, legit Hebræus, *O ambitio ambientium crux, nec per noctem etiam requiescunt*, dicebat S. Augustinus. Etenim aliud non est ambitio quàm continua quædam molestia, vna arca laborum, lutosa palus, pratum serpentibus refertum, est quædam Circe, quæ transformat homines in bestias.

Num. 15. Nedum ambitiosus cæcus loco quietis reperit laborem & curam verùm etiam vbi credit capere stabilitatem, rapit ipsammet inconstantiam; quî enim fieri potest, quòd dignitatis sint firmæ & constantes, si sunt veluti venti & rotæ? venti, quia celerrimè transeunt & fugiunt; rotæ, quia numquam firmæ & stabiles, sed semper voluuntur. Sunt sicut fumus, & hedera Ionæ; fumus, quia originem ducunt ab igne cupiditatis, & subitò disparent; hedera Ionæ, quia vnâ nocte nascuntur & moriuntur; sunt veluti tenera spuma & leuissima pluma; Pluma à furioso contradictionis vento in altum subleuata: Spuma ab vndisonis agitata & disrupta procellis. Sunt tanquam nix & nubes respectiuè exposita calori & soli; nubes, quia statim euanescit; nix, quia in momento dissoluitur & colliquescit.

Et hinc oritur, quod ambitiosus cæcus quærendo mediante ambitione ipsam vitam, reperiat persæpè mortem; nam cùm sint alij prætendentes & anhelantes ad eundem honorem & dignitatem, falsò illum deferunt apud principem, vt ex eiusdem excidat gratiâ & fauore, & nonnunquam etiam illius insidiantur vitæ.

Dixit quidam ingenio excellens non esse damnosius exitialiusque veneni poculum quàm dignitatem. An non Caligula ad tantam redactus est rabiem & furorem, vt ab omnibus falsorum Deorum statuis capita detruncari, & propriũ caput eisdem apponi fecerit, timens ne sibi imperium surriperent? An non Tiberius proprios iussit interfici cognatos veluti Germanicum & Agrippam: sibique familiarissimos, nimirum, Seianum & alios, formidans, ne sceptro priuaretur? Et hodiè Herodes nónne non millenos præcipit mactari infantes innocentes, quia timebat amittere regnum? qui historiarum præditus est notitiâ, alios quamplurimos enumerabit, qui spe obtinendæ dignitatis decepti inuenerunt mortem.

Et hoc fortè mysterium illud est, quod declaratur per somnium Ioseph, qui primò vidit stellas seipsum adorantes, & deinde manipulos fœni, alludens ad id, quod modò dicimus, nimirum, quod quamprimum aliquis colitur, & adoratur velut Prælatus, statim eiusdem etiam celebrantur exequiæ, quia: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos*. Isaiæ cap. 40. vers. 6.

Et hoc fortassis per illud quoque mysterium declaratum fuit, quod voluit signi-

significare Propheta Samuel ; nuncians enim Sauli, quod esset assumptus ad regnum, dedit eidem pro signo duos viros vicinos sepulchro : *Inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel,* 1. Reg. cap. 10. vers. 2 Quia quamprimum intrat camerarius dignitatis Prælatum salutatum subintrat statim auriga mortis eum hinc abducturus.

Num. 16. Et id etiam illud mysterium innuit, quod indicarunt antiqui fingentes Deos occidentales fuisse à sole inuitatos ad lautum aliquod conuiuium ; etenim vero verius est, quòd sol honoris & gloriæ solùm in occidente vitæ nostræ cibet & alat nostros appetitus. In quod collimans quondam Romanorum Respublica, fecit quoddam decretum, vt Imperatores immediatè post coronationem interrogarentur ; ex quibus lapidibus vellent sibi erigi sepulchrum. Et serenissima Respublica Venetorum statim principem suum post electionem deducunt ad aulam, in quâ post mortem cadauer eius omnium exponetur conspectui. Et summum Pontificem post coronationem præcedit clericus quidam, qui comburit stupam, & altâ exclamat voce : *Sic transit gloria mundi, Beatissime Pater.*

Num. 17. Eia igitur detegamus nos tandem aliquando, deponamus, inquam, ab oculis mentis nostræ hoc velum, quod nos obcæcat, seriò cogitemus omnem gloriam, dignitatem, cunctasque prætensiones præsentis sæculi vanas esse & instabiles, quæ cùm videntur resplendescere veluti Adamantes, fugiunt ab oculis nostris, & fragili fragiliores sunt vitro. Hoc ergo motiuo veluti magnete attracti mortalium animi sui mora, necesse est, sese conuertant ad firmum fixumque huius veritatis polum, nimirum, omne illud quod sub cœlo est non esse aliud nisi vanitatem & chymeram, diesque præsentis vitæ non esse aliud, quàm currus laborum intolerabilium. Asserit idipsũ ipsâ edoctus experientiâ Sapiens: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Eccles. 1. versic. 2. Quapropter summopere necessarium est, vt semel ab hoc littore discedamus, & portum cœli versus nauigemus ; hæc enim sola nauigatio solaque cogitatio hominem decet Christianum.

Agedum, vnusquisque igitur soluat tandem aliquando nauiculam animæ suæ, reuideat ac inspiciat chartam diuinorum præceptorum, dirigatur australi fidei vento, sustollat arborem crucis, expandat vela contemplationis, teneat firmiter clauum intentionis, arripiat ocyus remos inspirationum, confringat vndas tentationum, fugit scopulos occasionum, conculcet fluctus passionum pertranseat & euadat piratarum infernalium pericula, explodat tormenta orationum, inflet tubas suspiriorum, aspiciat stellas plagarum & vulnerum Christi, explicet & expendat velum amoris diuini, sic certo certius illi polliceor, eum æternæ fœlicitatis consecuturum portum, & iactâ ibidem æternaliter anchorâ vitam acturum beatam & fortunatam, quam nobis concedat ille, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

FINIS.



INDEX

Rerum & Verborum.

Abraham.

Discedens è patriâ suâ non obtulit Deo sacrificium. disc. 11. num. 3.

Abimelech.

Noluit temerè judicare Isaac. disc. 33. num. 9.

Achan.

Quamvis peccatum suum confessus fuerit, pœnã tamen subire debuit. disc. 52. num. 9.

Adam.

Fuit creatus extra paradisum. disc. 22. num 3.

Non ausus fuit corripere vxorem suam comedentem fructum, & quare. disc. 12. num. 5.

Adulterium.

Peccatoris adulterij oppressi vitio conversi difficilis valdè est. disc. 7. num. 7.

Graviter hoc peccatum punitum fuit ab Ethnicis disc. 7. num. 8.

Ægyptij adulterium gravissimum censuerunt esse peccatum. disc. cit. num. 9.

Hoc crimen in veteri lege nullis mundabatur sacrificijs. disc. 7. num. 10.

Agamemnon.

Agamemnonis dolor ob mortem Iphigeniæ suæ filiæ. disc. 45. num. 2.

Alexander Magnus.

Feruens ejus devotio & cultus tempore sacrificij. disc. 17. num. 4.

Laudatur summoperè, quod fuerit Philippi filius. disc. 4. num. 2.

Communicavit amico suo Ephestioni secreta sub sigillo silentij. disc. 8. num. 5

Altare.

Deus in veteri lege jussit fabricari altare ex lapidibus, quos ferrum non tetigit, & quare. dis. 4. num. 20.

Ambitio.

Moab rex proprium mactavit filium regnandi ductus ambitione. disc. 1. num. 9.

Ambitio multorũ malorũ fons & origo dis. 5. n. 1.

Ambire honores est quærere perditionem sui ipsius disc. 5. num. 3.

Ambitiosus vitã evidenti exponit periculo. disc. cit. num. 8. imò & animam. disc. 5. num. 9.

Ambitiosus nec proprijs parcit Consanguineis. disc. cit. num. 12. & 13.

Est sceleratissimus omnium. disc. cit. num. 14. Fovet serpentem in sinu. loco cit. Ambitionem & honores fugere nos docuit Christus fugiens in montẽ. loco cit. Item pendens in cruce. disc. cit. num. 15.

Amor Dei erga hominem.

Deus ab æterno & ante omnem aliam creaturam amavit hominem. dis. 1. num. 1. amoris divini diversa homini exhibita fuerũt signa & pignora. disc. 1. num. 2. & 3. vt Deus ardentem suum amorem ostenderet homini, sub varia multoties ei apparuit specie. dis. cit. num. 3. & illum suum censuit esse paradisum. loco cit. num. 4. sine homine quasi solum se esse judicavit. dis. cit. n. 5. Filius Deus spontè se obtulit Deo Patri quærenti per Isaiam: *quem mittam, & quis ibit nobis?* disc. cit. num. 8.

Explicantur verba illa: *Sic Deus dilexit mundum.* disc. cit. n. 9. tam ardenter Deus amavit hominem, vt tempore Incarnationis suæ nequiverit expectare, donec aperirentur cœli. dis. cit. n. 10. Deus dicitur amans hominum non Angelorum. disc. cit. num. 12. plus homines quàm Angelos dilexit. disc. cit. num. 13. hos æternæ adiudicavit morti non illos, idque propter nimium amorem. disc. cit. num. 14.

Amor Dei maximè elucet ex passione Christi. dis. 1. n. 14. 15. & seq. vsque ad finem. Ex nimio amore maximum filius Dei sensit dolorẽ adhuc in vtero existens virginali disc. 1. num. 18. & 19. eiusdem amor clarè etiam liquet ex circumcisione. disc. cit. num. 19. & specialiter ex copiosissimâ sui sanguinis profusione ante & post mortem, cùm vnica sola gutta sufficiẽs fuisset redemptioni humanæ. disc. cit. n. 25. & 26. Christus in cruce amoris æstu inflammatus maiora sitivit tormenta, & ideò sitiebat.

disc.cit. num. 28. tali Deus amore prosecutus est hominem, vt etiam propter vnicam solam animam incarnatus & passus fuisset. disc.cit. n. 30.

Amor hominis erga Deum.

De nullo alio titulo plus gloriatur Deus, quàm cùm vocatur dilectus hominum disc.2.num.1. quisnam sit verus modus amandi Deum indicabit disc.2. num. 2. B. M. Magdalena Deum amavit sine modo. disc.cit. num. 2. amor enim hominis erga Deum nullum habet modũ, terminum aut certum perfectionis gradum. dis. & num. cit. hunc amoris ignem jussit Deus accendi in altari cordis tui. disc. cit. num. 3. nullus hominũ excusatur ab amore in Deum. loco cit. toto corde Deus vult amari, & sine eo nullum ipsi gratum est sacrificium. disc. cit. num. 5. vt Deus toto corde amaretur à nobis, non misit Angelũ, sed ipsemet cœlo descẽdit ad redimendum hominem. dis.cit n. 6. ideò etiam aues jussit afferri integras. Loco cit. quotquot dividunt hunc amorem peiores sunt militibus crucifigentibus Christum. loco cit. Amans Dei similis debet esse collimanti in scopum dis.cit. n.6. amor divinus & mundanus simul stare nequeunt. disc. cit. num. 7. quod patet exemplo duarum mulierum litigantium coram Salomone. dis.cit. num. 8. amandus est Deus super omnia, reliquæ creaturæ diligendæ sunt cum ordine. dis.cit.n. 11. præceptum amandi Deum non est grave, sed leve. dis. cit. num. 13. vt Deus Hebræos ad observantiam istius induceret, jussit eos vestiri purpura dis. & num. cit.

Amoris vigilãtis & dormientis descriptio & symbolum. disc.8.num.1. ejus probatio sumitur ex operatione. dis. 3. num. 2. quod declaratur exemplo Iacob. dis.& num.cit.& exemplo sponsæ. disc. cit. num. 3. amor numquam otiosus est. loco cit. omne arduum reddit facile. disc. cit.num. 4. id ostenditur exemplo S. Apostoli Pauli loco cit. & D. Apostoli Petri disc. cit. num. 5. & B. M. Magdalenæ. disc. cit.num. 7. ignis amoris omnes alios superat ignes. dis.cit. num. 6. qui verè amat Deum totus est Dei, n. 9. amoris divini privatio est magna pœna. n. 10.

Amor Inimicorum.

Mirum sanè, quod homo in medio ignis constitutus non ardeat amore divino disc.4.n.1. magna laus accrescit homini, magnúmque honoris assequitur titulum, cùm suis ignoscit inimicis, dis.cit.num.2. numquam angeli illo honore affecti fuerunt, quem Deus attribuit homini diligenti inimicos, dis.cit.num. 3. qui iniurias remittit, Dei quasi induit naturam & speciem. dis.4.num. 4.5.& 6. bonus latro ex voce Salvatoris nostri rogantis Deum Patrem suum pro inimicis cognovit ipsum esse Deum. disc.cit. n. 7. qui diligunt inimicos suos in magnâ sunt apud Deum æstimatione, & ad summam evehuntur dignitatem, idque multi declaratur exemplis disc.cit.num. 8.9.10.& 11. sancti & electi diligentibus inimicos reverentiam exhibent. disc. cit. num. 12.

Angelus.

Idem fuit Angelus confortans Christũ in horto Gethsemani, & annuncians B. Virgini Christi Incarnationem. disc. 41. num. 5.

Cur Angeli primo hortati sint pastores ante ingressum in stabulum. disc. 15. num. 2.

S. Patriarchæ Iacob peregrinanti assignavit Deus Angelos comites & custodes. disc.6.n.1. cuilibet homini à primo nativitatis suæ die datur Angelus custos. disc. cit. num. 2.

SS. Angeli desiderant nos custodire & protegere semper & vbique. dis.cit.num.3.4.5.& 11. peccantem etiam non deserunt & orant pro nobis. disc cit. num. 6. nos satagunt ab irâ divinâ & pœnis eripere. disc.6.num.7. 8. & 9. defendunt nos ab insidijs diaboli. dis.cit. num. 10. succurrunt nobis specialiter horâ mortis. dis.cit.num. 12. gaudio summo exultant, cùm deducunt nos ad æternam gloriam. dis. cit. num. 13. Angelo tutelari gratiæ agendæ sunt. dis. cit. num. 14.

Anima.

Est veluti civitas obsessa à mundo, carne & dæmone. dis. 18. num. 13.

Antigonus rex.

Summam in dignitate mundanâ conspexit miseriam. disc. 5. num. 2.

Antiochus.

Ejus vana promissio. disc. 46. num. 21.

S. Antonius.

S. Antonius.

S. Antonio diaboli apparuerunt sub varijs figuris. disc. 13. num. 12.

SS. Apostoli.

Tametsi in Christum peccantes reprehendendi essent, vocantur tamen ab eodem fratres disc. 50.n.13.ante pedes Apostolorum fideles in primitiua Ecclesia proijciebant pretium agrorum venditorum. disc. 49. num. 14.

Aqua.

Aquæ putealis in Achaiâ mira virtus. disc. 41. n. 4.

Aranea.

Ejus diligentia & sedulus labor.disc. 41. num. 4.

Arbor.

Arbori fici maledixit Dominus,& quare.dis.25.n. 4.

Archias.

Quia spreuit epistolam amici seriò eum monētis de periculo vitæ,miserè perijt dis.61.num.11.

Arcus cœlestis.

Inter alias creaturas non fuit invitatus à tribus pueris ad laudes Deo decantandas.dis.25.n. 1.

Arsenius Abbas.

Ejus mirabilis & prodigiosa visio. disc.25. n.10.

D. Augustinus.

Doluit sæpissimè, quòd aliquoties planxerit Didonem mortuam. disc. 34. num.20.

Balsamum.

Ejus natura & proprietas. dis. 37. num. 9.

Beatitudo.

Diversa sortitur nomina beatitudo æterna.dis.8. num. 1. eandem beati verbis explicare nequeunt. disc. cit. nu. 2. 3. & 4. Deus plurimis electis secretò communicavit aliquam cœlestis gloriæ vmbram seu speciem. disc. cit. num. 5. multò plura beatus in cœlo videbit,quàm quæ in sacrâ scripturâ de gloriâ æternâ dicuntur. disc. 8. num. 7. vnica gloriæ cœlestis guttula totam damnatorum amaritudinem indulcoraret disc.cit. num 8. beatus novâ quasi semper perfruitur voluptate, nullâ afficitur tristitiâ. disc.cit.num.9. beatitudo æterna comparatur torrenti.num.10.meritò dici potest & vocari: *non plus vltra*, discursus cit. num. 11. D. Augustinus, vt eam intueretur, atroces appetijt subire pœnas,& alij sancti, vt illam viderunt, cunctas spreverunt mundi vanitates.loc.cit.alij cunctis renuntiarunt bonis & facultatibus. n. 12.seriò quærenda est æterna gloria.n.13.quia quidam hanc non ardenter quæsivit,ideò gehennalibus excruciatus fuit flammis. n. 14. ad obtinendam illam nos instigare deberet vilissimum ejus pretium.dis.8.n. 15.ad sustinendas patienter adversitates multum confert recordatio cœlestis gloriæ.disc.cit.n.16. incitat animos nostros ad strenuè pugnandum & Deum super omnia amandum. disc. cit. num. 17. & 18.

Blasphemia.

Gravissimum peccatum est, & ejusdem rationis cum peccato Crucifixionis.dis.9.n. 10.blasphemiæ sunt spinæ, ex quibus corona spinea Salvatoris formata fuit.disc.cit.n.11. illis peccator occidit Deum.loco cit.blasphemoDeus aptauit homicidij legem.loco cit. impius Mahometus in blasphemos legem protulit, vt secarentur.loco cit blasphemans & fidem negans non differunt dis.cit.num 12.difficulter remissionem consequitur. disc.cit.n.13. cæteris peccatis aliqua subest excusatio, nulla blasphemiæ.loc.cit.difficulter blasphemi agent pœnitentiam.disc.cit.n.14. plurimi blasphemorum non agentium pœnitentiam recensentur. disc. cit. num. 15. morientur quasi desperati. loco cit.

Cain.

Illius peccatum gravius fuit peccato Adami.dis. 24.n 4.& exclusus fuit à regno cœlorum.disc. 49. num. 3.

Capilli.

Abrasio capillorum apud gentiles fuit signū servitutis.disc.74.num.6.Virginum Deo consecrandarum capilli cur abradantur.disc. 74. milites Alexandri Magni abrasis capillis victores evaserunt.disc.cit.n.8.abrasio capillorum apud diversos populos diversa significabat.dis.cit.num. per capillos significantur cogitationes. disc.31. num. 3.

Cedrus.

Ejus proprietas & natura. disc. 37. num. 3.

Centurio.

Ex voce & non ex facie agnovit Filium Dei. dis. 21. num. 4.

Christus.

Factus est homo,vt nos essemus filij Dei.Disc. 1. n. 12. in vtero Mariæ Virginis adhuc existens magnum sensit dolorem.Disc.1.num. 18. ideò incarnatus est, vt membra acciperet passioni idonea.Disc.cit.num. 19. quare fuerit circumcisus.loco cit.cur noluerit nasci ex stirpe gentilium,sed Hebræorum loco cit. summè gaudebat, cùm differentes de pœnis,flagellis,morte, & passione suâ audiret.Discursus cit. num. 20. promptè & hilariter iuit ad mortem.loco. cit. cur nihil voluerit Pilato respondere.Disc. cit. num. 21. exclamando. *Deus meus, Deus meus, &c.* quasi lamentatus fuit, quod sibi eriperetur occasio patiendi vlteriora tormenta. Disc. cit. num. 22. quid per ejus vestem inconsutilem integram conservatam denotetur.Disc. 1. num.24.cur sitiverit in cruce.Disc.cit.num. 28. summâ affectus iniuriâ remisit iniuriam, & idem fecit toto vitæ suæ tempore. Disc. 4.num. 18. cur exiuerit è templo Iudæis ipsum lapidare volentibus. Disc. 15. num. 4. ante institutionem SS. Sacramenti jussit adferri vas aquæ. Disc. 17. num 8. est dux exercitus Christianorum.Disc. 18. num. 4. in cœna sacra seipsum refecit synaxi ob dulcedinem suam,Dis. 19. num.8.dicitur fons.dis.20.num.2.3. & 4.in extremo judicio ostendet suas plagas peccatoribus. disc. 32. num. 1. in eodem aget quoque Anatomicum. disc. 31. num. 2. sitiens mori voluit, & quare. disc. 49. num. 2. cur illius faciem velarint Hebræi in passione. disc. 54. num. 10. cur in horto Gethsemani oraturus procidit in faciem suam. disc. 59. num. 4. vt nos doceret perseverantiam,noluit descendere de cruce. disc. 60. num. 4.

Christianus.

Quis verè censendus sit Christianus. disc. 21. n. 15.

Cinis.

Ejus mirabilis virtus. disc. 47. num. 10.

Cinnamomum.

Ejus proprietas & natura disc. 37. num. 9.

Civitas.

Ad civitatem ab hostium insultu defendendam tria Plato asserit esse necessaria. disc. 6. num. 10.

Clypeus.

Clypeorum variorum effectus & virtutes.dis. 18. num. 6. & 7.

Codrus.

Atheniensium rex Codrus propria morte ab obsidione liberavit vrbem & patriam, disc.1.num. 15.

Columba.

Quæ apparuit supra Christum in flumine Iordanis, vera fuit & non ficta. disc. 25. num. 2.

Confessio.

Facile remedium est, quo peccator salvatur. disc. 10.num.2.in judicijs mundanis post confessionē superest mors,in tribunali divino post confessionem obtinetur vita & corona. disc. cit. num. 3. vt homo confiteatur peccata sua, nullam habet causam erubescendi. num. 4. vtilis & salubris est confessio ad obtinendam sanitatem animæ.num. 5.facilis est, tametsi nonnulli difficilem sibi eam imaginentur.num. 6. & 7. medicina efficax est ad sanitatem acquirendā tùm corporis, tùm animæ. num. 8. Cain non obtinuit sui peccati veniam, quia noluit illud confiteri.disc.cit. num. 9 & 15. idem contigit intranti conviviū sine veste nuptiali. loco cit. hisce prudētiores fuerūt Publicanus, Lamech, Patriarcha Iudas, filius prodigus & probus Latro. n. 10. anima mediante confessione ex deformi fit formosa & pulchra.disc. 10.n.12.confessionem peccatoris sibi Deus ducit honori & gloriæ.disc. cit. num. 13. si vnum subticeretur peccatum,inualida esset confessio num.14. ex defectu confessionis ortum suum ducit humani generis perditio & ruina.loco cit. confessio debet esse libera,candida, syncera, integra, & sine vllâ excusatione & pudore.dis.10.n.14.15. 16.confessio coacta non est Deo grata.dis.52. num. 6. & seq.

Conversatio malorum.

Multa & gravia parit damna,idque plurimis ostenditur exemplis.dis. 11. per totum. justi potius ab igne, quàm à malorū conversatione se conservarent illæsos.dis.11. num. 2. Abraham malorum conversationis advertens periculum sine mora eam devitat.disc.cit.num.3.fugientes malorum conversationem cælo appropinquant. num. 4. magnum subeunt periculum quot-

quotquot cum malis conversantur, n. 5. 6. & 7. justi patiuntur propter malorum conversationem, loco cit. justi etiã mortui nolunt cum malis conversari. disc. cit. n. 7. miraculum esset si boni conversantes cum malis non perverterentur ab eis. disc. cit. n. 7. & 8. effectus malæ conversationis. disc. cit. num. 9.

Cor.

Cordis duri & obstinati descriptio. dis. 52. num. 1.

Correctio Fraterna.

Plato saluberrimam de corrigendis proximis cõdidit legem. disc. 12. n. 1. vt quis corrigat proximum, debet illius salutem veluti propriam curare. disc. cit. num. 2. insuper debet esse homo bonæ vitæ & conscientiæ, num. 3. & 4. hujus defectu Adam non fuit ausus corripere vxorem suam Euam vetitum comedentem pomum. n. 5. correctio etiam fieri debet secretò. n. 6. 7. 8. & 9. cum charitate & suauitate. disc. cit. n. 10. 11. 12. & 13. pulchra hujus verbi *corripe* etymologia. num. 10. ex acerbis correctionibus multa sæpè secuta fuerunt damna. num. 10. magnum apud Deum consequuntur meritum & mercedem, qui vtiliter hoc officio correctoris funguntur. num. 14. & 15.

Corona.

Quæ Cæremonia in coronatione Imperatoris apud Romanos observabatur, & nunc observabatur in coronatione summi Pontificis. dis. 47. num. 8. & 9.

Milites Christi hîc in mundo non sunt coronandi. disc. 69. num. 11.

Variæ apud Romanos olim distribuebantur Coronæ. disc. 12. num. 15.

Cygnus.

Ejus carnium esus prohibetur Hebræis, quia hypocrisis symbolum. disc. 25. num. 5.

Cypressus.

Hujus natura & proprietas. disc. 37, num. 4.

Darius.

Darius rex Persarum ad bellum conduxit secum solem. disc. 17. num. 2.

David.

Ejus crudelis vindicta. disc. 29. num. 22.

Deliciæ.

Hîc in mundo delicijs non est indulgendum, vnde à Doctore quodam reprehenduntur aulici regis Franciæ. disc. 69. num. 14.

Demetrius.

Ejus responsum de scutis Babyloniorum. disc. 12. num. 16.

Demosthenes.

Summopetè dolebat ob mortem filij. disc. 45. n. 8.

Detractor.

Assimilatur serpenti. disc. 50. num. 2. & cani venatico num. 4. pulchrè reprehenditur à D. Hieron. num. 8.

Deus.

Vult appellari dilectus hominum. dis. 2. n. 1. super omnia diligendus, & ideò culpabilis Petrus Apostolus. disc. 2. n. 2. Deus sine homine quasi infœlicem & solum se esse censuit. disc. 1. num. 4. 5. & 6. Deus totum petit cor. disc. 2. n. 8. & 9. Deus præcipiendo amorem non gravia sed facta facilia præcipit. disc. 2. num. 13. diversa sibi jussit offerri sacrificia juxta diversitatem temporum. disc. 2. num. 3. plus sollicitus est pro defensione nostri honoris, quàm nos ipsimet. dis. 4. num. 14. vt nostrum defendat & promoveat honorem, negligit proprium. disc. 4. n. 19. Deus vocatur dulcis & suavis per excellentiam. disc. 19. num. 1. assumpsit naturam humanam, vt posset plorare. disc. 34. num. 10. quotiescunque magnum aliquod patravit opus, mira quoque dedit principia. dis. 38. num. 1. cur Deus creando hominem non dixerit *fiat*, sed *faciamus*. dis. 43. num. 7. Deus in creatione mundi & Mariæ Virginis comparatur ludenti certo genere ludi. disc. 43. num. 9. Deus non benedixit herbis terræ, creando eas & quare. dis. 49. num. 3. apud Deum non est personarum acceptio. disc. 69. n. 12.

Diabolus.

Contentus est parte & medietate cordis. disc. 2. num. 8. & 9. larvatus incedit horribilem & variam præ se ferens figuram. disc. 13. num. 1. & 2. aggreditur partem debiliorem. disc. 13. num. 3. cur caudâ tertiam partem stellarum cœli traxisse dicatur. disc. cit. n. 3. diabolus in initio debilis instar formicæ, sed postea euadit leo, si primò non fiat ei resistentia. disc. cit. num. 4. plus persequitur bonos & justos quàm malos n. 5. non nisi consentientes & volentes devincere potest n. 6. decipere non cogere potest num. 8. 14. & 15. post passionem Christi amisit

amisit vires suas.num. 10. nulli nocere potest, nisi obtentâ à Deo licentiâ.num.11. & meritò irridendus est. disc. cit. num. cit. cùm hominē tentat,suo fungitur officio. dicitur enim & est tentator.n.13.cunctorum examinat & scrutatur vires, loco cit.

Dignitas.

Dignitas mūdana est instar tuceti.dis.5.n.1.præfiguratur per statuas varias,loco citato.dignitas mūdana & corona regis grave pondus.n. 2. Imperatores gentiles valedixerunt mundi dignitatibus.n.4.dignitatē Christo ostendit diabolus,sed non curas & molestias ei annexas.n. 4.has advertit Moyses & propterea conquestus fuit apud Deum.loc.cit.dignitates vanæ & fugaces sunt,dis.5.n.5.6.&.7.constituti in dignitate sunt veluti Comici fictam repræsentantes personā.n.7.Similus dies dignitatis non reputavit inter dies vitæ suæ loco cit.Adrianus sextus & Leo vndecimus dies pōtificatus appellarūt dies infœlices loc. cit ad dignitates suscipiendas sancti coacti fuerunt.n.10.in dignitate constitutus priusquam aliquid de honore suo perderet, integra potiùs regna ad extremam redigeret perniciem. disc. 5. num. 11.

Discordia.

Hominem ad vltimam deducit perditionem.disc. 57.n.5.illam Deus semper odio habuit.dis. cit. num. 3. 4. & 5.

Divitiæ.

Quare sint fugiendæ.dis.14.n.1.Israelitæ onerati divitijs nequiuerunt ambulare supra aquas,veluti S.Petrus Apostolus.dis.cit.n.2. divitijs veluti gravi onerati pondere nequiunt sustineri à terra.n.3.ijsdem oneratus stare non potest.loc. cit. ad imum inferni barathrū descendit ocyor Euro.n.4.divitiæ impediunt hominem à salute æterna.num.5.dives vix se conservare potest à peccato liberum.n.6. divitiæ etiam moderatæ periculosæ sunt.nu.8.auarus diuitias veluti idolum colit,& ideò Iudas proditor argenteos nummos proiecit in templum.n.9.dives auarus in seipsum crudelis efficitur num. 10. divitiæ privant hominem requie,bellum parant, loco cit.divites suiipsius existunt homicidæ.n.11.sūt etiam crudeles in pauperes.loco cit.petiturus cœlum exoneret se divitijs,necesse est.n.12.est solum dispensator bonorum temporalium. dis. cit. num. 13.

Ecclesia.

Ecclesiæ honor & reverētia exhibēda est,& ideò ne apud Hebræos templum prophanaretur, in delinquentium refugiū destinabantur sex oppida.disc.15.n.1. ideò pastores etiam priùs monebantur ab Angelo,antequam intrarent stabulum, vbi Christus recenter natus erat. n. 2. eandem ob causā Angelus forcipe accipit carbonem,quo labia purificavit Prophetæ Isaiæ. n. 3. ideò denique Christus exivit de templo Iudæis eum lapidare volentibus.n.4. Ecclesia est locus orationis & medicinæ spiritualis.n.4. in eâ servanda est modestia,ad eámque tanquā ad cœlum eundum est.n.5. antiquitus ecclesijs præficiebantur ostiarij & quare.loco cit. Christianorum hujus temporis reprehenditur pravitas, & pœna refertur, qui nullum ecclesijs deferunt respectum.n.6.7.8.9.10.& 11.tota Ecclesiæ structura comparatur igni.dis. 4. n. 1. & citharæ. dis. 42. num. 8.

Elephas.

Quomodo capiatur. dis. 49. num. 20.

Elias.

Elias petiturus cœlum,reliquit pallium suum, & cur.dis.14.n.12. cur Deus ei miserit cibum per corvum dis.46.n.10. cur Elias curru igneo raptus in cœlum & Moyses mortuus sit.dis.73.n. 7.Elias sedens iuxta torrentem Carith pascitur à corvis, fugiens verò iram Iezabelis pascitur ab Angelis, & cur. dis. 4. n. 11.

Elisæus.

Mactavit par boum & aratrum confregit & combussit,cujus causa aperitur.dis.43.n.5.baculo S. Elisæi nequivit Giezi suscitare puerum mortuum. dis. 12. num. 13.

Ericius.

Fabula de Ericio decipiente vulpem. dis. 2. n. 9.

Eucharistia.

Splendissimum convivium est.dis.16.num.2.&. 3. prima hominis admiratio cœpit à sanctissimo Eucharistiæ sacramento.dis.cit.n.6.SS.hocSacramentum summam parit admirationem. n. 5. 6. & 7. silentium inducit. n.8. est summi amoris signum,& non plus vltra.disc.cit.n.9.qui hoc

hoc sacrosancto fruitur cibo, cunctas spernit mundi delicias.n.10.tametsi vtilis sit, plurima tamẽ non afficiuntur ejus desiderio.n.12.& 13

Summa huic SS.Sacramento exhibenda est reverentia. disc.17. excepto hoc Angelorum cibo nullus fuit adoratus cibus. disc. cit. num.1. sumpturus SS.Eucharistiam summâ nitere debet puritate, & ad hanc tria requirunt.n.6.7.& seq.

SS.Eucharistia diversis honoratur titulis. dis. 18. n.1.vocatur præcipuè gladiusGedeonis.dis.cit. num.2. robur & fortitudinem tribuit. disc. 16. per totum. Est frumentum,quo anima præmunita nullos timet hostes. num.2. comparatur etiam clypeo.n.6.& 7.figuratur per panem Eliæ missum.n.8.singularem D.Petro addidit animi fortitudinem. num. 9.

SS.Eucharistię cibus mirâ prędidus est dulcedine disc.16.n. 11.& dis.19. per totum. Plurimi sanctorum sensibiliter illius gustarunt dulcedinẽ. disc.19.n.6.ob hanc dulcedinem Christus sacra seipsum refecit synaxi.disc.cit.n.8. tribulationes aliàs amaræ per hujus SS.cibi dulcedinem dulcorantur.loco cit. hanc non percipiunt peccatores.n.9.SS.Eucharistia dicitur fons.dis.20. num. 1. & 15.

Fabula.

De Ericio & vulpe. disc. 2. num. 9.

De amore gentilium reprimente ignitas Iovis sagittas. disc. 3. num. 6.

De idolo quodam dicente veritatem.disc.72.n.1.

Faustina imperatrix.

Amasij sui capite iam plexi sanguinem bibere appetijt. disc. 7. num. 5.

Fides.

Sine fide impossibile est placere Deo,disc.21.n.1. definitio fidei. disc.cit.n. 2. auditus in materia fidei securior quocunque alio sensu externo.n. 4.eximia fides Ludouici regis Franciæ.n.5. fides sine operibus,insufficiens est ad salutem.n. 6. pulchrè id declaratur exemplo rami oliuæ, quem ore tulit columba ad arcam.n.7. frustra laborat,qui solâ fide sine operibus cõsequi nititur vitam æternam.disc.21. num. 8. fides comparatur scuto.num.9. veræ fidei vix hisce temporibus cernũtur effectus.n.13.quomodo intelligenda sint verba illa Prophetæ : *iustus autem in fide sua vivet*.n.14.scutum fidei sine exercitio bonorum operum nihil prodest.n.16.& 17.fides magnâ pollet virtute ad convertendu m peccatorem. disc. 7. num. 6.

Gratitudo.

Omnes creaturæ insensitiuæ gratitudinis ostẽdunt signum.dis.22.n.1.in signum gratitudinis ethnici post adeptam victoriam ponebãt coronam triumphalem ante pedes Iovis. Et Seniores Apoc.4.mittebant coronas suas ante thronum. disc.22.num.2.gratitudinem Deus ab exordio mundi præcepit homini.num.3.insignis gratitudo Ioseph Patriarchæ & Polycarpi martyris n. 11. Plura alia de hac virtute habebis obuia. disc. cit. per totum.

Græci.

Curiosus Græcorum ritus restituentium civem pristinæ libertati. disc. 35. num. 9.

Gula.

Homo per peccatũ & præcipuè per gulam similis efficitur brutis.dis.23.n.2.gula exterminat omnis virtutes & præcipitium parat.dis.cit. n. 3. nulla dies aut hora aptior ad patranda mala, quàm dies & hora gulæ & convivij. num. 4.

Hercules.

Suo terribili aspectu interfecit proprium filium. disc. 30. num. 3.

Homo.

Formatio hominis ex terra fuit arrha amoris divini in eum dis.1.n.2.sine homine Deus quasi infœlicem & solum se censuit.dis.cit.n.4. 5. & 6. invento homine Deus quasi beatum se existimavit & quietum.dis.cit.n.6.& 7.Deus in animarum nostrarum Iudicem voluit eligere hominem & non Angelum,& quare.dis.10. n.4. homo comparatur civitati,quam impugnat & obsidione ingit diabolus.dis.13.n. 3. quænam sit imago illa,ad quam homo dicitur esse creatus disc.13.num.6.propriam similitudinem ipsemet homo sibi conficere debet.dis.cit.n.7.in omnibus ferè dotibus & donis superatur ab alijs animalibus excepto ejus libero arbitrio. disc.cit.num.7.hominis liberum arbitrium est veluti propria portio substantiæ ejus. disc.cit. num. 9. prima hominis admiratio cæpit à SS.Sacramento Eucharistiæ. disc.16.n.6.quàm pauci hominum salventur pulchrè ostendit

D. Chryſoſtomus. Diſc.26.n.14. nihil durius & acerbius,quàm quod homo ab hoſte ſuo puniatur & torqueatur.Diſ.26.n.7.homo creatus fuit inermis, cætera verò animantia armis præmunita fuerunt. Diſc. 55. n. 1.

Homicidium.

Gravitas peccati homicidij ex multiplici elucidatur capite.Diſc.24.n.1.2. & Cain occidendo Abel gravius peccavit quàm Adam Diſc.cit.n. 4. allegantur pœnæ, quibus ſubiacent homicidæ. Diſc. 24. n. 5. & 6.

Hypocriſis.

Hypocriſis effectus.Diſc.23.n.10.Deus hypocritas execratur.Diſc.25.nu. 1.2.3.& 8.ideò Hebræi in veteri lege non induebantur veſtimento ex lanâ linóque contexto,nec mulier induebatur veſte virili,& è contra.Diſc. & n.cit.hypocriſis ſymbolum eſt arbor fici maledicta à Chriſto, ſtruthio & Cygnus.Diſc.cit.num.4.5.& 6.hypocrita eſt verum ens rationis & chymæra.loco citato eſt colluuies omnium peccatorum. Diſ. citato n.7.pulchrè reprehenditur à D.Chryſoſtomo. num. 10.

Idolum.

Titus & Veſpaſianus poſt vrbis invaſionem noluerunt in templo ſimul collocare idola domeſtica & extranea. Diſc. 2. n. 10.

Idolum dicens veritatem confractum & everſum fuit. Diſc. 72. num. 2.

Ieiunium.

Efficax remedium eſt ad convertendam animam. Diſc.23.num.13.exterminat omnia vitia. Diſ. cit.n.3.& 5.eſt armatura inexpugnabilis.Diſc. cit.n.5.arma & caſtra ſunt ieiunia.num.6.hiſce armis muniti Chriſtus & Elias aggreſſi ſunt diabolum.n.7.SS.Martyres ieiuni properabant ad martyrium loco citat.ieiunio S Ioſeph Patriarcha euaſit victor.n. 8. ieiunium innocentem quemlibet & à gravibus etiam ſceleribus alienum declarat.Diſc.23.num.9.& 10.homini ieiuno obedit Deus & cœlum.Diſc.cit.num.11. homo ieiunus eſt Angelus.Diſ.cit.n.12.ieiunantes inſcribuntur ab Angelo catalogo ſanctorum n.13. ad verum ieiunium non ſufficit abſtinentia à cibis,ſed etiam à peccatis abſtinendum. num. 14.

Ieſus.

S. Paulus in raptu didicit,quænā SS.nomini Ieſu exhibenda ſit reverentia.Diſc.9.n.1.hoc idem nomen ſummè venerabatur Beatiſſima Virgo. Diſc. cit. num. 2. virtute hujus SS. nominis ſtupenda patrata ſunt prodigia,idque ex varijs S.Scripturæ locis elucidatur.Diſc.9.num.3. 4. 5.& 6. hoc SS. nomen beſtiæ & creaturæ inanimatæ veneratæ ſunt. num. 5. & 6. ſi illud Iudas proditor invocaſſet,non tam miſerè periiſſet. num. 7. Rahab meretrix cum tota ſua parentela libera evaſit mediante hoc SS.nomine. num. 8. in tentationibus invocandum eſt nomen SS. Ieſu. num. 9. in virtute hujus ſanctiſſimi nominis nulla nobis denegatur gratia. loco cit.qui hoc SS.nomen mortis ſuæ horâ piè invocaverit, ſalvabitur. loco cit.

Infans.

Infantes ſugêtes lac tales induunt mores, quibus imbutæ ſunt eorum nutrices.Diſc.44. num. 4.

Infernus.

Duplex in inferno ſuſtinenda eſt pœna ; prima damni,quæ eſt privatio viſionis beatificæ.Diſ. 26.n.2.ex hac naſcitur in anima inexplicabilis triſtitia.Diſc.cit. n. 3. magna & indicibilis eſt etiam pœna ſenſus, ac omnium tormentorum quinta eſſentia. Diſc.cit num.4. & 5.nunquam habet finem & à fatalibus noſtri inſtigitur hoſtibus.num.6.7.8.& 10.reprehẽduntur nonnulli,qui pœnas inferni paruipendunt,& iocos reputant. Diſ. cit. n. 11.

Ingratitudo.

Quid ſit, deſcribitur. Diſc. 22. num. 1. Deus caſtigat ingratitudinem. Diſc. cit. num. 8. & 9. ingratus canibus peior. num. 10. pro ingratis nulla apud veteres fuit taxata pœna. Diſc. cit. num. 13.

Invidia.

Hanc fugiendam eſſe ſuadet Seneca. Diſcurſ. 27. num.1. invidiæ vera delineatio. loco cit. invidus maiori nequit affici tormento, quàm dum æmulum ſuum affici cerni beneficijs Diſc. cit. num. 2. invidi internus cruciatus parum differt ab infernali.num. 3. invidiam eſſe verum dæmonem pulchrè oſtendit S.Baſilius.num. 5. invidus rectè tigris dicitur.num. 7. talis tigris fuit rex Saul.num.9. invidus meritò comparatur

tur serpenti num. 11. mors animæ invidia, loco cit. crudelior est feris & bestijs. n. 12. invidia suâ malitiâ omnia superat vitia, num. 13. invidi peiores sunt ipso diabolo. n. 14. illis ne quidem Angeli resistere valent. n. 15. mortem invidia intulit mundo. num. 16.

Ioseph Patriarcha.

Mortificatione & ieiunio effrenis vxoris Putipharis deuicit tentationes. dis. 23. n. 8. punitus fuit à Deo, quia in eo non posuit spem & fiduciam suam. dis. 63. n. 9. Moyses tulit ossa Ioseph secum, & quare. disc. 73. num. 6.

S. Ioseph Sponsus B. M. V.

Comparatur S. Patriarchæ Ioseph. disc. 28. num. 2. maxima & infinita ejus declaratur dignitas. disc. cit. num. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. ipsi meritò cedunt omnes sancti Dei. disc. cit. num. 9. magnum fuit miraculum, quòd Iosue duci populi Israelitici obediuerit sol, at S. Iosepho non semel, sed sæpè paruit sol justitiæ. disc. cit. n. 10. tanto in Christum ferebatur amore, vt nisi divinitùs conservatus fuisset, præ amore obijsset. n. 11. morti ejus Christus præsens fuit num. 14. B. Virgo S. Iosephum multum honoravit & se illi postposuit. disc. 41. num. 8.

S. Ioannes Euang.

Ei in ollâ ferventis olei constituto nullum damnum intulit ignis & ardor olei, & quare. dis. 3. num. 6.

Iudas proditor.

Triginta argéteos ab Hebræis acceptos reiecit in templum, & quare. disc. 14. num. 9. si SS. nomen Iesu invocasset non tam miserè perijsset. dis. 9. n. 7. plus offendit Deum, quia desperavit de misericordia Dei, quàm quia Christum prodidit. disc. 46. n. 19. sufficientia Deus ei dedit media ad salutem. disc. 62. num. 6.

Iudith.

Conopæum Holofernis obtulit in anathema oblivionis, causam hujus dabit disc. 53. num. 2.

Iudicium extremum.

Ab extremo judicio exulabit misericordia, sola regnabit justitia. dis. 29. n. 3. 4. 5. & seq. Sancti Deo assistent judicanti, nec minimum movebuntur ad compassionem peccatorū cernentes ruinam. disc. cit. n. 9. gentiles valdè deterrebantur audientes mentionem fieri extremi judicij. dis. 30. n. 1. terribilis Christi facies in extremo judicio, nec solùm peccatores, sed etiam justi & Angeli timore concutientur. disc. 30. n. 2. 3. 4. 5. & seq. Severitas extremi judicij ostensa fuit cuidam monacho. disc. cit. n. 6. invehitur Author in eos, qui instar Ionæ dormiunt sopore gravi, & non recogitant seriò terrorem futuri Iudicij. disc. 30. n. 1. & 11. rigorosum examen nostrorum operum in extremo judicio instituetur. disc. 31. per totum, manifestabuntur in eo secretissimæ cogitationes, & æternus Iudex instar Anatomici omnium delicta etiam minutissima inquiret. disc. 31. n. 2. 3. 4. & seq. scrutabitur quoque cogitationes peccaminosas etiam subitò repressas. disc. cit. nu. 5. rigorosum hoc examen pertimuit Iob. n. 6. peccatores torquebuntur suorum pudore peccatorum, quàm infernali igne. n. 7. dæmones accusabunt nos in judicio. Disc. 31. n. 10. & 11. justi remota pietate Dei vix salvabuntur. n. 12. & seq. & Disc. 2. n. 3. tremenda Iudicis sententia. disc 32. Christus in extremo judicio peccatoribus ostendet suas plagas ad confusionem illorum. Disc. cit. nu. 1. Sancti tametsi vellent, non tamen poterunt impios iuuare. Disc. cit. n. 2. & 3. Sanctorum intercessio nullum habebit locum in extremo judicio. disc 32. n. 4. tam terribilis erit sententia Iudicis contra peccatores, vt nisi essent effecti immortales, morerentur. disc. cit. n. 5. & 6. exclamatio Authoris de æternitate. Disc. cit. n. 7. lamentatio impiorum de malo transacto tempore. disc. cit. num. 9.

Iudicium temerarium.

Hoc veluti antiquo & communi morbo cuncti laborant. disc. 33. n. 1. & 10. adducuntur aliqua exempla eorum, qui temerè alios judicarunt. disc. cit. n. 1. & 2. res prius bene examinanda, quàm judicanda. disc. cit. n. 3. 4. 5. & seq. Abimelech noluit temerè judicare Isaac. disc. cit. n. 9. Pharisæus ob temerarium judicium damnatus n. 10 tantum est discrimen inter temerarium judicium & reliqua peccata, quantum inter trabem & festucam num. 11.

Iulius Cæsar.

De ingratitudine filij sui Bruti summè conquestus fuit, disc. 22. num. 12.

Iupiter.

E cœlo in terram attractus fuit à Venere. disc. 40. n. 3. dexterâ tenet sagittas, quas non nisi igne ardentes mittit in terram. disc. 70. n. 2.

Lachrymæ.

Magna lachrymarum vis & efficacia. disc. 34. abstergunt & delent peccatorum macula, disc. cit. num. 1. & 2. efficaciores sunt orationibus. num. 3. sunt instar spongiæ n. 4. extinguerent penitus ignem inferni tanta est earum vis. n. 5. ignis fornacis Babylonicæ nequiuit nocere regi deploranti peccatum suum, disc. 34. n. 6. Ninivitæ lachrymis suis irritas fecerunt preces Ionæ. n. 7. lachryma cogit Deum. n. 8. Ezechias planctu suo sine morâ obtinuit pristinam sanitatem. n. 9. varia encomia lachrymarum. n. 10. non propter res vanas & mundanas, sed ob amissionem gratiæ & offensam Dei fundendæ sunt. num. 12. & 13. & seq.

Lapis.

Lapidi quem David infixit fronti Goliath, inscriptum erat nomen Iesus. disc. 9. n. 3. & disc. 18. n. 5. lapis oblatus Alexandro magno pondere suo omnia superabat; ab omnibus verò superabatur apposito ei cinere. disc. 47. num. 10.

Lascivia.

Hæc omnium viarũ ad infernum nos perducentium latissima est, & pestis nobis connaturalis. disc. 7. n. 1. conversio peccatoris lascivi valdè difficilis est. disc. cit. n. 1. 2. 3. & b. ardor lasciviæ ignis æterni æmulus est disc. cit. n. 2. aliqua vitia dependent ab hoc lasciviæ vitio. disc. cit. n. 4. hominem transmutat in bestiam. n. 5. fides maximâ pollet virtute ad convertendum lasciuum. n. 6. ob solum lasciviæ vitium pœnituit Deum se creasse hominem, & destructus fuit mundus. disc. 7. num. 7.

Leo.

Tametsi ferocissimus videndo ignis flammam fugit. disc. 26. n. 1. sole existente in signo leonis rabie agitantur canes. disc. 27. numero 17.

Liberum arbitrium.

Libertate arbitrij homo dotatus est à Deo, eâque superat cætera animalia. disc. 13. n. 7. 8. & 9. libertas hominis tantæ est æstimationis, vt neque Deus eum possit cogere. disc. 13. n. 40.

Lingua.

Membrorum optimum & pessimum. disc. 50. n. 1. comparatur gladio. disc. citat. n. 1. viperæ. n. 2.

Longinus.

Aperiens lanceâ latus Christi officium egit Anatomici, disc. 1. num. 16.

Martyres.

Ieiuni ad supplicia properabant. disc. 23. num. 7.

Maria Magdalena.

Ejus miraculosa conversio. disc. 35. quàm anxiè quæsierit Christum. disc. cit. n 3. morbi sui agnoscens gravitatem & secuta Menecratis exemplum properavit ad Christum, à quo tanquam à Magnete attracta fuit. disc. cit. num. 4. 5. & 6. tanquam turris Babylonica à Christo veluti duce expugnata fuit. disc. cit. n. 7. instar civis Græciæ pristino restituta est innocentiæ statui. disc. cit. n. 9. ex servâ diaboli evasit famula Christi. n. 10. mirus lachrymarum ejus effectus disc. cit. n. 11. & seq. post acceptam peccatorum remissionem severam egit pœnitentiam in confusionem multorum. disc. cit. n. 17.

Maria Virgo.

Concepta fuit sine peccato originali. disc. 36. ejus immaculata conceptio comparatur navi, & demonstratur ex quatuor causis. disc. 37. & 38. eadem amplius declaratur ex S. Scripturæ & SS. Patrum testimonijs. disc. 39. B. Virgo comparatur cedro. disc. 37. n. 3. Cypresso. n. 4. palmæ. n. 5. rosæ n. 6. olivæ n. 7. platano. n. 8. cinnamomo & balsamo num. 9.

Mariæ pulchritudo.

De eâ agitur per totum disc. 40.

Mariæ

Mariæ humilitas.

De illa agitur toto diſc. 41.

Maria Virgo Mater Dei.

Comparatur meritò monti ob ſummam ſuam dignitatem.diſc.41.num. 1.cur ſacri Evangeliſtæ non deſcribant vitam & laudes Mariæ Virginis veluti Chriſti.diſc.42.num.2. Maternitas ejus fuit infinita dignitas. diſc.cit.n. 2.3.4. & ſeq. Deus maiorem mundum creare poteſt,non verò maiorem Matrem diſc.42.num.4.Maria Mater Dei ſanctitate & meritis cunctos præcellit Sanctos,idque ex curioſâ aliquâ oſtenditur hiſtoriâ.diſc.cit.num.7.Maria Virgo in Eccleſia tanquam in cithara plurimis inſtructa chordis agit vices ſupranæ.diſc.cit.num.8. comparatur monti Tibani & Carmeli ob puritatem & fœcunditatem.diſ.42.n.9.aſſimilatur terebintho. num. 10. Lilio. num. cit. malo granato. num. 11.

Maria Mater Chriſti.

Permagni Chriſtus Dominus æſtimavit ſe eſſe filium Mariæ Virginis.diſc.43.concertatio inter Chriſti generationem æternam & temporalẽ, ſacramentalem & ſpiritualem.diſc.cit.num. 1. ob abſentiam Matris fugit Chriſtus in montẽ ſolus.n.2.Cur B.Virgo in Annunciatione dixerit fiat & non faciamus.n.7.cunctis fuit dotata prærogatiuis,& ideò Chriſtus Dominus tanti æſtimavit ſe eſſe ejus filium.n.8.& 9.comparatur margaritæ. num. 10.

Maria Advocata peccatorum.

Mediante patrocinio B.Virginis citiùs perveniemus ad portum ſalutis.diſ.37.n.11.12.& 13.Maria Virgo cur dicatur à Salomone mulier fortis.diſc.40.num.3.exhortatio ad devotos Mariæ Virginis clientes,vt inſtar Loth ad montẽ myſticum,qui eſt Maria Virgo,confugiant.diſ. 42.num.13. reges & principes ſe ſuaque omnia conſecrarunt D.Virginis obſequio.diſc.43.nu. 12.B.Virgo Deum primò ſeverum nobis effecit benignum,quod declaratur vaſe quodam ceræ virgineæ Rhinocerotis,ſimilitudine, & varijs hiſtorijs.diſc.cit.num.2.3.4.& ſeq. comparatur platano.diſc.cit.num 5.auroræ num.7.labia ejus aſſimilantur funiculo coccineo.diſc.44.n.9 bonus latro per interceſſionem Mariæ Virginis conſecutus eſt paradiſum.diſc.cit.n.1.Meſſana à B.Virginis inſigni dotata privilegio.diſ. cit.num.13.comparatur Lunæ lumen præbendo peccatoribus.diſc. 44. n. 16. turri eburneæ. n.17.ex ſententia S.Bernardini pingi debet ad ſiniſtram crucis.diſc.cit.n.19.auis quædam fugiens ex auiario & capta ab accipitre cantillando Ave Maria libera euaſit. diſc. cit. n. 20.

Maria doloroſa.

Maria ſtans juxta crucẽ diverſis comparatur rebus diſc.45.n.1.S.Evangeliſta non valens ſummum dolorem B. V. in paſſione filij ſui enarrare ſolum dicit: *ſtabat autem* &c.diſc.45.n.2.B.V.præ nimio dolore interijſſet, niſi à Deo conſervata fuiſſet.n.3.dolor B. V. ſuperat omnes dolores & tormenta aliorum Martyrum.n.3. verè fuit Martyr & ideò cum alijs comitibus aliud non ſubijt martyrium.num.7.conſtans & intrepida ſtetit juxta crucem. n. 12. & 13.

Manus.

Manus oculata quid denotaverit apud antiquos. diſc. 54. num. 1.

Matthæus.

Matthæum vidit Chriſtus ſendentem in telonio. & quare. diſc. 14. num. 3.

Maximum.

Maximum ſimul & minimum quid ſit, oſtenditur. diſc. 41. n. 1.

Memoria mortis.

Res creatæ quò perfectiores & formoſiores eò magis ſubiacent defectibus.diſ.47.n.1.quàm vtilis & efficax ſit memoria mortis ex pluribus declaratur S.Scripturæ locis diſc.cit.n.3. 4. 5. & ſeq.gentiles cognoverũt hujus efficaciam.n. 4.ſervus fugiens ad ſepulchrum mitigavit irã ſui Patroni & Domini. n. 14. ſeptem philoſophorum Alexandri Magni inviſentium opinio & exclamatio.diſc.47.n.19.poſt mortem datur plus vltrà. diſc. 29. num. 1.

Meſſana.

Civitas hæc à B.Virgine condecorata fuit inſigni privilegio. diſc. 44. n. 13.

Misericordia Dei.

De hac agitur.disc.46.Deus ad misericordiam velox est,& tardus ad iram.disc.cit.1. 2. 3. & seq. Deus,ne nos puniat, multo ante nos commonet,nobisq;minatur pœnas.disc.cit.n.12.13. & seq. Iudas magis offendit Deum,quia desperavit de misericordia Dei,quàm quia Christum prodidit.disc.46.n.18.plurimi abutuntur misericordia Dei. num. 20.

Mors iustorum & peccatorum.

Mors justorum pretiosa , non terribilis, nec verè mors dicenda est,sed transitus ad vitam,& dulcis somnus; vnde mors martyrum natale dicitur. disc. 48. num. 1. 2. 3. & seq.

Mors verò peccatorum pessima,terribilis,& verè mors appellanda est disc.cit.num.11.12.& seq.

Moyses.

Fuit exclusus à terra promissionis, & quare. disc. 50.n.10. cur mandaverit populo, vt recederet à tabernaculis Core,Dathan & Abyron.dis.11. num. 10.

Mundus.

Insatiabilis est,nec sitim nostram explere valet. disc.49 n.1.2.3.& seq.inconstans est & instabilis veluti rota.disc.cit.n.9.10 & seq.instabilitas mundi meritò comparatur rotæ curris.dis.cit. n.13.mundi hujus bona pedibus conculcanda sunt.disc.cit.nu.14. fœlicitas mundanorum est instar somnij.n 15. mundus quotidie labitur. n.56.mundani potiùs sequuntur mundum deficientem quàm Christum reficientem. n. 18. mundus vindictam reputat honorem.dis. 4. n. 13.

Muræna.

Ejus proprietas. disc. 39. num. 3.

Murmuratio.

Murmurator est similis serpenti.dis.50.n.2.lingua murmuratoris animal indomabile.n.3.comparatur cani venatico.n.4. meritò à D.Hieronymo reprehenditur.n. 8. maledictus est.n. 9. & sine pœnitentia discedit ex hac vitâ. n. cit.

S. Nicolaus.

Legatur.dis.51.vbi hic sanctus Præsul in omnibus assimilatur S.Ioanni Baptistæ.

Nomen.

Nomen debet correspondere factis Maiorum.dis. 21. num. 7.

Obstinatio.

Obstinati cordis pulchra descriptio.disc.52.n.1. obstinatus extremâ mortis suæ horâ difficulter salvatur,quod ostenditur ex varijs.S. Scripturæ locis.disc.52 n.2.3.& seq. reprehenditur peccator de exiguâ curâ suæ conscientiæ.disc. cit. num.15.

Occasio peccati.

Hanc fugiendam esse suadet. disc. 53. per totum. Valde periculosa est occasio peccati.disc.cit.n. 8.

Oculus Dei.

Oculata manus quid significet.dis.54.num.1. vbi oculus Dei obtutum suum figit,cuncta ibidem fluunt benedictione. disc. n.3. mira oculorum Dei efficacia & vis. Disc. cit.n.7. & seq.

Oliva.

Olivę ramus,quem columba tulit adNoë,non solùm folia, sed & fructus habebat. Dis.21. n.7. ejus natura & proprietas.Disc.37. num.7. per ipsam figurabatur immaculata conceptio Mariæ Virginis. Disc 36. num.4.

Opera bona.

Sunt necessaria pręter fidem ad salutem æternam adipiscendam.Disc.21.à num.6.vsque ad 17.

Oratio.

Orationis efficacia & conditiones latè explicantur.Disc. 55.orationes sunt arma,quibus homo se defendit, & hostem suum evincit. Disc. cit. n.1.2.3. & seq. Deus persæpè non exaudit nostras orationes, quia scit petita nobis non conducere.Dis.55.n.10.& 11.ad orationē requiritur firma fides. num. 12. oratio humiliantis penetrat nubes & cœlos.Disc.cit. n.13. necessaria est etiam perseverantia.n.15. innocentia vitæ.n.16. & 19.reprehenditur peccator orans peccatis gravibus immersus. num.18.

Passio D. N.

Oratio Christi in horto agonizantis & sudantis sanguinem.Disc.56.num.1.2.3.& seq.vsque ad n.12. de acerba Redemptoris nostri flagellatione disc cit.num. 12. 13. & seq. vsque ad 19. de crudeli coronatione & opprobrijs, quibus Salvatorem nostrum affecerunt Iudæi.dis. cit. num.19.20.vsque ad nu.24. Christo cum Christo conscendenti monte Calvariæ obuia facta B.Virgo summo percutitur doloris gladio,& de Cruci-

Crucifixione & morte Salvatoris nostri, Disc. cit. num. 24. ad finem vsque.

Paupertas.

Paupertate veluti alâ volamus in cœlum. dis. 14. num. 12.

Palma.

Ejus proprietas & natura. disc. 36. nu. 6. & disc. 37. num. 5.

Pax.

Deus summopere amat pacem, vt propterea princeps pacis appellari voluerit. disc. 57. num. 1. quanti Deus illam æstimet declaratur ex multis sacræ scripturæ locis. dis. cit. n. 2. 3. & seq vera pax est amantibus iustitiam, hæc enim est socia pacis. disc. cit. n. 9. 10. & 12 non est pax impijs. n. 13. pacificis desiderant ministrare Angeli, & Sancti in cœlo eis exhibent reverentiam, disc. 4. num. 11. & 12.

Peccati culpa.

Peccatum est idolum hominis. disc. 17. n. 7. de gravitate & damnis peccati. disc. 58. per totũ, solum peccatum fugiendum. dis. cit. n. 1. & 2. solum illud malum, & malorũ congeries est, n. 3. 4. & 5. peccator omnia timet etiam inanimata n. 6. continuum vbique secum defert conscientiæ carnificem. disc. cit. num. 7. & 8. homo peccato tanquã gravi opprimitur pondere, & illo gravatus Lucifer in centrum terræ ocyssimè ruit. n. 9. 10. & seq. peccatum transmutat hominem in bestiam. Disc. num. 13. & 14. ob peccatum Deus recedit ab homine, quo nihil peius potest ei accidere. num. 15. & 16.

Peccati pœna.

Peccatoris Deus infligit pœnam conformem delicto, quia per quæ quis peccat, per hoc & punietur, quod ex varijs demonstratur sacræ scripturæ locis, Disc. 59. per totum.

Perseverantia.

Actionum nostrarũ bonum semper Deus spectat finem. Disc. 60. nu. 1. & 2. sola perseverantia meretur coronam Disc. cit. n. 3. Christus, vt nos doceret perseverantiam noluit descendere de cruce Disc. 60. n. 4. perseverantia ex multis alijs S. Scripturæ locis suadetur. Disc. cit. n. 3. 4. & seq. perseverans semper incipiat cum novo fervore, nec priorum recordetur operum, necesse est. n. 12. vsque ad finem.

S. Petrus Apostolus.

Cur ambulaverit supra aquas non verò filij Israël fugientes ex Ægypto. Dis. 14. n. 2. cur lapsus fuerit in peccatum. Disc. 43. num. 3. culpabilis videtur, quod Moysen & Eliã in monte Thabor pares Christo fecerit. Disc. 2. n. 2. in prætorio negavit Christum & quare. disc. 11. n. 6. navicula Petri submersionis passa fuit periculum, cujus ratio redditur. Disc. cit. num. 5.

S. Petrus Martyr.

Innocenter patitur tribulationes. Dis. 68. n. 17

Platanus.

Ejus natura & proprietas. Disc. 37. num. 8.

Pœnitentia.

Cõparatur æquæ. Dis. 17. n. 8. tarda non est grata Deo. Disc. 52. n. 6. 7. & seq. sacramentum pœnitentiæ inter singularia beneficia homini præstita vnum est disc. 10. n. 1. causat in nobis tranquillitatẽ conscientiæ, Dis. cit. n. 6. duo dantur modi acquirendi vitam æternam, quorũ vnus est pœnitentia. Dis. 61. n. 1. est medium necessarium ad salutem. Disc. cit. n. 5. 6. & seq. qui differt pœnitentiam cum spe in fine vitæ suæ faciendi illam, defraudabitur. n. 12. 13. & seq.

Prædestinatio.

Explicatur, quid sit prædestinatio, & quomodo fiat nostro concipiendi modo Disc. 62. n. 1. 2. & 3. Deus ex merâ sua misericordiâ nos salvos facit. Disc. cit. n. 4. & 5. nihilominus omnibus tribuit gratiam sufficientẽ, quâ se salvare possunt & latè id ostenditur ex diversis scripturę testimonijs, SS. Patribus & exemplis. Disc. cit. n. 6. 7. & seq. tametsi homo nesciat, vtrum amore an odio dignus sit, decẽ tamen probabilia prędestinationis signa assignari possunt, num. 14.

Præmium.

Non ob alienum sed ob proprium conceditur meritum. Disc. 21. num. 12.

Providentia Dei.

Ejus symbolum fuit oculata manus,quam pinxerant Ægyptij.disc.63.n.1.Deus propter providentiam vocatur Deus vberum.disc.cit.num.2. providentia divina ostenditur ex varijs S.Scripturæ & SS.Patrum testimonijs n.3.4.5.& seq. Deus solùm ijs succurrit & providet,qui in eo confidunt. num 7.8.9.& seq.

Purgatorium.

Duplicem animę in purgatorio sustinent pœnam, vnam damni, sensus alteram, & illa maior est. disc.64.n.1. pœnæ damni magnitudo declaratur n.3.& 4.sensus pœna in purgatorio etiam gravis est & intolerabilior quàm omnia tormenta Martyrum, disc.cit.n.5.6.& 7. magna crudelitas Christi fidelium, quotquot non succurrunt miseris illis animabus disc.cit.n.7. 8.& seq.non inutilibus lachrymis sed precibus & eleemosynis adiuuari debent mortui. n.12. & 13.quantum missæ Sacrificium possit alicui animæ esse auxilio & solatio ostenditur. disc. cit.n.13.exhortatio ad viuos,vt succurant mortuis. nu. 14.

Rahab.

Cùm tota sua parentela libera evasit mediante SS.nomine Iesu. disc. 9.num.8.

Remißio iniuriarum.

Absque remissione iniuriarum omne sacrificium imperfectum est & Deo ingratum.disc.4.n.19. injuriarum remissio suadetur exemplo ignis non comburentis tres adolescentes in fornace Babylonica.disc.cit.n.22. iniurias nolentes remittere graviter reprehenduntur à Christo.loc. cit.magna vindicativis imminet pœna.disc.4. num.21. Christiani aliquando propter lucrum temporale & non propter amorem Christi remittunt injurias.disc.cit. n. 13. Ethnici remissionem injuriarum veluti actionẽ summo honore dignam censuerunt.disc.4.num.15.& 16. Christus summâ etiam affectus iniuriâ remisit iniurias.n.17.exhortatio ad remittendas iniurias.disc. 4. num. 18.

Respicere.

Respicere Dei est ab iniquitate in melius commutare. disc. 54. num. 12.

Romani.

Horum respublica euersa fuit propter discordias & bella. disc. 57. num. 5.

Rosa.

Ejus proprietas. disc. 37. num. 6.

Rumina Dea.

Plena est vberibus. disc. 29. num. 5.

Sacerdotes.

Semper fuerunt in magnâ æstimatione.dis.65. n. 1.2.& 3.Deus non vult eorum manifestari defectus n. 5. vocantur in sacris literis Sancti & Dij,tametsi sint improbi.n.7.Christus ipsemet summis sacerdotibus exhibuit honorem.n.8.& 9.idem fecerunt alij Sancti & Imperatores.n. 11.& 12.sacerdotum virtutes non defectus inspiciendi sunt.n.13. similes sunt soli & horologio.n.14.magna sacerdorum dignitas.n.15.16. 17. & 18.sacerdos debet esse probæ & puræ vitæ.num. 19. & 20.

Sacrificium.

Nullum sacrificium sale non conditum gratum erat Deo.dis.2.n.4.diversa sibi Deus jussit offerri sacrificia. disc. cit. num. 3.

Samnites rex Ægypti.

Captus summopere doluit cernens filiorum & satraparum miseriam. disc. 45. num. 13.

Scutum.

Scuto dealbato olim tyrones muniti mittebantur ad bellum.dis.21.n.10. scuta sine arte pugnandi nihil prosunt. disc. cit. num. 16.

Seneca.

Noluit credere corpora cœlestia moveri propter hominem. disc. 1. num. 11.

Seruus Dei.

Hoc titulo vsi fuerunt Apostoli, & etiamnum vtuntur summi Pontifices.dis. 66.n.1.&.2.magna est eorum dignitas & potentia.n.2. 3. 4. & seq.iam dudum ruisset mundus, nisi servi Dei suis precibus eum sustentassent.disc.cit.n 10.& seq.

Simeon iustus.

Mortem petijt,ne præsens videret Christi passionem. disc. 45. num. 10.

S. Stephanus.

Pro seipso exorãs Deũ erecto stetit corpore,orans verò pro inimicis suis flexit genua.dis.4. num. 10. cum

10.eum planxerunt viri timorati & cur.dif.66. num. 13.

Superior.

Vt quis ritè fungatur officio superioris, variæ requiruntur conditiones: primò debet esse ætate maturus non juuenis.disc.67.n.1.sapiens. n. 2. vigilans n.3.4.5.6.& 7.debet continuò adesse & assistere subditis.n.8.& 9.severitate commiscenda est clementia.num.10.11.12.13.14.& 15. debet esse probæ vitæ.num. 16. proprio neque debet attendere commmodo n.17. his qui privati sunt conditionibus non regunt,sed regere solùm videntur, & nomine tenus superiores sunt.nu. 18. superior fungens negligenter suo officio, graviter à Deo punietur. num. 19.

Tigris.

Ejus proprietas & natura. disc. 27. num. 7.

Tribulatio.

Omnes tribulationes nobis immissæ à Deo.dif.68 num.1.2.3.4. & 5. contrarium conatus est suadere diabolus.disc.cit num.5. tribulationibus affligitur homo,vt mentem à terrenis rebus avertat,& convertat se ad Deum.num.6.7.8. & seq.& deveniat in cognitionem Dei, quem in prosperitate non cognoverat.nu.13. juxta cujuslibet vires modificantur tribulationes.disc. 68.nu.14. quare patienter tolerandæ sunt tribulationes, & Deo pro illis gratiæ agendæ sunt.n 15.16.& seq.tribulationes sunt necessariæ ad obtinendam vitam æternam, non enim alia,nisi per illas superest via, quâ itur ad cœlum,quod declaratur exemploChristi Sanctorum & alijs S.Scripturæ locis.disc.69. num. 1. 2.3.vsque ad finem,sunt signa amoris Dei & veluti sagittæ divinæ igne amoris accensæ. disc. 70. num. 1. 2. 3. 4. & seq. Sancti & justi se pronunciabant, cùm affligebantur tribulationibus. disc. cit. num. 7. 8. & 9.quò arctiùs quis amatur à Deo, eò duriùs flagellatur disc. cit num.9.qui sine tribulationibus est, signum manifestum est,Deum esse illi iratum.disc. 70. num.9. 10. & seq. tribulati magno afficiuntur spirituali gaudio.disc.71.n.1.2.3.& seq. sancti nunquam dulciùs requiescunt, quàm dum tribulationibus & laboribus affliguntur.dis.cit.n. 9.10.& seq.tristitia Sanctorum in terris habet *quasi*, eorundē verò gaudium non habet *quasi*, disc. 71.n.12.nihil est gratius Deo,quàm cùm videt electos & servos constantes & luctantes in tribulationibus, vnde meritò dicuntur spectaculum & theatrum Dei.disc.cit.n.13.& 14. cuicumque tribulato Deus semper præsens est. disc. citat. num. 15. 16. & 17.

Veritas.

Aulicorum regis Darij disceptatio, quodnā esset omnium fortissimum,& laurea defertur veritati.dis.72.n.1.veritas odium parit,suo damno id probavit idolum quoddam dicens veritatē, idq;latiùs probatur ex S.Scripturæ testimonijs. disc. cit. num. 2. 3. 4. & seq. vsque ad finem.

Venus.

Ejus fortitudo Iovem attrahentis in terram. dis. 40. num. 3.

Vestis.

CurHebræi non induebantur veste ex lanâ linoq; contextâ,& mulier non induebatur veste virili .disc.25.n. 2. veste peregrinâ indutis multa Propheta minatur mala:disc. cit.num.4.vestes mutare debebant convivæ invitati à Cæsare Augusto.disc.17.n.9.per vestes antiquas intelliguntur parvi mors. loco cit. per vestem nuptialem innuitur Sanctitas & innocentia vitæ. disc. 17. n. 10. Ioseph veste mutata prodijt in conspectum Pharaonis.disc.cit.n.11. cur vestis inconsutilis Christi illæsa & integra manserit corpore ejus toto dilacerato,& quid per illam denotetur. disc. 1. num. 24.

Vindicta.

Vindicta est summa infamia.disc.4.nu. 13. mundus vindictam reputat honorem.loc.cit.magna vindicatiuis imminet pœna,disc.cit. num. 21.

Chri-

Christianus non vindicans se de inimicis suis significatur per lapidem ex quo erigendũ erat altare. disc. cit. num. 20.

Vipera.

Generando moritur. disc. 27. n. 11.

Virginitas.

In magno honore apud antiquos fuerũt Virgines, & in maiori æstimatione sunt apud Deum. disc. 73. n. 1. 2. 3. & seq. comparantur Angelis. disc. cit. n. 3. magna dignitas & excellentia virginum. disc. cit. per totum peruetusta Ecclesiæ consuetudo, quâ Virginũ Deo consecrandarum abraduntur capilli, & quid per hanc cæremoniam Ecclesia significet. disc. 74. per totum. Virginitas comparatur regno cœlorum, & thesauro abscondito in agro. disc. 75.

Virtutes.

Virtutes excepto amore Dei certũ habent perfectionis gradum. disc. 2. num. 2.

Vua.

Prisci vuas pedibus calcando in torculari cantabant. disc. 29. num. 10.

Zeuxis pictor.

Depicturus Helenam quinque selegit pulcherrimas puellas Græciæ. disc. 43. num. 8.

FINIS.



INDEX

DISCVRSVVM

APPLICANDORVM

AD DOMINICAS ET

Maiores Festivitates totius annis.

Primus Numerus Discursum, secundus indicat Numerum eiusdem Discursus.

Dominica I. Adventus.

I*Nuenietis asinam alligatam, &c.* Matth. 21. per quam communiter intelligitur totum genus humanum; Ast cur, ô Salvator pientissime, petis illud tibi adduci ligatum & non solutum? quia vinculorum angustia, tribulationum ligatur multum prodest, nosque instigat, vt semper ad Christum properemus. Vide discursus 68. num. 6. 7. 8. 9. & seq. hoc modo vinctus & ligatus maluit esse D. Chrysostom. cum Apostolo, quàm cum eodem stare sursum. discursus. 70. num. 7. & seq. Tu neque Petro, neque Paulo melior es, si vis ad Christum & æternam gloriam venire, quid dissolutam & delicatam appetit vitam & viam contrariam? disc. 69. per totum.

Invenietis asinam & pullum. Per quæ animalia præfigurabantur peccatores, & meritò: *nemo* enim, ait Philo lib. de legibus, *iniustus est homo, sed potius bestia humanâ formâ prædita.* discurs. 58. num. 13. & 14.

Invenietis asinam & pullum, solvite & adducite mihi. Et cur? D. Chrysost. hom. 37. operis imperfecti, *non sed & in curru aureo pretiosa purpura fulgens, nec ascendit super fervidum equum, discordiæ amatorem & litis, sed super asinam tranquillitatis & pacis amicam*; pacem namque summè nobis commendat Princeps pacis. discursus. 57. de Pace per totum.

Solvite & adducite mihi. Quem amabo? peccatorem gravi peccatorum onustum sarcinâ & pondere; peccatum enim grande onus est. Vide disc. de peccati gravitate. Idem disc. 14. num. 1. 2. 3. 4. & 7. *Solvit, & adducite mihi.* Quomodo? mediante confessione; eo enim instanti quo post confessionem tuorum peccatorum dicit Sacerdos: *Ego absolvo te*, ab omni culpâ solutus abis. Vnde invitatus ille ad nuptias Matth. cap. 22. solvi noluit, quia interrogatus noluit confiteri peccatum suum, & ideo ligatis manibus & pedibus missus fuit in tenebras exteriores. disc. 10. de Confessione.

Dominus his opus habet: Deus enim omnes homines tam iustos quàm peccatores vult salvos fieri, & quamvis, vt ait Apostolus: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos faciat,* adeoque ex merâ suâ gratiâ; nulli tamen hominum

etiam damnandorum denegat gratiam sufficientem, quâ salutem æternam consequi valeat; vnde damnatio reprobi non Deo, sed reprobo asscribenda est. Vide perpulchrum Disc. 62. de Prædestinatione.

Et confestim dimittet eos. Quod summoperè miratur D. Chrysost. in hunc locum dicens. *Non paruum existimes, quod factum. Quis enim eis persuasit, præsertim pauperibus fortasis & agricolis non contradicere, quid dico contradicere, sed nec interrogare quidem.* Idque in tui confusionem, qui Christianus es, credisque per confessionem, & pœnitentiam dimitti peccatorum tuorum iumenta, & tamen non confestim dimittis illa, non confiteris, non agis pœnitentiam, sed illam differs ad vltimam mortis tuæ horam. Vide Discurs. 61. de Pœnitentiâ. Inclamat & præcipit tibi Deus sæpenumero, tum per internas inspirationes, tum per prædicatores: *Dimittite & dimittetur vobis.* Solve vindictam, dimitte, & parce inimicis tuis, tu scis hunc actum esse summè meritorium & honorificum, & confestim nihilominus non dimittis. legatur Discurs. 4. de Amore inimicorum, item Discurs. 52.

Venit tibi. Te etenim ab æterno dilexit, tecùm semper esse voluit, quia deliciæ ipsius, ipsius gloria est, esse cum filijs hominum. *Deus posuit animam suam pro hominibus, non posuit eam pro Angelis*, ait S. Bonaventura. *Ideò filius hominis factus est*, ait S. Leo, *vt nos filij Dei esse possimus.* Legatur Disc. 1. de Amore Dei erga hominem.

Imposuerunt super eos vestimenta sua. Primò ait Reverendissimus Guido ex ordine Carmelitarum assumptus Episcopus in hunc locum: vt ipsi expeditius sequerentur Christum. Quid enim sunt terrena omnia nisi quædam corporis indumenta? qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abijciat ne succumbat, inquit Diuus Gregorius in homil. lege discursum 14. de Divitijs. Secundò propter mysticam significationem, ait idem cit. Guido: nam vt dicit Diuus Hieronymus, & assumit Remigius: *Sanctorum Apostolorum vestimenta sunt opera iustitiæ, fidei & cæterarum virtutum: non enim super nudam asinam aut pullum sedit, quia siue Iudaicus, siue gentilis, nisi dictis & factis SS. Patrum fuerit ornatus, nullo modo merebitur Dominum habere sessorem.* Operibus ergo armatus hunc equum conscendere debet. discursus 21. per totum.

Dominica II. Adventus.

Erunt signa in Sole, & luna, & Stellis, &c. Lucæ cap. 21. Quàm terribilis sit futurus extremus judicij dies, ostenditur Discursus 29. per totum.

Erunt signa in Sole, &c. Si dies est furoris ac tremoris cur non statim in nihilum abeunt & & deperduntur omnia? signum est divinæ misericordiæ, respondet Diuus Augustinus Serm. 209. de tempore: sic enim sequitur: *Propterea se iudicem venturum minatur ut non inveniat quos puniat, cùm venerit.* De hac materiâ perpulchrum lege discursum 46. de Misericordiâ Dei. Secundò significatur nobis, Iudices, aut superiores corrigentes subditorum suorum defectus, non debere subitò procedere ad pœnam & severitatem, sed primò ab ijs ostendenda esse signa lenitatis, suavitatis, & misericordiæ, quibus admoneantur & quasi rapiantur subditorum corda; *corripe* enim nihil aliud sonat, quam *cor rape.* Legatur Discursus 11. de Correctione fraternâ. num. 10. 11. 12. & 13. & Discursus 67. de Superioribus. num. 10. 11, 12. 13. 14. 15.

Arescentibus hominibus. Inter omnes tribulationes humanas nulla est maior tribulatio, inquit Diuus Augustinus in Psalm. 45. quàm conscientia delictorum. Vide disc. 58. de Peccati gravitate. n. 7. & 8.

Tunc videbunt filium hominis. Iracundam videlicet præ se ferentem faciem. discurs. 30. per totum.

Tunc videbunt filium hominis. Strictissimam de omnibus & singulis exigentem rationem, discursus 31. per totum. Et tremendam æternæ damnationis proferentem sententiam. disc. 23. per totum.

Virtutes cœlorum movebuntur. Quid mirum, addit Beda, *tremere homines, cùm aspectu iudicij tremant Angelicæ potestates? Vnde Iob; columnæ*

lumne cœli contremiscunt, & pavent ad nutum eius. Et quid patitur virgula deserti, vbi concutitur cedrus Paradisi; Disc. 30. num. 4. & 5. item Discurs. 32. num. 3.4.5. & 6.

Dominica III. Adventus.

Cùm audisset Ioannes in vinculis. Matth. capite 11. Bone Deus! ergone justi etiam conijciuntur in vincula, opprimuntur hujus mundi tribulationibus? omninò; etenim teste Divo Chrysostomo lib. de Provid. Dei: *Nullus unquam ex his, qui maximè Deo chari sunt, & acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit.* Legatur discurs. 70. de quâ materiâ plures ibidem reperies discursus.

Cùm audisset Ioannes in vinculis. Et quare in vinculis? quia dixit veritatem, *dicebat enim Ioannes Herodi: non licet tibi habere uxorem fratris tui,* Matt. 6. Et ideò, subiungit Haymo, insidiabatur illi, & volebat occidere eum. *Veritas odium parit.* Videatur disc. 72. de Veritate.

Ioannes in vinculis. Quia Herodes cum Herodiade in incestu hærebat, Ioannes adhibito etiam omni labore & conatu non poterat eos ab hoc scelere liberare, siquidem quicunque gravatus libidinis crapulâ summâ cum difficultate exsurgere, & ad locum veritatis aspicere potest. Vide discurs. 7. de Adulterio.

Ioannes in vinculis. Ioanne existente in vinculis, & Herode cum Herodiade epulante in convivio, utrum ex hisce duobus eligendum existimas, ô Christiane? Si cum Ioanne moraberis patiens & contentus in vinculis, cœlestibus repleberis consolationibus. Vide discursum 71; idque multum proderit tuæ saluti, discurs. 68. Si verò mavis epulari, & esse conviva Herodis & Herodiadis, magno te expones periculo peccandi, veluti Herodes & Herodias; hæc enim quærens interficere S. Ioannem captivum, opportuniorem non habuit occasionem quàm tempore illo, quo indulgebat gulæ & crapulæ. Vnde ait S. Basilius hom. de Parad. *Corpus benè saginatum & anima illi immersa proclivis fit ad peccandum.* Legatur discurs. 23. num. 2. 3. 4. & seq. Tu ergo tribulationes potiùs, quàm vana & transitoria tibi elige gaudia, & sequere consilium Divi Chrysostomi hom. 8. in Epist. ad Ephes. 4. considerantis Div. Petrum inter vincula constitutum & dicentis: *hic si mihi quispiam dixisset: elige utrum velis, vis esse Angelus Petrum absolvens, an Petrus servatus? Petrus vtique maluissem esse, propter quem & Angelus descendit: vinculis istis potiri lubuisset.* Legatur disc. 70.

Mittens duos de discipulis suis ait illis: causam addit Divus Hieron. in Matth. dicens: *Ioannes interficiendus ab Herode discipulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem videntes signa & virtutes crederent in eum,* & subiungit. *Ioannes sciens in carcere se iam in exitum constitutum, volebat Christo discipulos suos adiungere, tanquam si providus pater filios suos moriens aßignet fideli tutori; desiderabat enim vivens plenam discipulorum suorum fidem videre, & sine dubitatione aliqua credentes in Christo, sicut pater moriens, si viderit filios suos bonis moribus ornatos, & in omni sapientiâ perfectos, securus moritur, nihil de cætero timens in illis: sic & Ioannes volebat discipulos perfectos videre in Christo, vt iucundius moreretur, magis autem non sicut Pater filios suos commendabat Christo quasi tutori, sed quasi Pædagogus alienos filios quos ad tempus accipit, vt erudiret, volebat Christo reddere quasi proprio patri ipsorum. Ideò interrogabat per discipulos, non vt ipse accipiens responsum à Christo audiret, sed ut mißi discipuli oculis viderent opera eius & crederent.* Ecce typum vigilantis Pastoris & Doctoris, disc. 67. num. 3. 4. 5. 6. & 7. Deinde ait Reverendissimus Guido in quatuor vnum: mittit duos magis dociles & benevolos, secundum Chrysostomum, vt per eos alij magis duri & minùs ad Christum devoti converterentur. Oportet enim Doctorem & Superiorem esse sapientem, discursus 67. num. 2. benignum & benevolum, disc. cit. num. 10. 11. 12. 13. 15.

Notat hic cit. Reverendissimus Guido in Lucam, Christum interrogatum non statim respondisse, sed in illa hora multos curasse à languoribus, vt opera respondeant interrogantibus. Vnde non dicit; Ego sum, ne hoc iactantiæ adscriberetur, sed eos ad suos prædicatores remittit, & miraculorum, quæ viderant & audierant tamquam testes veritatis

facit, vt per opera credãt & alios credere faciant, quoniam ipse est Christus, qui venit mundi Salvator. *Etenim*, vt dicit Chrysostomus homil. 37. super Matth. *Testimonium quod est à rebus, est credibilius testimonio, quod à verbis est.* Pari ratione non nomine, sed opere ostende te Christianum esse. Disc. 21. num. 6. 7. 8. 9. & seq.

Quid existis videre arundinem vento agitatam? Qualis est mundus, qui est instabilis, & continuò agitatur. Vide Disc. 49. de mundo.

Dominica IV. Adventus.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, vt interrogarent eum. Ioan. cap. 1. non alium in finem, nisi quia vt dicit Chrysost. homil. 25. super Ioan. invidia in Christum torquebantur & dolebant, quia Ioannem, quem magnum habebant, vt præclarum genere, filium Principis Sacerdotum, mirâ abstinentiâ sobrium, singularem Eremitam, victu & vestitu austerum à quo baptismum acceperant, Christo, quem fabri filium, potatorem vini, & peccatorum amicum accusantes contemnebant, præferebant; invidia enim crudelissima bestia est, quæ alterius prosperitatem, honorem, æstimationem tolerare nequit. Vide discursus 27. per totum.

Elias es tu? & dixit, non sum. Id tanquam fidelis imitator & discipulus Christi ab eodem didicit, qui doctrinam suam: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, exemplo comprobavit, dum fugiendo regis dignitatem fugiebat in montem ipse solus, & inclinato capite videbatur titulum crucis fugere. Disc. 5. num. 14. & 15. & per totum.

Non sum. Gratum se exhibere voluit, vt ei soli tribueret honorem, quo ille eundem accepit, instar Seniorum, qui mittebant coronas suas ante thronum. Disc. 22. de Gratitudine.

Ego vox clamantis in deserto. Sis tu quoque vox clamantis & non erubescentis in confessione. Disc. 10. de Confessione.

In Nativitate Domini.

Veniunt festinantes. Et sequuntur consilium Spiritus Sancti. Eccles. 2. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Vide Disc. 52. de obstinatione, & Disc. 91. de Pœnitentiâ.

Venerunt festinantes. Ecce effectum amoris: *qui non vult fieri desidiosus, amet*, canit Poëta. Discurs. 3.

Invenerunt Mariam, Ioseph, & infantem. Invenerunt (ait D. Bonaventura) eum cum Mariâ Virgine & Ioseph viro justo, quia eum, qui vult Christum invenire oportet habere munditiam cordis respectu sui, & justitiam respectu proximi; primum consequitur mediante confessione. Disc. 10. item Discursus 17. num. 6. 7. 8. & 9. Item Discursus 34. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 10. Secundum obtinebit remittendo iniuriam proximis. Disc. 34. num. 4. nec judicando proximos Disc. 33.

Invenerunt Mariam, Ioseph, & infantem. Ideò invenerunt subiungit quidam modernus Doctor, quia sollicitè & absque fictione quæsierunt, non veluti Herodes Discursus 25. de Hypocrisi.

Et reversi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierunt & viderant. Nimirum, inquit Nicolaus Liranus, *de beneficio toti mundo collato generaliter, & eis ostenso specialiter*, ideò subditur: *in omnibus quæ audierant & viderant.* Disc. 12. de Gratitudine.

Pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio. Ibi reclinatus & ibi quievit, ibi se poni permisit, vbi invenit hominem & humanam assumpsit naturam, extra hunc non erat ei locus in diversorio; nullibi quiescere potuit, neque in cœlo. Vnde dicebat cum Isaiâ: & *nunc quid mihi est hic, &c.* Disc. 1. num. 4. neque creatis alijs creaturis quietus esse poterat, semper enim Spiritus Domini ferebatur super aquas, neque requiescebat quousque inveniret hominem. Disc. cit. num. 6. & 7. in eodem discursu plura alia invenies pro hac festivitate.

Pannis eum involvit. vel vt alij legunt, *pannis infa-*

infasciavit. Vt nobis significaretur, quòd in potestate Virginis esset divinæ justitiæ manus cohibere, ne debitum supplicium peccatoribus inferant. *Sicut vitta coccinea labia tua: eloquium tuum dulce.* Septuag. legunt: *Sicut funiculus coccineus labia tua, &c.* Quem locum explanat Rupertus Abbas dicens: *Verba enim B. Virginis ita sunt efficacia erga filium, hoc enim exprimit funiculus coccineus, vt divinam iram videatur quodammodo reprimere ac stringere, ne in nostram pœnam & castigationem procedat.* Legatur Disc. 44. Maria Advocata peccatorum.

Non erat ei locus in diversorio. Quia vnumquodque hospitium multis peccatis plenum erat, & ideò Christus in eo locum non invenit; Deus etenim & peccatum in eadem domo, sub eodem tecto simul commorari non possunt. Instar Ericij agit peccatum vulpem paulatim è foveâ expellentis. Disc. 2. num. 9. & num. præced. 5. 6. 7. 8. & 10.

Vt Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis, &c. Hi sunt boni Prælati, subiungit glossa ordinaria, & curati, qui vigilant super propriam vitam, ne delinquant, & custodiunt vigilias noctis super gregem suum, ne luporum infernalium morsibus pereant. Disc. 67. de Superiori.

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, &c. Et cur solis Pastoribus annunciatur hoc gaudium? cur non Annæ Prophetissæ aut Sanct. Simeoni? causam ostendt Discursus. 15. num. 2. & per totum.

Et hoc vobis signum (amoris videlicet divini) *invenitis infantem pannis involutum & positum in præsepio.* Ex hoc, inquam, signo devenietis in cognitionem, quod infinito amore vos dilexerit, & eundẽ vicissim toto corde inquirere & sine modo redamare debeatis; amor enim non nisi amore compensatur, & modus diligendi Deum, teste Bernardo, est diligere sine modo. Vide Disc. 2. per totum.

Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, &c. Id est, Angelorum, vt exponit Liranus, qui nomine militiæ designantur, quia pro salute hominum cum dæmonibus præliantur. Disc. 6. nu. 11. & 12. & post Christum natum efficaciùs nos custodiunt. Disc. cit. nu. 5.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nulla enim est pax impijs, dicit Dominus Isai. 48. Disc. 57. num. 9. & seq.

Dominica infra octavam Nativitatis.

Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum. Ecce, inquit Ambrosius super Lucam, *& Simeon prophetat in ruinam & resurrectionem plurimorum venisse Dominum Iesum Christum, vt iustorum iniquorumque merita discernat, & pro qualitate factorum Iudex verus & iustus, aut supplicia decernat, aut præmia.* Duplicem vidit Simeon adventum Christi in præsenti Evangelio, adventum videlicet Christi in carne, qui est misericordiæ & amoris, vti ostenditur Discursu 1. Alterum ad judicium extremum, qui est justitiæ, veluti declarant Disc. 29. 30. 31. & 32. Et vterque in hodierno proponitur Evangelio, ne abutamur misericordiâ & infinito amore Dei. Legatur Dis. 46. n. 20. & 21.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Nullus enim sine tribulationibus ad æternam transijt gloriam. Disc. 69. Pro hac idem solvit pretium Christus & omnes Sancti. Disc. 8. num. 15.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Qualis fuerit ille gladius exponitur Discursus 45.

Vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ. Vides, inquit Ambrosius lib. 1. de Viduis, *qualis vidua prædicetur vnius viri vxor, ætatis quoque iam probata processu, vivida religione & effœta iam corpore, cui diversorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio, quæ dierum noctiumque temporibus indefesso devotionis obsequio, cum corporis agnosceret senectutem, pietatis tamen nesciebat ætatem. Sic instituitur à iuventute vidua, sic prædicatur in senectute veterana, quæ viduitatem non occasione temporis, non imbecillitate corporis, sed virtutis magnanimitate servaverit. Etenim cùm dicit septem annis eam cum viro fuisse à virginitate suâ, ab adolescentiæ vtique sinibus inchoatæ prædicat subsidia senectutis.* Ergo vixit cum viro honestè & castè, abhorruit adulte-

rium, quod est impietas maxima, aspexit propterea lucem veritatis, scilicet Christum Dominum, quam Herodes libidinis gravatus crapulâ aspicere nequivit. disc. 7.

Quæ non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus serviens nocte ac die. Id est, incessanter & perseveranter. disc. 60. de Perseverantiâ. Optimè namque cognovit domum Dei esse domum orationis, in Ecclesiâ veluti in cœlo degendum esse, nec ad adulteria componenda, & lenocinia tractanda, vt ait Tertullianus, frequentandam esse Ecclesiam. disc. 15. de Ecclesiâ.

Ieiunijs & obsecrationibus, nempè orationibus serviens nocte ac die. Commendat Sanct. Scriptura hujus sanctæ viduæ ieiunium, & meritò, quia non solùm ieiunavit à cibis, sed etiam à peccatis. Discursus 23 de Gulâ & Ieiunio. Nocte dieque vacavit orationibus, perspectam namque habebat efficaciam orationis. discursus 55. de Oratione.

Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino. Gratias nimirum agens, inquit Nicolaus de Lira, de tanto beneficio adimpleto. disc. 12. de Gratitudine.

Itaque concludit glossa ordinaria, ista scilicet Anna moraliter est exemplar, non solum viduis, sed etiam mulieribus alijs. Primò quantum ad castitatem ante matrimonium, & in matrimonio, & post per tempus longum. Secundò quantum ad devotionem; nam in obsecrationibus & ieiunijs dicitur serviens die ac nocte. Tertiò quantum ad loquendi modestiam, quia non de fabulis, sed de Christi mysterijs loquebatur, propter quæ & alia bona dono prophetiæ replebatur.

Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientiâ. In quem locum ait Reverend. Guido: dupliciter dicitur Christus in gratiâ & sapientiâ profecisse: vno modo, quia per eam merebatur nobis augmenta gratiarum, & sic suâ sapientiâ & gratiâ proficiebat, ea nobis applicando. Secundò, quia quò Christus magis procedebat in ætate, tantò plus ejus sapientia & gratia in suis salutiferis operibus manifestabatur, & proficiebat coram hominibus; vt nos instrueret semper proficiendum & perseverandum esse in bonis operibus, quia *qui perseveraverit vsque in finem hic salvus erit.* disc. 60. de Perseverantiâ.

In Festo Circumcisionis Domini.

Postquam consummati sunt dies octo. Luc. cap. 2. Miraris fortassis cur non ante; ast non miror ego, cùm Liranum dubio huic, cur ante diem octavum animalia offerri non poterant, audio respondentem: *quia ante octavum diem sunt quid imperfectum, perfecta autem Deo donanda sunt.* Consultò igitur facies, si cum hoc novi anni auspicio adimpleas legem datam à Deo, Levit. cap. 2. *quicquid obtuleris sacrificij sale condies.* Et offeras Deo, quod perfectum est, nimirum cor tuum flagrans amore in Deum, sic enim respicit Dominus Deus ad te quemadmodum ad Abel, nec reijciet holocaustum tuum, veluti repudiavit holocaustum Cain. Vide disc. 2. num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & seq.

Vt circumcideretur. Ecce aliud amoris pignus, vt hoc patefaceret nasci voluit in Iudæâ, & non inter gentiles, disc. 1. num. 19.

Vt circumcideretur. Et ostenderetur, inquit Hugo de S. Victore in alleg. in Genes. quòd tempore gratiæ corda circumcidenda erant per emendationem iniquitatis. disc. 61. de Pœnitentiâ.

Vt circumcideretur. Necesse habuit, inquit Zeno serm. de Circumcis. *ne phantasma putaretur, edicta legis vniversa complere*, quibus addit gravissimus quidam Doctor: *Circumciditur meus Iesus, ne phantasma videretur*; qui Domini præcepta non servat, non verè homo, sed phantasma reputatur, chimæra est; vult apparere, quod non vult esse. disc. 25. de Hypocrisi.

Vocatum est nomen eius Iesus. In circumcisione D. Ioannis Baptistæ præter impositionem nominis varia patrantur miracula: Elisabeth à Spiritu Sanct. nomen Ioannis discit: Surdus & mutus loquitur & prophetat, cuncti de puero præsagiunt & clamant: *nam & manus Domini cum illo est, &c.* Nullum verò in circumcisione hac Salvatoris nostri intervenit miraculum, sed solum dicitur: *& vocatum est nomen eius Iesus.* Et cur hoc? Respondet citatus Author, nullum necessarium fuisse miraculum

ob excellentiam sanctissimi nominis Iesu; in hoc namque nomine multò sunt maiora, quàm excogitare possunt. Disc. 9. per totum.

Vocatum est nomen eius Iesus. Et quare non Emmanuel, aut Deus fortis, vel omnipotens? quia illa vindictam & supplicium clamant; ast Iesus clementiam & misericordiam, quam suxit ex virgine gloriosissimâ Matre suâ, Discurs. 44. num. 2. 3. 4.

In Festo Epiphaniæ Domini.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Matth. 2. Non eos retardavit molestia & asperitas itineris, non evidentia vitæ pericula, tam laboriosè, tam studiosè quæsiverunt locum Christi nati, neque fatigantur aut desistunt, donec invenerint Christum, exemplum nobis dederunt perseverantiæ in bono opere, Discurs. 60. de Perseverantiâ.

Vidimus Stellam eius in Oriente. In his tribus verbis, ait Hugo, *continetur summa salutis æternæ: vidimus rectâ fide, venimus bonâ operatione, adoravimus mentis devotione.* Cui subiungit D. Chrysost. super Matth. *In Magis acutior fides invenitur quàm aspectus, videntibus humilia & intelligentibus alta.* Veluti latro bonus in cruce tametsi oculo corporis non cognoverit filium Dei, oculo tamen mentis perspicaciter cognovit eundem & confessus est, *verè filius Dei erat iste.* Disc. 21 num. 1. 2. 3. 4. 5. & seq.

Turbatus est Herodes & omnis Hierosolyma cum illo. Si Salvator noster adhuc puerulus totus pius & misericors terret & turbat Herodem, quomodo ergo hic turbabitur cum omnibus peccatoribus in extremo iudicij die. Disc. 30. num. 5. & per totum.

Turbatus est Herodes & omnis Hierosolyma cum illo. Et meritò, quia ambitiosus turbatur semper curis, anxietatibus, &c. Vnde Bernardus: *O ambitio ambientium, crux quomodo omnes torques!* Disc. 5. de Ambitione.

Vt & ego veniens adorem eum. Adorare eum velle se simulat, vt hunc, si invenire posset, extinguat. ait D. Greg. in Evangel. Disc. 25. de Hypocrisi per totum.

Et ecce stella quam viderant, &c. Ex hoc, inquit, Reverendiss. Guido, quod dicitur, *viderant,* colligit Chrysostomus super Matth. quòd, cùm Magi essent prope Ierusalem, Stella disparuit illis; *quod ideò factum est,* ait cit. Author, *vt Magi necesse haberent interrogare locum nati Saluatoris deficiente ducatu Stellæ;* Deus enim vult, vt ejus luci gratiæ nostram addamus operam, Disc. 62. num. 10. 11. 12. & seq. item Disc. 21. num. 6. 7. & seq.

Et procidentes adorauerunt eum. Cur Christus Dominus permiserit se à Magis adorari tanquam Rex, fugerit verò honorem Regis fugiens in montem ipse solus ostenditur. Discursus 43. num. 2.

Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem. Malorum conversatio semper fugienda est, Disc. 11. & Occasio peccati. Disc. 53.

Dominica prima post Epiphaniam.

Remansit puer Iesus in Ierusalem, Luc. 2. Tam excellens erat pulchritudo Beatæ Virginis Mariæ, vt Christus Dominus interdum coactus fuerit deserere ejus præsentiam, ne redemptionis humanæ differretur opus, Disc. 40. Num. 6. & per totum.

In medio Doctorum. Quia bonus Prælatus continuò debet assistere suis subditis, sicut in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia consistebant. Discursu 67. Numer. 8. & 9.

Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Obserua hîc Beatiss. Virginem Mariam vltimo se nominasse loco, ex quo colligitur summa ejus humilitas. Discursu 41. numero 8. per totum.

Dolentes quærebamus te Lachrymis inquirendus est Christus, veluti Maria Magdalena quæsiuit illum. Discurs. 35. & Discurs. 34. per totum. Et inanes sunt lachrymæ, quæ fundantur ob amissionem bonorum temporalium; *flendum solummodò est,* inquit Petrus Cellensis, *aut pro amisso Paradiso* (id est Deo) *aut pro commisso peccato.* Discursus 34. Num. 12. 13. 14. 15. & seq.

Dominica secunda post Epiphaniam.

Et erat Mater Iesus ibi, Lucæ 2. Quia, vt ait D. Thomas *mysticè in nuptijs spiritualibus est Mater Iesus, Virgo scilicet Beata sicut nuptiarum conciliatrix, quia per eius intercessionem coniugitur anima Christo per gratiam*, disc. 44.

Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Sed Mater Iesu iam erat ibi. Et cur illa prius accessit ad nuptias quàm Iesus? lege disc. 37. num. 12. & deinde disc. 44. num. 12.

Deficiente vino dicit Mater Iesu. Vocatus Iesus ad nuptias pro tanto inchoat miraculum, ait Reverendissimus Guido, vt efficacior fiat ejus doctrina, qui prædicaturus erat illud altissimum consilium, quod non omnes capiunt, Virginitatis servandæ: tunc aquam in vinum convertit, cùm mentem hominis convertit ad observantiam Virginitatis: non quòd matrimonium aquam dixerim culpæ, absit quod culpetur, quod Deus instituit, Christus de nuptâ natus nuptias suâ præsentiâ consecravit; sed supra hoc bonum præferam Virginitatem tanquam melius, vt *Virgo absque carnis molestijs quæ Domini sunt, cogitet, quomodo placeat Deo*, 1. Cor. 7. vers. 32. Legatur disc. 73. de Excellentiâ Virginitatis.

Deficiente vino. Quid mirum? nihil enim in mundo est, quod nostrum appetitum explere valeat, & tametsi mundus deficiat, nihilominus *superba mens nostra*, teste Diu. Bernardo, *magis vult sequi deficientem mundum quàm reficientem Christum*. disc. 49. de Mundo.

Nondum venit hora mea. Quod ideò dixit Christus Salvator noster, veluti refert Reverendissimus Guido ex D. Chrysost. homil. 21. super Ioannem, vt orandi perseverantiam nobis tribueret, vt non cessemus orare, etsi orationis effectum in principio non obtineamus, sperantes oremus quia non deficiet in necessitate, qui ait Marci 11. vers. 24. *quidquid orantes petitis, credite quia accipietis*. disc. 60. de perseverantiâ. Et disc. 55. num. 15.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ. Id est, in animâ, ait D. Antonius Vlysip. serm. in hanc Dom. quæ zelo amoris iam transmigravit de vitijs ad virtutes, sex autem hydriæ sunt: contritio, confessio, oratio, ieiunium, Eleemosyna, & iniuriæ ex corde remissio. Hæc sunt quæ purificant pœnitentes ab omnibus peccatis. disc. 34. de lachrymis. Item disc. 10. de confessione. Item disc. 55. de oratione. Item disc. 23. de ieiunio. Item disc. 14. num. 13. & disc. 4. de amore inimicorum.

Implete hydrias aquâ. Quæ verba expendens D. Bernardus serm. 2. de nuptijs, ita loquitur: *Incutite metum & Spiritum timoris, non tam vasa quàm corda replete, quia vt ad charitatem perveniant, initiandi sunt timore* (subintellige timore & memoriâ mortis, acerbi judicij & gehennæ) *vt dicant ipsi, à timore tuo concepimus & parturivimus Spiritum salutis*. discursus. 47. de memoriâ mortis. Item discursus 29. 30. 31. & 32. de judicio extremo. Item, disc. 26. de inferno. & disc. 62. de purgatorio.

Dominica tertia post Epiphaniam.

Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ. Matth. 8. pulchrè in hunc locum Origenes hom. 5. in diversis discurrit: *Docente Domino in monte discipuli erant cum ipso, quibus datum erat cœlestis doctrinæ noscere secreta; nunc verò descendente de monte turbæ secutæ sunt eum. In mentem scilicet ascendere nequaquam poterant, quia quos delictorum sarcina deprimit, ad mysteriorum sublimia, nisi abiecto onere, scandere minimè valent*. Hucusque ille. Sic Moyse ascendente in montem allocuturo Deum, semper populus remansit infra montem, nunquam cum illo ascendit. Causam subdit idem Origenes loco cit. dicens: *Idcirco & filij Israël ascendere in montem primitus non poterant ad obviandum Deo, quia Ægyptiacâ gravati conversatione præpediebantur, sed solus Moyses ascenderat*. Propter eandem rationem, ait D. Chrysost. in opere imperfecto hom. 21. leprosus non ascendit in montem, *quia leprâ erat gravatus, & peccatorum baiulans pondus sursum ascendere non valebat? Aut non audistis Prophetam dicentem quomodo leves esse debeant, qui ad Ecclesiasticum montem ascendunt: quis, inquit, ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius &c. Innocens manibus & mundo corde*.

do corde. Peccatum inenarrabile pondus animæ est. Discurs. 58. de peccati culpâ. num. 9. 10. 11. 12. addit Diuus Antiochus homil. 8. de amore pecuniæ, per lepram illam, quâ leprosus hic infectus erat, intelligi divitiarum concupiscentiam, quâ gravatus & oneratus homo, virtutum & cœli nequit ascendere montem. Disc. 14. de vitijs.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Nimirum, vt loquitur Diuus Chrysostomus: *Spirituali medico spiritualem offert mercedem; scilicet fidelem orationem quâ nihil dignius Deo offerimus.* Quâ nihil efficacius est. Discursus 55. à num. 1. vsque ad num. 10.

Domine si vis potes me mundare. Non dubitat, ita loquitur Albertus Magnus, *sed quia sciuit, quòd voluntas: ei est omnipotens & non nisi bona est, & bonum cuilibet facit, & nesciuit an sibi bonum esset, quod mundaretur vel non: ideò sub conditione locutus est:* id est, si bonum est mihi, tunc scio quod vis, quibus subiungit doctissimus quidam Author in hunc locum: *Agnoverat enim quod sæpè corporis infirmitas sit sanitas animæ & salutifera, & quòd Deus tanquam pius Pater non dat filiis petentibus nisi bona,* & juxta hunc tenorem docuit nos modum orandi. Vide Disc. 55. de Oratione num. 10. & seq.

Domine si vis potes me mundare. Magna fides hîc resplendet, vt notat Eusebius Gallicanus hom 3. post Epiph. cùm Deum vt omnipotentem recognoscit. Sed prius opera exhibet; cùm genuflexus adorat & deinde orat. sic enim leprosum introducit loquentem Origenes hom. 5. suprà cit. dicens: *Te ego vt Deum adoro, ideoq; & Dominum dico, opera prius contestans & verba loquens.* Vide totum Discursum 21. de fide & operibus.

Vade ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit &c. Et quare jubetur offerre munus? tu gratiarum actionem, vti præceperat Deus Leu. 14. Disc. 22. de Gratitudine.

Vade ostende te Sacerdoti. Idem præceperat Deus decem leprosis mundatis Lucæ 17. *Ite ostendite vos Sacerdotibus.* vers. 14. Et quare omnes mundat remittuntur ad Sacerdotes *vide Sacerdos* (ait Sanct. Ambrosius lib de viduis) *si mundos eos, qui ante fuerunt leprosi, Christus iubet occurrere Sacerdotibus, quantò magis convenit ipsum esse Sacerdotem.* Discurs. 65. de Sacerdote. num. 16. & 20.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. Illo vtitur loquendi modo, vt se cum dignitate laboribus obnoxium subditumque ostendat, inquit Diuus Chrysostomus homil 22. in hunc locum. Qui enim præest alijs, gravi subiectus est oneri, plurimis curis, molestijs & laboribus. Vide Disc. 5. de ambitione, & Discursus 7. num. 13. 14. & 15.

Dominica quarta post Epiphaniam.

Ascendente Iesu in naviculam ecce motus magnus factus est in mari. Matt 8. Et vnde amabò magnus ille motus maris, turbationes & pericula! Hæc est causa periculi, inquit Sanctus Ambrosius Serm. de Cathed. S. Petri: *Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas. Tranquillitas est, vbi solus Petrus navigat, tempestas vbi Iudas adiungitur.* Ecce quid non causat malorum conversatio. Legatur Discurs. vndec. de conversatione malorum.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt navicula operiretur fluctibus. Quamuis illius (nimirum Petri) *fides fundaret naviculam, huius tamen* (scilicet Iudæ) *perfidia eam conturbabat;* ait Ambrosius loco sup. citato. Quæ verba ponderans Silveira Carmelita dicit: fides Petri validissima, & super hanc petram fundatur Ecclesia, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Fides Apostolorum valde præpotens etiam ad transferendos montes, Marci 11. & tamen hæc navicula, tam præclarâ fide ac tantis meritis fundata, adhuc procellosâ tempestate concutitur juxta Ambrosium. Adeò grave ac ponderosum est peccatum, vt fides quæ potest montes transferre, hic contra vnius Iudæ nequitiam non sufficiat ad continendam navim, quin ima petat, & alternantibus vndis, veluti profundum, attingat, nam vt ait Ambrosius: *Vnius ergo delicto cunctorum merita quatiuntur.* Vide Disc. 58. de gravitate peccati. num. 9. 10. 11. 12.

Ita vt navicula operiretur fluctibus. Diuus Augustinus hom. 3. inter 17. Albertus Magnus, D. Tho-

D. Thomas, Bonaventura, & Hugo per hanc navim intelligunt animam, quæ maximè concutitur tentationibus superbiæ, gulæ, luxuriæ,& adversitatum ; sed in hanc navim ascendit Christus per gratiam cum discipulis, id est, vt exponit Silveira, cum sanctis inspirationibus, consolationibus, & gaudijs spiritualibus, magnam etenim servi Dei ex tribulationibus percipiunt lętitiam & consolationem. Disc.71.per totum.

Ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Aduersus discipulos, inquit D.Basilius Seleucus Orat.22. *cùm talis tempestas depræliaretur, Dominus dormiebat. Ecquod hoc tantum navigantibus prælium ? O somnum ! quo fidem dormiente ex mediâ maris tempestate excire parabat.* Deus namque hunc in finem nobis immittit tribulationes, vt à terrenis rebus exsurgamus ad cœlestia. Disc. 68. num. 6. 7. 8. vsque ad finem.

Ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius. Turbati nimirum & afflicti: *erat autem hæc turbatio* (sic loquitur D. Chrysost. in catenâ) *typus futurarum tentationum, vt ergo daret locum formidini, ipse verò dormiebat.* Sæpè permittit Dominus suos athletas præliari in tentationibus & tribulationibus, vt eos vel in hac vel in alterâ vita magnis condecoret præmijs Discursus 69. per totum.

Quid timidi estis modicæ fidei ? ascendente pientissimo Salvatore nostro in naviculam refert sacer Evangelista, solum discipulos cum eo intrasse navim, ergòne navis plures haud capere poterat homines peregrinos ? poterat quidem ; ad *quia Christus nouerat,* inquit Abulensis, *quòd discipuli sui in hoc periculo futuri erant infirmi, & ipse propter hoc eos increpaturus erat, vocans eos modicæ fidei, noluit, quòd turbæ viderent defectum discipulorum suorum.* Voluit ergo nos docere modum corrigendi proximum, quem tradidit Matth. 18. *corripe eum inter te & ipsum solum.* Legatur Discursus 12. de Correctione fraternâ.

Porrò homines mirati sunt. Et quales homines ? discipuli nimirum. Cur ergo non compellat eos proprio eorum nomine ? cur non afficit eos solito & debito honore & titulo, sed audè eos appellat homines ; quia ipsi neque Christo perdilecto Magistro suo debitum attribuunt titulum & honorem ; dixerant enim, *quis est hic ?* quasi hunc nescirent nec agnoscerent. Ita sentit Abulensis q. 90. dicens : *quia isti loquebantur de Christo tanquam de extraneo, idcircò voluit Dominus, vt loqueretur de ipsis tanquam de extraneis.* Quia, *per quæ quis peccat, per hæc & punietur.* Legatur Discursus. 99. de Peccati pœnâ.

Dominica quinta post Epiphaniam.

Cùm autem dormirent homines. Quid mirum quòd regna, provinciæ, civitates, monasteria, collegia, & familiæ extremæ subiaceant ruinæ, quando Reges, Superiores, & Prælati dormiunt, acturi Excubias & Vigilias. *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.* Disc. 67. num. 3. 4. & seq.

Venit inimicus homo, & superseminavit zizania. Subintrat in campum & agrum cordis nostri, velut Ericius in foueam vulpis. Disc. 2. n. 9. Prudenter fecit S. Iob præcludens ostium agri cordis sui, ne malus seminator lolium superseminaret. loco cit. In plurium nihilominus Christianorum subintrat corda, superseminando zizania, inordinatos nimirum affectus. Disc. cit. num. 11. 12. & 13.

Superseminavit zizania. Prius rimatur cujuslibet conditionem & statum agri, & tentationis projicit semina. Disc. 13. num. 1. & 2. Perscrutatur partem debiliorem vt illinc subintret. num. 3. & 4.

In medio tritici. Ex quo patet, devotis & justis hominibus Diabolum parare insidias. Disc. 13. n. 5. Nulli tamen nocere, nulli agro minimum inferre potest damnum, nisi illi, qui ei consentit. Disc. cit. num. 6. 7. 8. 9. & seq.

Domine nónne bonum semen seminasti in agro tuo ? vnde ergo habet zizania ? inimicus homo hoc fecit. Semper Deus cuilibet homini sufficientem gratiam, quâ quilibet potuisset & etiamnum posset metere cœlestis gloriæ fructum. Quòd ergo plurium cordium exarescant agri, & æternæ tradantur combustioni, id sibimetipsis adscribere debet, Deus enim solius benedictionis ministrator est, non maledictionis

nis.Legatur Disc.62.de prædestinatione à n.6.ad finem vsque.

Ne fortè eradicantes zizania eradicetis & triticum. Præmonet ergo Dominus, inquit Reverendissimus Guido, *ne vbi quid ambignum est, citò sententiam proferamus, sed Deo iudici terminum reservemus, vt cùm iudicij dies venerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de Sanctorum cætu eijciat.* Discursus 33. Cavendum à temerario judicio.

Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Mirum sanè, quòd Dominus Deus prohibeat eradicari zizania, cùm sint adeò nociva & damnosa. Ast pulchrum hîc notat mysterium Oleaster in cap. 8. Genes. per triticum enim, ait, intelliguntur justi, & per zizania injusti & peccatores, hos igitur non punit & castigat propter justos inter illos demorantes. Disc. 66. de servis Dei per totum.

Alligate ea in fasciculos ad comburendum. Quia in vno igne omnia supplicia sentiunt in inferno peccatores, ait S. Hieronymus. Discursus 26. de Inferno.

Dominica sexa post Epiphaniam

Simile est regnum cœlorum grano Sinapis, &c. Matth.13. Videlicet homini acri, qui cum ostendit & exhibet acrimoniam, cibum condit & bonum dat ei saporem. Sic & tu, cùm in corripiendo proximum rigorem ostendis, vtaris quoque suavitate & benignitate necesse est. Disc. 67. n. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. Item Disc. 12. num. 10. 11. 12. & 13.

Simile est regnum cœlorum grano Sinapis. Quo cibi, qui aliàs insipidi sunt & gustui displicent, condiuntur, sapidi efficiuntur, eoque facilius degluttiuntur; ad eundem modum actiones & opera nostra aliàs factu difficilia, amore condiuntur & facilia redduntur. Disc.3. Amor Dei omnia facilia reddit per totum.

Simile est regnum cœlorum grano Sinapis. Cùm enim conteritur, suam eò magis ostendit acrimoniam & saporem; sancti & justi mirum capiunt saporem consolationisque dulcedinem, dùm conteruntur tribulationibus, vnde D. Hilarius; *Sancti nunquam dulcius requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur.* Legatur Disc.71. per totum. Et Disc.68. num. 16. 17. & 18. & quò magis justi conteruntur tribulationibus in præsenti sæculo, eò magis Deus ter Optim. Max. in eos suam ostendit amoris vehementiam & acrimoniam. Disc. 70. per totum.

Simile est regnum cœlorum grano Sinapis. Quod non conteritur à seipso sed ab alio; neque tribulationes ab alio nisi à Deo proveniunt, & ideò patienter tolerandæ. Disc. 68. nu. 1. 2. 3. 4. & 5.

Ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Id est, Angeli Sancti, qui ad consolationem humilium descendunt. Ita exponit glossa ordinaria. Disc. 6. de custodiâ Angelorum.

Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum, &c. donec fermentatum est totum. Quod pulchrè dicitur juxta Remigium, inquit Reverendissimus Guido, quia virtus amoris divini recondita in mente fideli, eò vsque facit animam crescere, vt ipsam animam & omnes ejus affectiones in sui perfectionem convertat, & nihil aliud velit anima diligere, nisi ipsam dilectionem præsentiamque sui conditoris. Subiungit idem Author in Luc. cap. 13. fermentum dicit dilectionem Dei, quæ fervere facit & excitat; farinæ autem sata tria sunt illa tria in homine, scilicet, ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ mente. Discurs. 2. per totum.

Dominica Septuagesimæ.

Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, Matth. cap. 20. Meritò Deus dicitur Pater, quia paternum nobis semper exhibet amorem. Disc. primo. Et semper fuit Pater misericordiæ. Dis.46. de misericordia Dei.

Exijt primò manè conducere operarios. Ecce vigilantiam Patris familias & Prælati. Disc.67. n.3.4. 5. 6. & 7.

Exijt primò manè conducere operarios in vineam suam. Per vineam communiter sancti Patres intelligunt Ecclesiam. Suboritur ergo hîc quæstio, quare Paterfamilias non veniat vocare credentes ad Ecclesiam, sed operarios? dubij hujus resolutionem reperies in Discursu 21.

nimirum, ad salutem non sufficere fidem, verùm etiam necessaria esse bona opera.

Ite & vos in vineam meam. Sed nullam hisce promisit mercedem, veluti alijs, & cur hoc? dubium hoc enodabit Disc. 52. de obstinatione. num. 5.

Quod iustum fuerit dabo vobis. Beatitudo æterna tam immensum bonum est, vt nec verbis explicari valeat: illam tibi offert Deus breui annorum curriculo comparandam, illamque Deus ter Optim. Max. pro vili tibi vendit pretio, & quidem pro eodem, quo eam compararunt Christus & gloriosissima Mater, omnesque charissimi amici ejus, annon ea magna est liberalitas & bonitas Dei? quid igitur stas hic tota die otiosus? legatur Disc. 8. de beatudine æternâ.

Et acceperunt singulos denarios. Quæstionem hîc instituit Reuerendissimus Guido dicens: *Cur Paterfamilias incipit dare præmij denarium vltimis? dicendum, quod hoc fecit, primò, vt finis parabolæ correspondeat titulo: erunt, inquit nouissimi primi & primi nouissimi. Secundò vt ostendat, quod non præmiat benè incepisse, sed bene perseuerasse. Vnde ait: multi sunt vocati, vocatione scilicet præsentis iustitiæ, qui tamen non sunt electi.* Legatur Disc. 60. de perseuerentiâ. *Tertiò ad designandum, quòd præmium potius redditur ex Dei acceptatione & gratiâ, quàm ex nostrorum operum dignitate.* Legatur Disc. 62. de prædestinatione num. 4. & 5.

Murmurabant aduersus Patrem familias. Quàm magnum & enorme peccatum sit murmuratio, declarabit Disc. 50. de murmuratione.

Multi sunt vocati pauci verò electi. Quàm pauci illorum sint enucleabit Discu. 26. num. 13.

Dominica Sexagesimæ.

Exijt qui seminat seminare semen suum. Lucæ 8. Per quod declaratur, Deum non duntaxat nobis exhibere beneficia & misericordiam, sed etiam cum magnâ promptitudine & celeritate. Disc. 46. & Discursus 63. de Prouidentiâ Dei.

Exijt qui seminat seminare semen suum. Pro explicatione hujus loci pulchrum Reuerendissimus Guido adducit similitudinem & doctrinam, ita in hunc locum commentando sermocinatur: quemadmodum, qui seminat non discernit campum, sed simpliciter & sine dijudicatione mittit semina; ita & ipse, non diuitem, non pauperem diuidit, non sapientem, non insipientem, non desidem, non studiosum, non fortem, non inuidum, sed omnibus loquebatur pietatis doctrinam, quamuis non ignoraret futurum irritum, vt liceat ei dicere illud Isaiæ 5. 4. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* & quærit Chrysostom. vbi suprà: vnde est quod plus seminis perijt? & respondet, quod hoc non est à seminante, qui cum auiditate exijt, non ad malos, vt malas herbas euellendas, sed ad seminandum vt semen fructificaret: sed hoc est ab animâ quæ non audiuit. Et licet possit exprimere, quod susceperunt desides & perdiderunt, voluit tamen eos sic tangere, ne desperarent. In hoc etiam patet abundans Christi charitas & benignitas, quòd non obstante terræ defectu, petræ duritie, spinarumque abundantiâ, id est, malorum affectuum, in quibus semen peribat, non cessauit seminare, licet præuideret solùm quartam partem fructificare. Legatur Discursus 62. de prædestinatione.

Aliud cecidit secus viam; &c. Et illud sunt lachrymæ effusæ propter res caducas & temporales, non propter peccata & offensam Dei, quia nullum planè illæ proferunt fructum. Disc. 34. num. 12. 13. 14. & seq.

Aliud cecidit supra petram, &c. Videlicet supra cor obstinatum & in malitiâ & pertinaciâ obduratum. Vide Disc. 52. de obstinatione. Et Disc. 61. de Pœnitentiâ.

Aliud cecedit inter spinas, &c. Nimirum in cor nimiâ diuitiarum (quæ à D. Gregorio comparantur spinis) cupiditate oppressum, quia exortæ spinæ suffocant illud. Disc. 14.

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Quod nimirum cecidit in cor amore Dei emollitum & excultum; amor enim omnia facilia reddit, vberesque bonorum operum affert fructus. Disc. 3.

Venit Diabolus & tollit Verbum de corde eorum. Quo-

Quomodo diabolus vnumquemque ſtudeat impedire, & retrahere à viâ ſalutis æternæ oſtendit Diſc. 13. de Diabolo.

Quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recidunt. En tunc maximè cùm ſeſe peccandi offert occaſio, vnde ſeduló fugiendæ ſunt occaſiones peccati, Diſcurſ. 53. de Occaſione peccati.

Dominica Quinquageſimæ.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c. *tradetur enim gentibus,* &c. Lucæ 18. Vt diſcipulis & nobis omnibus ſignificaret ad ſupernam & cœleſtem Ieruſalem aſcendendum eſſe per viam flagellorum & tribulationum, nam, vt ait D. Gregorius, *ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores.* Legatur Diſc. 69.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. Ad cœleſtem patriam, quæ eſt ſuperna Ieruſalem, nunquam pervenire quis poterit, niſi ſemper aſcendat, proficiat, & perſeveret in bonis operibus ad finem vſque vitæ ſuæ. Vide Diſc. 60. de Perſeverantiâ.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c. *& occident eum.* Ad hunc aſcenſum ſpiritualem in virtutibus & bonis operibus nos incitabit, nobiſque calcaria addet meditatio mortis. Diſc. 47.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. Quæ dicitur viſio pacis, ad hanc non patet aditus aut aſcenſus, niſi per viam & ſemitam juſtitiæ & ſanctitatis, pulchrè propterea Bernardus: *per ſemitas iuſtitiæ inveniemus pacem, ſi peccatis quærimus viam illius, invenire non poſſumus.* Diſcurſus 57. num. 9. 10. & 11.

Tradetur enim gentibus. Et cur pientiſſimus Dominus noſter non dicit: *tradetur peccatoribus,* crudelibus tyrannis, ipſis feris ferocioribus, quales erant impij illi Iudæi? Cujus nulla alia congruentior aſſignari poteſt ratio, niſi quia Dominus Deus valde difficilis eſt ad publicanda & manifeſtanda noſtra peccata & ſcelera. Diſc. 50. de Murmuratione. num. 11. 12. & 13. Vt te doceret, quàm enorme delictum eſſet Detractio. num. 1. 2. 3. & ſeq.

Factum eſt autem cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat, &c. Vbi diligenter notandum, quòd Dominus Ieſus non ceſſet miracula operari etiam ad paſſioné proceſſurus & ad mortem. In quo dat nobis exemplum, ait Reverendiſſimus Guido in cap. 20. Matth. 1. Vt vſque ad finem vitæ benè operari non ceſſemus propter timorem mortis, imò inſtante morte magis benè eſſe operandum. Vnde ait Dominus: *Operamini dum dies eſt,* Ioann. 6. *Venit enim nox quando nemo poteſt operari,* ait idem Apoſt. cap. 9. Vnde non eſt differenda pœnitentia vſque ad vltimam horam mortis. Diſc. 61. de Pœnitentiâ.

Quid vis vt faciam tibi? Domine vt videam, Reſpice fides tua te ſalvum fecit, & confeſtim vidit, Et nos confeſtim obtinebimus, quæcunque à Deo in orationibus noſtris petemus, quotieſcumque orationes noſtræ iiſdem dotatæ fuerint conditionibus, quibus dotata fuit oratio cœci huius, nimirum fide. Diſc. 55. de Oratione & ſpecialiter num. 12. hujus Diſc. hoc examinatur miraculum & factum.

Sequebatur magnificans Deus. Semper namque Deo agendæ ſunt gratiæ pro acceptis beneficis. Diſc. 21. de Gratitudine.

Dominica prima Quadrageſimæ.

Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Matth. 4. Dubium hîc ſtatim movet Reverendiſſimus Guido in hunc locum, quare baptizatus IESUS Chriſtus ſtatim aſſumpſit pœnitentiam? & reſpondens ait: dicendum, vt dicit Chryſoſtomus, quòd Chriſtus ieiunavit, non eo indigens, ſed nos inſtruens. Primò ad oſtendendum; quòd innocentia baptiſmatis periclitatur in conuictu hominum cum vitâ voluptuoſâ, quare Chriſto induti & ſepulti morti Chriſti debent carnem ſuam crucifigere cum concupiſcentijs ſuis. Vnde Diu. Chryſoſtomus hom. 13. ſuper Matth. *Vt diſcas quàm magnum & bonum ſit ieiunium, & quale ſcutum adverſus diabolum, & quòd poſt baptiſmum non laſciviæ, ſed ieiunio intendere oportet, ipſe ieiunavit.* Videatur Diſcurſus 23. de Gulâ & Ieiunio. Secundò ad oſtendendum, quòd poſt innocentiam baptiſmi recurrendum eſt ad pœnitentiam (quæ & includit

Confessionem) si quis baptizatus in peccatum mortale lapsus fuerit. Disc. 10. de Confessione. & Disc. 61. de Pœnitentiâ.

Et accedens tentator dixit: si filius Dei es. Licèt tempore Baptismi Christi, in eo apparuerit summa innocentiæ altitudo, Patre dicente: *Hic est filius meus dilectus*, quo nihil sanctius; & Spiritu in specie columbæ in eum descendente, quo nihil benignius; & Ioanne admirante, cùm alterâ die vidit eum ad se venientem, qui ait: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*: nihilominus accedit tentator Diabolus, vt experiatur, an Christus sit DEI filius; & tres profert Syllogismos tentativos. *Primum* facit dicens: *si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*: videre Diabolum Sophistam, colorat apparenter. *Primo*, arguit ex suppositione, ac si dicat: te dicunt filium DEI, mundi Salvatorem, & Regem Iudæorum, Angeli canunt, Pastores adorant, Magi stellâ duce munera offerunt, vox Patris audita est: Si ergò *filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Sed è contra CHRISTUS, vt in hoc diabolo se opponat, ostendit matrem desponsatam Ioseph, se puerum vagientem, pannosum in diversorio, peccatorem in circumcisione, in purificatione subditum legi, venientem ad baptismum pœnitentiæ, ad desertum, famescentem, vt quantum ex suppositione existimat Christum DEI filium, tantum alia faciant eum dubitare. *Secundo* colorat ex Scripturæ locutione; quia DEI filius est Verbum, per quod omnia facta sunt, quare ait? *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Sed è contra opponit Christus, Ioannis 5. *Filius non potest quicquam facere, nisi sicut viderit Patrem facientem. Nec veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius qui misit me.* Non est autem voluntas Patris mei, vt me tibi ostendam, ne mysterium passionis impediam, & ne meipsum ostentare videar. *Tertio* colorat ex naturæ conditione, quasi dicat: Esuris? non sunt hîc nisi lapides, igitur eos fac panes, vt satieris. Sed hic color infirmatur per suppositionem: nam si est DEI filius, non esuriet nisi velit, & qui pluit manna populo in deserto, potest sibi aliter providere, sciens, quod sibi Angeli ministrarent. Vnde Christus sapientia Dei, sciens *versutias sermonum & dissolutiones argumentorum* respondit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ac si dicat: tu decepisti Adam cibo vetito, qui si servasset verbum Dei, vixisset in æternum: tu ex pane Sodomam subuertisti; filios Israël in murmur & idololatriam provocasti. Atque hoc modo detexit omnem fraudem & dolum diaboli, solvit ejus Sophismata, laruam malitiæ & nequitiæ è facie sustulit, & nobis ostendit illius fallacem modum agendi, & mille nocendi artes. Vbi quoque notandum, quòd Christus post ieiunium voluerit tentari, vt ostenderet quòd diabolus maximè existentes in viâ Dei & Sanctitatis, ac pœnitentiæ culmine, nititur suis tentationibus impugnare. Vnde Augustinus de q. q. Novi & Vet. Test. qu. 70. dicit: *nulli dubium, diabolum esse hominis inimicum maximè fidelis, vehementiora* enim tela sua contra Dei servos exacuit. Deinde advertendum in omnibus tentationibus Christi nullam ei à diabolo fuisse illatam violentiam aut damnum, sed diabolum exspectasse à Christo consensum, & hoc ideò, quia non potest mordere nisi volentem. Totum hoc quod hucusque diximus, pulchrè & evidenter probatur Discursus. 13. de Diabolo.

Statuit eum super pinnaculum templi. Sed quare super pinnaculum templi & non super rupem aut alium eminentiorem locum, dum à diabolo tentatur superbiâ? Respondet Reverendissimus Guido, super pinnaculum templi designari sublimitatem dignitatis cathedram auctoritatis, quæ inflat; igitur tentari se permisit hoc in loco, vt ostendat existentibus in dignitate, quanto sint in periculo superbiæ. Secundò vt existentes in statu excelso Ecclesiæ, sicut apparent gloriosi in conspectu populi, sic ruinam paueant, quia quantò status altior, tantò ruina gravior, vt glossa dicit: *Diabolus ad altum ducit per iactantiam, vt præcipitare possit.* Discurs. 5. de Ambitione.

Si cadens adoraveris me. Quia semper petit superbus Spiritus, vt adoretur tanquam Deus, ad hoc tentat, in hoc sua intentio versatur, & in hoc suam tentationem finit; contra verò hanc tentationem nobis efficacius non superest re-

medium & antidotum, quàm meditatio mortis. Legatur Diſc.47.de morte & ejus memoriâ.num. vndecim. Vbi ſpecialiter præſens diſcutitur factum.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, Matth, 15. Nimirum finibus idololatriæ & peccatorum, & quid ipſam amabò movit ad illum egreſſum? ratio in promptu, quia filia ejus malè à dæmonio vexabatur. Ex quo facilè perſpicies cauſam, cur tibi Deus immittat tribulationes, vt nimirum egrediaris è finibus peccatorum tuorum. Lege Diſcurſ. ſexageſim. octau. de tribulationibus. Item per tribulationes pervenimus ad Chriſtum & vitam æternam.Diſ.69. per totum.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa. Mulier hæc, ait Reverendiſſimus Guido, veri pœnitentis typum geſſit, qui debet exire de Sidone, ſcilicet de commoratione iniquitatis, & Typum ſcilicet anguſtiam culpæ per contritionem deteſtando relinquere, vt venetur triſtitiam & dolorem de peccato. Debet etiam clamare per propriam confeſſionem & Chriſtum ſequi.Vide Diſcurſus decim.Debet cum domeſticis Iacob abigere Deos alienos.Diſcurſ.17. num.6.Legatur etiam Diſcurſus 61.de Pœnitentiâ.

Miſerere mei. Et quare non; *Miſerere filiæ meæ*, quæ vexabatur à dæmonio? quia maximum parentes percipiunt dolorem ex filiorũ filiarumque anguſtijs & calamitatibus.Diſcurſ.54.num.2.8.12. & 13.

Filia mea malè à dæmonio vexatur. Peccatum eſt magnus dæmon, ait S. Baſilius quantum hoc conſcientiam torqueat. declarabit Diſc.58.n. 7. & 8.

Qui non reſpondit ei verbum. Cauſam ſubdit cit. Guido, quia differendo & non reſpondendo, *vt dicit gloſſa*, patientiam & perſeverantiam mulieris nobis oſtendit. Et revera magna hujus patientia, Dominus qui non repellit plebem ſuam, Iudæos ingratos, vt dicit Chryſoſtomus, inducit, blaſphemantes rogat, tentantes non dimittit, eorum caſtella circuit; hanc accurrentem ad eum & deprecantem, neque in lege & Prophetis educatam, & tantam reverentiam oſtendentem neque dignam reſponſione facit, hanc venientem expellit. Quem autem non fregiſſet hęc paſſio & ſupplicatio,quam faciebat pro filiâ ita malè diſpoſitâ? neque enim, vt digna exiſtens, neque debitum expetens acceſſit, ſed miſericordiam conſequi deprecabatur. Et interim dum afflictionem & miſeriam ſuam explicat, fortè multi pertæſi fuerunt temporis ad Chriſtum imitandum, illa autem nihil mota eſt, nec in minimo quidem id malè accepit. In quo nos inſtruit; vt inſtanter & perſeveranter oremus Deum, quia ait Luc. 11. *petite & dabitur vobis, pulſate & aperietur vobis*. Vnde pulſanti & petenti tres panes propter perſeverantiam aperitur Lucæ 11. in hoc ergò docuit nos inſtantiam & perſeverantiam. Diſcurſus 60. de Perſeverantiâ. Secundò vt per hoc diſcipuli miſericordiâ moti ad petentis inſtantiam pro eâ Dominum rogarent, & ſic oſtenderet, quòd neceſſariæ ſint preces Sanctorum ad aliquid impetrandum, juxta illud Iob cap. 5. *ad aliquem Sanctorum convertere; multum enim valet deprecatio iuſti aſsidua*. Iacob. 5. Diſcurſus 66. de Servis Dei.

Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus. *Etiam Domine*. Ac ſi diceret hæc mulier: ſi canis ſum (ſic introducit Guido illam loquentem) extra legis rationem hoc tamen vtique verum eſt, quod etſi panis filiorum non detur canibus: de micis tamen, quæ cadunt de menſâ dominorum catelli comedunt, Igitur nutri me vt canem, quia menſam tuæ miſericordiæ non relinquam; & ſi mihi non des integros panes, da ſaltem micas (ecce perpulchram & efficacem orandi methodum) miræ fides! quâ credit conſtanter filiam à Chriſto poſſe ſanari. Non ait, veni in domum, vti Regulus orabat; ſed dic verbo, vt Centurio; & ſanabitur filia mea? quia credo te Dei filium, Dei verbum, quo facta ſunt omnia, te verbum, quod miſit Pater, vt ſanares omnia, credo & confiteor. Mira etiam patientia, quâ toties repulſa perſeverat. Mira humilitas, nam Chriſtus Iudæos vocat filios, ſed hæc Dominos, cùm ait: *de menſâ Dominorum ſuorum*. Ipſe Chri-

ſtus

ſtus eam inter canes enumerat, ſed ipſa inter catellos, dicens: *nam & catelli.* Ipſe Chriſtus negat panem, hæc petit micas, quæ cadunt. Cunctas ad orationem requiſitas hîc reperies conditiones, ſi perlegeris Diſcurſum quinquag. quint. de Oratione ejuſque conditionibus.

Dominica tertia Quadrageſimæ.

Erat Ieſus eyciens dæmonium. Lucæ cap. 11. quandam, ait hîc quidam graviſſimus Doctor, denotat Sanct. Evangeliſta Salvatoris in opere perſeverantiam, vt nobis indicet & perſuadeat perſeverantiam in bonis operibus. Diſcurſ. 60. de Perſeverantiâ.

Erat Ieſus eyciens dæmonium, & illud erat mutum. Li, *illud erat*, oſtendit quandam temporis moram, quàm difficile opus ſit converſio peccatoris muti, duri & obſtinati. Diſcurſ. 52. de Obſtinatione. Idem eſt de peccatore immerſo vitio laſciviæ. Diſ. 7. de Adulterio.

Locutus eſt mutus. Quid? verba, vt plurimi opinantur, in laudem Chriſti, à quo beneficium acceperat, qui enim primus eſt in beneficio accipiendo, in gratiarum actione primus quoque ſit, neceſſe eſt. Diſcurſ. 22. de Gratitudine.

Admiratæ ſunt turbæ. Linguam videlicet à Chriſto reſtitutam, tanquam magnum & indomabile animal. Diſcurſ. quinquag. num. 3.

In Beelzebub principe dæmoniorum eycit dæmonia. Id dixerunt quidam odio ac invidiâ ſtimulati; non enim videre poterant præclaras Chriſti virtutes. Quid mirum! ea namque eſt invidi natura. Diſcurſ. 27. de Invidiâ.

In Beelzebub principe dæmoniorum eycit dæmonia. O magnam judæorum perverſitatem? blaſphemiâ in eum impiè evomunt; à quo innumeris ditantur indies beneficijs. Diſc. 9. de Blaſphemia num. 10. 11. 12. 13. 14. & 15.

In Beelzebub principe dæmoniorum eycit dæmonia. Quàm temerariè judicant pientiſſimum Salvatorem. Diſcurſ. 33. de temerario judicio.

Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur. Sicut diviſio diſcordiam, ita vnio denotat pacem. Pulcher de hac materiâ extat Diſc. 57. de Pace.

Dominica quarta Quadrageſimæ.

Abijt Ieſus trans mare Galilææ. Ioannis 6. Iam iam diſceſſerat ex Iudæâ, quæ vndique ſcelerum erat inundata diluuio, quia, vt ait Diuus Chryſoſtomus, Iudæi nimiùm turbati, & Ieſum propter curationem paralytici & Sabbathi violationem, inſuper quia ſe appellabat filium Dei, volebant interficere; ex Iudæa itaque fugit, vt nos doceret malorum conſortium eſſe fugiendum. Diſcurſ. 11. per totum, & ſcelerum occaſionem vitandam. Diſ. 53. per totum.

Cùm ſublevaſſet ergo oculos IESUS. Exemplo ſuo nos admonet, ait gloſſa, levare oculos cordis noſtri. Huic conſonat, quod dicit eadem gloſſa in cap. 7. Marci: docuit nos & in cœlum theſaurum noſtri cordis erigere. Ne nobis idem contingat, quod ſuperbo Goliath, qui percuſſus à David cecidit in faciem ſuam ſuper terram, *quia*, teſte Abulenſe, *non conſueverat hic oculos ad cœlum levare.* Diſcurſus 61. de pœnitentiâ. Num. 12.

Vnde ememus panes vt manducent hi? non dixit, vt manducemus nos, ſed vt manducent hi, quia bonus Prælatus non debet ſtudere proprio commodo & intereſſe, ſed potiùs ſubditorum. Diſcurſ. 67. num. 17. & 18.

Quinque panes hordeaceos. Non incongruè Sanct. Evangeliſta Ioannes materiam panum exprimit ad oſtendendã paupertatem & auſteritatem vitæ Chriſti & Apoſtolorum, quia dicit eos fuiſſe hordeaceos, quod alij tacuerunt. Vnde Diuus Chryſoſtomus: *Nos qui voluptati attendimus, hinc diſcamus, quæ comedebant mirabiles viri illi & magni, & quantitatem eorum quæ inferebant, & qualitatem & vilitatem menſæ eorum videamus, & imitemur ea,* imitemur Danielem Prophetam. Diſc. 23. num. 3. Fugiamus lautiora & largiora convivia. Diſc. cit. num. 4. & quanta bona generet temperantia, pulchrè oſtenditur totum Diſcurſum cit.

Cùm gratias egiſſet. Gratias agit, inquit gloſſa ordinaria, docens nos de omnibus beneficijs gratias agere, & intimans de noſtrâ refectione ſe gaudere & ſalute. Diſc. 22. de Gratitudine.

Accepit

Accepit ergo Iesus Panes,&c.*Similiter & ex piscibus quantum volebant*.Miram hîc considera providentiam Dei & obstupesce. Disc. 63. de Providentia Dei.

Fugit iterum in montem ipse solus.Et hoc ideò ait Reverendissimus Guido, ne ambitiosè per miracula videretur turbas attrahere, & regnum occupare velle : per hoc dans nobis exemplum, vt mundanas dignitates fugiamus, & ne spiritualia propter mundanam gloriam acquirendam agamus : Disc. 5. de Ambitione.

Fugit iterum in montem ipse solus.Ideò quia juxta quorundam sententiam, vult omnes honorem exhiberi quoque Matri suæ,& quia ibidem non erat Mater ejus præsens, fugit propterea in montem ipse solus. Disc. 43. de Maria Matre Christi. num. 2. 3. & seq.

Dominica passionis.

Si veritatem dico vobis , quare non creditis mihi? Ioan. 8. Imò ipsa, ob quam non credunt, ratio est, quia veritatem dicis, ô dulcissime Iesu?veritas enim odium parit. Discursus. 72. de Veritate.

Nónne bene dicimus nos, quia Samraritanus es tu, & dæmonium habes ? verè dicit Propheta: *Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum.* Ecce quanta in compendioso horum verborum fasciculo collecta sunt scelera : Habes hîc primò temerarium judicium : *dæmonium habes. Hoc enim*, subiungit Nicolaus Liranus, *iudicabant de Christo, propter mirabilia quæ faciebat , & magicis artibus imputabant , & quia secreta eorum frequenter dicebat , & quia aliquando quædam alta & subtilia loquebatur , quæ non intelligebant , propter quod eum arreptitium dicebant.* Vide Disc. 33. de temerario judicio. Habes & hîc verum invidi typum, invidus namque alterius invidet honori, alteriusque gloriam & famam convitijs & contumelijs obnubilare nititur. Legatur Discursus 27. de Invidiâ. Habes quoque pessimam linguam detractoris & murmuratoris; *ecce enim loquuntur in ore suo , & gladius in labijs eorum*, Psalm. 58. lege Discurs. 50. de murmuratione. Habes tandem vitiorum & peccatorum omnium gravissimum & pessimum, blasphemiam videlicet; siquidem vt Ieremias : *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & me non cognoverunt*. cap. 9. vers. 3. vbi Sanct. Hieronym. legit hoc modo : *Armauerunt linguas suas instar arcus in blasphemiam*. Vide plura Discursus 9. de blasphemiâ, num. 10. 11. 12. & seq.

Ego dæmonium non habeo.O miram Christi Salvatoris nostri in perferendis patienter contumelijs & adversis patientiam?abs dubio potuisset hos impios & blasphemos punire;ast exemplum nobis dare voluit vt patienter sustineamus contumelias & calamitates. Discurs. sexagesim. octau. de Tribulatione,

Si quis sermonem meum seruabit, mortem non videbit in æternum . Non quòd corpore non sit moriturus, sed quod ita morietur, vt mors ejus quasi dulcis somnus & transitus ex hac vitâ ad alteram videatur. Et enim *pretiosa in cõspectu Domini, mors Sanctorum eius. Mors verò peccatorum pessima*. Legatur totus Discurs. 48. de morte justorum & peccatorum.

Tulerunt ergo lapides. Inveterati, inquit Reverendissimus Guido , dierum malorum nihil percipiunt , nisi quod tempori subijcitur , & quod tempore veterascit , tabescit , senescit, corrumpitur, & ad interitum vadit. Quia vt Gregorius dicit : *sustinere ista æternitatis verba non valentes , quæ intelligere non poterant , obruere quærebant*. Vnde sequitur : *tulerunt ergo lapides*, Lapidei enim cordis erant duri, & inflexibiles ad credendum, & blasphemiam in Abraham prolatam suspicantes, & vindicare volentes effecti sunt in Deum & Dei Filium blasphemi; sed vt dicit Diuus Augustin. tract. 48. in Ioann. *tanta duritia* quò curreret,nisi ad lapides sibi similes. Legatur Discursus 52. de Obstinatione.

Iesus autem abscondit se & exiuit de templo. Et quare ? respondet Hugo Cardin. in hunc locum dicens : *Iesus autem abscondit se , non quod mori non cœperit cùm ad hoc in mundum venerit, sed ne tanto sacrilegio domus illa pollueretur*. Quo nos instrueret, vt in templo & Ecclesiâ nihil agamus, quod offendat Deum, sed debitum eisdem exhibeamus honorem & reverentiam. Paratum habes totum Disc. 15. de Ecclesiâ.

Dominica Palmarum.

Require Dominicam primam Adventus, quæ cum hac coincidit.

Feria sexta Parasceues.

Discursum integrum & paratum reperies de Passione Domini N.I. Christi. Verbo Passio D. N.

Dominica Resurrectionis.

Et valdè manè vna Sabbathorum veniunt. Marci 16. Nullas perhorrescunt nocturnas incursiones, cunctas superant difficultates, nullos timent labores, nec id mirum, quia amor omnia reddit facilia. Lege Discurs. 3. vbi specialiter id ostenditur in Maria Magdalena num. 7.

Valdè manè veniunt ad monumentum. Vt suum in Christum declarent amorem, ideò enim amarissimam pro nobis subijt passionem, vnde sapienter sapientissimus Idiota: *Diligi debes Domine ex toto corde, ratione creationis & redemptionis; quia eum hominem fecisti, debet seipsum amori tuo, & quia eum redemisti debet se amori tuo* Et D. Ambr. lib. 6. in Lucam: *Nihil est quod dignè Deo referre possimus, quid enim referemus pro susceptâ carnis iniuriâ? quid pro verberibus? quid pro cruce? væ mihi si non dilexero. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio* Vide latiùs in Disc. 2. de amore hominis erga Deum.

Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? erat quippe magnus valdè. Peccatum est gravis, magnus & durus lapis. Disc. 58. & 52. de Obstinatione.

Surrexit, non est hic. Tria leguntur resurrectionum genera, & hisce totidem correspondent resurrectiones spirituales; prima resurrectio fuit Prophetæ Samuelis, de quâ 1. Reg. cap. 28. quæ teste Diu. Augustin. fuit solummodò ficta & apparens. Et hoc modo plurimi (prô dolor!) spiritualiter resurgunt hisce diebus à peccatis, non ex vero emendationis proposito, verâ devotione, sed vel, ne cuiusdam arguantur infidelitatis, vel vt satisfaciant solùm præcepto & consuetudini Ecclesiæ. De quibus verificari potest, quod ait S. Evang. Ioann. in Apocal. c. 3. *nomen habes quòd vivas & mortuus es.* Secunda resurrectio contigit in Lazaro, qui quidem verè resurrexit à mortuis; at postea denuò mortuus fuit. Quomodo spiritualiter resurgunt plurimi per veram contritionem & confessionem, sed non longè abhinc denuò moriuntur, & redeunt ad pristina peccata. Tertia resurrectio accidit in Christo, qui verissimè resurrexit à mortuis, & viuus semper mansit, & manebit in æternum: *mors illi vltra non dominabitur.* Sic multi resurgunt cū Christo, nec moriuntur deinde, hoc est, ad pristina non redeunt peccata; & vnde hic dispar exitus harum duarum resurrectionum spiritualium. Mysterium & causam penetrabimus, si diligenter observaverimus modum & circumstantias resurrectionis Lazari & Christi. Hic teste Sanct. Matth. 27. surexit è sepulchro linteamina & sudarium in eo relinquens; Lazarus verò veluti attestatur S. Evang. Ioann. cap. 20. surrexit è sepulchro cum sudario; *& facies illius sudario erat ligata*, Ecce ergo mysterium. Per sudarum intelligit S. Eusebius Emissenus occasionem peccati, dicens: *Ioseph detinetur à muliere, Christus à morte, Ioseph pallio relicto aufugit, Christus linteamina in sepulchro reliquit & resurrexit. Non ita Lazarus prodiens è sepulchro, cum sudario, quod Christus reliquit.* Tu quoque resurge cum Christo, non cum Lazaro, relinque sudarium in sepulchro, occasionem, inquā, peccandi; & verè cum Christo resurges. Vide Disc. quinquag. tert. de occasione peccati.

Surrexit non est hîc. Meritò appellatur hæc dies Resurrectionis; sicut dies obitus Martyrum Natale dicitur, quia mors Christi non fuit vera mors, sed transitus de passione ad gloriam, veluti mors corporalis iustorum non est dicenda mors, sed vitæ principium, è contra verò mors corporalis peccatorum veræ mortis exordium est. Lege Discursus. 48. de morte iustorum & peccatorum.

Feria secunda Paschatis.

Ibant ipsâ die. Quæ verba indicant perseverantiam in viâ virtutum. Disc. sexagesim.

Quæ? quasi tormenta ab eo perpessa nullius fuissent momenti. Et quid mirum? amor omnes spernit & superat difficultates & tribulationes. Disc. 3.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognovisti. Peregrinum putant, subdit glossa, *quem non agnoscunt*, & verè peregrinus erat eis, à quorum fragilitate per gloriam resurrectionis iam longè stabas, à quorum fide resurrectionis nesciâ extraneus manebat. Vnde ait D. Gregorius in hunc locum: *quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longiùs finxit. Talem igitur eis se exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente.* Iste est ordinarius procedendi modus Dei, per quæ quis peccat, per hæc & Deus illum castigat. Legatur Disc. 59. de peccati pœnâ.

Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. Aperti dicuntur oculi eorum, non dicit D. August. quòd clausos haberent oculos, sed quia cognoverunt eum, ipso ampliùs non permittente eos errare. Et Dominus per suam gratiam intravit corda eorum, vt eum fide cognoscerent. Et benè, inquit Reverendissimus Guido, dum panis benedicitur & porrigitur, oculi aperiuntur, quia Sacramentum corporis Domini habet vim illuminatiuam & communicatiuam gratiarum. Discurs. 20. de cœlestibus donis & gratijs, quas communicat SS. Eucharistiæ Sacramentum.

Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? quinimò; hæc enim est via, quâ itur ad cœlestem gloriam. Discurs. 69. de Tribulatione.

Feria tertia Paschatis.

Pax vobis. Luc. 24. Qui propter pacem inter Deũ & hominem componendam venerat in mundum, quid aliud commendaret, quàm pacem? hæc enim Christianis summè vtilis & necessaria. Disc. 57. de pace.

At illi obtulerũt ei partem piscis assi & fauum mellis. Et cùm manducasset, &c. *Et benè*, sic loquitur Reverendissimus Guido, *piscem assumpsit, qui amaritudinem passionis deglutivit, quæ iam transijt in dulcedinem gloriosæ resurrectionis, quæ designatur per fauum mellis.* In quo comparatur Vrso. Disc. 68. n. 16. & Disc. 69. n. 10. & 12.

At illi obtulerunt ei partem piscis assi & fauum mellis. Quo significatur, quòd, qui piscem assum & decoctum igne tribulationis deglutiunt, miram mellis & consolationis dulcedinem percipiant. Disc. 71. per totum.

Partem piscis assi & fauum mellis. Piscis assus, ait glossa, est ipse mediator passus, in aquis humani generis captus laqueo mortis, assatus tempore passionis. Ipse est fauus mellis in augustissimo Eucharistię Sacramento, quem, vt ait D. August. in Psalm. 117. fecerunt nobis dulciorem, vt gustemus & videamus, quàm suavis est Dominus. Lege Discursum de Eucharistiâ.

Sic oportebat Christum pati. Quoniam sic scriptum est: *hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, signum verò evidentissimum divini amoris est, dum quis patienter sustinet tribulationes, Lege Disc. 70. de Tribulatione.

Dominica in Albis.

Præsenti Dominicæ inservire poterit Sermo in festo S. Apostoli Thomæ, qui habetur in tuba Evangelicâ inter Sermones per Advent.

Cum serò esset, &c. venit Iesus. Cur non summo diluculo, aut in meridie? acutum audite responsum à Reverendissimo Guidone, vt obscuritas horæ, inquit ille, ostenderet obscuram mentem incredulorum, qui non credebant eum resurrexisse. Ita Deus nobiscum agit, veluti nos cum illo. Legatur Disc. 59. de peccati pœnâ.

Venit Iesus. Nimirum ad discipulos & ad omnes Christi fideles, quotiescunque tribulationibus premuntur, cum eis agit, conversatur, seséque spectatorem exhibet; *nam spectaculum facti sumus,* &c. Vide Discurs. 1. num. 13. 14. 15. & seq.

Dixit eis, pax vobis. Non divisis, dispersis & diffi-

diſſidentibus,ſed congregatis & in charitate vnitis, non enim eſt pax impijs. Diſc. 57. de pace.

Oſtendit eis manus & latus. Vt malis annunciet in judicio, quàm juſtè damnentur, videntes in quem transfixerunt. Vnde Diuus Auguſtinus lib. de Symbolo dicit : ſciebat Ieſus. quare cicatrices in ſuo corpore ſervaret, ſicut enim demonſtravit Thomæ non credenti, niſi tangeret & videret, ita etiam inimicis demonſtraturus eſt ſua vulnera vt convincens eos veritas dicat, ecce hominem, quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ infixiſtis, agnoſcitis latus, quod punxiſtis, quod per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. Diſcurſ. trig. ſecund.

Gaviſi ſunt diſcipuli. Quia triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Diſcurſ. 68. numero decim. ſext. & Diſc. ſexageſ. non. num. dec. & duodecim.

Niſi videro in manibus eius fixuram clavorum. Infer digitum tuum huc. O magnam miſericordiam & clementiam Dei! ſolus & vnicus Thomas non credit, & miſericors Dominus ianuis clauſis accedit eum, oſtenditque ei latus & loca clauorum, vt eum ab infidelitate eriperet, & quid mirum? cùm tantus fuerit ejus in homines amor, vt etiam pro ſolo & vnico homine natus, & paſſus fuiſſet. Diſcurſ. 1. num. 30. Hunc amorem & clementiam exhibuit Thomæ, teſte Divo Chryſoſtomo hom. 96. ſuper Ioannem dicens : *Tu cùm videas diſcipulum non credentem, cogita Domini clementiam : qualiter & pro vnâ animâ oſtendit ſeipſum vulnera habentem, & vt vnum ſalvet, apparuit, & cùm craſſioris eſſet ingenij, à craſſiſſimo ſenſu fidem ſibi quærit.* Clariùs id dilucidat Reverendiſſimus Guido in hunc locum dicens : clementer quoque Dominus ad Thomam ſe habuit, cum ea eo præſente exhibet, quæ in manifeſtatione ſui, diſcipulis exhibuit eo abſente, imò & plus præſtat, cum, quia, vt dicit Sanct. Chryſoſtomus, adſtat Ieſus, & non exſpectat à Thoma interrogari, nec audire quid tale, ſed eo nihil dicente ipſe præaſſumens, quæ deſiderabat complet : tum quia oſtendit ſe omnium cognitorem. Vnde verba quæ Thomas diſcipulis dixerat, ipſe Dominus eidem dixit : *infer digitum tuum.* Quaſi dicat : tu dixiſti, quod non crederes, niſi videres loca clavorum, & mitteres digitum & manum tuam in latus, ecce præbeo, vt videas, vt tangas & palpes & credas. Igitur *noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Quare Thomas meritò dicere poterat cum Propheta regio : *Miſericordia eius præveniet me.* Pſalm. 58. Legatur Diſcurſus ſexageſim. tert. de Providentiâ Dei, vbi Diuum Auguſtinum ſic reperies exclamantem cum ſtupore : *O tu bone omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrûm, tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos.* numer. 5. & 6. pro quâ materia inſervire quoque poterit Diſcurſ. 46. de Miſericordiâ Dei.

Infer digitum tuum huc, & vide. Annon ergò ſine appoſitione digiti videre poterat? vel fortè digitus habebat oculos mirum ſanè paradoxon, at non ſine myſterio, eo namque modo videre jubebatur Chriſtum & plagas ejus, quo populus Iſraëliticus videbat voces & ſonitum buccinæ. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ.* Exodi cap. vigeſim. Vide Diſcurſus vigeſim. prim. de Fide & Operibus. num. 2. 3. 4. & 5.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

Ego ſum Paſtor bonus. Ioannis 10. Quænam requirantur conditiones, vt quis bene riteque Paſtoris fungatur officio, habes prolixum Diſc. 67. de Superiori. Idem & plura alia clariùs enodata reperies Diſcurſ. 12. de Correctione Fraternâ.

Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Vides vt Deus nullum ſpernit, omnibus ſufficientia ad ſalutem ſuppeditat media; at tuum eſt cooperari illis, qui enim *creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Legatur Diſc. ſexageſim. ſecund. de Prædeſtinatione.

Et fiet vnum ovile & vnus Paſtor. Deus ſummè amat vnionem & pacem. Diſc. 57. de Pace.

Dominica tertia poſt Paſcha.

Modicum & iam non videbitis me &c. Conſolatur Dominus diſcipulos ne triſtentur de ſuo receſſu,

recessu, q. d. inquit Reverendissimus Guido, etsi recedo, non pereo, quia vado ad Patrem. In hoc enim, vt dicit Chrysostomus, ostendit, quòd non perierit, sed mors ejus transitus est ad Patrem, per gloriam immortalitatis; etenim mors justorum non est dicenda mors, sed vitæ principium Disc. 48. Mors justorum.

Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini. Eodem planè modo, sicut ille gaudebit, Gaudium illius est transitorium, breve, & ad modicum durans, ita & tristitia vestra; vnde bene ait: nunc quidem tristitiam habetis, Disc. 40. de Mundo. num. 5. 6. & seq.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Nimirum postquam acceperitis Spiritum paracletum, non iam amplius mœrore & tristitiâ replebitur cor vestrum propter persecutiones & pressuras quas patimini, sed maximam exinde percipietis consolationem & gaudium. Et ita verè contigit. nam *ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij.* Vide Discurs. 71. de consolatione & gaudijs provenientibus ex Tribulatione, per totum.

Nunc quidem tristitiam habetis. Hoc videlicet modico, perexiguo, & brevi tempore; modicâ nihilominus & transitoriâ hac tristitiâ vitæ vestræ compatare poteritis infinitam, æternam, immensam, & sine fine durantem lætitiam & cœlestem beatudinem. Deus enim hanc venalem exponit pro vilissimo pretio. Disc. 8. num. 15.

Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. In cœlesti, nimirum, beatitudine, vbi mors vltra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt. Disc. 8. de Beatitudine.

Iterum autem videbo vos. strenuè dimicantes, & animam ponentes pro honore meo, Disc. 71. num. 13. & sequentibus.

Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Vbi enim intendunt oculi diuini omnia fluunt melle, lacte & benedictione Dei. Discurs. 54. de Oculo Dei.

Dominica quarta post Pasch.

Vado ad eum, qui misit me. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Ioann. cap. 16 Non est gravius tormentum animæ, quàm cùm privatur præsentiâ Dei. Discurs. 29. num 2. & 3. & Discursus 35. num. 10. & Discurs. 64. num. 23. & 4.

Sed ego veritatem dico vobis. Adveritate namque non possunt nisi vera proferri, & veritas semper ei amica fuit, mundo verò inimica. Disc. 72. de Veritate.

Expedit vobis vt ego vadam. Vt hinc patefaceret, inquit Reverendissimus Guido, quod spiritualis Christi inhabitatio, quâ mentem cum Patre & Spiritu sancto inhabitat, præfertur ejus præsentiæ corporali, vt ex hoc gauderent & non tristarentur, quia vadit ad Patrem; cum per hoc Pater & filius & Spiritus sanctus eorum mentes perfectius, & abundantioribus bonis replerent. Hanc solam absentiam, & non illam voluit Christus à nobis deplorari, Disc. 34. num. 12. 13. 14. & 15.

Arguet mundum de peccato. Quod semper ei contrarium fuit, & innumera animabus nostris attulit damna, Disc. 58. de Peccati culpa.

Arguet mundum de peccato. Eò quòd post Adventum Messiæ, & Salvatoris nostri, post tot prædicationes, post tot visa signa & prodigia remaneat adhuc obstinatus in peccato? & nolit agere pœnitentiam. Lege Disc. 52. de Obstinatione, & Disc. 61. de Pœnitentiâ.

Dominica quinta post Pascha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Ioannis 16. Quomodò & quid per orationem petendum sit, fusè declarat Disc. 55. de Oratione. Sic etiam quare petita sæpenumerò nobis Deus deneget, pulchrè explicatur ibidem.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Orare & plorare, quod est anima orationis, propter res temporales & transitorias, est Æthiopem dealbare. Discurs. 34. num. 12. 13. vsque ad finem.

Veni in mundum, & iterum relinquo mundum. In mundum, inconstantem, insatiabilem, vt & vos ipsum relinquatis, quia deficit, inconstans est, nec satiare valet appetitum vestrum. Vide Discursum quadrag. non, de Mundo. Pro Exordio hujus Sermonis accipe, (si tibi arrideat) quod sequitur.

Exordium.

Poëta Alciatus inter alia hoc excogitavit & depinxit emblema; binos videlicet depinxit mundos, vnum infra alium, sed longè ab eo distantem separatum, & hoc eis apposuit elogium vnus ex duobus. Quibus denotare volebat, impossibile esse, vt quis vtrumque possideat mundum, in vtroque ad eosdem honorum dignitatumque evehatur gradus, & cœlestibus simul & terrenis fruatur bonis, delicijs, & gaudijs; perpulchrè Diuus Hieronymus lib. 2. Epist. 37. doctissimo calami sui penicillo hoc emblema illustravit, cùm dixit: *difficillimum & impossibile est, vt quæ præsentibus & futuris fruatur bonis, vt & hic ventrem & ibi mentem impleat. vt in vtroque sæculo primus sit, vt & in cœlo & in terrâ appareat gloriosus.* Veritatem hujus pijssimus Redemptor noster suo comprobare voluit & dicto & exemplo, vtrumque ille probavit mundum; sed qualis fuit in hoc inferiori, quamprimum natus in abiecto & fœtido stabulo repositus fuit in præsepio, & persecutiones plurimas pertulit fugiens in Ægyptum, in Adolescentiâ labores aliasque corporis sustinuit afflictiones: *in laboribus à iuuentute meâ*, Psalm 87. Sed audiamus Prophetam Isaiam: *Et vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, &c. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: Nos putavimus eum, quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum.* cap. 53. In altero ergo gloriosus appareat, necesse sequitur. *Veni* igitur *in mundum*; ast quia *ego non sum de hoc mundo. Vos de hoc mundo estis.* Ioannis octau. *Et regnum meum non est de hoc mundo.* Ioannis decim. octau. Ideò relinquo mundum, &c.

In Festo Ascensionis Domini.

Et recessit ab eis & ferebatur in cœlum. Lucæ c. vltimo. Huic festivo diei idem inservire poterit Discursus, qui Dominicæ proximè præcedentis themati *veni in mundum & iterum relinquo mundum*, assignatus fuit, & Christi Domini hodie ascendentis, & hactenus abiecti & despecti in hoc mundo, gloriosus breviter adijci potest triumphus.

Exprobravit incredulitatem eorum. Eo die, inquit Reverendissimus Guido, incredulitatem eorum increpat, qui videntibus eum resurrexisse, non crediderunt, quo die præcipiebat eis, vt eum omni creaturæ prædicarent, vt gentes crederent eum, quem non viderunt; ideò increpandi erant Doctores, qui gentibus prædicabant in eum non visum credere, in quem non visum, & videntibus non crediderunt ipsi, qui non fecerunt, quod erant alijs prædicaturi. immeritò ergo prædicatores & prælati corrigunt & reprehendunt aliorum vitia, qui ijsdem immersi sunt peccatis Disc. 12. n. 3. 4. & 5.

Prædicate Evangelium omni creaturæ. Homini videlicet, homo enim dicitur secundum Diuum Gregorium omnis creatura, quia esse habet cum inanimatis, vivit cum plantis, sentit cum animalibus brutis, intelligit cum Angelis; prædicatur igitur Evangelium omni creaturæ, dum soli homini prædicatur. Sed quibus hominibus? fidelibus & infidelibus, humanis & barbaris, iustis & reprobis, nobilibus & ignobilibus, pauperibus & divitibus, viris & mulieribus; omni denique populo. Ast non omnes credent, quid ergo proderit prædicatio? quo fine prædicabitur illis? ad quid illis necessaria & vtilis erit? vt saltem cognoscant Deum fecisse omnia, quæ ex parte suâ erant necessaria & sufficientem ad salutem illis dedisse & etiamnum dare gratiam; vnde si infideles non credant, & æternis adiudicentur tormentis, id non Deo, sed illis ascribendum est. Prosequere hunc sermonem ex discursu 62. de Prædestinatione. numer. 6. 7. 8. & sequentibus.

Qui crediderit (subintellige fide vivâ & non mortuâ;

mortuâ; *fides namque sine operibus mortua est) & baptizatus fuerit, salvus erit.* Qualis debeat hæc esse fides, clarè & pulchrè docetur Disc. 21. de fide & operibus per totum.

Illi autem profecti prædicaverunt vbique. In viâ virtutum semper proficiendum est cum SS. Apostolis, si eundem cum illis æternæ salutis velimus attingere scopum. Discurs. 60. de perseverantiâ.

Dominica infra octavam Ascensionis.

Vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Ioannis cap. 16. q. d. Illi se à me amari judicant & arbitrantur, cùm vos odio habent & interficiunt, talia sunt judicia hominum, ast alia judicia Dei, ego illos odio habeo, *quia odio sunt Deo impius & impietas eius.* Sap. 14. Vos autem tenerrimè amabo, cùm in his eritis tribulationibus constituti, illæ siquidem evidentia amoris divini signa sunt. Lege Discursum 70. per totum.

Hæc facient vobis. Et aliter non fiet; *nónne enim hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Lucæ cap. 24. omninò: *Hæc est enim via vitæ* (subiungit Sanctus Bernard.) tribulatio præsens, via gloriæ, via regni. Legatur Disc. sexages. nonus per totum.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. O immensam misericordiam & clementiam Dei! apparuerat Dominus Deus in Veteri Testamento Manue & Vxori ejus parentibus Sampsonis; contertitus propterea Manue ex hac visione dixit Vxori: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Imò contrarium, respondit Vxor, augurari debes: etenim, *si Dominus nos vellet occidere, non ostendisset hæc omnia, neque ea, quæ ventura sunt dixisset.* Pari ratione dicam ego, si Dominus Deus permittere vellet, vt in peccatum scandali prolaberemur aut alia vitâ, ac proinde eorum pœnas, non hæc locutus esset nobis. *Non enim te vult percutere, qui tibi clamat observa:* subdit S. Augustinus. Disc. quadragesim. sext. de Misericordiâ.

Dominica Pentecostes.

Huic percelebri festivitati inservire poterit, quod dicitur in tubâ Evangelicâ Sermon. de Nativitate Domini parte primâ, vbi pulchra & apposita adducitur similitudo & causa, cur Spiritus sanctus apparuerit hodie Apostolis sub formâ linguarum ignitarum. Quia nimirum Deus laborabat ardentissimâ amoris febre, & magnam patiebatur salutis nostræ sitim. Quam materiam pro beneplacito prosequi poteris ex Discurs. primo de amore Dei in hominem; vbi similes reperies conceptus. Item ex tubâ Evangelicâ Sermon. supra cit. parte 1. & 2.

Spiritus Paraclitus dicitur propterea Amor, quia ipso nobis assistente quascumque superamus difficultates, nihil nobis factu difficile est; vndè observat quidam gravis Doctor, Christum Dominum in hodierno Evangelio non dicere: *si quis diligit me, mandata vel præcepta mea servabit; sed sermonem meum servabit*; quia valde facilis & suavis est legis observantia, veluti sermo quidam; neque id mirum, quia amor Dei omnia facilia reddit. Discursus tert. per totum.

Descendit hodie Spiritus sanctus in formâ ignis & flammarum, quia separatis imperfectionibus, appositè ei quadrant ignis proprietates, vt latiùs consideranti patebit. Hoc igne SS. Apostoli, qui tempore passionis D. N. veluti carbones planè extincti erant, hodie accensi fuerunt, juxta regium Vatem: *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Psalm. 17. Et eodem plurium Christi fidelium corda accensa fuerunt igne, hunc Christus venit mittere in terram vt ardeat, Lucæ 13. Effectus stupendos hujus ignis videbis Discursus 35. num. 7. Vnde ne extinguatur, triplex datur modus conservandi illum, sicuti triplici modo conservatur ignis naturalis: primò, si ponatur & abscondatur sub cineribus; tu quoque ignem divini amoris conservabis, si memineris, quòd pulvis aut cinis es, & in cinerem reverteris. Discursu quadragesim. septim. de Morte & ejus Memoriâ.

Secundò

Secundo ignis naturalis, præsertim si ligna sint apposita recentia & virentia, facilè extinguitur, ad hunc conservandum multum juvabit, si in illum sine morâ & continuò sufflaveris. Similiter si hunc ignem divini amoris extingui aut diminui adverteris, quàm primum suffles in eum, hoc est, ores, necesse est; *si enim sufflaveris in scintillam*, ait Sapiens cap. vigesim. octau. *quasi ignis exardebit.* Id peroptimè novit Propheta regius, vnde dicebat: *Os meum aperui & attraxi Spiritum.* Psalm. 118. In quem locum, ait Incognitus Carmelita: *Os suum aperuit, gratiam postulando, attraxit Spiritum, gratiam S. Spiritus impetrando.* Quàm efficax sit hæc sufflatio innuit S. Laurentius Iustinianus hisce verbis: *In orationis exercitio purgatur à peccatis anima, pascitur charitas, illuminatur fides, corroboratur spes, in oratione rutilant vivi carbones cœlestium desideriorum, ardetque flamma divini amoris.* Et Sanct. Bonaventura lib. de meditatione vitæ Christi. cap. 36. *Si vis*, inquit, *pravas affectiones conculcare, sis homo orationis: si vis astutias Satanæ cognoscere, ac eius fallacias vitare, sis homo orationis: si vis vanas muscas cogitationum effugare, sis homo orationis: denique si vis vitia extirpare & virtutibus imbui, sis homo orationis: in eâ enim recipitur Spiritus Sanct. vnctio, quæ de omnibus mentem docet.* Plura de oratione reperies Discursus 55. Qui in ligna virentia igne accensa sufflat, vberes ob fumum solet emittere lachrymas: vtinam tu quoque spirituali huic orationis statui jungeres lachrymas; mirum etenim divini amoris incendium experireris, & nigrum peccatorum fumum subitò repelleres. Discurs. 34. de Lachrymis.

Tertiò ad conservandum ignem naturalem necessarium est, vt continuò apponantur ligna, vel infundatur oleum. Ad eundem modum ad conservandum hunc ignem Spiritus Sancti, necesse est adferantur ligna, hoc est, bona opera. Expressa hujus habetur figura Levit. cap. sext. Vbi Deus præcepit vt Sacerdos igni in altari accenso apponeret ligna singulis diebus. Quid per hæc denotare voluerit, reperies Discurs. 2. num. 3. S. Ioannes Chrysost. hom. de verbis Apostoli, *habentes eundem Spiritum fidei*, quæstionem instituit, quomodo poterimus allicere auxilium Spiritus sancti, eique persuadere, vt apud nos maneat? respondet his verbis: *per bona opera & optimam vivendi rationem.* Hinc fideliter monemur per D. Petrum. 1. cap. 2. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* non ait: Solliciti sitis de vestrâ vocatione, sed de lignis, id est, operibus bonis, quibus ignis gratiæ ardeat: si vos apposueritis eiusmodi ligna, ignis ille divinæ gratiæ & vocationis per se sequetur & ardebit. Idem nobis sedulò inculcat Sanct. Apostolus Paulus 1. ad Thessal. 5. *Spiritum*, ait ille, *nolite extinguere* D. Chrysostomus in hunc locum dicit, Sanct. Apostolum sumere metaphoram ex lampade accensâ, quæ ob defectum olei extinguitur; hanc verò lampadem esse animam nostram, quæ lucet & ardet, dum in eâ quiescit Spiritus Sanctus: sæpè verò contingit ait ille, *et si nihil irrumpat*, (nulli videlicet adsint venti perflantes) *extinguatur flamma, cùm defecerit oleum. Quando Eleemosynam non facimus, Spiritus extinguitur.* Si plura ligna bonorum operum desideras, ingredere Syluam, & cæde ex Disc. 21. num. 6. 7. & seq.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, Hæc est hæreditas mea, hoc patrimonium pacis relinquo vobis, ne inter vos sint jurgia, divisiones & dissensiones. Discurs. quinquagesim. septim. De pace hîc inferenda judicavi, quæ Diu. Augustinus habet de verbis Domini secundum Ioannem, tum ob verborum pulchritudinem, tum etiam ob fructum; in hunc modum sermocinatur: *De pace dicturi, quæ prius pacis sint commoda videamus. Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est, quæ singularitates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat. Cunctis est placida, non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare, quod odisse nescit, non novit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accipit teneat: qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat. Quoniam qui in eâ non fuerit inventus, abdicatur à patre, exhæredatur à filio, à Spiritu sancto efficitur alienus. Respuit enim munus oblatum, qui data legis* con-

contempserit bonum. Nec poterit ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum noluerit obseruare. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergò crimen est; quod iubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatur declinare. Quid tibi commune cum discordiâ Christiane? Quid simultates amas, quæ auctori placere non poterunt? Quid exerces inimicitias, quas euadere non potuit nec ille, qui eas primus invenit? initio namque inimicitias in protoplastem dum serpens exerit, interficitur: dum homini invidet ipse prosternitur. Dum Adam cupit decipere, ipse primitus iugulatur. Quare aut Christi charitatem amplectere Christiane, aut discordiæ auctori de similitudine operum parem te esse cognosce.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Mundus clamat: *Pax, pax, & non est pax.* Ierem. 6. Ezechiel. 13. Pacem autem, quàm ego do vobis, comitatur iustitia, hanc pacem relinquo vobis Disc. 57. num. 9. 10. & seq.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Homines enim, ait Guido Carmelita, qui mundum diligunt sibi dant pacem, vt sine molestiâ litium & bellorum fruantur mundo, sed Dominus dat pacem suis vt per tribulationes abiecto mundo in quiete æternæ pacis fruantur Deo Disc. 69.

Non turbetur cor vestrum, quia vado & venio ad vos. Spectatum nimirum, quomodo pugnabitis cum mundo, carne & dæmone, quàm alacriter ad martyria & tormenta properantes pro nomine Iesu mortem sustinebitis, quàm intrepidè inimicis Crucis Christi respondebitis. Hæc & similia spectatum veniam, & consolabor vos, quia spectaculum facti estis Deo & hominibus. Disc. 71. num. 13. 14. & seq.

Non turbetur cor vestrum, &c. Turbetur verò, si à vobis longè me elongarem & recederem, quia absentia Dei ab animâ, incredibile tormentum est animæ. Disc. 26. num. 2. & 3. & Disc. 35. num. 10. & Disc. 64. num. 2. 3. & 4.

Feria secunda Pentecostes.

Sic Deus dilexit mundum. Ioannis cap. 3. Quomodò, explicabit Discursus primus num. 9. & per totum.

Sic enim Deus dilexit mundum. Et hoc, subiungit glossa, *debet nobis esse amoris divini* maximum incentiuum. Disc. 2.

Vt omnis, qui credit in eum, &c. *Scilicet,* subdit Nicolaus de Lira, *tendendo in eum per charitatem,* quæ consistit in opere. Disc. 21. num. 6. 7. & seq.

Non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, id est, ait glossa, *vt condemnet. Et nos multò minus debemus condemnare proximum, etiam peccatorum, quia qualis sit futurus, est nobis penitus ignotum.* Disc. 33. de iudicio temerario.

Qui non credit iam iudicatus est. In quem locum pulchram Reverendissimus Guido instituit quæstionem, & dicit: sed si non venit vt iudicet mundum, hoc est, in primo Adventu, & secundus Adventus, in quo iudicabit mundum, adhuc futurus est, quomodo ergo, qui non credit, iudicatus est? & respondetur: quamvis futurum sit iudicium, ei tamen, qui non credit, iam præteritum dicitur iudicium & præsens, propter duas rationes, quas ponit Chrysost. hom. 27. super Ioannem. Prima est, quia iam sentit supplicium, quo torquetur in conscientiâ, ipsum enim discredere & esse in tenebris erroris maximum habet supplicium, cùm error secundum Augustinum sit pœna hominis damnati, & iudicium damnationis. Quale supplicium & tormentum sit peccatum, aperit Disc. 58. num. 7. & 8. Item Disc. 27. per totum. Secunda ratio est: quia etsi sententia iudicis in futurum exspectetur, res tamen propter quam damnandus est, præsens est, scilicet incredulitas, accipiendo non credere sive pro infidelitate, sive pro malâ vitâ, quia peccatores Christiani *confitentur verbis se nosse Deum, factis verò negant.* Disc. 21. num. 7. 8. 9. & seq. Quemadmodum enim qui occidit, pergit cit. Author, etsi non sententiâ iudicis damnatus est, rei tamen damnatus est naturâ; ita etiam qui incredulus est, quia & Adam eâdem die, quâ comedit de pomo, mortuus est, sic enim comminatio habuit, Gen. 2. *Quacumque die comederitis moriemini.* Et nimirum vivebat, quomodo ergo mortuus erat? comminatione & rei naturâ: qui enim obnoxium supplicio seipsum facit, iam quodammodo damnatus est. Hæc ille.

Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Id apertè demonstrat Discurs. 49. num. 16, 17. & 18.

Feria tertia Pentecostes.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Per ostium intrant, quoquot habent circumstantias & conditiones ad officium Pastoris & correctoris requisitas. Legatur Discurs. 12. de Correct. fraternâ. & disc. 67. de Superiori.

Per me si quis introierit, saluabitur. In hujus figurâ dictum est Noë, vt saluaret se à diluuio. Genes. c. 6. *Ingredieris arcam tu & filij tui; qui ingressi sunt per ostium deorsum.* Ostium deorsum est Christus per fidem & confessionem. Vnde D. August. de verbis Dom. super Ioan. serm. 12. dicit: *Ille intrat per ostium, qui intrat per Christũ. Si igitur vis per ostium intrare, cognosce te hominem infirmum peccatorem, appareat in confessione tuâ macula cordis tui, & pertinebis ad gregem Christi, quia confessio peccatorum inuitat medicum sanaturum.* Disc. 10. de Confess. & disc. 21. de Fide.

Dominica SS. Trinitatis.

Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Iustam, ô Nicodeme, haberes interrogandi ansam, si id intelligeres de senectute spirituali, inveteratâ videlicet peccandi consuetudine, & obstinato peccatore; id enim admodum difficile est, nam teste B. Thoma de Villâ Noua: *Peccatores obstinati & indurati in peccatis quasi miraculo salvantur.* Disc. 52. de Obstinatione.

Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto. Ac si diceret, inquit Guido Carmelita: tu carnalem generationem intelligis, cùm dicis: *nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire & renasci?* Ex aquâ & Spiritu sancto oportet vt nascatur homo propter regnum Dei: si propter hæreditatem Patris hominis temporalis, nascitur aliquis ex visceribus Matris carnalis, etiam propter hæreditatem Dei Patris sempiternam nascatur ex visceribus Ecclesiæ necesse est: *Generat per vxorem Pater moriturus successurum, generat Deus de Ecclesiâ filios non successuros, sed secum mansuros*, vt dicit D. Augustinus tract. 12. super Ioan. & D. Chrysostomus hom. 12. super Ioan. eadem Nicodemi verba ponderans dicit: *Voluit eum minis perterrere, & ad credendum allicere, ne impossibile arbitraretur, & vt carnalis generationis opinionem tolleret: aliam, inquit, Nicodeme, generationem dico. Quid ad terram devolveris? quid hanc naturali subijcis necessitati? Alius partus hic & excellentior nihil cum terrenis communicat; nemine tantùm hæc generatio convenit, re longè differt. Reijce communem consuetudinem, alium partum induco, quo homines renasci volo, alium generationis modũ offera. Formaui ex terrâ & aquâ; non vtile vas euasit, sed deterius factum est: non amplius terra & aqua fingendum est, sed aquâ & Spiritu.* Et quis erit ille nouus generationis modus? post baptismum in adultis alius non est, nisi pœnitentia, quæ fit ex aquâ lachrymarum, ex hac nisi quis renascatur, non poterit introire in regnum Dei. Disc. 61. de Pœnitentiâ & disc. 34. de Lachrymis.

In Festo Corporis Christi.

Pro hac solemnitate quatuor parati adsunt Discursus V. Eucharistia.

Dominica infra octavam Corporis Christi, quæ est prima post Trinitatem.

Erat dives. Lucæ 16. Dives erat non vt Abraham nec vt Iob à possessione divitiarum, quibus, vt dicit D. Augustinus, de moribus Ecclesiæ, divitiæ non erant magnæ, sed ipsi divitijs, sibi autem Deus, qui fixum cor habebat in Deum. Et si talis animi homines essent in N. Testamento non esset necessarium, vt à possessione divitiarum prohiberemur, vt perfecti essemus. *Non enim*, vt idem ait Doct. *reprobatur facultas, sed cupiditas.* Disc. 14. num. 13.

Epulabatur quotidie splendidè. Epulabatur ingurgitando per crapulam, contra illud Eccl. c. 37. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam, in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit ad choleram, propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Disc. 23. de Gulâ & Ieiunio.

Factum

Factum eſt autem, &c. vt portáretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Tanta eſt Angelorum Sanctorum cura in homines, vt non ſolùm nos ſollicitè defendant & cuſtodiant per totam vitam, verùm etiam poſt obitum noſtrum, alios concives ſuos invitent ad conducendam animam ad cœleſtem gloriam. Diſc.6. n.13. & per totum.

Mortuus eſt autem dives, & ſepultus eſt in inferno. Et cur non dicitur, quod iverit, vel devenerit, aut delatus fuerit ad infernum? dubium hoc reſolvit Divus Auguſtinus dicens: *Sepultus eſt in inferno, quia hic pecuniarum pondere preſſus velociùs deſcenderat,, quàm vt veniſſe dicatur.* Diſc. 14. num. 4. & per totum.

Et ſepultus eſt in inferno. Benè quidem, qui mortuus erat in animâ, & in quo feruor dilectionis erga proximum exſpiraverat, in inferno ſepultus eſt, vbi iacent mortui. Pſalm. 48. *In inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Vbi nota differentiam inter mortem juſtorum & peccatorum. *Primò*, quoad terminum, quia pauper Spiritu ſepelitur in ſinu Abrahæ & beatitudinis, ille verò dives in inferno. Sinus enim Abrabæ, vt dicit Auguſtinus de quæſtionibus Evangelicis ſecundum Lucam cap. 40. eſt requies bonorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, vbi poſt hanc vitam recipiuntur: Sepultura inferni pœnarum eſt profunditas, quæ in ſuperbos & immiſericordes poſt hanc vitam venit. *Secundò*, quoad adducentes. Nam Lazarus ab Angelis deportatur, dives à nemine deportari dicitur, vt qui proximum non dilexit, ei mortuo proximorum beneficia deſint. Nam qui ſine charitate moritur, ei vivorum charitativa beneficia non proſunt, niſi quantum ſibi vivens per bona opera meruit, vt ei prodeſſent obſequia vivorum & opera charitatis. *ſecundum Auguſtinum.* Et in hoc etiam patet, quòd diues, qui multos in vitâ habet adulatores amicos menſæ, in morte nullos habet; quia Pſalm.48.18. ait: *Cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Tertiò*, quòd meliorem mortem: quia nec pompa exequiarum meliorem facit divitis mortem. Audiamus Auguſtinum de verbis Domini vbi ſuprà dicentem: *De duobus*, inquit, *iſtis*, *quis bene & quis malè mortuus nolite oculos interrogare, ad cor redite. Si enim oculos interrogaveritis, falſa reſpondent; multum enim ſplendida ſunt & ſeculariter fucata, quæ illi diviti morienti exhibent. Quæ poterunt eſſe agmina plangentium ſervorum & ancillarum? quæ pompa clientium? quis ſplendor funeris? quod pretium ſepulturæ? credo enim eum aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi ſumus fratres? An iſtum bene mortuum, an malè? Si oculos interrogatis, optimè mortuus eſt, ſi magiſtrum interiorem rogatis, peſſimè mortuus eſt. Si ergo ſic moriuntur ſuperbi rerum ſuarum conſervatores, & nihil inde pauperibus largientes, quomodo moriuntur, qui rapiunt res alienas, & qui ſervos vel ancillas ſuas cupiunt trahere ad ſervitium alienum. Verùm ergo dixit vivite bene, ne malè moriamini, ne quomodo dives ille moriamini. Non enim probat malam mortem niſi tempus poſt mortem. Et contra attendite illum pauperem, non oculis, nam errabitis: fides attendat & cor videat: conſtituite illum ante oculos veſtros iacentem in terrâ vlceroſum, cõtinuò expuitis, faciem auertitis, nares obturatis. Cordis oculis videte, mortuus eſt, & allatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ. Familia divitis plangebat: Angeli verò videbantur gaudentes.* Igitur hujus mors pretioſa in conſpectu Domini: nec ejus mors mala dicenda eſt, cujus continuata vita bona præceſſit; quia nec mortem malam fecit, niſi quod ſequitur mortem, vt dicit Auguſt. de civit. Dei cap.12. Et multa corpora SS. Chriſtianorum terra non texit, imò poſita fuerunt in eſcam volatilibus cœli & beſtijs terræ, & tamen, nullum eorum quiſpiam ſeparaverit ab eo, qui implet cœlum & terram, quamvis non eſſet, qui ea ſepeliret. *Sed* (inquit Auguſt. ibidem) *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Proinde omnia iſta, id eſt, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum magis ſunt viuorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum Si aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exequias in conſpectu hominum exhibuit illa purpurato diviti turba famulorum: ſed multò clariores in conſpectu Domini illi vlceroſo pauperi miniſterium Angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt.* Adhæc pulchrè dixit, ait Guido Carmel. *mortuus eſt dives*, quia perfectè mortuus in corpore & anima, in eo nedum prima mors, ſed etiam ſecunda locum habuit, ſed non

dixit, *mortuus est mendicus*, quia non perfectè, nisi tantùm in corpore & non in animâ mors eum attigit. Quàm longè inter se distent mors iustorum & peccatorum latiùs ostenditur. Discurs. 49.

Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam. Tanta est dulcedo cœlestis & futuræ gloriæ, vt si vna dumtaxat guttula deflueret in infernum, totam damnatorum amaritudinem indulcoraret. Disc. 8. num. 8. per totum.

Mitte Lazarum, vt intingat, &c. fili recordare, &c. Qui exiguas micas denegavit pauperi, meritò eidem negatur aquæ gutta, quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Disc. 59. num. 11. & 12. & per totum. Placuit etiam hîc subnectere perpulchrum quendam sermonem, quem Diuus Augustinus de verbis Domini secundum Lucam habuit ad divites, vbi ita loquitur: quid respondet diviti Abraham? *Recordare fili, quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes: audiant sibi erogari supplicia, qui nolunt erogare subsidia; audiant pauperem refrigerantem, audiant divitem pœnis gravioribus æstuantem, petitur pauper, vt refrigeret divitem in flammâ æstuantem. Pensantur ergo pro divitijs pœnæ, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, vt salva sit æquitas stateræ, & non mentiatur modus illius mensuræ: in quâ, inquit, mensurâ mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Ideò negatur misericordia diviti, quâ ipse dum viveret, noluit misereri. Ideò rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. Dives & pauper duo sunt contraria; sed iterum duo sibi sunt necessaria; nullus indigeret, si invicem supportarent: & nemo laboraret, si se ambo adiuuarent. Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem. Pauperis est orare, & divitis erogare, Dei est pro parvis magna pensare. De misericordiâ ejus parcâ, magna nascitur copia, fœcundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum. Via cœli est pauper, perquam venitur ad patriam. Incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonium tuum, quo es ligatus, compedem in hac vitâ resolve, vt liberè ad cœlum possis accedere. Abijce divitiarum onera, abijce vincula voluntaria, abijce anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant, da petenti, vt possis ipse accipere; tribue pauperi, si non vis flammis exuri: da in terrâ Christo, quod tibi reddat in cœlo: obliviscere quid es, attende quod futurus es: præsens vita fragilis est, & in mortem proclivis: nemo potest stare, sed omnes cogimur transire: nolentes imus, inviti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos proijcimus, quod autem rapimus, hîc totum dimittimus.

Quia crucior in hac flammâ. Ne minimum dubito, ô dives epulo, acerbas te sustinere pœnas, cùm omnia tormenta mundi in comparatione infernalium sint veluti vmbra. Disc. 26. de Inferno.

Fili recordare. Filium nuncupat, quem omni vituperio dignum & infamem esse sciebat, vt te doceret detractiones & convitia esse vitanda. Disc. 50. num 11. 12. & 13. & correctiones fraternas in spiritu lenitatis esse faciendas. Disc. 12. num. 10. 11. 12. & 13. & Disc. 67. de Superiori. n. 10. 11. 12. & 13.

Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, &c. Iusti, etiamsi ad afflictos & damnatos vellent transire, & eosdem iuuare, tamen non possunt. Disc. 32. num. 2.

Dominica secunda post Trinitatem.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14 Quænam sit illa cœna, declarat Disc. 16. de Eucharistia & tres sequentes.

Fecit cœnam magnam. Per quam etiam intelligitur cœlestis beatitudo, quæ tam magna est, vt nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit, quę præparavit Deus diligentibus se Disc. 8. de Beatitudine. Ad hanc invitantur omnes, vt veniant & compareant eam quasi gratis & pro vnâ siliquâ. Disc. cit. num. 15.

Vocavit multos & misit seruum suum. An non sat euidenter conspicis Deû nulli denegare gratiam ad salutem necessariam, tuâ igitur culpâ peris, si damnetis.

damneris. Disc. 62. de Prædestinatione.

Vt venirent. Nimirum dispositi & preparati, quia magnâ cum reverentiâ & puritate conscientiæ ad sacram Eucharistam accedendum est. Disc. 17.

Villam emi, & necesse habeo exire & videre illã, Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa. Apposite sanè loquuntur hi duo, vnus videt, alter solùm probat, qui nunquam hæc mundana & transitoria bona explent & satiant appetitum nostrũ: bene dicunt se exire & ire probatum, quia mundus hic instabilis est, & in continuo motu & mutatione. Disc. 49. de Mundo

Et alius dixit, vxorem duxi, & ideò non possum venire. Notandum est, inquit Guido Carmelita, quod, qui vxorem duxit, non ait, vt primi duo: *Rogo te habe me excusatum*: sed, *non possum venire.* Ad indicandam maximam difficultatem, quâ luxuriosi possunt salvari, tum propter inquinationem carnis infectæ, tum propter superinductam malam consuetudinem, quæ multum hominem ligat. Vnde in figura, Dalila ligavit Sampsonem: quia luxuria ligat mentem etiam fortis: & vt dicit Philosophus 7. Ethic. furatur intellectum sæpè sapientis. Vnde Hieronymus dicit: *quòd libido ferreas mentes domat.* Et Ambrosius secundo lib. de David dicit: *Sampson fortis & validus leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula solvit hostium, sed suarum nexus non solvit cupiditatum; messes incendit alienas, sed vnius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis exarsit.* Et libro secundo de Apologiâ David dicit: *David Allophilum immanem corpore, armis quoque horrescentem fide vicit: sed vtinam ipse se vicisset! vtinam sicut adversarium prostravit, sic interiorem suum adversarium sternere ac superare potuisset! gravior enim pugna, qui intus, quàm illius, qui foris dimicat.* Disc. 7. de Adulterio.

Dominica tertia post Trinitatem.

Erant appropinquantes peccatores. Et cur nunc adeò mitis & benignus est, vt quicumque eum accedant peccatores, cùm tamen in veteri Lege adeò severus erat, & veluti leo rugiens, quem cuncti fugiebant: *loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus,* dicebat populus ad Moysen, Exod. 20. dubij hujus resolutionem require Disc. 44. num. 3. & 4.

Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes. Bene dixit Psalmista: *Ecce loquuntur in ore suo, & gladius in labijs eorum.* Psal. 58. & Eccles. 24. *Susurro & bilinguis maledictus.* De hoc maledicto vitio legatur Disc. 59. de Murmuratione.

Relinquit nonaginta novem in deserto. Non in civitate, non in cauponis, vbi maxima viget malorum conversatio, & peccandi occasio, sed in deserto. Legatur Disc. 11. de Conversatione malorum, & Disc. 53. de Occasione peccandi.

Imponit in humeros suos gaudens. Servituti namque & oneri deferendo humeri destinati sunt, vnde Prælati & Superiores præclari servi sunt, tantorum quippe pondera portant in humeris suis, quot sunt homines, quibus dominantur. Disc. 67. de Superiori. num. 13. 14. & 15. & Disc. 5. num. 2. & 4.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Ecce immensum Dei amorem in hominem, *omnes Angelos convocat,* ait Doctor Angelicus Diuus Thomas in suis opusc. *ad congratulandum non homini, sed sibi, quasi homo Dei Deus esse, & tota laus divina ab ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non posset.* Disc. 1. num. 6. & per totum.

Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. Et lachrymas pro peccatis suis spargente, hisce enim summè recreatur Deus & Angeli. Disc. 34. de Lachrymis.

Dominica quarta post Trinitatem.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. Matth. 1. *qui vult misercordiam magis quàm sacrificium,* Oseæ. 6. Require Disc. 40. de Misericordia Dei.

Nolite iudicare & non iudicabimini. De maledicto hoc & nocivo vitio agitur Disc. 33. per totum.

Dimittite & dimittemini. Amorem ecce suadet inimicorum. De quo Disc. 4. per totum.

Mensuram bonam & confertam & coagitatam

& superfluentem dabunt in sinum vestrum. Mensura bona dicitur beatitudo æterna, quia datur secundum æqualitatem meritorum, vnde Psalm. 26. *Secundum opera manuum eorum tribue illis.* Conferte, quia supra condignum. ad Rom. cap. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, &c.* Coagitata, quia supra desideratum: ad Ephes. 3. *Et qui potens est facere abundare omnia.* Supereffluens; quia supra cogitatum est. 1. Cor. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c.* Beatitudo etiam bona est, quoad animæ beatificationem; conferta quoad visionem; coagitata quoad delectationem, Superfluens quoad corporis glorificationem. Disc. 8. de Beatitudine æternâ.

Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis, quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Disc. 59. de Peccati pœna.

Quid autem vides festucam, &c. trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? in quem locum quærit doctiss. Sylueira: Quomodo trabs potest esse in oculo, & ipse cum eâ videre; & respondet: Quia peccatum comparatur trabi & festucæ; Significatur igitur hac similitudine, quàm impatiens ratione illius esse debeat anima nostra, nam cùm oculus sit res tenerrima, re minutissimâ læditur, eâque sic affligitur, vt in lachrymas se diffundat, quousque festucam eijciat. Ita anima non debet in se sufferre etiam minutissimum peccatum, sed in lachrymas tamdiu prorumpere, quoadusque ipsum à se exturbet, & mundetur ab illo. Disc. 34. de Lachrymis, & Disc. 61. de Pœnitentiâ.

Trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras. Per trabem idem cit. Author intelligit peccatum mortale; ac si ingens trabs esset posita super oculum rem valde tenuem. Disc. 58. de Peccati culpa. num. 9. 10. 11. & 12.

Trabem autem, quæ in oculo tuo, &c. magnum est discrimen inter trabem & festucam, & tantum quoque est inter temerarium iudicium & reliqua peccata. Disc. 33. num. 11. & per totum.

Ejice primùm trabem, hoc est, corrige prius in te grauiora scelera, non enim est prius idoneus Doctor alijs mederi, nisi priùs se sanauerit. ait glossa interlinealis Disc. 12. num. 3. 4. & 5. & Disc. 67. num. 16.

Dominica V. post Trinitatem.

Ascendens autem in vnam nauim. Luc. cap. 5. Ascendit in nauiculam, ait Simeon Cassianus lib. 9. cap. 15. magis vexari vndis hujus sæculi elegit Christus, quàm quiescere in terrenis delectationibus, in societate malorum? & sic formam omnibus sequentibus dedit, nimirum potiùs sustinendas esse tribulationes, quàm vivere in prosperitate mundanâ, inter sæculi fauores & delicias; hæ enim ducunt nos ad infernum, illæ ad Christum & gloriam æternam. Disc. 68. & Disc. 69. de Tribulationibus.

Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Perseuera in bonorum operum exercitio, & magnam tandem capies meritorum multitudinem. Disc. 60. de Perseuerantia.

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. Noli mirari, ô beatissime Apostolorum, quia nihil solidum, nihil stabile, nihil quod appetitum nostrum explere valeat, reperitur in hoc mundo: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Legatur Disc. 49. de Mundo, & in Tuba Evangelica serm. in Festo Innocentium.

In verbo autem tuo laxabo rete, &c. Laxatis retibus miraculum hoc operatur Dominus, vt declararet Petro & Andræa, ac filijs Zebedæi suam potentiam, eosque efficaciùs attraheret ad se relicto vitæ genere, in quo à pueritia versabantur, ipsique cultui divino & divulgationi S. Evangelij, iactâ omni curâ alendi corporis in Deum. Disc. 63. de Providentia Dei.

In verbo autem tuo laxabo rete, &c. Sine gratia Dei opera ad salutem necessaria exercere nemo potest; illam verò cuilibet hominum Deus communicat, vt, si nihil capiat, totum homini & non Deo imputandum sit. Disc. 62. de Prædestinatione.

In verbo autem tuo laxabo rete. Ostendit S. Petrus, quàm vtile sit laxare rete in nomine Christi, vti testatur D. Cyrillus in hunc locum dicens: illi verò dicebant, se totâ quidem nocte laborasse, cepisse autem nihil; verumtamen

tamen in nomine Christi laxabant rete, & confestim refertum habebant prædâ, quàm efficax sit nomen Christi latiùs ostenditur Dis.9.de Blasphemia.

Dominica VI. post Trinitatem.

Nisi abundaverit iustitia vestra, &c. Matth. 5. Bene addidit *vestra*, quia Pharisæi plurimum gloriabantur in Patre suo Abrahamo, & confidebant se meritis illius consecuturos regnum cœlorum, ad hunc tollendum errorem dicit Salvator noster: *Nisi abundauerit iustitia vestra, &c.* ac si diceret: vt æternam possideatis hæreditatem cœlestis gloriæ, non alienis meritis inniti & confidere deberis, sed vestris operibus & virtutibus, cooperante Dei gratiâ, hæc gloria & hæreditas æterna acquirenda est. Disc. 21. de fide & operibus, num. 6. 7. 8. 9. & seq.

Non intrabitis in regnum cœlorum & cur non dixit Redemptor noster, non eritis in regno ? cur potiùs intrare in regnum, quàm esse in illo ait? Respondet Albertus Magnus: *esse vel non esse in regno est secundum meritum vel demeritum stans quietum, intrare autem, est continuis profectibus proficisci, & ideò intrat, qui per minorum obseruantiam continuò proficit ad perfectum*, Disc. 60. de Perseverantia.

Si ergo offers munus tuum ad altare, &c. relinque ibi munus, &c. & vade prius reconciliari fratri tuo. Gratissimum Deo offers munus & sacrificium, quotiescunque amas inimicum, eique omnem ex animo remittis offensam. Legatur Disc. 4. de amore Inimicorum. Verùm hîc dubium aliquod suboritur; cur non priùs acceptat oblationem Deus, & postea mittit ad reconciliandum, cùm honor Dei longè præcedat honorem proximi ? Dubij hujus nodum solvit D. Chrysostomus super Matth. homil. 6. hisce perlegentibus verbis: Ecce à discordantibus accipere non vult sacrificium, hinc perpendite, quantum sit malum discordiæ, propter quod id abijcitur: per quod culpa relaxatur: Vide autem misericordiam Dei, quomodo hominis vtilitatem amplius aspicit, quàm suos honores; plus enim diligit corda fidelium, quàm munera. Quamdiu enim fidelis hominis dissensionem aliquam habuerint, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur; nemo enim inter duos inimicos, potest esse fidelis amicus amborum, vt puta, si de illo bene loquaris apud istum displicet isti & in suspicionem venies, quasi plus diligas ipsum, & è contra: ideò & Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu inter se fuerint inimici. Et nos ergo fidem Deo non servamus, si inimicos ejus diligimus, & amicos ejus odimus: qualis enim præcessit offensio, talis etiam debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare, si operibus offendisti, operibus reconciliare: omne enim peccatum quomodo committitur, eo modo & de ipso pœnitentia agatur. Hæc ille. Ex quibus colligitur, quàm grata Deo sit pax & concordia. Disc. 57. de Pace.

Dominica septima post Trinitatem.

Misereor super turbam. Marc. cap. 8. de hac immensâ Dei misericordiâ, quam benignus & misericors humano generi ab orbe condito exhibuit, latè & pulchrè tractat Disc. 46.

Ecce iam triduo sustinent me. Meritò deprædicat eorum perseverantiam, quia laudabilis virtus est, & ad obtinenda divina beneficia summè necessaria, Disc. 60. de Perseverantiâ.

Gratias agens. Quia ingratitudinem odio habet, & nos multò magis gratias agere debemus, pro divinis ejus acceptis beneficijs. Disc. 22. de Gratitudine.

Et habebant pisculos paucos, & ipsos benedixit & iussit apponi. O miram Dei providentiam ? pauci aderant pisciculi, *& manducauerunt & saturati sunt, & sustulerunt, quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem, qui manducauerant, quasi quatuor millia, & dimisit eos.* Nec id mirum, quia oculata est manus Dei, Legatur Disc. 63. de Providentia Dei.

Dominica octava post Trinitatem.

Attendite à falsis Prophetis, Matth. 7. Fictæ & simulatæ contectis pallio sanctitatis; ejusmodi enim farinæ homines odibiles sunt Deo.

Disc. 25. de Hypocrisi. Similise contexit vestimento impia Iezabel, dum suam iniustitiam palliare nitebatur jeiunio. Disc. 23. num. 10.

Attendite à falsis Prophetis. Ab impijs & perversis hominibus videlicet, quorum conversatio admodum damnosa est & nociva. Legatur Discurs. 11. de fugienda malorum conversatione.

Attendite à falsis Prophetis. Quorum coriphæus & antesignanus est diabolus, qui venit ad nos in vestimentis ouium, nunc enim comparet sub specie lupi, mox sub specie agni, mox se transformabit in Angelum lucis, ita vt vix agnosci possit. *Quis revelabit faciem indumenti eius*. Iob 41. Sed intrinsecus est lupus rapax, & leo rugiens, circuitque quærens quem devoret, rimatur, perscrutaturque, quomodo nos impugnet, expugnetque. Discursus 13. de Diabolo.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Inter alios eorum fructus contemplare Mariam Magdalenam, qualis illa fuerit ante conversionem, & ex hac devenies in cognitionem ipsorum. Discurs. 35. de Maria Magdalenâ.

Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit, &c. ac si dicat, ait Guido Carmelita: Tu vocas me Dominum voce oris tui, non cordis amore, & ideò nec tu, nec tui similes dicentes, Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum, quia *populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè est à me*. Illi ergo secundum D. August. ser. 2. de verbis Domin. in monte, regnum cœlorum ingrediuntur, qui sermone exteriori, & intellectu, & voluntate dicunt, Domine, Domine, ore confitendo & operibus non negando; nam vt dicit D. Hilarius super Matth. cap. *Regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent, neque enim qui dixerit: Domine, Domine, hæres illius erit. Quid enim meriti est Domino dicere: Domine, Domine? nunquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus à vobis?* qui ergo facit voluntatem Patris mei, opera nimirum bona exercet, ille intrabit in regnum cœlorum. Disc. 21. num. 6. 7. 8. & seq.

Dominica IX post Trinitatem.

Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Luc. 16. quàm accuratam æternus & iustissimus Iudex extremâ horâ mortis nostræ, & in finali judicio de villicatione, id est, transactâ vitâ nostrâ exiget rationem, quàm rigorosum & seuerum de minimis etiam peccatis instituet scrutinium & examen, perpulchrè declarabit Disc. 31. de Extremo iudicio.

Redde rationem villicationis tuæ, quia de omnibus tibi traditis, inquit Liranus, *Deus exiget rationem vsque ad minimum quadrantem*. Ante mortem igitur redde rationem villicationis tuæ coram confessario, & confitere peccata tua; *Currat pœnitentia*, ait S. Petrus Chrysologus, *ne præcurrat sententia, ne iudicemur, nostri iudices simus*. Disc. 10. de Confessione per totum. Malus villicus extitit Cain. Disc. cit. num. 9. peiores villici fuere Adam & Eua. num. 14. tu veluti prudentior villicus imitare filium prodigum, & redde in præsenti vitâ villicationis & vitæ rationem, vt non sit opus eam revidere in futurâ. Discursus citat. num. 11.

Quid faciam, &c. fodere non valeo, id est, subiungit Nicolaus de Lira, *proprio labore & pœnitentiâ non possum satisfacere de peccatis, & venire ad vitam beatam*, id communiter contingere solet in morte peccatorum. Disc. 48. num. 11. 12. 13. & quando etiam ad vltimam vsque mortis horam differimus pœnitentiam. Disc. 25. de Obstinatione. & Disc. 61. de Pœnitentia.

Dominica X. post Trinitatem.

Videns civitatem flevit super illam. Luc. 19. Prævidebat misericors Salvator noster hujus civitatis ruinam & demolitionem, quæ ipso etiam ita disponente & ordinante causanda & complenda erat per Romanos, & tamen lachrymabatur, & cur hoc? Respondet Reverendissimus Guido: vt contra lapides se habere viscera misericordiæ & compassionis ostenderet, & designaret Iudæorum ignorantiam, significaretque se habere crura columnæ marmoreæ, hoc

hoc eſt, tardiſſimum ſe eſſe ad iram, velocem ad miſericordiam, invitumque ſe punire homines, ecce quanta eſt Dei miſericordia. Legatur Diſc. 46. de Miſericordia Dei.

Videns flevit ſuper illam. Nimirum ait cit. Author, propter infidelitatem & malitiam Iudæorum, qui noluerunt cognoſcere tempus viſitationis, quâ Chriſtus eos viſitavit *oriens ex alto*, quem occiderunt & morti tradiderunt, quo docemur lachrymas non niſi ob receſſum & amiſſionem Dei & cœleſtis gloriæ fundendas eſſe, non verò ob amiſſionem rerum temporalium & tranſitoriarum. Diſc. 34. de Lachrymis. num. 12. 13. & ſeq.

Si cognoviſſes & tu. Ecce quàm ardenter Deus ſitit & optat ſalutem animæ tuæ, quàm promptè tibi ſuppeditat gratiam ad ſalutem neceſſariam. Vide pulchrum Diſc. 62. de Prædeſtinatione.

Circumdabunt te inimici tui, id eſt, Romani, &c. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem,* graviter impij Iudæi in Chriſtum peccaverant: nam ut conſervarent civitatem ſuam, perdiderunt Chriſtum, *timebant enim,* ait gloſſa in Ioan. cap. 11. *ne ſi omnes crederent in Chriſtum, nemo remaneret qui contra Romanos civitatem & templum Dei defenderet.* Vnde meritò civitas illa à Romanis devaſtata fuit, ut nec manſerit lapis ſuper lapidem, quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Diſc. 59. de Peccati pœna.

Quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Veluti fecerunt ſcelerati illi tempore Noë, Sodomitæ, Iudas proditor, & plures alij ſpecificati Diſc. 46. Qui noluerunt agnoſcere miſericordiam Dei, eâque abuſi ſunt. Diſc. cit.

Cœpit eijcere vendentes & ementes. Et rationem ſubiungit, *quia domus mea domus orationis eſt,* hoc & non alio fine frequentanda eſt Eccleſia. Diſc. 15. de Eccleſia. Vbi latiùs oſtenditur, quantâ cautelâ & reverentiâ ingredi debeamus Eccleſiam, quæ eſt domus Dei.

Cœpit eijcere vendentes & ementes. Rationem etiam ſubdit Divus Ambroſius lib. de Cain, & Abel cap. 4. dicens: *Chriſtus de templo eijciebat nummularios, quia ipſe volebat intrare.* Non enim conveniunt Deus & Mammona. Diſc. 2.

Dominica undecima poſt Trinitatem.

Duo homines aſcendebant in templum, ut orarent. Luc. cap. 18. *uterque fidelis,* addit gloſſa, *ſed unus* verbotenus, alius & facto. Et ideò diſpar utriuſque orationis exitus, Phariſæus inflatus acceſſit, & damnatus abiuit, Publicanus acceſſit condemnatus, & abijt iuſtificatus, & quare hoc? primò, quicquid à Deo petimus, in fide vera & humili petendum eſt. Vide Diſc. 55. de Oratione, num. 12. 13. & ſeq. Secundò non verbotenus duntaxat, ſed facto & opere te exhibeas Chriſtianum, neceſſe eſt. Diſc. 21. per totum, & Diſc. 25. de Hypocriſi.

Non ſum ſicut cæteri homines, &c. Velut etiam hic Publicanus. Quàm diſplicuerit Deo ſuperbus ille Phariſæus Publicanum temerariè iudicans, indicatur Diſc. 33. de temerario iudicio, num. 10. & per totum.

Ieiuno bis in Sabbatho. Superbus hic Phariſæus declarat vitæ ſuæ innocentiam, cunctarumque virtutum & totius legis ſe eſſe obſervatorem, non potuiſſet id meliùs perſuaſiſſe, quàm allegando ieiunium ſuum; nulla enim virtus aut ſignum virtutis demonſtravit David magis innocentem à ſanguine Abner occiſi, quàm ieiunium, quia hoc cæteris virtutibus tribuit fidem. Diſc. 23. num. 9.

Et Publicanus à longè ſtans. Ecce Dei timor, quaſi non eſſet dignus appropinquare, inquit Nicolaus de Lira, *nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Ecce pudor, quaſi pro peccatis præteritis non audens cœlum reſpicere. *Sed percutiebat pectus ſuum.* Ecce dolor de peccatis commiſſis. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Ecce vera & pura confeſſio, & iſta faciunt ad peccatorum remiſſionem, ideò ſequitur: *Amen,* id eſt, fideliter *dico vobis.* Hæc ferè omnia clariùs elucidantur. Diſc. 10. de Confeſſione, num. 10. & per totum.

Dominica duodecima poſt Trinitatem.

Et iterùm exiens de finibus Tyri, Marci 7. exivit videlicet de finibus gentilium, cuius rationem aſſignans Reverendiſſimus Guido ex

glossa ait: Ne Iudæis occasionem, vt transgressorem legis eum æstimarent, quod se gentibus admisceret, vt nos doceret fugiendam esse peccandi occasionem. Disc. 53. de Occasione peccati.

Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Minoris fidei erant isti Iudæi, quàm mulier Chananæa, inquit cit. author, hæc enim ait: *Adiuua me Domine*, non petebat manum ejus quem credebat verum Deum, qui solo verbo restaurat vniversa: Isti autem petunt manum, eum solùm hominem existimantes, sicut Naaman Syrus incredulus dixit de Elisæo: *Putabam quod egrederetur ad me, & invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu suâ locum lepræ,* 4. Reg. 5. vers. 11. Sed quid fecit Dominus? Occurrit fidei Chananææ, & sicut crediderat Christum Dei filium, sic verbum Dei audivit: *Fiat tibi sicut vis*, & sic sanata est filia, vt se ostenderet verbum Dei, quo dixit & facta sunt. His autem, quia hominem æstimabant, vt homo Christus occurrit, dum vt homo mittit digitos in aures, vt homo sputo tangit linguam, & vt homo suspicit in cœlum Patrem orans, & vt homo compatiens ingemuit, vt indicaret, quod *per quæ quis peccat, per hæc & punietur.* Disc. 59. de Peccati pœna.

Et apprehendens eum seorsum. De strepitu mundi, addit glossa, *prima salutis via est de turba educi, non enim*, ait venerabilis Beda, *poterit quis sanari à dæmone, hoc est, à peccato, nisi primò malorum eum ad peccata instigantium vitet consortium.* Disc. 11. de Conversatione malorum.

Et suspiciens in cælum ingemuit. Et cur amabo, *gemere nos docuit*, inquit glossa ordinaria, *& in cælum thesaurum nostri cordis erigere, quod per compunctionem cordis à frivolâ carnis lætitiâ purgatur, vt dicitur: Rugiebam à gemitu cordis mei, Domine ante te omne desiderium meum, &c.* Legatur Discurs. 34. de Lachrymis, & Disc. 35. de Maria Magdalena.

Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant. Quia beneficiatus, subdit Liranus, de beneficijs acceptis debet se gratum ostendere, & benefactorem laudare, quamvis hoc benefactor non quærat. Disc. 22. de Gratitudine.

Dominica decimatertia post Trinitatem.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10. Hisce congruit, quod enatrat S. Matthæus cap. 13. qui Christum Dominum non solùm discipulorum oculos, sed & aures beatas pronunciasse memorat. *Non hic oculos carnis beatificat,* ait Diu. Hieronymus in Matth. *Sed mihi videntur beati oculi, qui possunt Christi agnoscere Sacramenta, & illæ aures beatæ, de quibus Isaias loquitur cap. 50. Dominus Deus aperit mihi aurem, ego autem non contradico, &c.* Licet ergo, inquit Reverendissimus Guido fides non sit ex nobis, quia donum Dei est, iuxta quod etiam dixerat: *vobis datum est nosse mysteria regni Dei*: tamen nostrum est disponere, & non ponere obicem, sicut posuerunt Scribæ & Pharisæi. Beati igitur sunt oculi, & aures mentis, qui vident & audiunt Christum per fidem, ac si oculis & auribus corporalibus ipsum viderent & audirent, veluti populus Dei vidit sonitum buccinæ; & centurio audivit Christum clamantem in cruce. Disc. 21. num. 1. 2. 3. 4. & 5.

Tentans illum. Eccè obstinatam malitiam hujus Legisperiti: audierat enim, quòd Deus mysterium vitæ abscondit à sapientibus, & revelat paruulis. Et qui paruulus & veritatis discipulus fieri debuit, ex his indignatus; & in superbiam elatus, vt sapiens videatur, tentat Magistrum, non vt addiscat, sed vt arguat & reprehendat, & falsam reddere molitur sententiam veritatis, quâ dicitur: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea paruulis.* Sed ea est cordis duri natura, *ipsum est*, inquit S. Bernardus, *quod nec Deum timet*, nec hominem reveretur. Disc. 52. de Obstinatione.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Nullâ ratione dividendus est Dei amor. Disc. 5. per totum.

Et proximum tuum sicut teipsum. Proximus est alter tu, ait Reverendissimus Guido, & ideò diligendus, vt tu te diligis. Tu petis tibi dimitti debita & peccata, proximo ergo dimittas & remittas offensam, necesse est. Odio habes detractiones & murmurationes, quæ de te dicuntur,

tur, tu igitur neque detrahe alijs honorem & bonam famam. Audi Diuum Augustinum lib. 1. de Doctr. Christiana cap. 30. *Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse, cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat, quando vsque ad inimicos etiam porrectum est? eodem Domino dicente: diligite seu benefacite his, qui oderunt vos.* Lucæ 6. Vide Disc. 3. de Amore inimicorum. & Discurs. 50 de Murmuratione.

Incidit in latrones. Nimirum diabolos, *qui eum despoliauerunt*, bonis gratiæ videlicet, veluti plurimi expendunt cum Lirano, *Semiviuo relicto*, remanente vitâ naturæ & libero arbitrio, quo mediante homo ad imitationem Dei sui juris efficitur, & est imago & similitudo Dei; quo non consentiente diabolus infirmus redditur, latrare potest, mordere non potest. Vide Disc. 13. de Diabolo num. 6. 7. 8. & seq.

Alligavit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Idem charitatis officium incumbit Prælato, & cuicumque proximum corrigere volenti, vt nimirum vulneribus, hoc est, peccatis & erroribus proximi sui infundat oleum misericordiæ lenitatis cum vino severitatis; hinc pulchrè Diuus Gregorius lib. 20. moral. cap. 6. *Disciplina enim vel misericordia multum destituitur si vna sine aliâ teneatur, sed circa suos subditos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordiâ, & piè sæviens disciplinâ. Hinc est, quod, Semivivi illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum; vt per vinum mundentur putrida, & per oleum foveantur sananda: quatenus vnusquisque, qui sanandus vulneribus præest, in vino morsum destrictionis adhibeat in oleo mollitiem pietatis. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque vulnera austeritate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in quâ cum tabulis virga simul & manna est, quia cum Scipturæ sacræ scientiâ in boni Pastoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc & David ait: Virgâ tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga percutimur, baculo sustentamur; si ergo est districtio Virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaq; amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens.* Disc. 11. de Correct. fraternâ. num. 10. 11. 12. 13. & 14. & Disc. 67. num. 10. 11. 12. 13.

Duxit in stabulum. Non domum, sed stabulum vocat, inquit glossa ordinaria, quo nomine miserias & fœtores hujus vitæ significat, ne homo in hoc exilio tanquam patriâ gaudeat. Legatur Disc. 68. Tribulationes nos ad Deum ire compellunt.

Duxit in stabulum. Mundum videlicet, qui est stabulum valdè instabile, in quo infirmi & languidi præ nimio cupiditatis æstu multum sitientes, sed sitim minimè explere valentes. Stabulario huic duo dati fuerunt nummi, id est, duo præcepta charitatis, vt expendit Diuus Augustinus in Ioann. dicens: *Meritò & pro illo languido à latronibus sauciato stabularius, duos nummos accipit, vnde sanaretur. Binario ergo isto numero, cùm aliquid boni significatur, maximè bipartita charitas commendatur.* Primum ostenditur. Disc. 49. de Mundo, secundum verò Disc. 2. de Amore hominis in Deum.

Dominica decima quart. post Trinitatē.

Occurrunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè. Lucæ 17. dicuntur decem leprosi, inquit Reverendissim. Guido, quia ex transgressione decem præceptorum incurritur lepra culpæ. Hi *steterunt à longè*, pro Christi reverentiâ, ne immundus eorum tactu diceretur, quia conversatio malorum inficit, vnde fugienda est. Disc. 11. de Conversatione malorum.

Leuaverunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nostri. Pharisæi, ait idem cit. Author, se elongaverunt à Christo ex invidiâ & malitiâ eum acclamantes peccatorē, & Christum blasphemant, eum dicentes dæmoniacum; sed hi elevant vocem fidei & veracis confessionis, confitentur Iesum Salvatorem: *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri.* Actor. 4. vers. 12. Discurs. 9. de Blasphemia. Confitentur Deum summæ potestatis, & omnium dominatorem cùm dicunt: *Præceptor:*

ceptor: cui venti & mare obediunt, Psalm. 148. vers. 6. *Præceptum*, mari *posuit*, imò omni creaturæ, *& non præteribit*. Confitentur eum summæ clementiæ & viscerosæ pietatis cùm dicunt: *miserere nostri*. Quia semper hominibus suam patefecit immensam misericordiam & clementiam Disc. 46. de Misericordiâ Dei.

Quos ut vidit, dixit, &c. O efficacem oculorum Dei potentiam & virtutem! ubi illi obtutū suum figunt, cuncta fluunt benedictione. Disc. 54. de Oculo Dei.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Quibus subdit glossa: *quia licet peccata remittuntur in contritione, tamen tenetur homo confiteri* Disc. 50. de Confessione.

Et factum est, dum irent, mundati sunt. Ad quid ergo remittuntur ad Sacerdotes? hujus dubij resolutionem dabit D. Ambrosius Disc. 65. de Sacerdote. num. 20.

Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, &c. Unus, subiungit Reverendissimus Guido, non divisus corde, unus unitate fidei, unus unitate charitatis, unus verè pœnitens confessionem non dividens revertitur & gratias agit. Sed novem, qui carent perfectione denarij, qui non colligantur unitate fidei & charitatis, quò nimirum omnis omnium præceptorum observantia collimat, remanent ingrati, Disc. 22. de Gratitudine.

Et cecidit in faciem. Cadit in faciem addit glossa ordinaria, qui de perpetratis malis erubescit, ibi enim cadit homo, ubi confunditur. Qui in faciem cadit videt quò cadit, qui retrò non videt. Boni ergo in faciem cadunt, quia humiliant se in suis visibilibus, ut ad invisibilia erigantur. Mali retrò cadunt, quia cadunt in invisibilibus, ubi non vident, quid eos sequatur. Sic Heli cecidit de sellâ retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est, 1. Reg. 4. vers. 18. & quidem iustissimo Dei judicio, inquit doctiss. Mendoza, ut, quia videre nolebat peccata filiorum, neque videre locum in quo ceruicem frangeret. Quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur Disc. 59. de Peccati pœnâ.

Dominica decimaquinta post Trinitatē.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6. Cujus elegantem adducit rationem doctissimus Maldonatus in Matth. *Natura ipsa prohibet*, ait ille, *ut amor servi distrahatur in diversos Dominos: unus Dominus multos servos habere potest: unus servus multos Dominos habere non potest: quia Domini est seruum non amare, sed regere; servi Dominum non regere, sed amare, & imperium dividi potest, amor non potest.* Hac de causâ pientissimus Salvator nos creare simul & redimere voluit Disc. 2. n. 5. & n. 6. 7. 8. & seq. &. Disc. 3. n. 9.

Non potestis Deo servire & Mammonæ. Id est, divitijs, aperiendo illas per se, quia nostrum est quærere, quæ sursum sunt, *quæ sursum sunt, quærite*. Et in hodierno Evangelio: *quærite primùm regnum Dei*; ab hoc verò itinere plurimum nos impediunt gravantes divitiæ. Hinc & notanter dicitur *aut unum sustinebit*. Primò, ad indicandum divitias esse grave onus, quo dives oneratus est, & instar magni ponderis eas sustinere debet. Secundò, ut nobis significetur duram divitem & auarum pati servitutem: *patitur enim durum Dominum, quisquis servit Mammonæ*, ait Angelicus doctor D. Thomas. Hisce consonant, quę habet Reverend. Guido in hunc locum, dicens: nihil durius, quàm quod seruus sustineat duram servitutem Domini, quem odit, & quod contemnat Dominum, quem diligit; sed auarus serviens in Mammona diabolo, gravissimam sustinet servitutem ejus, scilicet diaboli, quem odit, & contemnit Deum, quem diligere deberet: ergo dura, mala, & detestanda servitus, quâ Mammonæ servitur. Legatur Disc. 14. de Divitijs.

Respicite volatilia, &c. Quærit D. Chrysost. hom. 22. super Matth. Quare Dominus potiùs excludit nostram sollicitudinem exemplo animalium, quàm exemplo Sanctorum hominum, ut Moysi, Eliæ, Ioannis, & aliorum, qui non sollicitì fuerunt. Et dat ad hoc tres rationes, Prima est, ut hominibus sæculi & mundanis occasionem auferret excusandi, ne dicerent: illi sancti erant, propter quorū merita & vitæ altitudinem Deus absque sollicitudine suâ eis providebat, nos autem tales non sumus. Igitur exemplum pro-

propofuit irrationabilium, ut à minori procedat ad maius. Si enim in his, quæ à dignitate hominis multum deficiunt, tanta cura ei, ut eis de vita provideat, qualiter nobis non dabit, qui majoris pretij apud Deum fumus: Secunda eft: ut non videretur recedere à doctrinâ Vet. Teftamenti, in docendo perfectionem & iuftitiam Chriftianorum: & ideò nimiam Chriftianorum follicitudinem relegatam, allegans aves, voluit: etenim Vetus Teftamentum, & ad apem mittit, & formicam, & turturem & hirundinem. Tertia eft: ut homines fuper irrationabilium præferat dignitatem: non enim parva honoris oftenfio eft, ut quod illa habent ex naturâ, hoc poffimus nos affequi voluntate & electione. Si ergo eorum, quæ propter nos funt, tantam facit providentiam, multò magis noftrûm. Si fervorum, multò magis Dominorum. Propter hoc dixit: *Refpicite volatilia.* Et volatilibus maximè eos, quibus loquebatur, comparavit, quia difcipuli Chrifti à temporibus expediti, velut animalia pennata, in fpiritualia & cœleftia erant volaturi, ut volarent pennâ contemplationis, & requiefcerent à tumultu folitudinis mundialis. Quod notat Chryfoftomus, vbi fuprà dicens: afpicite, ait, volatilia cœli, quæ non feminant, neque metunt: non dicit: non intrant tabernas nec mercantur, hoc enim erat eorum, qui valdè funt abiecti. Difc. 63. de Providentia Dei.

Refpicite volatilia cœli. Cur ad aues volatilia cœli nos remittat Dominus rationem affignat D. Maximus homil. 2. de non timendis hoftibus carnalibus dicens: *Aues, propter viles efcas gratias agunt; tu pretiofiffimis epulis pafceris, & ingratus es? Quis igitur non erubefcat fenfum hominis habens fine Pfalmorum celebritate diem claudere, cùm ipfa aves ad gratificandum Pfalterij fuavitate perfultent?* Imitare ergo frater minutiffimas aues mane & vefperi creatori gratias referendo. Difc. 22. de Gratitudine.

Quærite primum regnum Dei, &c. & hæc omnia adijcientur vobis. Egemus, inquit cit. Guido, nobis à Domino dari beatitudinem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, &c. quæ iuxta Boëtium lib. 3. de confolat. prof. 2. *Eft ftat us omnium bonorum aggregatione perfectus*, Vnde D. Chryfoftomus homil. 23. fuper Matthæum dicit: *non dixit, dabuntur, fed adijcientur. Vt difcas quoniam nihil eorum, quæ dantur, temporalium bonorum, aliquid funt ad magnitudinem futurorum*, Difc. 8. de Beatitudine.

Dominica decima fexta poft Trinitatem.

Ibat Iefus in civitatem, quæ vocatur Naim. Lucæ 7. Et nunquam quiefcebat & defiftebat quærendo falutem animarum noftrarum, vt tu quoque, nunquam defifteres operari bene, fed femper proficeres & perfeverares in virtutibus. Difc. 60. de Perfeverantiâ.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus, &c. Ad hunc profectum & progreffum in virtutibus bonisque operibus multum te ftimulabit meditatio mortis. Difc. 47. de Mortis memoriâ.

Quam cùm vidiffet, mifericordiâ motus. In quem etenim collimant oculi Dei, in eundem quoque collimat mifericordia, vnde Regius Propheta: *Afpice in me & miferere mei*, Pf. 132. & alibi: *Illuminet vultum fuum fuper nos & mifereatur noftri*, Pfal. 66. Difc. 54. de Oculo Dei.

Mifericordiâ motus fuper eam, dixit ille, noli flere, indubitatum eft, magnum effe lachrymarum vim & efficaciam, Deoque fummè placere illas, aft in tali apud Deum habentur æftimatione & pretio, vt nolit eas effundi propter amiffionem bonorum temporalium Difc. 34. de Lachrymis.

Noli flere mortuum, videlicet, *quem non refurgere videbis*, ait gloffa ordinaria in hunc locum, Solùm ille deplorandus eft, qui mortuus manet, iacet in peccatis obftinatus, nec agit pœnitentiam. Difc. 52. de Obftinatione. & Difc. 61. de Pœnitentia.

Et refedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Magnum malum eft lingua detrahentis & murmurantis. Difc. 50. de Murmuratione.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum. Semper Deo pro acceptis beneficijs immenfæ gratiæ & laudes referendæ funt. Difc. 22. de Gratitudine.

Dominica decimafept. poft Trinitatem.

Et ipfi obfervabant eum. Luc. 14. vt ipfum ca-

luminarentur, & opus crudelitatis exercerent in eum subdit Reverendissimus Guido, ea est enim inuidi natura, vt in quemvis defigat oculos, si quid inveniat, quod reprehendat & culpet. Inquietus est, quia continuò internum sentit cruciatū, dum alterius inspicit bonam fortunam & prosperitatem, *Vtinam invidi vbique oculos haberent*, ait Seneca, *vt omnium fœlicitate torquerentur*. Disc. 27. de Invidia.

Et ecce homo quidam hydropicus. Quantò hydropicus plus bibit, plus sitit, cui meritò comparatur, quem carnalium voluptatum exuberantia gravat, vt propterea bene dicatur ęterni ignis æmulus. Hydropicus difficilè curatur, sic huic immersus vitio. Disc. 7. de Adulterio. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

Et ecce homo quidam hydropicus. Verè hydropicus censendus est, qui mundana & transitoria sectatur. Rationes suppeditabit. Discurs. 49. de Mundo insatiabili.

Ipse verò apprehensum sanavit. Vbi patet Christi, ait Guido Carmelita, viscerosa misericordia, quia manu & opere misericordiæ hydropicum apprehendit, vt à morbo eripiat, & à Diaboli potestate liberet. Ille enim, vt dicit glossa, metu Pharisæorum proter Sabbathum remedia non postulabat, sed ante vultum Christi stabat, vt misertus ejus sanaret eum, quod agnoscens Dominus non petit: *vis sanus fieri*; sed protinus apprehendens eum sanavit. Ecce rutilantem divinæ misericordiæ radium. Disc. 56. de Misericordia Dei.

Ac dimisit. Sanatum eum Dominus dimisit, id est, emisit, ait cit. Doctor, & rationem subjungit dicens: *ne convictu & fermento Pharisæorum corrumperetur.* Fugienda enim est malorum conversatio. Disc. 11. de Conversatione malorum, & post adeptam sanitatem vitanda peccati occasio, Disc. de Occasione peccati.

Recumbe in novissimo loco. Et certè qui eligitur & vocatur ad statum Ecclesiæ, non debet ambire superiorem locum, quia in pinnam templi Diabolus frequenter ascendit, ait cit. Author, vbi aliquando erigit in superbiam, & flat ventus inanis gloriæ; ibi sacrificia voluptatis & luxuriæ, imò diabolica libamina, imò libamina gulositatis & crapulæ, ibi cultus auaritiæ, quæ est idolorum servitus: ibi plurimæ curæ, plurimæ anxietates & labores Discurs. 5. de Ambitione.

Dominica decima octau. post Trinitatē.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. & proximum tuum sicut teipsum. Matth. cap. 22. Require ea, quæ circa hanc materiam annotata sunt pro Dominicā 13. post Trinitatem.

Dominica decimanona post Trinitatem.

Et ecce offerebant ei paralyticum. Matth. 9. Exulem & extorrem patriā cœlesti, hunc offerebant & conducebant ad statuam, videlicet ad Christum, cui insculptæ erant tres hæ litteræ R. T. P. *Remittuntur tibi peccata.* Vide Disc. 35. de Mariā Magdalenā, num. 9.

Remittuntur tibi peccata Sed quærit hîc quidam modernus Doctor, cur Dominus infirmo tribuit remissionem peccatorum, cùm illum ei offerrent, vt daret sanitatem corporis? Respondet Diuus Anselmus: *primò peccatorum vincula dissolvit, vt ostenderet eum propter culpas dissolutionem membrorum meruisse.* Vnde Diuus Basilius q. 55. ait: *morbi sæpenumerò flagella peccatorum sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi vt vitam nostram in melius commutemus.* Etenim cunctæ tribulationes nobis immittuntur à Deo eo fine, vt vitam nostram emendemus, & ad ipsum confugiamus. Disc. 68. num. 6. 7. 8. & seq.

Vt quid cogitatis mala, &c. Nunquid erat mala istorum cogitatio, vt eum blasphemum cogitarent, quem Deum nesciebant, dimittere se dicendo peccata? vtique mala erat & pessima; nam perversa & blasphema cogitabant, qui Filio Dei blasphemiam imputabant; tot enim & tanta de Christo viderant & audierant, ob quæ credere debebant & existimare, quod esset bonus & verax, & falsò Dei potestatem non vsurparet, vnde si fuissent moti zelo Dei, non solùm cogitassent, imò clamassent absque metu hunc blasphemum, qui Christum blasphemare clamabat. Legatur Disc. 9. de Blasphemiā. num. 10. 11. 12. & seq.

Surge,

Surge, tolle lectum, & vade in domum tuam. Surgere, ait glossa ordinaria, est animam à carnalibus desiderijs abstrahere. Lectum tollere est, carnem à terrenis desiderijs ad voluntatem Spiritus attollere, Domum ire est, redire ad internam sui custodiam, ne iterum peccet. Vide Discursum 53. de occasione Peccati fugienda Vel Domum ire est, ad domum propriam corporis sui cogitatione redire, cogitando quomodo illa sic facta ex luto & terrâ, & in terram reversura. Vide Discursum 47. de Mortis memoriâ.

Dominica Vigesima post Trinitatem.

Simile factum est regnum cælorum homi regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22. Deus in regno fidelium Rex est, in quo fecit nuptias filio suo, quando vnivit sibi in vnitate personæ humanam naturam. Vnivit etiam sibi Sponsam Ecclesiam, vbi celebre convivium gratiæ præparatur, quia sub specie panis & vini verum corpus & sanguis Christi conficitur, quod sub tauri nomine immolatur, & altilibus suavitate est pretiosius. Disc. 16. de Eucharistiâ.

Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque, &c. *Puto, quod sicut generalis & publica via* (sic loquitur Diu. Chrysostomus in Comm. homil. quâdragesim. prim.) *quæ ducit ad vitam Christus est, & viæ dicuntur omnes Prophetæ, omnes Apostoli: hæ enim omnes viæ ducunt ad Christum, Christus autem ad Patrem: sic generalis & publica via, quæ ducit ad mortem, est diabolus. Et viæ sunt omnes professiones istius mundi: vt puta, professio Philosophiæ inanis, professio militiæ, & mundialis dignitatis & ludorum. Quantæ enim sunt diversitates actuum in hoc mundo, tantæ sunt etiam viæ quæ ducunt ad diabolum, generalem viam perditionis.* Ite igitur ad exitus viarum, *& cuiuslibet conditionis homines vocate ad fidem. Adhæc, sicut castitas, misericordia, & cæteræ virtutes sunt via, quæ ducit ad Christum; sic fornicatio, auaritia, & cætera vitia sunt via, quæ ducit ad diabolum. Iubet ergo, vt cuiuscunque conditionis homines invitent ad fidem, quoscunque siue bonos, siue malos; bonos, ne pereant malos, ne excusationem habeant. Nemo propter ignorantiam excusetur, omnes videant lumen, vt appareant, qui amant tenebras, & qui lumen. Qui enim filius est tenebrarum, etsi compellas eum, non accedit ad lumen: qui autem filius est luminis, etiam si compellas eum; non recedit à lumine.* Vides, vt Deus omnes homines vocat ad salutem, nullum vult perire, & tametsi pauci sint electi, omnes tamen vocati sunt, & sufficientem gratiam ad salutem necessariam recipiunt. Disc. 62. de Prædestinatione.

Vidit ibi hominem, non vestitum veste nuptiali. Qui ergo volunt frui convivio sacratissimo Eucharistiæ, vestem candidam, id est, puram conscientiam, ab omni scelere vacuam & expurgatam habere debent, ne eis contingat, quod huic amico malè vestito. Disc. 17.

Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Nuptiale vestimentum, ait D. Chrysostomus, *est fides vera, quæ est per Iesum Christum & iustitiam eius, de quâ Apostolus ait: exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur, secundùm concupiscentiam erroris, vestientes vos nouum hominem qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Quod enim dicit: in iustitiâ, ad conversationem pertinet, quod autem dicit: in sanctitate veritatis, ad fidei veritatem. Vestimenta ergo veteris hominis sunt pannosa & sordida opera carnis corruptibilia & immunda: vestimenta autem novi hominis sunt fortia & decora spiritus incorruptibilia & sancta. Quemadmodum enim ingrediens nuptias cum nigrâ veste, sordidat gloriam nuptiarum; ita & qui habet opera tenebrosa & inter Christianos quasi vnus ex eis conversatur, ipse Christianitati facit iniuriam. Homo itaque aut secundùm locum eligat vestem, aut secundùm vestem locum eligat; id est, aut secundùm opera eligat professionem, aut secundùm professionem faciat opera, vt qui vult esse Christi, faciat opera Christi, & qui non vult facere opera Christi, non accedat ad convivium Christi.* Disc. 21. de Fide & Operibus.

Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Per hanc vestem nuptialem intelligunt SS. Patres charitatem. Vnde Diu. Gregorius: *quid debemus intelligere per vestem nuptialem nisi charitatem, quia hanc in se Dominus habuit, dum ad sociandum sibi Ecclesiæ nuptias veniret, cui per*

Ieremiam

Ieremiam dixit: in charitate perpetuâ attraxi te miserans. Intrat igitur ad nuptias, sed sine veste nuptiali, qui in Ecclesiâ fidem habet, sed charitatem non habet. Disc. 2. de Amore hominis in Deum.

Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Vestis nuptialis, quam frequentaturus has nuptias habere debet, est vestis vnius texturæ, vt ait Reverendissimus Guido, contextâ intentione rectæ simplicitatis, vnde non debet esse contexta lanâ & lino. Vide Disc. 25. de Hypocrisi. num. 3. & per totum.

Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Per hoc designatur immensitas tormentorum, quæ patiuntur damnati in inferno. Disc. 26. de Inferno, & Disc. 64. de Purgatorio.

Dominica vigesimaprim. post Trinitatẽ

Erat quidam Regulus. Ioan. 4. & cur non Rex? *propter parvitatem*, addit glossa, *vel regni vel fidei*, Sacer enim Evangelista videns hunc exiguâ & paruâ in Christum pollere fide (non enim credebat à Christo Domino absente posse sanari filium suum) diminutiuo etiam eum compellat nomine, dicens: *erat quidam* Regulus, vt indicet, quod, *per quæ quis peccat, per hæc & punietur.* Disc. 59. de peccati Pœnâ.

Cujus filius infirmabatur Capharnaum, &c. abijt ad eum & rogabat eum. Bene infirmabatur filius ejus, secus enim nunquam abijsset, & rogasset eum; iustâ ergo de causâ nobis mittit Deus tribulationes, vt nimirum vitam nostram pessimam corrigentes confugiamus ad Deum, quia aliàs vitijs & peccatis immersi hæreremus. Disc. 68. & Disc. 69. de Tribulationibus.

Rogabat eum. Efficax sanè medium est oratio ad quæcunque à Deo impetranda, si debitis sit instructa circumstantijs. Vide Disc. 55. de Oratione.

Vade filius tuus vivit. Ac si diceret, inquit Theodoretus citatus à glossâ, *Vade*; id est, profectum continuum circa bonum ostende, & tunc filius tuus vivet. Si autem ambulare cessaveris, mortificabitur tibi intellectus circa boni operationem. Disc. 60. de Perseverantia.

Dominica vigesima secunda.

Assimulatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Matth. 18. Strictissimam æternus judex in extremo judicij die exiget rationem de operibus, verbis, & cogitationibus nostris, instar Anatomici cujusdam inquiret & investigabit cunctorum defectus & errores. Disc. 31. num. 1. 2. 3. 4. 5. & seq.

Oblatus est ei vnus. Offertur, subiungit Reverendissimus Guido, peccator Domino per dæmones accusando, ipse enim diabolus est accusator fratrum nostrorum. Apo. 12. vers. 10. Disc. cit. num. 10. & 11.

Oblatus est ei vnus. Offeretur etiam peccator æterno Iudici à proprijs, quæ commisit, peccatis ipsum accusantibus. Disc. cit. num. 12.

Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum. Ipsi etiam justi & electi Dei, nisi Deus suam eis exhibeat misericordiam, sciunt se æternis adiudicandos esse supplicijs. Discurs. cit. num. 12. 13. & 14.

Misertus autem Dominus, &c. Perspexisti (ait D. Chrysostomus hom. 62. super Matth.) rursus mirabilem exaggerationem misericordiæ. Dilationem solummodo temporis, ac prorogationem quandam servus postulavit, ille autem multò magis quàm perijt, scilicet totius mutui donationem vltrò præbuit. Et Sanct. Remigius: his verbis larga Dei benignitas erga peccatores conversos demonstratur, quoniam ipse semper paratus est per baptismum, aut per confessionem, vel pœnitentiam peccata dimittere. Et hoc est, quod dicit: *dimisit eum*, & : omne debitum dimisit ei. Disc. 46. de Misericordiâ Dei.

Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, &c. Nonne ergo oportuit, &c. Certè oportuit necessitate præcepti: Dominus enim præcepit: *dimitte & dimittemini.* & oramus: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Igitur cùm velimus nobis ignosci, & nos ignoscamus. *Tu vis tibi ignosci*, ait D. Augustinus de verbis Domini, *& habes alium cui potes ignoscere, & beneficium petit à te mendicus, & tu*

& tu es Dei mendicus, omnes enim quando oramus, mendici ſumus Dei, ante ianuam magni patrisfamilias ſtamus, imò proſternimur ſupplices, ingemiſcimus aliquid volentes accipere, & ipſum aliquid ipſe Deus eſt. Quid à te petit mendicus? panem: & tu, quid à Domino niſi ipſum? qui dicit Ioan. 6. verſ. 51. *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi. Ignoſci vobis vultis, ignoſcite: remittite, & remittetur vobis.* Diſc. 4. de Amore inimicorum.

Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet, &c. Sancta & Catholica Mater Eccleſia conſtans ſemper docuit, quod per contritionem & veram pœnitentiam Dominus dimittit ſemper totum debitum culpæ, & reatum pœnæ æternæ, ſed non totum reatum pœnæ temporalis, quia de communi lege aſſumptus dolor in contritione, operaque ſatisfactionis in hac vitâ non æquant pœnam debitam pro culpâ; & ideò communiter in purgatorio pro expiandâ pœnâ debitâ animæ defunctorum aliquo tempore detinentur, vt à reatu pœnæ purgentur, poſſent tamen tanta eſſe contritio & opera pœnitentiæ, quod hîc tota pœna expiaretur cum applicatione indulgentiarum, Diſc. 64. de Purgatorio.

Tradidit eum tortoribus quoadusque, &c. Tortores hi ſunt tribulationes & infirmitates nos torquentes, quoaduſque reddamus debitum, convertamur ad Deum, & emendemus vitam noſtram. Diſc. 68. de Tribulatione.

Dominica vigeſima tertia poſt Trinitatem.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt. Matth. 22. Quemadmodum (ſic loquitur D. Chryſoſtomus in comm. homil. quadrageſim. ſecund.) ſi aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, ſi hic concluſus fuerit, violentiâ aliqua aliundè ſibi ſemitam rumpit: ſic & Iudæorum malignitas, ex unâ parte confuſa, alium ſibi aditum adinvenit. Sicut enim non poteſt fieri, ut mittendo ligna extinguas incendium, ſic non poteſt fieri, ut dicendo rationem places hominem malum. Et ſicut ignis, quantò ampliùs ligna ſuſceperit, in maiorem flammam erigitur: ſic anima mala quantò magis veritatem audierit, eò ampliùs in malitiam excitatur. Veritas ſemper odium parit. Diſc. 72. de Veritate. Poterit hic etiam detractari de Obſtinatione, eò quòd, tametſi impij Phariſæi toties fuerint confuſi, & impia eorum conſilia & machinationes detectæ, nunquam tamen ab impio ſuo propoſito deſiſtere voluerint. Diſc. 52. de Obſtinatione.

Magiſter ſcimus quia verax es, &c. Mendaciter adulantur, ut ad reſpondendum alliciant, & reſpondendo verba capiant, quæ poſſint calumniari. Vnde idem D. Chryſ. loco cit. *Magiſtrum dicunt vt honoratus & laudatus, myſterium ſui cordis ſimpliciter eis aperiat, quaſi volens eos diſcipulos habere. Hoc eſt enim hypocritarum, prima potentia ſimulata laudatio, laudant enim quos perdere volunt. Vnde per delectationem laudis paulatim corda hominum ad ſimplicitatem benignæ confeſſionis inclinant. Veluti ſi quis taurum validum, viribus non poteſt ſubiugare & vinculo flectere, mollibus manibus nodoſam eius fricat cervicem, ut quem virtute tenere non poterat, per blandimentum comprehendat: Sic & iſti catenam ſubdolæ laudis portantes in ore, & gladium malitiæ abſcondentes in corde, taurum Eccleſiaſtici gregis dolo laudis comprehendere feſtinabant. De quo tauro prophetans Iacob, increpans Levi, de quo naſcituri erant Sacerdotes, qui interfecturi erant Chriſtum, ait: Simeon, & Levi vaſa iniquitatis, in cogitationes eorum non veniat anima mea, & conſilio eorum ne cadant præcordia mea, quia in irâ ſuâ occiderunt hominem, & in furore ſuo ſubnervaverunt taurum.* De talibus Propheta dicit: molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. legatur Diſc. 25. de Hypocriſi.

Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Tua eſt Dei, quia formatus es, ait Paſchaſius Abbas, ad imaginem & ſimilitudinem Dei, propter quod ſicut Deus ſui iuris eſt, & quod vult facit, ſic tu tui iuris es; hanc tuam imaginem diabolus deturpare & immutare nequit, niſi te conſentiente. Diſcurſu 13. de Diabolo. Vide ergo, ne ea tranſmutetur in cygnum aut Struthionem, qui repræſentant hypocritas. Diſcurſu 25. Aut in tigrim, cui aſſimilatur invidus Diſcurſu 27. de Invidia. Vel in aliam

bestiam peccati. Disc. 58. de Peccato. num. 13. & 14.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Tributum, quod nos Deo tenemur dare, est cor nostrum, totum hoc debetur ratione creationis & redemptionis. Disc. 2. num. 6. Non licet ergo illud dividere, & partim Deo, partim sibi vel diabolo tribuere, uti fecit Cain. Disc.cit num. 5. & per totum discursum.

Dominica vigesima quarta post Trinitatem.

Cùm sublevasset oculos Iesus. Ioann. 6. Require Dominicam quartam Quadragesimæ.

Dominica vigesima quinta, si sit ultima post Trinitatem, aliàs recurrendum ad Dominicas post Epiphaniam.

Cùm videritis abominationem desolationis. Matth. 24. Si præsens Evangelium velis intelligere de extremo iudicij die, quatuor habes discursus de eo, videlicet 29. 30. 31. & 32. Si verò velis exponere mysticè cum D. Hieronymo in Matthæum dicente: *abominatio desolationis intelligi potest omne dogma perversum. Quod cùm viderimus stare in loco sancto, hoc est, in Ecclesiâ, & se ostendere Deum, debemus fugere de Iudæâ ad montes, hoc est, dimissâ occidente literâ & Iudaicâ pravitate appropinquare montibus æternis, de quibus illuminat mirabiliter Deus, & esse in tecto, id est, in dogmate, quo non possint ignita Diaboli iacula pervenire, nec descendere & tollere aliquid de domo conversationis pristinæ: nec quærere quæ retrorsum sunt, sed magis quærere in agro spiritualium scripturarum, ut fructus capiamus ex eo, nec tollere alteram tunicam quam Apostoli habere prohibentur,* discurrere poteris de fugienda malorum conversatione. Disc. 11. & vitanda peccati occasione. Disc. 53. vel secundum D. Augustinum epist. 80. potest hoc congruentius intelligi spiritualiter, quod in omnibus tribulationibus est cavendum, ne qui profecerat in anteriora se extendendo, deficiendo in posteriora respiciat. Disc.68. & Disc. 69. de tribulationibus.

Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme, Per hyemem hanc intelligit D. Ambrosius lib. 2. de Apologia David, diem mortis, præsertim peccatorum: *est enim hyems,* ait ille, *non terreni Solis, sed hyems mentis,* dum nimirum peccator corde innumerorum scelerum constricto & indurato frigore fugere cogitur ex hac vita ad æternam hyemem, *videte ne fiat fuga vestra in hyeme. Bonum enim,* pergit idem S. Ambrosius, *ut tunc dies iudicij vel mortis adveniat, cùm viget animi blanda, temperies, cùm cœleste mysterium serena luce resplendet, cùm cor nostrum ardet in nobis. Tunc enim Christus est præsens, sicut testantur in Evangelio Ammaon & Cleophas: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Viget autem animus, quando etiam flos videtur in terris. Quis est iste flos boni odoris, nisi ille qui dixit: Ego flos campi, & lilium convallium, de quo & in Isai cap. 11. vers. 1. scriptum est: Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Radix quippe familiæ Iudæorum est, Virga Maria, flos Mariæ, Christus, qui quando nostra resplendet in terra, & in agro animæ redolet, vel in Ecclesia sua vernat, nec frigus possumus timere, nec pluviam vereri, sed exspectare diem iudicij,* legatur Disc. 48. de Morte justorum & peccatorum, item Discurs. 52. de Obstinatione, & Disc. 52. de Pœnitentia.

INDEX

INDEX
CONCIONVM
IN FESTIS
Sanctorum per Annum occurrentibus.

In Festo immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Quatuor pro hoc Festo habes Discursus, nimirum 36. 37. 38. & 39.

In Festo Purificationis.



T vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Lucæ cap. 2. Richardus Victorinus de differentiâ sacrificij Abrahæ & Mariæ censet inquisitione dignum, *cur magis elegerit* (nimirum B. Virgo) *offerre duos pullos columbarum, quàm duos pullos turturum.* Supponit ergo cit. Author B. Virginem duos obtulisse pullos columbarum. Et respondet. P. Sylveira: *peculiariter columba offertur, auis lachrymosa est, & in cantu tota se fundit in lachrymas,* vt notat D. Nazianz. Orat. 40. Idelphonsus hom. 1. B. Laurentius Iustinianus serm. de Purificat. & alij. *Et bene hæc auis datur, dum Christus præsentatur in templo, ac vt primogenitus redimitur, solis enim lachrymis Christus acquiri potest.* Disc. 34. de Lachrymis.

Et venit in Spiritu in templum. Mirum sanè, Christus Dominus in stabulo constitutus, ab oriente vocat ad se stellâ duce tres Magos, iustum verò Simeonem senem & Sacerdotem vocat ad se in templo præsens, non stellâ duce, sed Spiritu sancto inspirante, & quid hoc sibi vult? ergone apud Deum etiam est personarum acceptio? nequaquam; sed vt te doceat, omnem Sacerdotibus exhibendam esse reverentiam & honorem. Disc. 65. de Sacerdote, numer. 8. & per totum.

Et responsum acceperat, &c. Non visurum se mortem. Et meritò, iustorum enim mors non est dicenda mors, sed transitus ad meliorem vitam, & somnus quietis, seu, vt cum hodierno Evangelio loquamur, potiùs dicitur dimissio & licentia, quâ transit ad vitam æternam. Disc. 48. de Morte Iustorum.

Nunc dimittis seruum, &c. Cur iustus Simeon adeò instanter petierit dimitti ex hac vitâ, vide rationem Disc. 45. num. 10.

In Festo Annunciationis.

Huic Festo apprimè inseruiet Disc. 42. V. Mater Dei. & Disc. 43. V. Mater Christi.

Ecce ancilla Domini. Lucæ cap. 1. Legatur Disc. 41. Maria humillima.

Spiritus sanctus superveniet in te, &c. Et cur superveniet & non veniet tantùm? *bene dixit superveniet in te,* ait Nicolaus de Lira, *quia iam prius venerat Spiritus sanctus, eam ab originali præservando.* Disc. 36. num. 8. & per totum.

In Festo Visitationis.

Exurgens Maria abiyt in Montana cum festinatione. Lucæ cap. 1. Nota primò, ait Reverendissimus Guido Carmelita, in Mariâ Virgine exemplum pietatis & officiosæ charitatis quæ ante sola intimis penetralibus versabatur. Eam nunc non à publico Virginitatis pudor, non à studio asperitas monitum, non itineris prolixitas ab officio charitatis retardavit, & quid mirum? amor omnia facilia reddit. Disc. 3. per totum.

Nota secundò exemplum humilitatis: *quia superior,* inquit Diuus Ambrosius in Lucam lib. 2. *venit ad inferiorem, Virgo ad corruptam: decet enim, vt quantò castior Virgo, tantò humilior sit. Noverit senioribus deferre honorem, sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis.* Et talis magistra humilitatis extitit Maria virgo. Legatur Disc. 41. Maria humillima.

In Festo Commemorationis solemnis seu sacri Scapularis.

Huic solemni festivitati congruit Disc. 44. Maria Advocata peccatorum, vbi reperies nonnullos conceptus privilegijs sacri scapulari appositos. Sicut & in Disc. 18. num. 6. & 7. de Clypeo & Disc. 13. num. 2. & 3. *Assumite omne genus armorum.* Item inservire poterit Disc. 43. Maria Mater Christi.

In Festo Assumptionis B. M. Virginis.

Intravit Iesus in quoddam castellum. Lucæ 10. Mirabantur plurimi tempore Reverendissimi Guidonis, cur istud Evangelium in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ legatur, cùm in eo de ipsâ expressè nihil dicatur. Ad quod Anselmus lib. de sigillo Virginis respondens in hæc verba dicit: *Debetis imprimis de hoc Evangelio scire, quòd nihil potuit inveniri in totâ Scripturæ serie, quod quietius & aptius, quod dignius legeretur in eius sacrâ solemnitate, dicitur itaque: Intravit Iesus in quoddam castellum. In castello est turris alta, in quâ contra hostes propugnacula, murus verò, exterior, qui est tutela civibus interius. Hoc castellum fuit illud Spiritus sancti castellum, scilicet gloriosa Dei genitrix Virgo Maria, quæ iugi Angelorum custodiâ fuit vndique munita: in quâ turris alta, videlicet humilitas pertingens ad cæli culmina.* Vide Disc. 41. Maria humillima. Murus verò exterior ejus castitas fuit, quæ cæteris virtutibus interius munimen præbuit. Disc. 40 num. 11. vsque ad finem. Hoc castellum Dominus intravit, quoniam in vtero Virginis humanam naturam sibi copulavit.

Intravit Iesus in quoddam castellum & mulier quædam, &c. Fœlix mulier, subiungit Sanctus Bernardus homil. 1. de Assumpt. *cuius domus Salvatore suscepto inventa est munda quidem, sed planè non vacua.* Idem deinde mellifluus Doctor post pauca instituit quæstionem aliquam sub hisce verbis: *Sed fortè curiosiùs quisquam requirat, cur in præsenti Evangelicâ lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat?* & statim respondet: *Arbitror sanè ne id quidem à propositâ similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur, absit enim, vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Ex quibus verbis apertè euincitur B. Virginem semper fuisse puram & mundam etiam ab omni peccato Originali. Legatur Discurs. 36. Disc. 37. Disc. 38. Disc. 39.

Pro hac eâdem celeberrima festivitate paratum etiam habes Disc. 44. Maria Advocata Peccatorum.

In Festo Nativitatis B. Mariæ Virginis.

De quâ natus est Iesus, &c. Matt. c. 1. Vide Disc. 42. Maria Mater Dei, & Disc. 43. Maria Mater Christi, & Disc. 44. num. 7. & Disc. 40. Maria Pulcherrima.

In Festo Nativitatis & Decollationis S. Ioannis Bapistæ.

Legatur Disc. 53. de occasione Peccati. num. 7. & Disc. 23. de gulâ & ieiunio. num. 4. & Disc. 48. de Morte iustorum. num. 9. &. Disc. 72. de Veritate. num. 7. & Disc. 7. num. 7.

In Festo vnius Apostoli.

Ecce ego mitto vos, Matth. cap. 10. *Ac si diceret*, inquit glossa ordinaria: *illis suâ pœna servabitur in futurum, vos autem omnem exhibete patientiam, ecce ego* &c. Congruit illi, quod secundùm Ioannem cap. 20. dicitur: *sicut misit me Pater* ad Passionem, *sic & ego mitto vos*: non ad gaudia sed ad passiones, Concordat etiam huic: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*. Sed quomodo, quærit Oleaster, *disposuit tibi Pater regnum tuum, dic nobis quæso, bone Iesu*? & respondet, per calicem passionis. Disc. 69. num. 10. & per totum.

Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c. Prima serpentis astutia est, inquit glossa, quòd per angustias se coarctans veteri tunica exutus, innovatur; sic intrans per angustam portam, nimirum pœnitentiam veterem exuit hominem. Disc. 61. de Pœnitentiâ. Vel intrans per angustam portam tribulationum veterem hominem exuit, nam Tribulatio convertit hominem ad hominem, Disc. 68. nu. 6 7.8. & seq. & Disc. 69. num. 7. & 8.

Estote ergo prudentes sicut serpentes. Altera serpentis prudentia est, ait Epiphanius hæresi 37. Quando enim siti pressus à latibulo procedit ad aquam vt bibat, non simul secum accipit venenum, sed in latibulo relinquit, & sic progressus potum aquarum sumit. Proinde & ipsi hoc imitemur, vt quando ad sanctam Dei Ecclesiam aut ad preces, aut ad mysteria venerimus, malitiam, aut voluptatem, aut inimicitiam, aut aliud quid in cogitationibus nostris nobiscum non feramus, hæc ille; sequere igitur consilium Sapientis: *custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, & B. Nicolai discipuli D. Chrysostomi dicentis: *Ecclesiam vt cœlum adi, & nihil in ea ante age, aut loquere quod terram sapiat*. Disc. 15. de Ecclesia, per totum. Priusquam etiam ad preces fundendas pergas, venenum depone infidelitatis, superbiæ, malitiæ, & ora in fide cum humlitate & in innocentia cordis. Disc. 55. num. 12. 13. 14. item num. 16. 17. & 18. tandem accessurus & sumpturus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, quod est fons vitæ æternæ. Disc. 20. num. 2. 3. & 4. omne priùs depone venenum malitiæ & nequitię. Disc. 17. per totum. Depone & abijce etiam omnem inimicitiam, ait S. Epiphanius. Disc. 4. num. 19. & 20. vsque ad finem.

Cauete autem ab hominibus, tradent enim vos in concilijs, id est, suadet glossa, *trahere vos conabuntur ad sua consortia mala*, sed ab hisce cauere vobis, Disc. 11. de fugienda malorum conversatione.

In Festo Apostolorum Petri & Pauli.

Huic festivitati inservire poterit Disc. sexagesimus sextus de Servis Dei. nu. 4. vbi specialiter ostenditur horum Apostolorum patrocinium item. Disc. sexagesimo nono. nu. septim. & per totum.

Duo hi Apostoli in amore erga Deum præ reliquis excelluerunt, vt ostenditur. Disc. 3. nu. 4. & 5.

In Festis SS. Apostolorum, Andreæ, Thomæ, & Ioannis Euangelistæ.

Require Tubam Evangelicam seu sermones per Adventum.

In Festo S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ.

Vidit hominem sedentem in telonio. Matth. 9. & cur sedentem & non stantem? respondebitur Disc. 14. num. 3. & per totum.

Vidit hominem sedentem, &c. & surgens secutus est eum. Miram ecce efficaciam & virtutem oculi & visus Dei, quamprimum illum aspexit, ille secutus est. Disc. 54. de oculo Dei. Idem Discursus inservire poterit Festo S. Andreæ Apostoli occasione similium verborum, quæ leguntur in Evangelio istius Festi.

In Festo vnius Martyris, Pontificis, & non Pontificis.

Si quis vult post me venire, &c. tollat crucem suam Matth. 16. *Christus* (sic loquitur D. Chrysost.) *intravit in gloriam suam per passionem, & tu vis intrare in alienam sine cruce.* Disc. 69. de Tribulatione.

Si quis vult post me venire. Non dixit, ait Diu. Chrysost. hom. 56. super Matth. *Oportere ipsos pati, vellent nollentq; Sed quid? si quis, ait, vult venire post me; non impello, non vrgeo, sed liberam singulorum efficiens voluntatem dico: si quis vult.* Homo enim sui iuris est, & per hoc dicitur ad imaginem Dei factus, quæ est grandis humanæ naturæ dignitas. Disc. 13. num. 6. 7. 8. & 9. Vnde diabolus latrare potest, mordere non potest, nisi volentem. num. 11. 12. & seq.

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, &c. Cùm instabilis sit, nec satiare valeat nostrum appetitum. Disc. 49. de Mundo.

Inquires, quare obitus Martyrum natale dicitur? responsum pulchrum suggeret Disc. 48. de Morte Iustorum & Peccatorum, n. 5. & per totum.

Festivitati unius Martyris sive plurimorum Martyrum inservire poterunt Disc. 68 Disc. 70 & Disc. 71. Item 66. de Servis Dei. Item Disc. 3. Amor Dei omnia facilia reddit. & Disc. 8. de Beatitudine.

In Festo S. Stephani.

Require Discursum sexages. sext. de servis Dei. num. 13. accommodam ibidem reperies rationem, cur sepelientes Stephanum viri timorati fecerint planctum magnum super eum.

Positis autem genibus clamavit voce magnâ dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7. vers. 59. Flexis nimirum genibus oravit pro inimicis suis, ut te doceret, excellentissimum esse orandi genus orare pro inimicis, & remittere offensam esse actionem summè meritoriam. Disc. 4. de Amore inimicorum, num. 10. & per totum. De hoc eodem festo habetur sermo in Tubâ Euangelicâ.

In Festo SS. Innocentium.

Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt, Matth. 2. Et quare noluit consolari? vide responsum. Disc. 48. num. 3.

Occidit omnes pueros. Absque ullâ commiseratione & compassione, & ideò iusto Dei iudicio in morte suâ tot doloribus excruciatus fuit, quot membra habuit corporis. Quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Disc. 59. num. 3.

Alius supererit Sermo in Tubâ Evangelicâ de eodem hoc Festo.

In Festo vnius Confessoris Pontificis.

Homo quidam peregrè proficiscens, &c. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis. Matth. vigesimo quinto, Ecce ad quantam dignitatem evehuntur servi Dei, qui in servitio Dei fideles extiterunt. De hoc nomenclaturâ multum gloriabatur S. Apostolus Paulus, S. Iacobus, & regius Propheta. Disc. 66. de servis Dei. num. 1. & 2.

Supra multa te constituam. Veluti potentem defensorem & intercessorem populi mei. Disc. 66. de servis Dei. n. 3. 4. 5. & seq. usque ad finem.

Intra in gaudium Domini tui. Bene ita, *intrâ,* quia quamdiu peregrinamur in corpore per fidem ambulantes non per speciem, longè distamus, & sumus in regione dissimilitudinis. Intrare ergo iubemur in gaudium Domini, quia, ut dicit Albertus Magnus, intrare est continuis profectibus proficisci; & ideò intrat, qui per minorem observantiam continuò proficit ad perfectum. Legatur Disc. 60. de Perseverantiâ.

Intra in gaudium Domini tui. In eminentiam nimirum beatitudinis, ultra quam nihil. Disc. 8. de Beatitudine.

Aliud Evangelium.

Vigilate, quia nescitis quâ horâ, &c. quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus, &c. Matth. 24. est, nimirum ille, qui describitur Disc. 67. de Superioribus.

INDEX.

In Festo S. Nicolai Episcopi.

De Festo hujus S. Episcopi agit Disc. quinquag. prim.

In Festo vnius Confessoris non Pontificis.

Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris, Lucæ 12. Lucerna fides est, ait Diu. Ambrosius, hanc in manibus ardentem teneamus necesse est. Quia fides sine operibus mortua est. Disc. 21. de Fide & Operibus.

Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. Vltimam horam semper ignorari voluit Dominus, inquit glossa, vt semper sit suspecta, & ad eam semper præparetur, adeòque non est differenda pœnitentia. Disc. 61. de Pœnitentiâ. Et Discursus 52. de Obstinatione.

In Festo S. Iosephi.

Paratum pro hoc Festo invenies Disc. 28. de S. Ioseph.

In Festo S. Alberti Ordinis Carmelitarum.

Ecce nos reliquimus omnia, Matth 19. Prudenter sanè, quia divitiæ, ait Poëta quidam, sunt pondus grave celsa petenti Disc. 14. de Divitijs, per totum. Sic etiam peccatum magnum pondus est impediens hominem ab ascensu in cœlum, & ideò relinquendum. Disc. 58. num. 9. 10. 11. 12.

Ecce nos relinquimus omnia. Facilè relinquit, qui ardenter amat, nam amor omnia facilia reddit. Disc. 3.

In Festo vnius Virginis.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito, Matth. cap. 13. Legatur Disc. 73. & Disc. 75.

Simile est regnum cœlorum decem Virginibus, Matth. c. 25. Videatur Disc. 32. num. 3. & Disc. 49. num. 6. vbi aliqua de præsenti discutiuntur Evangelio.

In Festo vnius Virginis & Martyris.

Require Sermonem de sanctâ Luciâ, pro Tubâ Evangelicâ.

Ad huiusmodi festum omnes ferè Disc. assignati pro communi vnjus Martyris non Pontificis recudi possunt.

In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Legatur Disc. 35. de Mariâ Magdalenâ.

In Dedicatione Ecclesiæ.

Videatur Disc. 61. de Pœnitentiâ. num. 8.

In Festo omnium Sanctorum.

Beati pauperes spiritu, Matth. cap. 5. Legatur Disc. 14. de Divitijs.

Beati qui lugent, &c Disc. 34. de Lachrymis.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, &c.

Beati misericordes, &c. Post quartam beatitudinem rectè ponitur quinta de misericordia, quia, vt ait Glossa, misericordia & justitia ita cōjunctæ sunt. vt altera ab altera non debeat seperari: misericordia sine justitia dissolutio est. Iustitia sine misericordia crudelitas est. Disc. 12. de correctione Fraterna, & Disc. 67. num. 10. 11. 12. vsque ad 16.

Beati pacifici, quoniam filij Dei, &c. Huic appositè quadrat Disc. 4. de amore inimicorum.

Beati qui persecutionem patiuntur, &c. Disc. quatuor habes de Tribulationibus.

In commemoratione omnium Fidelium animarum.

Legatur Disc. 64. de Purgatorio.

Pro Concione funebri.

Pulchrè inservire poterit Dis. quadragesima octau. de Morte Iustorum & Peccatorum.

FINIS.

ANTVERPIÆ,


Apud CORNELIVM WOONS,

&

HENRICVM AERTSSENS.

ANNO. M. DC. LXIII.

Cum Gratiâ & Privilegio.



[illegible]
CONCIONES
TOM. PRI. II.